Utrecht University Library
Partner in Science
Universiteit Utrecht

Ecclesiastica historia, integram Ecclesiae Christi ideam, quantum ad locum, Propagationem, Persecutionem, Tranquillitatem, Doctrinam, Haereses, Ceremonias, Gubernationem, Schismata, Synodos, Personas, Miraculas, Martyria, Religiones extra Ecclesiam, & statum Imperij politicum attinet, secu[n]dum singulas Centurias, perspicuo ordine complectens: singulari diligentia & fide ex vetustissimis & optimis historicis, patribus, & aliis scriptoribus congesta ...

https://hdl.handle.net/1874/456764

Vndecima Centuria ECCLESIASTICAE HISTORIAE, CONTINENS DESCRIPTIONEM AMPLISSIMARVM RERVM IN REgno Christi, quæ Vndecimo post eius natiuitatem seculo acciderunt: cum Imperium Romanum gubernarent, Heinricus secundus, Cunradus secundus, Heinricus tertius, & Heinricus quartus: & Doctores in Ecclesia præcipui excellerent, Berno Augiensis abbas, Algerus, Bruno Herbipolensis, Petrus Damianus, Leo nonus, Lanfrancus, Anselmus Cantuariensis, Iuo, Mehinhardus, & alij quidam: eodem ordine, diligentia & fide, ut superiores Centuriæ, ex uetustis & probatis historicis, patribus, & alijs scriptoribus:

IN DVCATV ILLVSTRISSIMORVM Principum ac Ducum Megapolensium, in ciuitate Vuismaria,

PER AVTORES CONTEXTA.

Accessit Rerum uerborumq; in hac Centuria præcipuè memorabilium, tum Locorum Scripturæ explicatorum, geminus INDEX.

BASILEAE, PER IOANnem Oporinum. 1567.



PRVDENTISSIMIS, CLARISSIMIS, ET ORNATISSIMIS VIRIS, DOMINIS CONSVLIBVS, SENATORIBVS, TOTIQVE REIpublicæ & Ecclesiæ LINDAVIENSI, ad Lacum Podamicum sitæ, Dominis & amicis suis reuerenter colendis:

G. ET P. PER CHRISTVM.

POTESTATEM IN MVNDO duplicem, Ecclesiasticam & politicam, propter animæ & corporis salutem, magno magni DEI beneficio conseruari, omnes sani atque à pietate non alieni, agnoscunt, magnificiunt, meritoq; summis laudibus extollunt. Est autem potestas politica, ordinatio DEI, qua magistratus iuxta normas honestarum legum, cum Decalogo congruentium, ius dicunt suis subditis: atque ui externa seu gladio, pro delictorum ratione, puniunt sceleratos, ac defendunt bonos. Quid autem honorificentius, quid augustius de magistratibus, rectè suo munere fungentibus, dici potest, quàm eos in hac externa administratione iusticiæ, disciplinæ & pacis, esse ipsius DEI uicarios? Nam hoc encomio eos ornant Sacrosanctæ literæ. Verùm habet ea potestas ciuilis, suas quasdam metas, neq; in infinitam licentiam sese extendit. Cum enim ipsi quoque magistratus, sint Maiestatis diuinæ ministri atq; uasalli, legibus diuinis omnibus modis adstringuntur, ne quid contra eas uel statuendo, uel iudicando, uel exequendo, uel ulla alia ratione agendo nefariè moliantur. Nam DEVS omnium non modò actionum, sed etiam cogitationum inspector ac iudex est: soletq; magistratuum exorbitantiam ex legibus præscriptis, libidinemq; effrenem perpetrandi quælibet, acerrimè uindicare: sicut ab experientia perpetua Sapiens ille mutuatur hoc dictum, Potentes potenter tormenta patientur.

Erat Dauid rex alioqui laudatissimus: sed non erat ipsi fas, rapere coniugem sui subditi, eumq; præter omnem culpam mactationi tradere. Vt igitur nosset se habere inspectorem superiorem, & uindicem scelerum seueriſsimum, grauissimas pœnas luere cogitur. Erat Osias potens rex: uerùm cùm superbia elatus, non uereretur in Sanctum sanctorum irrumpere, quia fortè Regi omnia putabat licere: ideo qui ex cœlis regum petulantiam & libidines intuetur, extemplò eum lepra percutit. NABVCHODONOSOR regia sublimitate fascinatus, auream statuam in campo

erigit: ac pro sua autoritate seueríssimis minis præcipit, ut omnes populi eam massam adorent. Credebat enim, se quidlibet statuendi liberrimam habere potestatem. Sed paulo post bruti idoli defensor, ad brutas feras in syluas relegatur: nec prius restituitur, quam DEVS ex misericordia eum ex opacis lustris ferarum extrahat, totiq; mundo perpetuũ exemplum punitę superbię, tyrannidis, libidinis in religione, in illustri rege proponat. Sunt etiã gentium historiæ, eiusmodi exemplorũ plenę, quæ cuiuis obuia sunt.

Ecclesiastica potestas est ordinatio DEI, qua Ecclesiæ ministri, impœnitentes, uel errantes, uel facinorosos, non ui corporali, sed uerbo DEI taxant, & à sancto arcent: pœnitentibus uero absolutionem & Sacramenta in nomine CHRISTI porrigunt, atq; disciplinam Ecclesiasticam & ceremonias gubernant. Sunt autem Ecclesiæ pastores quoque hac in parte quasi uicarij CHRISTI, seu, ut Paulus loquitur, συνεργοὶ θεοῦ. Sed neq; spiritualis hæc potestas, infinitam quęlibet agendi pro arbitrio licentiam habet: uerum patefacto certoq; DEI uerbo adstricta est. Nec sunt domini, sed serui duntaxat Ecclesiasticarum rerum. Tantum enim hoc uerbum tradendum est, quod DEVS cœlitus dictauit, atq; in authentícis monumentis utriusque Testamenti, ominibus ætatibus miranda clementia & potentia conseruari uoluit. Sacramenta, quæ sunt sigilla fidei, & euidentes applicationes atque corroborationes promissionis gratiæ per CHRISTVM continent, tantum eo modo administranda sunt, quo DEVS ipse illustri uerbo sanciuit. Scelerati impœnitentes, citra ullam ullius personæ acceptationem, uerbo DEI seueríssimo ligandi sunt: pœnitentes uero, uerbo gratiæ dulcíssimo conspergendi, & quasi balsamo quodam fragranti & saluberrimo inungendi atque conseruandi sunt. Ceremoniæ omnes ad ordinem conuenientem, ad decorem graue m, ad ædificationem salutarem, dirigendæ atque conseruandæ sunt. Nec liberum est articulos fidei suis glossematibus deiícere, seu nouos pro arbitrio condere: resq; diuinas uel exrationis humanæ principijs, uel ex hominum placitis, qui eosdem riuos sectantur, æstimare, metiri, disponere, interpretari. Non fas est Sacramentis diuinitus institutis, aliquid adijcere uel demere, quod quidem ad ipsorum substantialia attinet: aut in usum prorsus à mente autoris alienum conuertere, aut ea quoquo modo profanare. Non licet eos mortificare gladio uerbi, quos DEVS uiuificat: aut in cœlum locare, quos DEVS ad ima tartara damnat. Non integrum est siue pastori siue Ecclesiæ, superstitiosos & idololatricos cultus, contumelioſos in DEVM, uel inuehere in cœtus sacros, uel approbare, uel tolerare quantumuis inueteratos. Nam clare scriptum est: Fugite idololatriam.

Cum

Cum autem diuersæ atque distinctæ sint potestates illæ, Ecclesiastica & Politica, personis, rebus ipsis, fine etiam differentes: ideo confusio istarum potestatum, supra omnem modum pernicio sa est. Peccant uerbi DEI ministri, si gladium politicum inuadant: & iurè seueriſsimis supplicijs afficiuntur. Iustè Thomas Monetarius nostra ætate punitus est, quòd gladium magistratus, cum pastor Ecclesiæ esse deberet, nefariè arripuit, seditionemque miserrimorum agricolarum æterna infamia concitauit. Multo uerò magis peccant, qui regnum CHRISTI spirituale, in corporale, in mundanum, in politicum transformant: rapiunt coronas Cesaribus: dant eis diademata, quę iurè diuino nulla habēt: leges fori dictant, unde utriusque Iuris doctores procreantur. Nam CHRISTVS accuratè præmonuit, ne hoc fieret. Reges, inquit, gentium dominantur: uos autem non sic. Iura politica frequentius quàm Biblia tractant, uenantur, arces & munitiones possident, tractant Mauortia arma, sunt stipati armatis, ducunt exercitus, fundunt innocentium sanguinem: ut eorum qui ineunt matrimonia, cum sint initati sacris: qui diebus prohibitis, carnibus uescuntur: qui ipsorum fœdas idolomanias & scortationes tum corporales tum spirituales abominantur. Hi inquam multo horribilius in politicam potestatem impetum faciunt, multoq; grauius omnes magistratus premunt & opprimunt, quàm Monetarius ille, quàm Storchius, aut alij seditiosi uspiā in uniuerso orbe terrarum factitarunt, aut facturi sunt unquam. Isti igitur inquam, isti notorij, atroces, infames inuasores politicæ potestatis, summis supplicijs, coniunctis omnium magistratuū uiribus, retundi atq; castigari debebant: quemadmodum uox DEI ipsos magistratus instigat, animat & armat. Reddite, inquit, illi, sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate duplicia secundum opera eius: in poculo, quo miscuit uobis, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Apocal. 18.

Peccant ex aduerso magistratus, quasi illotis manibus in Ecclesiasticam potestatem, ueluti in sacrarium Dei inuolantes: nec manent inulti, licet summa autoritate atque impunitate uideantur cuncta perficere. nam DEVS uindex est acerrimus. Vt quando ex fauore, uel sui quæstus gratia, uel ut habeant suorum scelerum uel applausores, uel dissimulatores, aulicos scribas, nobiles, milites, aut eiusmodi huius seculi filios obtrudunt Ecclesijs, nec liberam Ecclesiæ electionem concedunt. Nam magistratus nequaquam sunt capita Ecclesiæ DEI, propter politicam eminentiam: sed tantū sunt Ecclesiæ pars, ac habent meritò unam uocem. Imò si magistratus per se impij, idololatræ, prophani, hostes sinceræ doctrinæ & uerorum cultuum DEI sunt, non sunt pars Ecclesiæ

DEI, sed pars Ecclesiæ malignantium. Nam aurea corona, sceptrum ipsum, nequaquam facit Christianum, seu membrum Ecclesiæ ipsius : sed fides in CHRISTVM. quæ quo est excellentior in aliquo, eo magis præcipuum Ecclesiæ DEI membrum est. Si etiam magistratus ineptum, insulsum, rudem, impium, sceleratum, arundinem mobilem, de doctrinæ integritate suspectum, peruim Ecclesiæ obtrudere conatur, contra suum officium, contra DEVM, & contra communia Ecclesiæ DEI iura facit : nec peccat Ecclesia, si ostensis grauibus causis, modestè talem fucum ac pestem non recipiat. Etsi autem tyrannis ferenda est subditis : tamen confessio iusta & neruosa extare debet, licet ea periculis non careat. Peccant magistratus, quando cothurnos religionis, à suis cancellarijs, hoc est legisperitis & scribis misere consutos, atque ad uoluntatem filiorum huius seculi callidè adornatos, Ecclesiæ DEI exhibent: additis crudelissimis minis, de exilio alijsq; malis infligendis, si quis detrectet suscipere. Peccant, quando permittunt suos Pontios Pilatos, dracones & carabbantes coruos, decreta scribere ac promulgare, quibus os Spiritus sancti in eruditis ac serijs præconibus uerbi DEI obstruatur, ne errores & corruptelas, qui publicis libris in uniuersum orbem Christianum diffunduntur, ausint indicare, taxare, refutare, apud eum cœtum, qui præstigiatorum libros emit, legit, admiratur. Peccant, quando fouent præstigiarum architectos, quando patiuntur eos errores in agrum Domini disseminare, quando iudicium de doctrina ad suas synagogas, ad suas aulas, ad suos dracones rapiunt. Nam iudicium de qualibet doctrina, Ecclesiæ DEI est, tum doctorum, tum auditorum: norma autem iudicandi rectissima, ipsum Verbum DEI est. Peccant, quando innocentes pastores, uel oues sectantes uocem CHRISTI, oderunt, premunt, excutiunt suis possessionibus, in exilium profligant, iniquis iudicijs, conuicijs conspurcant & dedecorant.

In cursu autem Historiæ Ecclesiæ DEI uidere est, quomodo DEVS utrasq; illas potestates, de quibus hactenus disseruimus, mirabili potentia conseruarit: & quomodo illæ metas suas excedentes, turbas in mundo horribiles dederint. Nam diabolus hostis DEI & generis humani perpetuus, absque intermissione ulla, donec quidem iste mundus durat, huc sui ingenij & potentiæ uires intendit omnes, ut utramque potestatem fœdè commaculet, conuellat & euertat.

Hæc ipsa in præsenti Vndecima Centuria Historiæ Ecclesiæ CHRISTI obseruare operæprecium est. Sustentat DEVS Romani Imperij administratores. Sinit quoque Ecclesiam, uerum exi-

tum exiguam quidem illam, & penè oppressam & extinctam colluuie Antichristi, passim more diluuij inundante, esse reliquam. Sed confusiones illarum potestatum tantæ hac tempestate fiunt, quantæ uix unquam factæ leguntur.

Nam, ut de reliquis taceamus, quos ipsa Historiæ lectio suggeret, uel unicus Heinricus quartus, Imperator toto orbe clarissimus, quantas tragœdias exciuit, dum uel pedem in Ecclesiam incautè infert: uel falsæ ecclesiæ ea præstat atque confert, uel tolerat, quæ ratione suæ maiestatis aliter instituenda ac peragenda fuissent. Collocat licenter in Ecclesiasticas functiones aulicos suos, scribas, nobiles armis ac uitæ luxuriæ adsuetos magis, quàm Biblicæ doctrinæ, aut sobriæ aut sinceræ pietatis exercitamentis: imò & Gnathones suos, quos ad sua facinora excusanda sperabat se habiturum esse promptissimos: coruos quoq; rapaces, qui non animarum saluti, id quod nunquam didicerant, sed bonis ecclesiasticis inhiabant: atq; omni cura in id incumbebant, quò se suosq; collocupletarent, uoluptatibusq; carnalibus diffluerent: neque armis, quæ didicerant tractare, neque opibus, neque splendore ullis politicis dominis essent inferiores. Inde fiebat, ut aulam Imperatoris magis sectarentur, consilia Imperij studiosius gubernarent: exercitibus suis circumdati armatis, inter telorum iactus & lanienas cruentas plus uersarentur, quàm ut suæ caulæ, hoc est Ecclesiæ curam agerent. Quid uerò censes eiusmodi Harpyias ecclesiasticas, in Concilijs, de grauissimis dogmatum controuersijs potuisse iudicare. Sic igitur necesse fuit omnis generis superstitiones, idolomanias, falsa dogmata inualescere: quia nulli ueri doctores, nulli sales, salientes pabula salutifera, nulli qui possent contradicentes conuincere, fuerunt ouili CHRISTI præfecti. Nam uerissimum est, quod propheta dixit: Qualis pastor, talis & populus. Rapit ipse quoque Imperator licentius bona Ecclesiæ: quia ij quos ecclesijs præposuerat, idem habebant studij. imò quasi nundinationes quædam episcopatuum in aulis uigebant. Qui cancellarios muneribus grauare omnium maximè, & ipsi adeò Imperatori uim aliquam pecuniæ affundere poterat, is quantumuis esset sceleratus, episcopatus obtinebat amplissimos. Hinc congruebant Imperatoris & talium episcopalium Harpyiarum consilia, de emulgenda ex subditis pecunia, quam prædam ueluti furum socij inter se partiebantur: ut hic Moguntinensis cum Imperatore colludit in Thuringiacis decimis emulgendis. Habebat quidem ex maiestatis suæ officio, potestatem cauendi, ne Ecclesia CHRISTI aliquid detrimenti caperet: & in primis, ne lupi uoraces loco pastorum salutarium, passim in oues sanguine CHRISTI redemptas grassarentur. Sed quòd ipse Ecclesiæ omnem deligen

di potestatem, quam ipsi CHRISTVS concesserat, prætextu sui sceptri penitus auferebat: id uero in uitio erat. Deinde multo minus ab ullo hominum, DEVM aliquantulum saltem timente, ulla ratione excusari potest, quod tot crudeles lupos in ipsum ouile Domini inthronisarit.

Neque uero hac solum in parte impegit Imperator, sed etiam in illam alteram ferè turpius ac periculosius incurrit: quod sese bestiæ Romanæ, monstroque omnium quæ hæc terra portauit monstrosissimo, ipsi dicimus Hildebrando, qui se Gregorium septimum nominari uoluit, pudendum & infandum in modum substrauit. Etsi enim hoc nefarium iugum abominabilis Antichristi aliquando excutere conaretur, ac si excussisset, iustè fecisset: tamen fractus est, prolapsus est, perfidia suorum maximè debilitatus, tum ecclesiasticorum, tum politicorum, quos monstrum illud Romanum falsa religione fascinarat & eneruarat. Hunc scilicet exitum habebat Imperatoris in suos illos aulicoepiscopos liberalitas & profusio, quod proditus Romano Papacæsari, pastori in arctolycon immutato, sese totum ridendum, ludendum, conculcandum abijcit: eique postea ea concedit ac tribuit, quæ neq; diuina neq; humana iura permittunt.

Consideremus nunc uicissim in Romano illo pastore, qui S. Petri successor, atque adeo ipsius CHRISTI in uniuerso orbe uicarius haberi uoluit, exempla: quomodo potestate illa ecclesiastica, seu clauibus regni cœlorum, in perniciem corporum, animarum, totiusque Imperij nefariè abusus sit. Sed hoc in loco nobis uerba deesse scimus, quibus ista tam atrocia & tetra facinora illius hominis peccati, filij perditionis (quem pontificij scriptores, ut Platina, Schafnaburgensis, & alij, ipsimet detestantur) mediocriter saltem exprimamus. Cognoscent autem hæc omnia plenius Christiani lectores, ex Historiæ contextu.

Ascendit Hildebrandus ad pontificum culmen, non more Petri aut Pauli: sed, sicut diabolus uoluit esse supra filium DEI in cœlis, ambitiosa superbia, dolo, uiolentia. Nam erat insignis necromanticus: hoc est, pacta cum ipso diabolo habebat immediatè, cuius ope subinde ad honores superiores adspirabat. Neque uero erat hoc inusitatum Romanis istis ecclesiasticis uulturibus, tali pacto Romanæ ecclesiæ pinnam occupare: id quod ipsi pontificij authores æternæ memoriæ quasi consecrarunt. Deinde & Romuli more dignitatem hanc consecutus est, nam multos arte sustulit, priusquam habenas tanti ecclesiastici imperij in manus acciperet: idque pro debita ratione istius officij. Draco enim non fit draco, nisi multos dracones deuorarit. Erat que insignis miles Hildebrandus, qui didicerat absque omni pauore manus suas plurimorum hominum sanguine contaminare.

Quid

Quid igitur iſte rex Eccleſiæ ampliſsimus, potentiſsimus, inuictiſsimus agit?

Primùm, ſicut iam olim myſterium iniquitatis cœptum erat, ut illi præſules titulo Romani imperij ſuperbi, ſeſe extulerint ſupra omne quod dicitur Deus: ita hic Hildebrandus nõ ſolum faſtigium hoc retinere, ſed omnibus modis adhuc altius ſubuehere manibus pedibuſq; , quod dicitur, contendit. Hinc in omnibus epiſtolis, quas in omnes fines orbis effundit, prodigioſas planè, omníque fronte prorſus carentes, commendationes, præconia & trophęa de Romanæ eccleſię Regali, ſeu Imperiali eminẽtia obblaterat, obtrudit, inculcat, ſibíq; in omnibus morem geri poſtulat: quòd ni fiat, omnes furias ex flammis Acherontis excitat, atque concitat in eos qui hiſcere contrà auſint: cœli omnem ſpem præcîdit: terra, aqua, igni interdicit tantis uerborum fulminibus, ut uel innocenti ad eorum lectionem non tantum pili omnes horreant, rectíq; ſtent ueluti ſetæ in porcis, ſed ſanguis ipſe in toto corpore rigere uideatur. Hoc nimirum Gorgone territis, poſtea pro libidine quæ uult imperat, & quæcunque uult obtinet.

Deinde, ne non Antichriſti notas inſignes in ſe oſtenderet, diu ante ipſum tentatum, ſed nunquam obtentum decretum promulgat, de diſcerpendo honeſtorum ſacerdotum honeſtis coniugijs. Erant in coniugio ſancto hac ætate adhuc ſacerdotes in Italia, in Gallia, in Germania, in Anglia, aliíſq; locis. Cum autem ea res & libidinibus uagis quaſi frena quædam inijceret, & augendis Eccleſiaſticis opibus atque potentia parum uideretur commoda: ideo non tam aſtu, quàm ſua illa eminentię Romanæ ſedis autoritate, atque auſteritate militari, hanc tantam rem de prohibitione coniugiorum tandem perficere, ſibíq; æternam infamiam comparare cogitauit. Primùm autem in Italia rem abſoluit, non quidem perſuaſionibus ex uerbo DEI, uetuſtiſsimisq; canonibus depromptis: ſed ſua militari manu. Erat enim ſuis exercitibus infructus, manúq; (ut germanum Petri ſucceſſorem decet, ſcilicet) promptus. Equidem inter arma leges, iuſtæ præſertim, ciuiles ſilent. Iniuſtas igitur inter arma hic Eccleſiaſticus tyrannus leges condebat, & confirmabat. Deinde ſuas creaturas, bicornes illos epiſcopos, quos prius in ſua uerba iurare coegerat: & quos non pedo, ſed gladio ſuo cruento territabat, in alia regna emittit: uel qui alioqui ibi pinnas templorum tenebant, eis demandat, ut ſumma ui atque autoritate ſacerdotum quantumuis honeſta connubia, abſque omni omnis miſericordiæ affectu, idq; non conceſſa ulla deliberandi poteſtate, aboleant. Reſtitantes & trepidantes, fulminoſis ſuis ſcriptitationibus impellit ac perpellit: ut

lit: ut tandem hæc diabolorum doctrina, ut quidem eam nominat Paulus antipapa 2 Thess. 2, horribili DEI ira cum pernicie uniuersæ Ecclesiæ, in nomine omnium diabolorum palmam obtinuerit. Ipsi uerò Hildebrando, sicut & cæteris suis mancipijs, non fuit uitio scortari. Quis enim hanc naturæ uim, ex corporibus Cerere & Baccho, calidoq; sanguine abundantibus exemerit? Hic sanè Anatomicus nullus admittitur, omnes hæc membra & hunc sanguinem retinere in primis cupiunt. Sic Hildebrandus Mathildem sociam itineris, consiliorum etiam intimorum, scilicet lecti participem (sed proculdubio absque contactu: quia quis de pontifice mala cogitando præsumeret?) secum habuit, atque circumduxit. Non est enim indecorum, Imperatorem cum amica, in publica uia incedere.

Tertiò, S. Petrus: & hanc notam Antichristo adscribit, quòd dominationem sit contempturus: idq; Iudas declarat & confirmat, quòd magistratum spreturus, ac maiestatem blasphematurus sit. Nullus autem in hoc mundo tantopere, tam impudenter, tam turpiter, tam sceleratè magistratum ciuilem deformauit, quàm Hildebrandus iste noster, pastor scilicet Romanus. Nam ab eo tempore, quo fasces Ecclesiæ per fas nefasq; manibus suis arripuit, licet etiam antea suæ maliciæ specimina quædam subindè exerebat, ad hunc quasi scopum, omnem suam astutiam, uiresq; summis conatibus direxit, ut Imperatorem Heinricum è sua sublimitate quasi crinibus apprehensum detraheret, prosterneret, calcaret: nec destitit, priusquam uoti sui, permissone DEI iustissima, compos fieret. Primùm igitur, quasi clauam Imperatori è manibus extorquere nititur, clamitans, Non esse penes Imperatorem, potestatem eligendi Romanum pastorem: idq; ut obtineat, omnia priuilegia, omnia iura, inde usque ab antecessoribus ad Henricum perlata, una audacia tollit, irritaque pronunciat. Nouit tamen interdum, prout tempestas exoriebatur, dissimulare: & aliud fronte promittere, aliud autem non tantum corde gerere, sed palàm quoque moliri. Neque uerò moratur hac in parte Imperatoris consensum. Sat habet, passim sese episcopos uel ui, uel fascinatione applausores habere.

Hinc porrò ad criminationem Cæsaris progressum facit: atque uitia quædam sanè non merentia excusationem, uti solet fieri, initio carpit: quibus speciosis prætextibus longius fertur, atque ipsum Imperatorem ex solio Maiestatis deturbare non ueretur. Nam ille erat finis, hoc agebat, hoc quærebat monstrum illud, ut ornatissimum culmen Cæsareæ Maiestatis fœtidis pedibus suis subijceret. Cum igitur Imperator effrenem hanc

hem hanc pastoris libidinem non obscurè animaduerteret, eam'que sceptro regio compescendam esse rectè iudicaret, magistratuum ille spurcissimus spretor, & maiestatis blasphemator, anticipantis partes potiores esse ratus, gladium ecclesiasticum stringens, truculentissima & horrisona excommunicatione, summum in Romano Imperio magistratum ferit: eamque ex urbe Roma in Italiam, in Germaniam potissimum, & quo cunque potest ebuccinat: & quod crudele auditu est, omnem Imperij potestatem, dignitatem, actiones ei adimit: mandat subditis omnibus, ut ab obedientia sui Imperatoris sese subtrahant: iuramenta fidei sanctæ præstita, in uniuersum relaxat. Imò omnes Principes, omnes Episcopos seuerissimis mandatis accendit, ut contra Imperatorem uoce, armis, hastis sæuiant, alium'que in ipsius locum subrogent. Hæc est illa horribilis fax, qua Romanus pastor Saxoniam & uniuersam Germaniam ad capessendum bellum cruentum, aduersus suum legitimum magistratum, in nullo iudicio nisi Antichristi Romani condemnatum, accendit: multa'que hominum millia miserrimè sunt trucidati. Hoc scilicet est congregare oues CHRISTI, eis'que pacem adferre. Quis unquam cacodæmon ad truculentiores lanienas classicum cecinit, quàm iste mansuetus scilicet pastor suo pedo?

Sed quis est euentus? Talis nimirum, qualem filius ille perditionis exoptarat. Nam DEVS non solum Imperatorem ob multiplicia peccata, sed totam quoque Germaniam, per scelératum papam punire uolebat: si fortè tam indigna Imperatoris tractatione, de Antichristi iugo penitus excutiendo, de'que ueræ religionis restitutione, serio cogitare uellent. Verùm tenebræ regnabant ubique. Audi igitur quid factum sit. Exutus Cæsar, & consputus miserabiliter à latrone Romano, & quidem à pastore quod dolendum est, animo prorsus labascit, ac multo humilius sese proijcit ad pedes immanis istius hostis CHRISTI & magistratuum, quàm ullum quantumuis uile mancipium, crucem commeritum, ad sui domini pedes sese prosternit. Venit in Italiam asperrimo hyemis tempore, maximis itineribus, summis periculorum difficultatibus. Apostaticum ubi Canusij offendit, primùm ab omni congressu repellitur, ueluti canis. Tandem uix, & quidem indignis modis admittitur, tali pacto. Receptus intra murorum ambitus eius arcis, in qua pontifex erat, Cæsar, ibi tres integros dies omnibus regijs ornamentis exutus, nudis pedibus à mane usque ad uesperam, tanquam catharma DEO & hominibus exosum, cogitur stare. Ille semideus uerò Hildebrandus, è sublimi arce in

ce in Imperatorem deiectum, protritum & spretum summa cum animi titillatione prospicit: neque ante illud triduum completum, cum iam oculos suos suauiter & satis superque pauisset, eum alloquio dignatur. Postea uero proiectum ante se in terram, Imperatorem Romanum non prius absoluit, nisi Imperij fascibus sibi traditis, & facta promissione iuramentis omnium grauissimis, sese nihil in Imperio acturum penitus, nisi iste crudelis lupus, habito in Germania conuentu, ipsi coronam potestatem'que gubernandi omnem restituisset. Quod unquam spectaculum in mundo tristius, horribilius, indignius auditum est, quàm hoc? O sol, potuistine tantum facinus, istius arctolyci Romani, tam crudeliter in potestatem politicam sæuientis, aspicere? O terra, tantum'ne portentum in arce Canusio potuisti sustentare? Sed DEVS mundo iratus, tam tetrum istius pontificis facinus permisit compleri: alioquin terra ipsa hiatu facto alastorem, ipsum dicimus Hildebrandum, uiuum cum arce absorpsisset.

Quis igitur dubitabit, pontifices Romanos ipsissimos esse Antichristos: quia politicam potestatem non solum omni decore conspuunt, sed etiam coronam Imperij, atque omne ciuile ius ad se quàm uiolentissimè rapiunt? Volunt enim coram se Romæ causas profanas quoque tractari, atque dirimi: eo'que non modo episcopos omnium nationum, uerùm etiam principes, imo ipsum quoque Imperatorem, temerariè citant, atque in eum politicam, quæ ipsis minimè conuenit, proscriptionem exercent.

Hæc, inquimus, in Historia Ecclesiæ attentis ac pijs Lectoribus in conspectum ueniunt, atque nefarios conatus demonstrant. Prosunt autem ad uaticinia, quæ in Sacris literis extant, rectius intelligenda: & ad ipsum Antichristum, è suis propriis, natiuis, crassis & palpabilissimis notis plenius cognoscendum.

Interea uero DEVS inter istas horribiles & pestilentes mundi confusiones, conseruauit Ecclesiam: quæ ex collisione istorum summorum capitum, uehementissimè pressa atque concussa est, neque contra tyrannos ecclesiasticos & politicos mutire quicquam ausa fuit.

Nolumus autem hæc in præsentia uberius explicare. Satis enim est, Lectorem in paucis exemplis commonefacere, quid Historiarum cognitio utilitatis adferat.

Sed inquiunt aliqui: Si maximè unicus Hildebrandus talis fuit alastor (nam ipsimet parasiti pontificij non habent, quo tantum scelus honestè possint contegere:) tamen non omnes tales fuêre: neque propter uitium personæ, uniuersus pontificius

ficius ſtatus in crimen uocandus eſt. Reſpondemus : Antichriſtus & perſona & ſtatu ſuo toto , quantus quantus eſt, ab ipſo DEO euidentiſsimo uerbo eſt damnatus : ut cuilibet ex ipſis notis iam olim prædictis conſpicuum eſt. Qui uerò cæcutit oculis cernentibus , cæcutiat ſuo periculo. Qui ſordet, ſordeat adhuc.

Vobis uerò, Viri ampliſsimi , ornatiſsimíque, ueſtræque Reipublicæ & Eccleſiæ hanc Vndecimam Centuriam uiſum eſt adſcribere, atque dedicare : quia ueſtra Eccleſia, inter alias CHRISTI Eccleſias , Antichriſtum, iuxta uerbum DEI , ex immenſa DEI clementia cognouit , eius iugum impium excuſſit, atque ſinceram doctrinam iam plurimos annos inſigni cum fide ac uirtute profeſſa eſt. Non eſt autem hoc encomion postremum in mundo , eſſe templa DEI , eſſe ciues Eccleſiæ CHRISTI , qui DEVM rectè inuocant & celebrant. Quid enim ſunt ciuitates , quantumuis opulentæ , ſplendidæ , florentes, in quibus uel iacet religio quaſi in puluere, uel peſtilens error corpora atque animas miſerorum hominum depaſcit ? Habet ueſtra Reſpublica inſigne ornamentum, Conſulem pietate, doctrina, uitæque integritate præcellentem, D. HIERONYMVM PAPPVM , qui appellationi eius per quem DEVS Antichriſtum ad oculum commonſtrauit , eiuſque ſtabulum monſtris ac bonis omnium generum ac ſpecierum expurgauit, reſtituta Biblica atque ſincera doctrina, ueriſque cultibus, quibus DEVS omnium maximè delectatur , tanquam teſtis adfuit : atque in monumentis eius adhuc adeſt . Habet Eccleſia ueſtra , uerbi cœleſtis præconem θεοδίδακτον , pietate , fide , uirtute inſignem, & ab omnibus deliramentis hominum alieniſsimum, M. GEORGIVM NECCERVM . Hoſce iam honoris cauſa, quia alios omnes recenſere breuitatis gratia prohibemur , nominamus. Nam Dominum DEVM ueſtræ Reipublicæ & Eccleſiæ, exlargo beneuolentiæ ſinu plurima dona contuliſſe, notum eſt : ac meritò ab omnibus bonis celebrantur. Deinde neque illud diſsimulamus, nos gratitudinis etiam ratione motos eſſe, ut hanc uobis Hiſtoriæ noſtræ partem nuncuparemus . Nam liberalitate ueſtra eximia , hoſce labores præclarè adiuuiſtis : quod ſanè beneficium , ad æternam eius memoriam conſeruandam , huc adſcribere uoluimus , gratæque mentis ſignificationè prædicare , ac publicè teſtatum facere , non inutiliter à uobis collocatum eſſe. Rogamus itaque reuerenter & amanter, ut hanc qualiſcunque remunerationis exhibitionem , æquo & planè Chriſtiano animo accipiatis : id quod uos facturos eſſe, omnino nihil dubitamus. Dominus DEVS ueſtræ Reipubli-

cæ & Ecclesiæ abundè benedicat, atque ornamenta quæ benignè uobis concesit, clementer conseruet ac tueatur. Benè in CHRISTO IESV Domino & Seruatore nostro ualete. VVISMARIAE, in Ducatu Megapolensi: Anno Salutis humanæ Millesimo quingentesimo sexagesimoseptimo.

Matthias Illyricus.
Iohannes Vuigandus.
Andreas Coruinus.

Vndecimæ Centuriæ Historiæ Ecclesiasticæ

CAPVT I.

VNDECIMVM seculum historię Ecclesiasticę nũc Deo ducẽte ingredimur, quod sub quatuor Romanis Imperatoribus cõtinetur, Hinrico secundo, Hinrico tertio, & Hinrico quarto. Illustres autem in Ecclesia uiri, qui quidem monumentis plebem Dei mediocri doctrinæ, ac pauciorum libri ad nostram usq; ętatem conseruati sunt: ut sunt Berno abbas Augiensis, Algerus, Bruno Herbipolensis, Petrus Damianus, Leo nonus, Lanfrancus, Anselmus Cãtuariensis, Iuo, Meginhardus. Fuerunt autem hoc toto curriculo, res Ecclesiæ uariè & horribiliter iactatæ. Nam Præsules illi Romani, in uniuersum à doctrina & morib. Christi degenerarant, tantũq; honoribus, opibus, uoluptatibus, turpissimisq; libidinibus uacabant. Ecclesiastica gubernatio solummodo σχῆμα seu prętextus omnium cupiditatũ ac tyrannidum erat, quib. politicum imperiũ principibus, regibus, Imperatoribus seueriſsimè ac penitissimè extorquebant, & planè ueluti Monarchæ imperitabant. Dicebantius de profanis causis: deponebant atque extollebant politicos Magistratus, quoscunque uoluerant. Concitabant seditiones, ducebant exercitus, imponebãt census annuos. Pura doctrinæ ac uerorum cultuum Dei non erat studium, sed nulla prorsus erat cura. Tantum uerò illi cultus obseruabantur, qui uel ad excellentiam ipsorum, uel ad emolumentum ab hominibus pecuniam, uidebantur esse conuenientes. Huius rei illustre paradigma est Hildebrandus, totius Romani Imperij cõturbator, ac innumerarum cędiũ quę ipsius seditionibus commissę sunt passim in orbe Christiano, immanis author: cuius quidem horrẽdam historiam, Lector suis in locis annotatam inueniet.

Talitaq; capite in Ecclesia Domini grassante potius quàm regnante, cõiectura non est difficilis, qualia sint reliqua membra ab hoc mõstroso ac furioso capite dependentia. Nam Episcopi sui ecclesiastici regis exemplum imitati, prorsus sunt politici, politicarum rerum administratores, profanas causas tractant, uenantur, græcantur, & armis radiant: ipsis quoq; prælijs interſunt, sanguinem humanum minimè abhorrentes. Quid uerò censes oues Christi sanguine redemptas, ab eiusmodi pastoribus salutaris pabuli, uerbi nimirũ diuini, potuisse percipere? Etsi enim Episcopi substituebãt alios, qui ritus templi peragerent, & interdum, licet rarò, sermonem ad populum habebant: tamen à rudibus ac cęcis doctorib. nihil doctrinæ, nihil solatij percipiebant. Et erat uerè sicuti sacerdos, ita & populus: & sicuti populus, ita & sacerdos.

Sic hominibus uel dormitantibus, uel aliud agentibus, zizania aliquot anteceden tibus Centurijs à malo spiritu eiusq; mancipijs iacta, densè exorta sunt: agrũq; Domini penitus occupantia, ipsum semẽ Dei oppresserunt atq; suffocarunt.

Excitabat Berengarius nonnullos in doctrina de cœna Domini. Etsi autem eum euertuantem Testamentum Domini, rectè redarguebant: tamen persuasio de transsubstantiatione, tam altè in hominum animos radices egerat, ut eam abijcere non uellent: & calcariam (quod dicitur) fugientes, in carbonariam inciderent.

Est & hoc insigne in hoc seculo, quod Hildebrandus coniugia honesta honestorum sacerdotũ animo prorsus gladiatorio abrogat. Non enim ex uerbo Dei & canonibus uetustis agit, sed ui geritur res. Habes igitur hîc duos illos insignes characteres, ceu inusta quædam stigmata Antichristi, Magistratus politici conculcationem, & prohibitionem coniugij. 2 Pet. 2. Iudas. 1 Timoth. 4.

Mira quoque res est, quòd hac tempestate tantum flagrat studium in cadaueribus quantumuis sordidis, è sepulchris eruendis atq; leuandis, eo fine, ut mortuæ creaturæ colantur. Equidẽ sacra Scriptura mortem appellat quietem. Verùm non potuerunt sanctorum exanguia ossa in quiete iacére, sed inhumanissimè è puluеribus terræ, in quos iuxta sentẽtiam Dei resolui debebãt, producuntur: atq; unum sæpe osiculum, (ô carnifices ab omni honore defunctorum

alieni) in aliquot frusta minutatim scinditur, ut fragmenta in plures regiones, in plura fana distribui queant. Quid sancti in nouissimo die dicturi sunt, quòd in ossa sua tantam exercuerint tyrannidem? Quanto sapientiores ac mitiores fuerunt illi ethnici, qui uel cineres, uel ossa præstantium uirorum in urnulas collegerunt, easq; terræ mandarunt, ueluti omnium matri.

Huc spectat, quòd ille cultus omniũ persuasiõe uidebatur summus, sicut in prioribus quoq; Centurijs subinde incrementa fecit, quòd monasterijs orbis terrarum repletus est: cum tamen Christus tam grauiter prohibuerit exire in desertum, aut intrare in cellas, se quæsitũ, hoc est religionis gratia. Verùm sicuti diebus Samuel, ita hîc quoq; uerbum Dei erat percarum. Hoc igitur duce absente, ouiculæ palantes discurrunt, & errando huc atq; illuc ouile Christi sua sponte inuenire nequeunt. Ac sunt naturæ hominum tam stolidæ, tamq; peruersæ, ut superstitiosos ritus multo cupidius expetant, firmiusq; retineãt, quàm ueros Dei cultus.

Hæc igitur atq; eiusmodi multa alia, in ipsa istius Historię lectione attentus atq; sagax Lector cognoscat & obseruet.

CAPVT II.

DE LOCO ET PROPAGATIONE *Ecclesiæ.*

PASSIM in toto orbe terrarum, Ecclesiã Christi hoc seculo etiam dispersam fuisse, testantur authores, qui de hoc seculo scripserunt.

Licet autem non omnia hospitia eius nominatim annotent: tamen quorundam meminerunt, quæ nos ordine Lectori ob oculos ponimus: ut agnoscat, in quibus tabernaculis Dominus noster Iesus Christus cum sua charissima spõsa hoc tempore cohabitarit.

DE ECCLESIIS *per Asiam.*

HIerosolyma sub Saracensium potestate atq; imperio fuit: à qua sub finẽ huius seculi cœpit liberari, & à Christianis inhabitari, ut Sigebertus & alij referunt. Simonis quidem patriarchæ Hierosolymitani meminit Aemilius lib. 4. Tyrius libris aliquot prioribus de Bello sacro.

In Syna monte monachi Christiani fuerunt, anno Domini 1016, inter quos Simõ Syracusanus recensetur à Sigeberto.

Nicææ, Heracleæ, Tarsi, Turcorũ prſidijs pſſa Christi Ecclesia, sacro bello in libertatẽ uindicata est: ut Polydor. & Tyrius testãtur.

Manustam, Samosatum, Sorogam, Maresiam, Artasiam, Antiochiam, Ramulam, Nicopolin, aliaq; infinita Asiæ loca, eiectis & trucidatis Turcis, Christianorum domicilia facta esse, dubium non est. Ad Petrum Antiochenum patriarcham, Leonis noni epistola Synodica habetur.

Edessenos inde usque ab Apostolorum temporibus ueræ religioni addictos fuisse, Polydorus autor est in descriptione Sacri belli.

Ephesi Michael Constantini Ducę filius, metropolita designatus est, teste Zonara.

Cæsareæ Palęstinæ uniuersus sacri belli exercitus, tribus diebus Pentecostes ferias peragit.

Et Bethlehemitani Barbarorum immanitatis pertęsi, in suam se restituũ libertatem ab ijsdem flagitant.

Sergij Damasceni metropolitæ meminit Petrus Damianus, in Epistola ad Nicolaum pontificem.

Ex Armenia Macharium quendam episcopum Gandauũ ueniisse, sub annũ salutis 1010, in Flandriæ Chronico scribitur. Armeniam præterea trans Euphratem, Baduinus religionis ergò bello perdomuit. Tyrius. Et Armeniorum Christianorum meminit Lanfrancus, contra Berengarium.

DE ECCLESIIS *per Africam.*

DE Africæ Ecclesijs Leo nonus ad Petrum & Iohannem episcopos scribit: Decus Ecclesiarum Africanarum ita cõculcatum à gentibus nimirum dolemus, ut modò uix quinq; inueniantur episcopi, ubi olim ducenti & quinque solebant per concilia plenaria computari, & ibi paucu las oues quotidianæ occisioni deputatas remansisse.

Carthagine. Metropolitæ enim Carthaginensis in eadem meminit epistola Leo.

DE ECCLESIIS IN INSULIS *maris mediterranei.*

IN Sicilia. nam Humbertus ex Lotharingis euocatus, ad Siculos mittitur, ut ista hic uerbum Dei prædicet. Lanfrancus de Eucha. Porrò in Sicilia subigẽda plurimũ sudasse sacri belli duces, Polydorus, Tyrius & reliqui eiusdem belli scriptores testãtur.

DE ECCLESIIS PER *Europam.*

IN Græcia. Ex Græcis enim Christianis iubet Lanfrancus Berengarium ueram Ecclesiæ de cœna Domini sententiam inquirere.

In Thracia. nam Constantinopolis Ecclesiæ hospitium præbuit. Nam Berno latinè &

sigē & Græcè isthic lectiones fieri narrat, in dialogo de ieiunio quatuor tēporū. Et Nicetas monachus istius loci, scripsit contra Romanos, ut Sigebertus indicat. Testatur idē Zonaras, qui eius sedis patriarchas recenset Tom. 3. Annalium.

In Russia. Rex enim Poloniæ Russos dedicit, & Christianos fieri coegit, Anno Domini 1016. Chronicon Saxoniæ.

In Pannonijs. Nam Berno Stephanum Vngariæ regem, membrum sanctæ Ecclesiæ vocat in epistola ad eundem, eique gratias agit, quòd monachos Hierosolymam euntes humaniter tractarit. Et Gerardus Tanatensis & Vngarorum episcopus fuit: Platina in uita Benedicti 8 & 9, Bonfinius Decad. 1. lib. 4. Desiderij Strigonensis episcopi idem meminit, & Maurum Quinqueccleſienſem episcopum fuisse testatur.

In Italia. Roma quidem Antichristi sedes sed tamē etiam Christus ibi aliquod semen reliquum fecit, tum inter infantes, tum etiam inter adultos: qui Pontificis erroribus non planè intricati sunt, & in agone abiectis idolis, ad Christum confugerunt.

Cumis episcopus est Albericus, ut patet ex epistolis Bernonis.

Hostiæ episcopū egit Petrus Damianus.

Capuani episcopi celebrantur in Chronico Casinensi, lib. 2 & 3.

Gaietæ. episcopus eius, interest dedicationi ecclesiæ Casinensis.

Rauennæ ecclesiā gubernauit Henricus, ut patet ex uita eius.

Mediolani episcopum egit Guido, qui familiaris fuit Petro Damiano: ut patet ex epistolis eius. Herebertus, & alij.

Vercellis Synodus cōtra Berengarium habita est. Lanfrancus de Eucharistia.

Parmæ. Nam ibi Christianos in ecclesia Genasij ad sacra peragenda conueniſſe, Petrus Damianus testatur, in Epistola ad Desyderium, & ad Heinricum regem.

Totius Venetiæ & Histriæ episcopos, ut Aquileiensi patriarchæ pareant, monet Leo Nonus per epistolam.

Florentię. Gerandus Florentinus episcopus, factus est Romanus pontifex, assumpto Nicolai secundi nomine.

Callis. Luitpoldus Callensis Petro Damiano coætaneus fuit, ut ipse Petrus ad Nicolaum Romanum pontificem scribit.

Salernitanus episcopus fuit Alphannus, anno 1038. teste Bergomensi.

In Apulia. In Cisterna Apuliæ ciuitate, Ranulphus episcopum egit: ut testatur Petrus Damianus in apologia ad Nicolaum.

Sipontinus archiepiscopus interest dedicationi ecclesiæ Casinensis, ut est in Chronicolib. 3. cap. 28.

In Campania. Nam archiepiscopus & episcopi plures ex ea prouincia, interfunt dedicationi eiusdem ecclesiæ. lib. 3. cap. 28.

In Calabria. Hidruntinus archiepiscopus cum suis collegis, interest consecrationi ecclesiæ Casinensis. lib. 3. cap. 28.

Pennēsis ecclesiæ meminit Damianus, in epistola ad Nicolaum.

In Tuscia, apud Lucenses, ecclesiā colligit Anshelmus quidam, cuius meminit Damianus in Synodi Mediolanensis actis.

Prænestinus, Curiēsis & Cumensis episcopus, cum matre Imperatoris ad pontificem Romanum ablegantur: Schafnaburgensis.

Sabinensis episcopus nomine Ioanes, pō tifex creatur, ac mutato nomine Syluester dicitur. Chron. Casin. lib. 2. cap. 80.

Albanæ. Bonifacius enim ibi episcopus fuit, Chron. Cass. lib. secundo, cap. 18. Ad Valerium Albanēsem episcopum habetur Anshelmi epistola.

Marsorum episcopus est Pādulphus, qui Casinensi cœnobio multa obtulit munera. lib. 2. cap. 99.

In Sylua candida, episcopū egit Humbertus. Chron. Cass. lib. 3. cap. 6.

Patauij, Altmannus, per Heinricum quartum fit episcopus, teste Lāberto Schafnab.

Auersanus episcopus Cuminondus, Lanfranco familiaris fuit, ut refert Ioānes de Oppido.

Taurini. Ad episcopum enim eius ecclesię, scripsit Petrus Damianus.

Placentini episcopi meminit Damianus, in inuectiua in Cadaloum.

Verona episcopum habuit Ratherium, ut Schedelius indicat.

Otho Nouarciēsem ecclesiam gubernat. Her. Cont.

Casini monachorum fuit receptaculum: & celebrantur abbates eius Atenulphus, Basilius, Richerius, Petrus, Fridericus, Desiderius, in Chron. Cass.

In Histria. Histriæ episcopos monet Leo Nonus, ut Aquileiensi pareant metropolitę.

Tridenti. Hatto & Henricus Tridentini episcopi ab Auentino cōmemorantur, tertij & quarti Heinrici temporibus. lib. 5.

IN GALLIIS.

Viennæ. Nam archiepiscopi eius meminit Anshelmus, in epistola ad Paschalem.

Biturigū archiepiscopū Paschali cōmendat Anshelmus, in epistolis suis.

Nouiomagi. Huius urbis episcoporū, qui hoc seculo ad clauum Ecclesiasticæ gubernationis sederunt, quatuor meminit Meierus in Chron. Flandriæ.

Aurelię. Nam Berno meminit Aurelianensium Canonicorum. Et Ioannis, eiusdē sedis episcopi nomen apud Iuonem extat.

Senonẽſis eccleſia celebris eſt ob Richerium epiſcopum: ad quem ſcripſit papa Vrbanus, ut Iuo indicat.

Lugduni. Anshelmus enim tres annos apud Hugonem, epiſcopum, eius eccleſiæ ſe detentum eſſe, indicat in epiſtola ad Paſchalem pontificem.

Andegauiæ. Ibi ad ſanctum Mauricium Berengarius egit Diaconum. Lãfrancus de Euchariſt.

Rotomagi. nam archiepiſcopi eius meminit Anshelmus, in epiſtola ad Paſchalẽ. Maugerum archiepiſcopum Rotomagenſem Aemylius nominat, de Francis.

Pariſijs. Godfridus epiſcopus eius loci, celebratur ab Anshelmo epiſtola 10. & Iuo epiſcopi Pariſienſis meminit epiſtola 11.

Meldenſis epiſcopi mentio fit in epiſtola Trecaſſenſis, epiſtol. 11. (15 Iuonis.

Morini. Epiſcopi eius apud Iacobũ Meier in Flandriæ Chronico celebres ſunt.

Traiecti epiſcopus eſt Vuilhelmus: Her. Cõtract. Et Anfridus, ut Schedelius et Schaf. indicant.

Vltraiecti. nã Adeobaldus epiſcopus ibi fuit, iuxta Schedelium.

Tornaci. Monachi de Tornaco meminit Henricus rex Angliç, in epiſtola ad Anshelmum.

Prumiæ. Etſi enim cœnobiũ iſtic hypocritis plenum fuit: tamen credibile eſt, aliquos pios inter eos fuiſſe. Ad Hiltindum abbatẽ Prumenſem ſcripſit Berno.

Metis. Arnotus eccleſiæ Metenſis epiſcopus fuit, Her. Contractus. & Adalberius, iuxta Sigebertum.

Remis. nam Reinaldi archiepiſcopi eius meminit Anshelmus cap. 1. de Incarnatione Verbi.

Tunnenſis eccleſia, apud Lanfrancum de Euchariſtia commendatur.

Beluacenſis. Folco enim ibi egit epiſcopum, ut patet ex epiſtola Anshelmi 9. Et Iuo ad S. Quintinum præpoſitus fuit, iuxta Sigebertum, Anno 1092.

Ambianẽſis. Guidonis Ambianorum epiſcopi meminit Meierus in Flandriæ Chron.

Cameraci. nam aliquot epiſcoporũ eius nomina, Girardi uidelicet, Guualteri, & Manaſsis apud Sigeb. in Chron. extant.

Corbeiæ. ubi monaſterium celebre fuit, ex quo prodierunt aliqui docti & clari monachi, ut ſuo loco dicemus.

Atrebatenſis epiſcopi mentionem facit Anshelmus epiſtola 13.

Carnotẽſis eccleſiç meminit Anshelmus, in epiſtola ad Paſchalem. Scripſit etiam Vrbanus Papa ad clerum & populum Carnotenſem: Iuo quoq; epiſcopum in eo loco egit. Sigebertus.

Verdunenſis eccleſiæ ob Diedericũ epiſcopũ, apud Schafnaburgenſem mentio fit.

Heinricum Nannetenſem Trithemius in Chrõ. Hirſaugienſi celebrat.

Eccleſiarum in Normannia, meminit Iuo in epiſtola 5. ad Gerhardum, ut Lanfrancus de Euchariſtia ſcribit.

Pictauia etiam ſedes Eccleſiæ fuit. nam Iuo epiſcopũ eius Petrum nominat, epiſtola 36.

Mellenti. nam ad clericos Mellentinos, & omnes in Pirecẽſi archidiaconatu, Iuo ſcripſit epiſtolam 44.

Burgolienſis abbatis epiſtola 64, & Lemouienſis epiſcopi, & Stirpenſis præpoſiti, epiſt. 68. & Cluniacẽſis abbatis, epiſtola 70. & monachorum Columbenſium, epiſtola 71. Iuo meminit.

Ad D. Benedictum Ligerenſem, Philippi Francorum regis delatum cadauer, ſepelitur: teſte Ganguino lib. 6.

Lauduni. Celebrantur enim epiſcopi eius Elimãdus & Ingelramnus à Sigeberto: & Galteri meminit Ganguinus lib. 6.

Arauſienſis epiſcopus eſt Gulielmus, & Anicienſis Ademarus, apud Paul. Aemylũ de Francis.

Senonũ epiſcopus Lambertus fuit, ut Iuo in epiſtola teſtatur.

Sueſsionũ antiſtitis Arnulphi, Iacob Meier: Heinrici, Aemylius: & Hugonis, Iuo in epiſtola meminẽre.

Rhedenſem epiſcopum Marbodum, ſub Salutis annum 1050 claruiſſe, Balæus cent. 2 Scrip. Britan. cap. 50 indicat.

Toloſſæ Bibo fuit epiſcopus, anno 1096. Lampertus Schafnab.

Loſannenſis epiſcopus Burchardus, ob Heinrici Imperatoris familiaritatem excõmunicatus eſt à Romanorum pontifice, teſte Schafnab.

Podiẽſis epiſcopus Ademarus, in expediẽde ſacra reb. diuinis præficitur. Sigebertus.

Tullenſis epiſcopus, ob architecturã cõmẽdatur, in eius loci epiſcoporũ Catalogo.

Ad Catalunenſem & Taruannenſem epiſcopos, extant Iuonis epiſtolæ.

Cluniaci. nam Bernhardus monachus Cluniacenſis, cõtra monachorum inertiam & impietatem carmina ſcripſit, quæ ſuo loco referemus.

In Hiſpanijs. nam Bernhardum Toletanum Vrbanus Secundus pallio ornauit, & totius Hiſpaniç metropolitanum cõſtituit. Blond. Decad. 2, lib. 3.

Germania uerò eccleſijs refertiſsima fuit.

Treuiris celebratur ob Burchardũ & alios epiſcopos, de quibus ſuo loco.

Leodij. nam ad Vuaſonem Luticenſem præpoſitum, ſcribit Berno. Rotgeri Leodienſis

ensis episcopi Schafnaburgensis meminit.
Coloniæ. nam ad Pelegrinum Colonien
sem archiepiscopum, Berno epistolam scri-
pſit: & Herbertus Colonien sis episcopus a-
pud Her. Contractum celebris est.
Basileæ Burchardus præfuit ecclesiæ, ut
indicat Schafnaburgensis.
Argentinæ. ubi episcopum egit Vuerin-
gerus: ad quē epistolā scripsit Berno, & Ale
mannus; ut Hermannus Contractus indicat.
Curiensis episcopi meminit Lambertus.
Constantiæ episcopum egit Eberhardus,
quē Bernoni hortator fuit, ut quædam scri-
beret: & Theodoricus.
Mogunti. Ariboni enim archiepiscopo
Berno dedicat sermones de aduentu Domi
ni: & in alijs opusculis sæpius eius mentio
fit. Celebrantur etiam alij in historijs Mo-
guntini episcopi, de quib. suo loco.
Vuormaciæ. Hugonis Suessionensium
episcopi meminit Iuo epistola 41. & Diet-
marum annotat Dodechinus in Chronico.
Spiræ meminit Berno in epistola ad Vue
rinherū inclusum: & episcopi Spirensis ual-
de ingrati in Heinricum 4, mentionem facit
Helmoldus ca. 33, de Slauis. Heinricus eius-
dem ecclesiæ episcopus fuit, ut testatur Ma-
rianus Scotus.
Augustæ Vindelicorum Bruno episcopū
egit, ut indicat Hermannus in Chron.
Salegenstadij inter Asiburgū & Franco-
furtum, in diœcesi Mogūtina, synodus cele
brata est hoc seculo. unde colligitur, Eccle
siam illic habuisse aliquam sedem. Tomo
2 Conciliorum.
In Norico. Māsee Noricorum ædem Be-
nedictinæ professionis monachis repleuit
Heinricus secūdus, teste Auētino li. 5 Annal.
Reginoburgi. Celebrātur enim episcopi e-
ius duo Geberhardi, ab Hermāno in Chrō.
Aichostadij episcopus Fridericus fuit, qui
pontifex designatus, mutato nomine dictus
est Victor. Crātzius in Metrop. lib. 4, cap.
5. Conradi, huius loci episcopi, meminit
Dodechinus in Chron.
Bathauiæ Hartuuicus egit episcopum,
Chron. Saxon. & Alemannus.
Iuuauiæ, seu Saleburgi, ecclesiam Diemo
rexit. Trithem. in Chron. Hirsaug.
Fruxini episcopus fuit Otto, filius Conra
di principis Suetiæ. Chron. Saxo. & Hizo,
Herman. Contractus.
In Morauia. Hoc seculo Morauorum ec
clesia Pragensi unita est: ut Syluius cap. 22
Bohemicæ Historiæ annotat.
In Franconia. Francigenarum enim epi-
scopōrū meminit Berno in epistola de Ad-
uentu Domini.
Herbipolis Brunonem episcopū habuit.
Contract.

Fulda celebris est ob monasteriū & scho-
lam, quæ in ea fuit: & Brantonem Fulden-
sem abbatem Schafnaburgēsis annotat.
Bambergæ. Nam ibi nouum Heinricus
secundus constituit episcopatum, ut habet
Bambergensis historia. Sindegerus Bāber-
gensis episcopus, pontifex creatur. Crázius
lib. 4, cap. 15 Metropoleos.
Erfurdiæ. Hardouici Erfordiensis præpo
ti meminit Chron. Saxoniæ.
In Misnia. Episcopi Misnensis meminit
Chrō. Saxonię, circiter annū Dñi 1010. & Re
ginerum, Craftonem, & Bennonem eiusdē
loci episcopos nominat Schafnaburg.
Mersburgi. Isthic enim abbatē egit Vuil-
leramus, ut indicat Trithemius. episcopi e-
ius Vuerneri meminit Schafnab.
Naumburgi. nam ad Vualeranum Naū-
burgensem episcopum scribit Anshelmus
de fermēto & azymo, & de processione Spī
ritus sancti, & alia quædam opuscula. Me-
minit etiam illius Dodechinus in Chron.
In Saxonia. Saxones in synodo Clare-
montensi sub Vrbano secundo fuisse, Blon-
dus testatur Decad. 2, lib. 3.
Magdeburgi Gero episcopū egit, ad quē
Berno epistolam scripsit. Gisleri episcopi
Magdeburgensis meminit Chrō. Saxonię.
Halberstadij. nam episcopus eius Arnol
dus fuit, anno Domini 1010. Chron. Saxo.
Hartesburgi. Conradus enim Cæsar ec-
lesiam illam multis locupletauit bonis, iu-
xta Chron. Saxoniæ.
Brunsuuiga celebris est ob templa Ma-
gni, Vlrici & Blasij. Chron. Saxo. & Cran-
tzius lib. 4, cap. 36 Saxoniæ.
Hildesię episcopi celebrātur Detmarius,
Anshelmus. Crātz. in Metrop. lib. 4, cap. 19
& 26. Vdo ab Alueslebe: idem lib. 5, cap. 17
& 26.
Monasterij. nā episcopos habuit, quorū
meminit Crātzius lib. 4, cap. 14 in Metrop.
In Bohemia. Bohemos in Claremonten-
si synodo fuisse, narrat Blondus Decad. 2
lib. 3.
Pragæ episcopum egit Albertus, ut Gi-
gas annotat.
Schafnaburga celebris est ob Lampertū
presbyterum, qui Chronicon scripsit, & vi-
tam Henrici quarti.
Hirsfeldiæ monachorum cœtus fuit, in-
ter quos credibile est aliquos membra Ec-
clesiæ fuisse.
Goslariæ præpositus Hanno fuit: Her-
man. Contractus. & Albertum archiepisco
pum Hamburgensem Goslariam fugisse, &
in prædio suo Luctuna delituisse, Crátzius
in Metropoli lib. 4 cap. 42 scribit. Henricus
canonicus Goslariēsis, in episcopū Spiren-
sem eligitur. Chron. Hirsaug.

Cicicenſem eccleſiam Eppo adminiſtrauit, ut Lambertus Schafnaburgẽſis indicat.

In Monchenneuburgo monachũ egit Bruno, qui epiſcopatum Verdenſem poſtea adeptus eſt ſub Conrado ſecũdo. Trithem. in Chron. Hirſaugienſi.

Apud Dithmarſos & Sturmarios in Etheho & Bokeldeburg Chriſtiani ſunt, qui à Godeſchalco principe Slauorum affliguntur. Helmoldus cap. 19, de Slauis.

Luneburgi. Scholæ enim eius, ubi Godeſchalcus princeps Slauorum literas didicit, meminit Helmoldus cap. 19, de Slauis.

Lubecę. Cœnobia enim uirginum iſthic extructa ſunt, ſub Conrado ſecundo imperatore. Helmoldus cap. 20, de Slauis.

Leõtij, nũc Létze. Nã ibi monaſteria ſunt ſub Godeſchalco extructa. Helmoldus cap. 20. & in eo loco graſsátur Vuandali in Chriſtianos. Crantzius lib. 4, cap. 43 Metrop.

Racesburgum, cœnobia monachorũ & uirginũ ſub Godeſchalco Slauorũ rege ędificare cœpit. Helmoldus cap. 20, de Slauis.

Mekelburgi. nã Magnopoli ciuitate Obotritorum, tria cœnobia tempore Godeſchalci, ſub Conrado ſecundo imperatore fuiſſe, Helmoldus ſcribit cap. 2, de Slauis.

Oſnaburgẽſis eccleſia epiſcopos hoc ſeculo habuit plures, de quibus infrà ſuo loco dicemus. Meinheri meminit Crantzius lib. 4, cap 13, in Metropoli.

Padelbornæ epiſcopum egit Rotho, quẽ alij ſunt ſecuti, de quibus ſuo loco dicetur: Crantzius lib. 4, cap. 15 Metrop.

Minda claros habuit epiſcopos, Brunonẽ & Engelbertum. Crantz. lib. 4, cap. 21, 37.

Verdæ eccleſia fuit, ut patet ex epiſcoporum uitis, qui hoc ſeculo eam rexerunt: quorũ Crantzius lib. 4, cap. 12 & alijs meminit.

In Flandria. Robertũ enim comitẽ Flandriæ laudat Anshelmus, quòd Eccleſijs ius ſuum in uocatione epiſcoporum reliquerit integrum: in epiſtola ad eundem.

Bremæ epiſcopum egit Altbrandus & Adalbertus, anno Domini 1072. Schafnab.

Apud Ripã Odincarus ordinatur epiſcopus à Libẽtio. Crãtz. li. 3, ca. 43 in Metrop.

Oldenburgi. Epiſcopum enim Folquardum Vuãdali expellũt Anno Domini 1008. Chrõ. Saxoniæ. & Mainardi Oldẽburgẽſis epiſc. meminit Crantzius in Metropoli lib. 4, cap. 17. Reginberti & Bẽnonis apud Helmoldũ fit mentio, cap. 17, de Slauis.

Hamburgum epiſcopos habuit celebres, de quib. Crantzius in Metropoli lib. 4, cap. 6. Helmoldus cap. 17, de Slauis.

Apud Obotritos, Kycinos, Polabos, Vuagiros, Circipanos in Buzou, Nozenna, Demin, Mekelburga, & in reliqua Slauia aliqui Chriſtiani, pleriſq; deficientibus, remã ſerunt. Sed poſtea ſub Godeſchalco principe creuit piorũ numerus. Helmoldus cap. 19 & 20, de Slauis.

In Dania. Lundauiæ. ea enim metropolis totius Daniæ conſtituitur ſub Aſcero epiſcopo: ac ſubijciũtur ei Sueonia & Norue gia. Cranz. in Dania cap. 4. Roſchildæ & Slangathorpiæ, cap. 5.

Sleſuicum, Rudolphum quendam ſuum ſacellanum Bezelinus Hamburgenſis miſit epiſcopum. Crantz. lib. 4 cap. 22.

In Noruegia. Plures enim in ea regione Folquardus epiſcopus Oldenburgenſis cõuertiſſe, ſcribitur in Chron. Saxoniæ.

In Polonia. Nam in Claromontenſi ſynodo Poloni interſunt. Blond. Dec. 2 lib. 3.

Gneſnæ archiepiſcopum egit Hippolytus: ut Cromer. narrat lib. 3.

Cracouienſis epiſcopus Lampertus Zamoyla fuit. Cromer. lib. 4 de Polonis.

In Sileſia. Nam Cazimirus rex Poloniæ, Vratislauiam trãſulit ſedem Epiſcopalem, quæ prius Smogorinia, & deinde Bicinia fuerat. Cromer. lib. 4 de Polonis.

DE ECCLESIIS *per Oceanum.*

IN Britannia celebrantur hæc loca.

Londinum. ubi epiſcopum egit Robertus: ut Polydorus lib. 8 de Anglis indicat.

Eboracum. Nam Stephanus Abbaté egit iſthic, in cœnobio Mariæ. Baleus.

Cãtuaria. epiſcopus .11. Cãtuariẽſis fuit Lãfrãcus & Anshelmus, ut patet ex Vitis eorũ.

Vintonia. ubi epiſcopum egit Elphegus, teſte Vincent. lib. 25. cap. 3.

Oxonia clara eſt ob Gaufredum epiſcopum. Polyd. lib. 10 de Anglis.

Vuigornia. Nam epiſcopi Glaſconienſis & Vuigornienſis meminit Polydorus lib. 7 de Anglis. Britouuoldi & Vulſtani nomina exprimit lib. 8.

Herefordienſis epiſcopi meminit Anſhelmus, in epiſtola ad Paſchalem.

Thiotfordenſis epiſcopus fuit Herbertus: ut indicat Anshelmus in epiſtola ad eundẽ.

Lincoliæ epiſcopus fuit Robertus: ut patet ex epiſtolis Heinrici Quinti regis Angliæ ad Anshelmum.

In Beccenſi monaſterio, abſq; dubio inter hypocritas ſaltem aliqui fuerunt de gregе Chriſti. Monachi Beccẽſis Giſilberti meminit Anshelmus in epiſtola ad Heinricum regem Angliæ: & ipſe Anshelmus iſthic abbatem egit, ut indicat in proœmio Profolij. Iuo epiſtola 8 indicat, ſe lites Beccẽſium & Moliſmẽſium monachorum cõpoſuiſſe.

In Elienſi cœnobio abbaté egit Ricardus, à cuius communione Anshelmus abſtinere à Paſchali iubetur.

Vuallenſis epiſcopi meminit Polydorus, libro

Libro decimo, de Anglis.
Sariberiēsis ecclesia celebris est, ob Herbanum & Osmunoū episcopos. Polydorus lib. 9 de Anglis.
Dunelmensem ecclesiā rexit Gulielmus episcopus, & Montigomaticensem Rogerius. Polydor. lib. 10.
Vuithebiense cœnobium in Northumbria, celebre est ob Stephanū monachum: quem Balæus indicat de Script. Ang.
Vuilhelmus rex numeratis apud Anglos sacris ædibus, reperit 45017 parochialia templa. Habet autem in Anglia quilibet uicus, etiamsi uix uiginti sit ignium, parochialē: ut ex Scotorum annalibus Ioānes Maior lib. 3 cap. 6. historiæ Scotię annotat.
In Scotia ecclesijs hospitia præbuit. Nam Anshelmus fratres quosdam se eò misisse, epistola ad Alexandrum Scotię regē scribit. Michaelis Glasgirensis episcopi in Scotia meminit. Polydorus lib. 9 de Anglis meminit.
In Hybernia. Anshelmus enim Muriarthum eius insulæ regem orat, ut episcopo dem ordinationem, quę minus ritè fieri narratur, & uxorum commutationem, & coniugij dissolutionem spōtaneā corrigat: epistola ad eundem. Et Ioannem monachum, qui Mekeloburgensis episcopus defunctus est, ex Hybernia prodijsse, scribit Trith. in Chron. Hirsaug.

DE PROPAGATIONE.

Ti superiori seculo in Vngaria cœpit collegij Ecclesia sub rege Geysa: tamen inter priuatos ferè homines id factum est: proceres & nobiliores in ea gente idolo cultui adhęrebant, qui etiā adhuc publicè exercebatur. Sed Dominus noster Iesus Christus fortem armatum subinde magis magisq; represit, & regnum suum ampliauit. Vnus ad eam rem sacerdotum & piorū gubernatorū opera. Nam Adelbertus Pragensis episcopus cum suis socijs semina diuini uerbi in ea gēte passim iaciens, Stephanum regem baptizauit, deq; uera religione instituit: & postea Astricus cū discipulis in Pannoniam uenit, qui ad radicem montis Fruerei, cœnobium regijs sumptibus ędificauit, in quo scholam aperuit, & præparauit Ecclesiæ ministros. Bonifacius quidam ex discipulis eius, in inferiori Pannonia uerbū Dei prædicauit. In Poliana uerò regiōe, Benedictus & Andreas eremitæ, aliquot Christo lucrifęcerunt. Hos adiuuit rex Stephanus etiam suo neruo. nam idololatriam abnegari, & Christianam religionē suscipi gratis, & mandato edixit, pœnasq; in blasphemos & grassatores constituit: episcopatus uerò Strigoniēsem & Colecēsem, aliosq; quosdam in Vngaria erexit, eosq; Pōtificis autoritate cōfirmari curauit: atq; ita ultrà citraq; Danubium, in Getas ac Sarmatas usq; uerā pietatē ppagauit. Ad hanc rē nō parū pfuit ei Heinrici Secūdi imperatoris adhortatio, auxiliū & affinitas. Nā Gislam filiā suā ipsi dedit uxorē, ut pleriq; omnes scriptores asserunt, pter annales Vngarorū, qui Gislam Guilielmi filiā fuisse affirmāt. Ea aūt mulier Christiana & pia, siue regē antea baptizatū, ut Bonfinius narrat, in fide cōfirmauit: siue adhuc idololatram, ut Sigebertus scribit, eò adduxit, ut se & totā gentē Vngarorum baptizari expeteret, Anno Dñi 1010. Actūc quidē publicè tota gēs Christo nomē suum dedit: ac cœperunt extrui, exornari ac locupletari tępla & monasteria. Quinqueccleſiensem episcopatū Maurus suscepit regēdū. In Alba regia basilica in honorē Mariæ extructa est. Nā supstitio illa de sanctorū mortuorū prędidio & cultu magis, quàm uera de Christo mediatore & saluatore doctrina, à pōtificijs est teneræ illi Ecclesię instillata: & rex edicto, festis & ieiunijs solennib. Mariā ut dominā coli iussit: episcopum uerò illius Ecclesię multis priuilegijs ornauit, eūq; nulli pter Romanū pōtificē subesse, & solū reges & reginas Vngarię inaugurare pcepit. Apud Budā cœnobiū Petri & Pauli ædificare cœpit, qd Ladislaus postea absoluit. Transyluani etiā uicto et capto Giula, fidem Christi partim ui, partim spōte amplexi sunt: & ipse Giula cū uxore & liberis baptizatus & dimissus est à Stephano.

Besi etiā & Bulgari ab eo graui bello uicti, Christiani facti uidentur. Bonfinius Decad. 2. libro 9.

Misca etiā dux Polonorū, cū populo suo conuersus est fermè eodē tēpore, quo Vngari: ut Bonfinius indicat Decad. 2. lib. 1.

Sorabos & randalos ad Elystrā Misniæ fluuiū habitātes, Vuiliberti Mersburgensis prędicatione, in Christi castra, abiecta ethnica idolomania, transijsse, sub annum 1007, in Chron. Mersb. lib. 2 cap. 6 scribitur.

DE AMPLIATIONE *Ecclesiarum.*

APud Danos Othingarus iunior Ripensi, cui pērat, episcopatu plurimum auctō, in Fioniā, Selandiā, Scaniā ac Sueoniā, maiorū suorū more excurrit, ut uel à pietate alienos sacris imbueret, uel iā edoctos confirmaret: ut Cranz. lib. 3. cap. 38 indicat.

Heinricus Imperator reddita Germanię, Gallię, Italiæ pace, quòd liberis careret, in castello suo Bāberga ædē pōtificiā sacris destinat, Benedictinæq; pfessionis monachis cōtuberniū extruxit: pleraq; prędia, uicos, syluas, castella, arces, oppida Austriæ, Boiariæ, Charionū, Styriorū, Lyburnię, Noricorum, Breonum, sicuti alijs pontificibus Boiorum, Reginoburgēsi, Iuuauensi, Fruxinēsi,

Sobonenſi, Bathauenſi, Bambergenſibus quoq; myſtis perpetuò donat, quæ adhuc poſsident. His quoq; Abudiacum, incunabula ſua, addicit. Inſuper ſuũ patrimoniũ, dotẽ Chunegundæ, iiſdem deſtinat ſacerdotibus: ut Auentinus lib. 5. Annalium refert.

Vnuuanus Hamburgenſis antiſtes, omnes ſuæ diecœſeos lucos, quos ſtulta quadam reuerentia, ſuperſtitioſa plebecula frequentabat, penitus excîdit, ac in iiſdem locis templa conſtitui fecit, ſub Heinrico Secũdo. Teſtis eſt Cranzius in Metropoli lib. 4. cap. 1.

Heinricus Francorum rex, cum Eudonẽ Campaniæ & Balduinum Flandriæ comites, arcibus & oppidulis quibuſdam felici bellorum euentu exuiſſet: ut Deo hoc acceptum referret, D. Martini templũ, quod Camporum appellãt, Pariſijs à ſe extructũ, ſecularib. ut uocant, repleuit ſacerdotibus: Anno 1034. Ganguinus lib. 5. De geſtis Francorum.

DE INSTAVRATIONE.

HEinricus Secundus, cui à pietate nomen fuit, multo labore & ære, ab Vngaris ſuperiori ſeculo uaſtata paſsim per Germaniam templa cœnobiaq;, reſtituit: & monachos, qui ob paupertatem ſuam profeſsionem abiecerant, ad officiũ ſuũ coegit: ut Auentinus lib. 5. Annalium narrat.

Vandalorum dux Godeſchalcus, cùm Chriſto tandem, infelici bellorum euentu fractus, nomẽ dediſſet: ſuos ſubditos, ut abiectam religionem iterum amplecterentur, pro ſua autoritate compulit, quos habuit ſanè obſequentiſsimos. Reparãtur itaque per uniuerſam Vuagriorum, Polaborum & Obotritorum prouinciam, quondam dirutæ ædes rebus ſacris deſtinandæ. Horum exemplum Kycini, Circipani, cuncti Penis fluuij accolæ imitati ſunt.

Aduocantur præterea ſacerdotes & Eccleſiæ miniſtri, qui de doctrina Chriſtiana & ueris cultibus rudem plebeculam inſtituant. Quin & ipſe dux, cui uerè cordi erat pietas, ſæpius in cœtu Eccleſiæ, ſuorum animos miris uerborum blanditijs demulcere non eſt ueritus. Sub hoc quoq; duce, per ſingulas urbes cœnobia diruta, aut de nouo quędam erigebantur. Sanctorum uirorum canonicè uiuentium, monachorum, monialiumq; numerus ſubinde creuit: quibus Lubecæ, Aldenburgi, Racesburgi, Leontij, & in alijs locis domicilia parata fuerunt. Mechelburgi (primaria Obotritorum principum fuit ciuitas) ubi ſuperiorib. annis unicum monialium fuerat cœnobium, ea tempeſtate tribus Deo ſeruientium hominum collegijs deputata fuerẽ loca ampliſsima: ubi Ioannes quidam Scotus, eius loci epiſcopus, multa Slauorum millia ſacro tinxit baptiſmate: ut Helmoldus cap. 20. 22. & Cranzius in Vandalia lib. 3. cap. 1 & 3. indicant.

Andreas Vngarus, quò regio nomine facilius potiri poſſet, Vngaris petentib. ut ſibi ad paganiſmũ redire liceret, indulſerat. uerùm iam uoti ſui compos factus, ſententiam mutauit: graui propoſito edicto, ut omnis Vngarię incola eã, quę per Stephanum olim regem plantata fuiſſet religio, amplecteretur: templa, baſilicę, aliaq; ſacerdotum collegia, in uniuerſo repararẽtur regno, ſub annum 1047. Bonfinius Decad. 2. lib. 2.

Plurimas in Aſia Eccleſias reſtauratas, poſt feliciter peractum bellum ſacrum, de quo ſuo nobis dicendum eſt loco, dubium non eſt.

DE CONVERSIONE.

MIſteuonem, Ethnicum Vandalorum principem, Chriſto nomen dediſſe, in Holſatienſi Chronico annotatum eſt.

CAPVT III.

DE TRANQVILLITATE ET *perſecutione:* SVB HEINRICO *ſecundo.*

ELectorum ſuffragijs Henricus Boiorũ dux, Imperatorum primus, ad Imperij dignitatem poſt tertium Ottonẽ peruenit, circa ſalutis annum 1002. Doctiſsimus fuiſſe perhibetur, ac prudentiæ laude, eximiaq; in rebus gerendis felicitate præſtans. Præterea ob ſingulare religionis ſtudium, non tantùm pij nomen, ſed & diuorum catalogo inſcribi meruit: ut Auẽtinus ſcribit. Iuſticia & ſanctitate ipſum inſignem fuiſſe, Helmodus cap. 16. in Slauorũ Chronico teſtatur. A cuius legem tuliſſe Hermannus Gigas refert, ut qui cunq; politicæ pacis turbator extiterit, ſine ullo conditionis aut dignitatis reſpectu, ſecuri feriretur.

Dulci quidem, ſub ipſius imperio, Eccleſia fruebatur pace. Sacerdotes enim & monachos benignè fouit, ac multis donauit theſauris et immunitatibus: monachorum, ſacerdotum & monialium contubernia, ſuperiori ſeculo ab Vngaris paſsim uaſtata, magnis impenſis reparauit: profugos reuocauit, ſuisq; reſtituit collegijs. Ac, ut uno uerbo dicamus, Aureum, hoc imperante, in Eccleſia uigere ſeculũ uidebatur: per ipſum enim tota Germania, Gallia & Italia erant pacatiſsimæ.

Habuit tamẽ Eccleſia ab exteris ſuas afflictiones. nã circa ſalutis annũ 1012, ut Palmerius

merius annotat, Hierosolymitanũ templũ
Calipha Aegyptiorũ principe, cui ꝓbro-
Christianismus à suis (matre enim Chri-
stiana natus erat) obiectus fuerat, sui pur-
gandi gratia, ut Antoninus indicat, uastatũ,
Ethnicis sacris pollutũ, sacerdotesq; cũctos
inde ejectos, idem Zonaras tomo 3. scribit.
Eiusdẽ cladis cõmemoratione, ut uidetur,
Urbanus secundus in quodam Galliæ con-
uentu, Imperij proceres, ut contra Sarace-
nos arma sumant, mouere conatur, cum in
hunc dicit: Scio ego neminem hîc esse, qui non a-
udiuerit, quæ non multis antè
annis in Syria acciderint, circa eam terram
quæ Sancta dicitur. Turci, Saraceniq;, & alia
barbara gentiũ nomina, Christi regis nostri
fidelium armis occuparũt: nullũ Hierosoly
mis fuit tẽplũ, nulla ara, nullus pietatis lo-
cus, quẽ nõ sacrilegę manus aut euerterint,
aut ad suos prophanos usus mutauerint. Cœtus
fidelium hominum, qui cũ urbe captus est,
partim tormẽtorũ metu fidem abnegare est
coactus: partim, quia id facere recusarent,
uarijs supplicia & cruciatus martyrium tulêre:
innumeræ mulieres ex tota ferè Europa il
luc profectæ, non tam ad insolentissimi ho
minis libidinem explendam, quàm ad nostrũ
omnium dedecus, monstrosis sunt cõcubitibus uexa
tæ. Sabellicus Enneadis nonæ libro tertio.
Et Venedi intima Germanię incolentes,
Christianam uastarunt, & sacerdotes crudeli-
ter crucidarũt: uerùm Heinricus bellica ma
nu eorum furores compescuit, & cũ tributo
quotannis soluendo, religionis iugo colla
illis imittere eosdem compulit.

Persecutioni & hoc annumerandum ui-
detur, quòd Adelbero & Heinricus Boiorũ
duces, Chunegundę Imperatricis fratres, &
Welpho quidam, cui Irmindruda eiusdem
Imperatricis soror nupta erat, aduersus Im-
peratorem conspirant: ab eo dotẽ, patrimo
niumq; Chunegundæ (liberis enim carebat
Imperator) sacerdotibus distribui: nihilq;
aliud agi, quàm ut feneſtra scelerib. aperia-
tur, alioqui ociosis sacrificulis paupertatem
Christi professis, nihil illis cum ditati forẽt
fastidiosius futurum, conquerentes. Augu-
stam ergò Rhetorum expugnant, diripiunt,
incendũt: Brunonem fratrem Imperatoris,
urbis Episcopum, in fugam conijciunt: An-
gelbertum Fruxinensem præsulem suppe-
tiatis illis ferentẽ, recedere cogunt. At Hein-
ricus hos infesta acie insequitur, & dignas
de eis pœnas sumit.

Sanctus quoq; Colomãnus Scotus, peri-
ẽpus in Austria ab incolis, tãquã ab ho-
stibus missus explorator, funde arbore su
spenditur: cuius innocentiã statim miracu-
lis diuinitùs edita declararũt, ut Auentinus
annotat.

Reliquerat Geisa Vngarorum rex, qui cir
ca Salutis annum 997 in uiuis esse desijt,
Stephano filio pacatissimum Ecclesiæ sta-
tum: quẽ pro uirili ipse quoq;, cũ Gisla cõ-
iuge pietatis studiosissima tutatus est. Verũ
Giula Stephanũ suũ auunculum Christianã
religionẽ edoctum, eiq; plurimum operę &
studij impẽdere ęgrè ferẽs, uerbis sępius cor
ripuit, ac tandẽ eum armis ad patriã cogere
religionẽ tẽtauit. Sed irriti fuêre Giulę cona
tus. Bello enim superior factus Stephanus,
auunculum suum captũ custodiæ tradidit,
usq; dum mitesceret. Sicq; Ecclesia sub Ste-
phano rege, ad annos ferè quadraginta sua
habuit halcyonia: ut Bonfinius lib. 1. De-
cad. 2. scribit.

Brunũ quẽdã episcopũ à Prucis uarijs tor
mẽtis religiõis ergò, ut apparet, excruciatũ,
pedib. manib. q;, ac tãdẽ capite trũcatũ esse
anno Salutis 1008, Marianus Scotus indicat.

Normannos à uera religione alienos, Fri
siam integro biẽnio, ut Sigebertus testatur,
cõtinuis bellis affligentes, plurimum dam-
norũ Ecclesijs intulisse, nõ est dubiũ: præser
tim cũ illi populi religiõis causa pluribus ꝓ-
uincijs omnibus seculis fuerint molesti: Si-
gebertus annum 1009. & 1010 assignat.

Sueno Dacorũ rex subacto totius Angliæ
regno, tãta crudelitate in deuictos usus est,
ut nec sacerdotibus aut rebus sacris parce-
ret. Plura enim cœnobia suis donarijs spo-
liauit, eorumq; agros igni ferroq; depopu-
latus est. Ac sanè homini impio, & Anglicũ
nomen delẽdi, & religiònem Christianam
simul ex omnium mortalium pectoribus e-
uellendi, non tam uoluntas quàm facultas
defuit. In illis turbis Elphegus Cãtuarien sis
episcopus, martyrio affectus est. Facta sunt
hæc annum Salutis circiter 1013, ut Polydo
rus lib. 7. Anglicæ historiæ autor est.

Bernhardus Saxonum dux, rerũ post pa-
trem Bennonem potitus, totam cõtra Hein
ricum Imperatorem irritauit Saxoniã, Ec-
clesias turbauit: et si quæ ipsius contradice-
rent sentẽtię, prorsus uastauit: prętera Vui-
nulorũ gentem, cui ipse tũ dominabatur, ad
paganismum redire pecuniarum exactioni
bus coegit. nam neq; sacris neq; prophanis
potuit exatiari bonis. Helmoldus & Cran-
zius in Metrop. & Vandalia.

Bernhardi etiam filius armato milite Fri-
siam ingressus, Bremẽsis ecclesiæ agrũ graui
ter infestauit & diripuit, cũctosq; Ecclesiæ
ministros captos oculis priuauit: ut idem
libro 4, capite 40 Metropoleos testatur.

Misteuoni Vuagirorum principi, de Bern
hardi Saxonũ ducis filiæ nuptijs prius spes
aliqua facta fuerat: sed non multo pòst, con
silio & autoritate Theodorici Brandenbur
gensis marchionis, qui in frequenti nobili-

um co-

um corona ipsum tanquam religionis hostem, & canem, ex tam illustri familia prognatę uirginis nuptijs indignum iudicarat, repulsam patitur. Hoc responsi accepto, Misteuo ira excandescit, & licet multis precib. à Bernardo, præter cuius uoluntatem hæc facta credebantur, reuocaretur: ijs tamen locum dare noluit, sed apud suos proceres de illata iniuria queritur, qui eum initiò, quòd perfidos Saxones nimium coluisset, liberè quidem redarguerunt, attamen si familiaritatē eorum deinceps, data fide, se euitaturum promitteret, nūquā se uicissim in uindicanda hac iniuria suo ipsi defuturos præsidio. Hac oratiōe armatus Misteuo rem strenuè aggreditur, & collectis undequaque magnis copijs, in Holsatos, & finitimos populos impetum facit. cæduntur magna crudelitate sacerdotes, Ecclesiæ diripiuntur, templa solo æquantur: ac nemo cuiuscunque conditionis, qui Christiani putabatur esse nominis, à tanta clade immunis erat. Hāburgi tum ciues tum sacerdotes captos, aut uarijs tormentis enecuerūt, aut tristem seruitutē relicta patria subire coēgerūt. Nec ędificijs parcitū est. Aldēburgēsi quoq; urbe expugnata, Christianos, qui eo loci semper fuēre omniū scriptorū testimonio frequentissimi, pecudū more mactarūt: sexaginta presbyteris, inter quos Oddar ppositus fuit, ad maiora reseruatis mala. Illis enim capitum cutis in formam crucis ferro incisa & diuulsa est: ac ligatis post terga manibus, omnib. spectandi per singulas Slauorū urbes stupenda immanitate protracti sunt. sicq; nullum ferè Christiani nominis uestigium trans Albim reliquum mansit: ut Helmoldus cap. 16. in Slauorū Chronico scribit. Misteuo tandem ipse fidem Christianā amplexatus, regno suo ab incolis eiectus est ac Bardeuuici exul diē clausit extremū, circa Salutis annū 1025. Chronicō Holsatiense.

Senonū apud Gallos sacerdoti b. & tēplis Bernhardū quendā plurimū damnorū intulisse: quos tamen Leothericus archiepiscopus, Parisiorū pōtificis auxilio stipatus, ab iniurijs uindicarit: Gāguinus lib. 5 prodidit, sub Roberto Francorum rege.

DE TRANQVILLITATE ET *persecutione sub Conrado secundo.*

POst Heinricum secundum, Conradus Francorū dux, cuius sedes in Limburgensi arce iuxta Spiram fuit, uir sapientia & bellicæ rei peritia, nec non Ecclesiæ & pauperum cura insignis, ut Antoninus refert, ad imperium accessit anno 1125. Magnæ hūc initiò excepēre turbæ. Competitor enim ei fuit Conradus patruelis suus, qui plurium principū, ipsius Imperatoris imperium detrectātiū, factiōe se munierat. Sed horū ambitiōe explosa, & factiōe oppressa, pcerū ac pontificū cōsensu ipse Mogunti cōsecratur.

Religionis aūt studiosum hūc fuisse Imperatorē, uel inde colligere licet: cū Bruno frater germanus Heinrici antecessoris, Augustanorū episcopus, nouū Bābergensem episcopatū tollendū cōsuleret, quē ipse reb. Ecclesię minus necessariū, & Romano Imperio piudicialē iudicabat, apud Imperatorē sui uoti cōpos fieri nō ualuit. Noluit enim pius Impator semel Deo dicata bona in usus trāsferri prophanos, ut Cranzius in dicat. Et cōtra paganos (Cranzius Lusatios esse putat) qui expugnata Vuirbina Saxoniæ oppido, Christianos miserè trucidarāt, arma sumpsit anno 1035. Cōtrac. & Vrspergensis referunt.

Suis tamē calamitatib. nō caruit Ecclesia, maximè apud Saxones. Vdonē enim Vandalorū principē, Misteuonis, cuius suprà facta est mētio, filiū, q post patrē regno præfuit, tyrānide & Christianorū odio illustre fuisse, Helmoldus & Chronicō Holsatiēse testātur.

Godescalcus quoq;, cognita Vdonis parētis cæde, ex Luneburgēsi cœnobio, ubi & literarū gratia commorabatur, repudiata simul religiōe excessit: & collecta pditissimorū hominū manu, patris morte ulciscī statuit. Tantā igitur in Nordalbingorū terra stragē furore percitus, inter Christianos edidit, ut nullū nō oppidū Holsatorū, Sturmariorū, & Tithmarsorū tāti mali particeps fuerit, duobus solūmodo utcunq; munitis oppidulis Ethebo & Bokeldeburgo exceptis, quò Christianorum aliq cum cōiugib. & paruulis confugerāt. Non multo tamē pōst sese reuersus Godescalcus, mitior factus est: & omni gubernationis tēpore, quod certè latis longum fuit, Ecclesiæ tranquillitati plurimum studuit: ut Helmoldus in Slauorum Chronico cap. 19 & 20 indicat.

Hermannus Hamburgensium episcopus undecimus, magna armatorum militum copia instructus, Marconę cuiusdā sui officialis instinctu, ad cuius nutum cuncta ipse in gubernatiōe faciebat, in propriam ecclesiā impetum fecit, eamq; omnib. exuit facultatib. circa Salutis annum 1035. quæ clades sine plurima cæde uix fieri potuit. Chronicon Holsatiense.

Apud Polonos Miecislaus dux, qui obijt anno Salutis 1034, unicum post se filium Cazimirum, ad regni gubernationē ob ætatē immaturā minus aptum, reliquerat. Pones Rixam igitur reginam, pueri matrem, regia mansit potestas: qua mulier abusa, omnium Polonorum odia incurrit. Potentio res namq; reginæ pro suo arbitro dominantis iussa contemnentes, regias inuaserūt possessiones; & deniq; cùm clandestina odia

& simultates in apertam erumperent hostili
tatem, cuncta factionibus & diſsidijs arſerũt.
Regina uerita, ne fortè in ſe aut filium maius
aliquid moliretur, clàm fugam cum filio ar
ripuit. Poſt horum diſceſſum cuncta cædibus
replentur, latrocinia impunè perpetrantur,
omniaq; igni ferroq; uaſtantur: neque mini
bris ſacrorum, templis, aris, ſacrisq; parcitur,
ita in priſtinam barbariem atq; impietatẽ Po
lonia relapſura eſſe uidebatur. Latibula pro-
cerum & epiſcopi quærebant, ac erat miſera-
bilis ubiq; rerum ſtatus: nuſquam tuta fides,
nihil cuiquã proprium. Acceſſerunt ad hæc
mala & exterorum irruptiones. Ruſsi enim
eorum Septentrionem, ſpectãtem Poloniæ
Meridionalem & Occidentalem infeſtat, op
pida & templa diripit ac incendit quàm plu
rima. Quæ quidem multo tum incolarum
cum ſacerdotum ſanguine peracta eſſe, qui-
libet facilè intelligit, Anno 1138. iuxta Crome-
rum lib. 4. de rebus Polonorum.

DE PERSECVTIONE ET TRANQUILLITATE *ſub Heinrico tertio.*

Succeſsit in regni faſtigio Heinricus ter-
tius, filius Cõradi, patre nulla uirtutum
laude inferior, comis, humilis, & cunctis af-
fabilis: ut Nauclerus teſtatur. A' pleriſq; etiã
ob caſtitatem nimium prædicatur. à coniu-
gio enim abſtinuiſſe, eamq; uirginem iam ui
ro ſucceſſurus ſuis reſtituiſſe dicitur. Chron.
Caſſin. lib. 2. cap. 47. Ac deniq; fœliciſsimũ re-
gni ſtatum, hæreditario quaſi iure ad filium
in regno ſucceſſorem, deuolutũ eſſe, in uita
Heinrici quarti, q̃ Vuitichindi hiſtorię adiũ-
xerit (de tertij Heinrici ætate ſermo eſt) non
eſt, teſtatũ facit. Nõ bella pacem diſturba-
bant, non rapina graſſabatur, non fides mentiebatur: adhuc iuſticia
ſtatica quietẽ rumpebant, non fides mentiebatur: adhuc iuſticia
in uigoris, adhuc poteſtas ſui iuris erat. Ec-
cleſię etiam curam nõ poſtremam ipſi fuiſſe,
inde probatur. Cum enim Romæ tres ſimul
de pontificia diſceptarent dignitate, magno
cum Eccleſiæ malo, ipſe forti armatorũ ma-
nu ſtipatus in Italiam abijt, remotisq; tribus
illis competitoribus, Bambergenſem epiſco
pum ad tantum honoris gradum euexit.
Caliphæ Ægyptiorum principis morte, a-
ditus ad Chriſtianos Hieroſolymis inter me
dios leones degentes, pax redijt. Daber e-
nim filius, icto cum Argyropylo Oriẽtis Im-
peratore fœdere, ijs poteſtatem reparandi tẽ
plum & cultum ſuum cõceſsit, quod poſtea
Conſtantino Monomacho imperante ſum-
ptuq; ſuggerente, perfecerunt, Anno 1048.
Lenij tamen præſides, Harpyis rapaciores,
iniuſtis exactionibus pios premere non de-
ſiuerũt: ut Tyrius libro de Bello ſacro, cap.
quinto & ſexto indicat.

Sed ut ſuperiorib. ſeculis, ita & nunc Eccleſiæ halcyonia, quantulacunq; etiam ea prius fuerint, non extiterunt diuturna: ac licet Heinricus Imperator pro uirili inſidiatus ipſum incubuerit ſedulò, non tamẽ ſui omnino uoti compos fieri potuit.

Nam Normannorum gentem, quæ à prioris Heinrici temporibus in Calabriæ, Sammæ, Campaniæque partes cõfluxerint, cuiusque concurſus ob belli peritiam Italis gratior initiò fuerat, nunc numero et uiribus auctam, ipſos indigetes bello premere, iniuſtum dominatum arripere, hæredibus legitimis caſtella, prædia, uillas, domus, uxores etiam, quib. libuit, per uim auferre, res Eccleſiarum diripere, poſtremò diuina et humana omnia, prout uiribus plus poterant, iura confundere, Imperatori Leo nonus Romanorũ pontifex queritur, et contra eoſdem arma ſumi petit, Anno 1053, ut Hermannus Contractus indicat.

Inter alias, quib. Romanus attriuit Neumago clades, domum regiam incendit, ciuitatem Viridunenſem cepit, et maiorem in ea eccleſiam in cineres redegit, Anno 1046, ut Schafnaburgenſis indicat.

Gregorium Romanum, multas iniurias à Lõgobardis illatas pertuliſſe, Petrus Damianus in epiſtola ad Vdalricum Firmanum epiſcopum indicat.

Poſt Stephanum, Vngarico regno Petrus, ex ſorore ipſius nepos, (filio enim quem habebat unicum, Emerico paulò ante ſuum obitum orbatus fuerat Stephanus) Gisłę opera & arte potitus eſt, homo crudelitate & libidine ſtupenda inſignis. Myſtas enim, ipſum ob enormia peccata redarguentes, loco mouit, ac ſuæ farinæ ſacrificulos ſubſtituit: ut Auentinus lib. 5. refert. Sed tertio regni anno ab optimatibus, præfectis, militũq; tribunis regno iterum eijcitur, ac in eius locum Aba, quem alij Albonium, plerique Ouonẽ nuncupant, omnium ſuffragijs ſurrogatur. Sed hic quoque uix triennium regno præfuit, quo plurium tum epiſcoporum, tum ciuium odia, ipſe Aba ob inſignem crudelitatem incurrerat. At Petro, per Heinricum, cuius contra Abam implorauerat opem, reſtituto, omnes antiſtites & optimates, Cæſare iubente, ultrò in eius manus iurarunt, ſe perpetuò Regis imperata facturos, neque legitima unquam obſequia detrectaturos. Sed cum iam Petrus ſe tutum ab omni periculo exiſtimaret, Romanorum Imperatoris authoritate fretus, cuncta pro ſua egit libidine: cunctisque ciuitatibus & oppidis Germanos, quorum opera regnum recuperarat, Italosq;, Vngaris poſthabitis, præfecit: quòd plerique optimates indignè ferebant. Nec

Ecclesiæ eum satis æquum fuisse, inde animaduerti potest, quòd cum politicis simul ipsi antistites de reuocandis Andrea & Leuenta exulibus, in consilio statuunt. At uulgus fidei iugum facilè excuti posse ex hac nouitate, & rerum quæ imminebant mutatione, sperabant.

Andreas itaq; & Leuenta, paribus uotis ab exilio contra Petrum reuocati, promiscuæ multitudini, quæ ad eosdem in Nouo castro commorantes confluxerat, promittere cogũtur, se permissuros, ut uniuersus populus pagano uiuat more, Scythi caq; recolat numina: præterea episcopos, sacerdotũ collegia, Christianos, & maximè peregrinos, pro suo arbitrio affligat ac truci det: deniq; basilicas & tẽpla diruat. Ipsi enim cũ sine pmissiõe hac regno se rursus potiri posse diffiderẽt, ultrò postulatis annuerũt. Vulgus itaq; religione penitus abiecta, in Christianos omnes, præsertim in episcopos & sacerdotes, adeò sæuijt, ut Christiani nominis memoria simul interciderit. Ecclesiæ quoq; dirutę, & suis bonis spoliatę sunt. Gerardus Canadinensis, Beztertus, Buldus & Benetha episcopi, de regum aduentu certiores facti, ultrò, ut honorificè eos excipiant, obuiã ꝓcedũt. Quũ ad Giodi pagũ uenissent, in diuæ Sabinæ templo rem prius sacram facere decernunt, quàm regulis occurrant. Ibi Gerardus socios prẽmonuit, iã diem martyrij cũctis imminere: id enim ex nocturna se cognouisse uisione, ubi Christus in B. Mariæ tabernaculo sanguinis sui calicem propinarit singulis, excepto Benetha. Peractis sacris, iter uersus Pestum ineunt. Gerardus ob uiæ asperitatem & uires deficientes curru uehitur. Verùm ut ad Danubium peruentum est, regulorum comites facto agmine impetum in eos faciunt, saxisq; petunt. Gerardum tandem curru in præeminentem subuehunt rupem, indeq; præcipitem agunt. Ac cum palpitanti cordi spiritus aliquis adhuc inesse putaretur, hasta transfoditur. Benetha uerò, regulorum interceſsiõe ex hostiũ liberatur manib. Eo quoq; die magnus sacerdotũ, fidelium q́ue numerus, pari crudelitate absumptus est.

At Andreas regio iã diademate potitus, circa Salutis annum 1047, statim contra uulgi furorem, pro Ecclesiæ pace eiusmodi edictum proposuit: Quicunq; Vngarus, Vngariæ ue incola, peregrinus ue frequentans, depositio pagano ritu, cæremonijsq; Scythicis abrogatis, quas rex, quia usus ita postularat, paulo antè permiserat, ad ueram Iesu Christi fidem eueſtigiò non redierit, ac sacram legem à diuo rege Stephano traditam nõ receperit, capitalis esto. Vicus, oppidũ, & ciuitas quæq;, demolita tẽpla basilicasq; reficito: põtifices, collegiaq; sacerdotũ pristino more obseruato, & pareto: Christianorum ritus reuocato: Prophanas cęremonias, falsosq; deos exigito, eorũ simulachra demolitor. Si quis magnis uerisq; minib. ac sacerdotib. maledixerit, fecerit ue, Deũm hominũq; hostis esto. Si quis sacra legerit, lecta cõtinuò restituito: quicũq; sacro, uel quouis alio humano sanguine manus fœdarit, commissa piacula expiato. Vngarus demum quisq; cædibus, latrocinijs, ac cætera denique ui & iniuria abstineto. Sanctionem igitur quicunq; contempserit, aduersus ue iuerit, capitis ac rerũ omnium reus esto.

DE TRANQVILLITATE ET *persecutione sub Heinrico quarto.*

HEinricus quartus admodum puer, defuncto patre ad imperiũ accessit: cui annis ferè quinquaginta præfuit. Vir præstantissimi & acerrimi ingenij, linguæ facundia præstans: in bellis uerò gerendis singulari præditus erat fœlicitate. Ac licet ipse cunctis esset benignus, & pacis studiosissimus: tamen Romani pontifices, eorumq; mancipia episcopi, plurimarum in imperio turbarum extitêre autores, ut suo loco dicemus.

Sub idem ferè tempus & Isaacius Comnenus in Oriente rerũ summa potitus est, homo arrogans, rapax, non sacris, non prophanis abstinens bonis: at in patriarcham Michaelem, suosq; nepotes mirè beneficus & gratus. Verùm non fuit ea firma, diuturnaq; inter ipsos familiaritas. Patriarcha enim Imperatori superbia non cedebat, sed imperare pro suo libitu uolebat. Quæ cum Imperator æquo animo ferre non posset, ipsum & nepotes eius in exilium ire iubet. Deinde cum de abrogando illi patriarchatu per conficta crimina cogitat, obitus Michaelis ei nunciatus est. Ibi ille statim mutata sententia eiulauit, & cadauer ab exilio reuocatum honorificè sepeliri curauit. Zonaras tomo 3.

Desijt & hac tempestate Hierosolymis Christianorum tranquillitas. Turcæ enim Diogenis & Michaelis Parapinatij luxu & ignauia, præter Persiam & Aegyptum, cuncta ferè Asię loca suo submiserunt iugo: imò ad ipsam Constantinopolin suum extendere runt imperium. Capta autem ab ijsdem & Hierosolymorum urbe, tanta quotidie immanitate pij presi fuêre, ut omne quod superioribus seculis mali uel ipsis uel maioribus suis acciderat, leue quiddam præ hisce afflictionibus putaretur. Idq; iugum annis ferè triginta ferre coacti sunt, usq; dũ solenni illa expeditione, quæ Gotfrido Lotharingo duce susceptа fuit, terra sancta recuperata

operata sit: de qua suo loco. Tyrius lib. 1. de Bello sacro.

Magnificè prędicat Ecclesię in orbe Christiano pacem Petrus Damianus, in epistola ad Nicolaum 2, Romanę sedis antistitē, qui subinitiū imperij quarti Heinrici ea dignitate functus est, his uerbis: Nunc in sagena Petri, te Nicolao clauem regente, sub tranquilla pace tota Christi gratulatur Ecclesia. mentorum quippe se turbines reprimunt, procellarum spumantium uolumina conquiescunt, mitescunt maria, totaq; uidetur tolli serenitas innouata. Cum igitur sub sancto pontificatu uestro iucunda pace uniuersalis Ecclesia potiatur, canis meis & grandę iam senecturi quæso requies non negetur. Verùm Hildebrando monacho ad turbato nato, ad pontificiam dignitatem euectionem. Decreto sanxerat Heinricus tertius Imperator, ad cauenda in Romana ecclesia disidia, ut nullus pontificum Romam conscenderet cathedram, nisi de consensu Romanorū Imperatoris. Hildebrandus uerò exploso hoc decreto, nequaquam Imperatoris uoluntatem requirendam asse rebat. Imperator contrà ui & armis pugnando, patris legem ratā haberi uolebat. Præterea à multis retrò seculis quasi hæreditario quodam iure, penes Imperatores Romanos erat potestas, episcopatus Imperij terminis inclusos, pro suo arbitrio, iusta tamē adhibita ratione, distribuendi. Quod itidem Hiltebrandus fieri uetuit. Mortuo itaque aliquo episcoporum, Imperator alium, alium quoque Papa substituit, qui deinde mutua excommunicatione sæpius de loco certarunt. Eam ob rem, Papa Imperatorem anathematis fulmine ferijt: & Imperij proceres, ut repudiato Heinrico alium eligant, non tam solicitauit, quàm coegit. Eius mali nō postremus erat incentor Halberstadensis episcopus, qui multos Germaniæ principes & episcopos, apud Saxones in primis, ab Imperatoris fide auulsit. Habebat & Heinricus suos in utroq; ordine fautores, qui habitis synodis, ipsius Romani pontificis in Imperatorem excommunicationem non solùm damnabant, sed idem in ipsum retorquebant telum.

Imperator hinc longissimam Imperij calamitatum texi telam, facilè pro ingenij sui acumine perspiciebat: ineundæ igitur pacis gratia Romam ire festinat. Interim Romani pōtificis partes defensantes, Rudolphū quendam Sueuiæ ducem, in Imperij dignitatem collocant. Quo cognito, Heinricus abitinere cœpto pedem in Germaniam retulit: & collatis cum Rudolpho sæpius militaribus signis, tandem superior fuit. Moguntinum, aliosq; episcopos suis dignitatibus exuit: Giselbertum Hirsaugiēsem abbatem, cum alijs sexaginta monachis, cœnobio exturbauit. Idem plurib. alijs, à Romanorum pontificum partib. contra ipsum stantib. fecit, ut Trithemius scribit. Eadem etiam suarum partium episcopis fortuna erat. Post tantam uictoriam, Heinricus magna cum festinatione Romam contendit, eamq; ui expugnat: & deiecto sua sede Hildebrando, omnium malorum face, ut Sigebertus scribit, episcopum Rauennatensem in locum eius substituit. Ea de causa historicorum uulgus pōtificib. addictū, Heinricū hæresiarchā, & Romanæ ecclesiæ turbatorē & persecutorē proclamant. Sed iudiciū esto penes pios & candidos lectores, quib. pontificię fraudes & machinationes in suo primatu & totius orbis dominio cōtra Christi præceptū stabiliendo, non sunt ignotæ: quas ipsi pontificij scriptores nō obscurè sæpius, etiam inuiti prodere coguntur. Vnde enim id iuris habet Romanus papa, ut Dei ordinationi, ut Paulus magistratum ex spiritu Dei uocat, temerè resistat?

Extat & alia Damiani epistola ad Cadalo um Parmensem, qui Romanæ sedis dignitatem sibi arrogauit, ubi tristis Ecclesiæ status meminit, cuius ipse Cadalous autor fuerit. Rogandus est, inquit, Deus omnipotens, ut sopitis errorib. simultatum, in Ecclesia sua pacis atq; concordiæ, quæ per te scissa est, stabiliat fundamentū. Verùm de his Capite Octauo copiosior extat narratio.

Dederat Treuirensib. præter cleri & populi uoluntatem, (ut Schafnaburgensis testis est) Heinricus Imperator Conradū quēdam Colonienſis ecclesiæ præpositum, episcopum. Theodoricus itaq; Treuerici agri comes, populi instinctu, ipsum ad suam iam Ecclesiam euntem, cæteris qui eum comitabātur, terrore inopino perculsis, & fuga salutē quærentib. intercipit, moxq; militib. trucidandū dedit, qui in uicina sylua, ex rupe ter eum pręcipitem agunt: ex quo lapsu solum fregit brachium: tandem transfossus est, Anno 1062, iuxta Contractum, & Marianum Scotum. Sigebertus & Schafnaburgensis annum habent 1067.

Eiusdem Imperatoris duces, quib. belli administrandi contra Otthonem Boium demandatum erat negotium, Ecclesias in Otthonis prouincia miserè uastarunt: circa Salutis annū 1070: & Schafnaburgensis.

Hartesburgensem ecclesiam, uicini coloni fugatis canonicis, & altaribus fractis, in puluerem redigunt, sanctorum reliquias dispergunt & comminuunt, Anno 1074. idē.

Circa idem ferè tempus, Colonienses ciues Imperatoris gratiam promereri cupien-

tes, Vuormacienſiũ exemplo, qui aliquando ſuum præſulem in Imperatoris uerba iurare detrectantem, dignitate & loco deiecerant: in ſuum quoq; archiepiſcopum, incitante eos quodam adoleſcente feroci & petulante, epiſcopi inſoleciam & iniuſtum eius imperium minimè tolerandum, furibundo perſuadente uulgo, inter cœnandũ impetum faciunt, ſaxaq; & tela in eum conijciunt: quoſdam menſæ adminiſtrantes occidunt, cæteros in fugam uertunt. In illo autem tumultu, ipſe diabolus galea & lorica armatus, diſcurſare, & claſsicum canere multis uiſus eſt. Archiepiſcopus ſuorũ ope pe. medios hoſtes & micantia arma ęgrè in ædẽ D. Petro ſacrã deducitur, ubi mox fores nõ modò ſeris obſerantur, & uectib. ſed ingẽtes quoq; moles aduoluũtur. Furit inſanum uulgus foris, ſcrutatur omnia epiſcopalis ſedis penetralia: omnia prędę ſunt, uaſa uinaria in cellis perforantur, uinum effunditur: epiſcopi quoddam ſacellum, ubi ſacra uaſa, ac pontificalia repoſita erant ueſtimenta, diripitur. Tandem cum archiepiſcopum in templo, murorum firmitate fretum, latêre cognouiſſent, illud omnes ſimul obſident, & epiſcopum ſibi ocyùs reddi poſtulant, ni uelint igni templũ tradi. Qui epiſcopo aderant, id conſilij dabãt, ut ipſe mutata ueſte clàm aufugiat: ſic enim & uitę periculũ, & templi conflagrationem euitare licere. Protracta autem ſeditione ad mediũ uſq; noctis, cùm cũcta tenebris, caligine & armis horrerent, epiſcopus per quoſdam ſecretos ex templo meatus, in domum muro ciuitatis uicinã peruenit. unde paratis quatuor equis, paucisq; eum comitantibus, urbe educitur, ſicq; noctis beneficio hoſtium manus effugit. Quo elapſo, templi fores reſerantur, moxque cateruatim irruentes ciues omnia perluſtrant loca, archiepiſcopũ quęrentes. Verùm cum deluſos ſe uiderent, urbis propugnacula conſcendunt, quo contra epiſcopum, ſi fortè armato milite ſuam repetiturus eſſet ſedem, ſeſe tutari ualerent: ut idem refert.

Haud diſsimili ratione & ab altera parte tractabãtur Eccleſiarum antiſtites. Theodoricum enim Verdunenſem præſulem, uirum probatæ erga Heinricum Imperatorẽ fidei, eiusq; cauſæ addictiſsimum, cũ ipſum in Italiam profectum, paucorum dierũ interpoſito itinere inſequeretur, Adelbertus comes de Caleuuo cepit, & cuſtodiæ tradidit: longoq; tempore pòſt, ſoluto, quantum à comite exigebatur, redemptionis precio, iterum dimiſſus eſt, ſua interpoſita fide, nũquam ſe de illata iniuria uel corporalẽ uel ſpiritualem expetiturum uindictam. Eadẽ tempeſtate Vuelpho Boiorum dux, Rupertum Bambergẽſem epiſcopum, eiuſdem in Imperatorem fidei, per Boiorum terram in Italiam contendentem, intercipit: aurum uerò omne, aliaq; ornamenta quæ in comitatu eius reperit, ad eccleſiam Bambergenſem ultrò remiſit Vuelpho. At epiſcopũ ex uinculis ut dimitteret, nec precib. nec minis ullis flecti potuit. Facta hæc ſuntan no Salutis 1077, ut Schaſnaburgenſis indicat.

Bochardum Montiſmorẽtiani dominũ, eccleſiæ illata damna cõpenſare coegit Ludouicus Francorum rex. Elbonem etiam Roſsiacum, Laudunenſem & Remorũ clerum infeſtantem, ui ad officium redire coegit. Eodem neruo Leonetum de Magduno, Aurelianenſem eccleſiam turbantẽ repreſſit. Teſtis eſt Gãguinus libro 6, ſub Imperio Philippi regis, qui tum adhuc in uiuis fuit.

Godſchalcus etiam, quem ſuprà Chriſtianorum hoſtem diximus, cum in Slauorum gente, quæ tertiò iam religionem abierat, conuertenda ipſe conuerſus plurimũ laboraret, martyr in urbe Lentzin, cum Eppone presbytero, qui ſuper altare à gentib. immolatus eſt, & multis alijs tum laicis, tũ clericis, occubuit. Eadem tempeſtate Anſuerus monachus, & cum eo alij Racesburgi lapidibus à Slauis obruti ſunt. Ioannes quoque Mechelburgenſium primus epiſcopus, cum cæteris Chriſtianis in ſua urbe captus, uinctus, fuſtibus cæditur, ſpectaculi loco per ſingula Slauorum oppida ducitur: tã dem cum à religione nullis ſe auelli paterentur tormentis, ſecuri percutitur: cadauer eius manibus pedibusq; truncatum, cunctis calcandum in plateas abijcitur: caput uerò Barbari canto affixum, pro uictoriæ laude, Radigaſto ſuo, quem coleban, Deo immolarunt. Hæc in Slauorum metropoli Rethegeſta ſunt, mẽſe Nouẽbri, imperante Heinrico quarto. Ipſa quoq; Godſchalci uxor Danorum rege nata, cum cæteris pietati addictis mulierculis loris cæſa, nudaq; dimiſſa eſt. Slaui rerum ſucceſſu elati, duce quodam Bluſſone, cui Godſcalci ſoror nupta erat, Hamburgenſe ſolum igni & ferro infeſtant: Sturmarios & Holſatos aut proſternũt, aut uinctos in patriam mittunt: Hamburgum ſolo ęquant, ſacras cruces direptis eccleſijs comminuunt: Sleſuuigam, incolarum ac opum ſplendore & multitudine præpollentem Tranſalbinorum ciuitatem, penitus euertunt. Ad ſuos cum magna præda reuerſi Slaui, in domeſticos religiõem abijcere detrectantes, pari fæuiũt ratione. Sicq; omnis Slauorum gens ad paganiſmum redijt: ut Helmoldus in Slauorum Chronico cap. 22, 23, & 24, indicat. Crantzius in Metropoli lib. 4. capite ultimo, annum quo hæc facta ſin

sunt, millesimum sexagesimumsextum annotat. Idem habet & Saxoniæ Chronicon.

Mortuo Godschalco, regni administratio soluta est: uerùm Slaui hoc, ne fortè patris necem ulciscereturpudiato, Cruconem quendam, cui & Crito nomen est, idolola tram, & Christianę religiõis acerrimum hostem ac persecutorem constituunt sibi principē, qui pietati deditos multis affecit malis: Helmoldo in Slauorum Chronico, cap. 13 testante.

Hildebrandum pontificem Centius quidem Romanus ciuis, ab ipso propter sacrorum violationem excõmunicatus, ut Schafnaburgensis indicat, ipsa Dominicę natiuitatis festiuitate ab ara auulsum, graui prius ipsi uulnere inflicto, custodię tradidit: ut Sabellicus & Vrspergensis testantur. Schafnaburgensis annum 1076 habet.

Buggonem Halberstadensem episcopũ, Goslariæ circa Salutis annum 1088 interfectum, Vrspergensis annotat: uerùm cæteris causam non exprimit. Eodem anno capta Sueuorum insidijs Augustana urbe, Sigfridus eius loci episcopus custodię traditur. idem.

Laici quidam Christiani, arrepta ex Gregorij decreto, quo à sacerdotibus maritis missas audiri uetuerat, occasione, nullo nõ sacro fungentes munere uiros exercuerunt malo, obedientiam debitam eis non præstitere: ipsimet infantes, post habitis Ecclesiæ ministris, baptizarunt: aurium sordibus prodendas igni tradiderunt, panem à sacerdoti benedictum pedibus conculcauerunt, & calicem temerè effuderunt, annum circiter 1074: ut Hedio tertia parte Historiæ Ecclesiasticæ scribit.

Conradum Traiectensem episcopum, à quodam mercatore Frisio, intra domesticos parietes crudeliter occisum, anno 1099, Sigebertus testatur.

Circa Salutis annum 1064, septena cuiuscunq; fortunæ & status hominum milia, Sigefridum Moguntinum archiepiscopum, Traiectensem & Bãbergensem episcopos, in terram Sanctam ex quadam superstitione contendentes, secuta sunt. Verùm Arabes amplissimæ prædæ cupiditate allecti, ex insidijs eosdem adoriuntur, plurimos q; trucidant: cæteri fuga arrepta, Caruasalim oppidum petunt, ibiq; se contra hostium furores occludunt. Arabes hos strenuè insecuti, ad urbis mœnia militem quendam captum, & in crucis formam extensum dissecant, & uiscerum dispositionem omnibus conspicientibus in eo inquirunt: ac simili modo cæteros se tractaturos captiuos minantur, nisi aurum & argẽtum, quod secum habeant, omne ultrò eis offerant. Sed tandem comitis de Ramula subsidio liberati sunt: extanta autem multitudine, uix bis mille uiri anno sequenti ad suos redière: ut Marianus Scotus, Sigebertus & Schafnaburgensis indicant.

Prodita Byzantina urbe per Nemitzos Comneno, milites prædæ inhiantes, mox templa petière: eaq; ornatu, crateribus, phialis expoliarunt. uirgines Deo consecratas, matronasq; stupris polluerunt: ut Zonaras tomo 3 narrat.

Hartuuicum Normannorum regem instructissima classe in Angliam impetum fecisse, deuictoq; Haraldo rege, rerum summa potitum, omnes penè Angliæ episcopos in exilium egisse: in Eboracensi uerò urbe ultra 1100 sacerdotes, & laicos mille, horrenda crudelitate trucidasse, anno 1066, Sigebertus, Trithemius, Marianus testes sunt. Polydorus Vergilius libro nono Anglicæ historiæ, hunc Normannum Guilielmum uocat, cui & Ruffi cognomen fuit: eumque occupato Angliæ regno, pecunias & sacra uasa solùm à templis & cœnobijs tolli iussisse: ex altera uerò parte Ecclesię salutẽ sibi in primis curæ esse, cũctis uideri uoluisse. Nã id tẽporis cũ celebris antistitum conuentus Vintoniæ ageretur à duobus cardinalibus, ab Alexandro secundo pontifice Romano legatis, ad statum rei Christianæ apud Anglos recognoscẽdum, melioremq; collocandum, si opus foret: aliquot tum episcopi, tum abbates de nonnullis criminibus accusati, eius opera officio priuati sunt. In ijs fuit Stigantus Cantuariensis antistes, qui sua dignitate deiectus est. Huic obiecta multa sunt crimina, & illud in primis, quòd uiuo Roberto archiepiscopo, Cãtuariẽsem sedem occupasset: deinde, quòd unà cum eadem, Vintonienſem episcopatum possedisset: ac postremò, quòd pallium accepisset à Benedicto, ordine Romanorum pontificum decimo, quem ut perperam electum patres repudiarant. Hanc tamen rem scriptores nonnulli Guilielmo uitio uertũt, asserentes ideo eum procurasse Anglicos antistites honorib. deijciẽdos, quò eorũ in locum substituerentur aut Normãnni, aut alij externi: quod & factum est.

Maugerium quoque Rothomagensem episcopum, instinctu Mathildis coniugis suæ, quæ ob reprehensionem episcopi, coniugium ipsorũ, qnod sanguinis propinquitate minus putabatur legitimum, improbantis, quique ea de causa utriusque sacris interdixerat, uindictæ auidior erat, in exi-

lium eiecit,ſub prætextu,quòd ad res diuinas minus foret intentus. Sed poſtea facti utrique pœnitentes, ad expiandam tantam impietatis labem,tria conſtruxêre cœnobia, eaque multis prædijs & donarijs Ruffus locupletauit. ſimulabat enim qualemcunque pietatem, cum iam morti uicinus eſſet:ut libro nono Anglicæ hiſtoriæ Polydorus ſcribit.

Expugnata Angliſea inſula, quæ Vualli-10 cæ gentis refugium erat, Hugo Salopiæ, & alter Hugo Ceſtriæ comites, quibus belli gerendi ſummam Guilielmus,quem diximus, Ruffus de mandarat, inauditam penè in miſeros cuiuſcunq; conditionis homines exercuêre crudelitatem. Nam alios effoſsis oculis, alios inciſis narib. alios deſectis brachijs aut manibus, alijs teſtibus abſciſsis deformarunt, fœminis paſsim ſimul ſtupro coinquinatis. Eſt memoriæ proditum,cuidam ſacerdoti, poſt oculum erutum & linguam præciſam, Dei nutu ſermonem fuiſſe reſtitutũ. idem libro decimo Anglicæ hiſtoriæ.

Porrò rebus in Anglia paſsim, ut ſibi uidebatur Ruffus, pacatis, pro more ſuo domi adeò debacchatus eſt, ut regni interitus & uaſtitas, ab omnibus imminere crederetur. Anshelmus itaq; Cantuarienſis archiepiſcopus, unus omnium pro patriæ ſalute excubias agens, regem monere auſus eſt,ut tandem aliquando manus ab alieno abſtineret : ac regis in primis eſſe, rempublicam, bona, fortunas ciuium tueri, defendere & conſeruare,recordaretur.Ruffus admonitionis impatiens, omnẽ ut effundat in Anshelmum bilẽ,uix ſe repreſsit, ac grandem ei mulctam dixit: quam tamen poſtea mitior factus ei remiſit, hoc ſolum expetens, ne ſibi deinceps ulla in re impedimento eſſet: ſed potius faceret, quod ex re eius quoquo modo eſſet. Quæ ut parum æqua, cum pius præſul ſe facturum conſtanter negaret, omnibus exuitur bonis, exin in exilium eijcitur à rege. Quo ejecto, libera in Eccleſiæ bona Regi fuit poteſtas, omnia in ſuum cõuertẽs uſum. nemo enim ſacerdotum ipſi contradicere audebat.Prę-fuit autẽ regno annis ferè 13 : ut Polydorus ibidem, & Malmesburienſis lib. 4, cap. 10 & 11. de geſtis Anglorum referunt. Poſt trien niũ uerò, mortuo Guilielmo,per Heinricũ regem læto populi & procerum Angliæ applauſu reuocatus eſt Anshelmus, ut ipſe in epiſtola quadam ad Paſchalem Rom. pontificem teſtatur.

Boleslaus deuictis Ruſsis, ad Polonos reuerſus, cuncta pro arbitrio ſibi licere putauit, magnaque crudelitate in deſertoribus plectendis uſus eſt. Libidinibus non ſolùm deditiſsimus fuit: ſed expoſitis pellicũ infantibus,catulos ad earum admouit uberas. Subditos intolerabilibus preſsit exactionibus,ius non dixit. Stanislaus itaq; Cracouienſis epiſcopus, ipſum regem ex officio compellans, de uitę emendatione monuit, ne fortè ſua petulantia & ſibi & toti regno aliquod diuinitùs accerſat malum. Rex ſe admoneri indignè ferens, epiſcopum conuicijs & maledictis inceſsit:ab eoq; tempore in omnes occaſiones, ipſum ſua exuendi dignitate,intentus fuit. Stanislaus regias minas parum curans, & opportunè & importunè crebrius inſtitit. Tandé ipſi necem intentanti ſacris interdixit tota urbe. Ipſe uerò epiſcopus, paucis alijs ſacerdotibus eum comitantibus,in quadam Michaelis ę-de extra urbẽ ſacra ſolus fecit. Quod cũ rex cognouiſſet, furibundus cum ſatellitio idẽ petijt templum:& epiſcopo ad altare ſtãti, gladio caput adeò comminuit, ut collabentis cerebro parietes conſpergerentur. Corpus deinde à ſatellitibus è templo extractũ, minutatim conciſum eſt,anno 1079: ut Cromerus libro quarto de rebus Polonorũ, & Crantzius lib. 3, cap. 4 Vandalorũ ſcribunt. Apud Vngaros,poſt Andreę regis interitum, Bela frater eius ſceptro potitus eſt. Fuit & is Chriſtianis ſatis æquus & benеuolus. cum enim Albæ dies coronationis peragendæ indictus eſſet, omnis multitudo etiam iniuſſa eò confluxit. Quæ commodam occaſionem ſe iam nactam rata,per præfectos, quos inter ſe pagatim creauit, à Bela rege auitam petit reſtitui religionem: nouam uerò illam Chriſtianorum ſuperſtitionem aboleri, epiſcopos & ſacerdotes è medio tolli,ędesq; ſacras dirui. Rex poſt triduum ſe reſponſurum promittit. Interea pagorum præfecti paſsim apud ſuos concionabantur aduerſus Chriſti fidem: & ad defendos religioſos, animos cunctis augebãt. At ipſe rex interim tumultuarium cogebat exercitum, quo paganos coercere,& de factionum autorib. iuſtas pœnas ſumere poſſet. Tertio itaq; die, quo ſe reſponſurum dixerat, armatos milites ſtrictis enſibus immittebat in multitudinem effrenem, qui plurimos cædunt:ipſos uerò præpoſitos ad unum uſq; omnes captos, ex altis turribus præcipites agunt, captiuamque plebecu-lam partim uinculis uel carceri tradũt, partim Ioris cædunt. Sic dulci fruebatur pace triennio illo, quo regno pręerat Bela, Vngarorum eccleſia. Bonfinius lib. 3 Decadis 2 rerum Vngaricarum.

Chuni tamen Copulcho duce Cruli filio, in Vngariã ſæuierunt. Primo impetu Tranſ-

ſylua-

syluaniam inuadentes, homines & pecora extra abegerũt, reliquis igni traditis. Tanta enim ijs populis naturâ ineſt immanitas, ut neq; deorum neq; hominum rationem habeant ullã: direptis rebus omnibus, polliq; in triſtem ſeruitutem aſſertis, in templa quoq; deſæuiunt, ſuccẽdunt aras, nec deijs hominibusq; parcunt. Teſte Bonfinio libro 4 Decadis ſecundæ.

Iuonem Carnotenſem epiſcopum, carceri traditũ fuiſſe, ex quadam ipſius epiſtola ad clerũ & populũ Carnotẽſem apparet, quos à violenta ſui liberatione dehortatur. Cauſam uerò in alia quadã epiſtola ad Phi lippum Francorũ regem exprimere uidetur, quòd ob monitiones quaſdam de illegitimo coniugio, eius offenſam incurrerit: indeq; aduerſarios cuncta Eccleſiæ bona dilapidandi occaſionem accepiſſe, adeò ut ipſe victu quotidiano deſtitutus fuerit. Et alia quadam epiſtola Guidonem regis dapiferum, qui ipſum & regem reconciliaturus eſſet, compellat.

Eadem tempeſtate Oriẽtis eccleſiam, grauem à paganis tuliſſe perſecutionem, ſanctam ciuitatem à gentibus conculcatam, ſepulchrum Domini tãtùm quęſtus gratia ab idem in precio habitũ: eaq; de cauſa Chriſtianos cum Alexio Imperatore contra gentes Vrbani ſecundi imploraſſe exiliũ: Ottho Friſingenſis libro ſeptimo, capite ſecundo ſcribit.

Extat apud Paulum Aemylium, Simonis patriarchę Hieroſolymitani ad eũdem pontificem epiſtola, qua de calamitatib. quibus quotidiè à Mahumetanis premantur, queritur, eiusq; implorat ſubſidium, quam nec ſubijcere libuit. Sanctæ urbis ciues, ac Chriſti cõterranei, quotidiè perferimus ea, quæ ſupremis tantùm diebus mortalitatis ſuæ CHRISTVS rex noſter ſemel paſſus eſt: pulſamur, cædimur, fodimur. Quotidie noſtrũm aliquis fuſtibus, ſecuri, cruce maſtatur. E' ciuitate in ciuitatem refugeremus, ad extremos terrarũ, è mediaq; terra, ubi ſalutem noſtram operatus eſt Seruator noſter, commigraremus, inopem, profugam, uagamq; uitam acturi: niſi nefas eſſet, terrã naſcente, docẽte, moriente, reſurgẽte, cœlum repetente Domino ſacram, cultoribus ſacerdotibusq; orbam eſſe: priusq; non ſupereſſe qui martyrium mortemq; perferant, quàm deſint qui inferant: nec eſſe qui pro Chriſto uelut in bello mori uelint, cum ſint: qui oppugnandi finem non faciunt. Hæc nos patimur, miſerrimè quidem: ſed fuit cum maiores noſtri nihil tale ſibi poſſe fieri ue ſuis timerent. Libro quarto de geſtis Francorum.

Thiemo Salisburgenſis præſul, undecimo ſui epiſcopatus anno, religionis ergò in terram ſanctam contẽdens, à Saracenis ꝓpe Corozaim ciuitatem captus, poſt omnium membrorum detruncationem trucidatus, martyr factus eſt, anno 1102: ut Bruſchius indicat. Habeat ſanè Thiemo hîc ſuum locum: ſed ubi in futuro ſeculo habiturus ſit, ipſe uiderit. Quid ipſi in terra ſancta negotij, cùm in quouis loco, in ſpiritu uerus Deus, teſte Chriſto, adorari poſsit?

DE POENIS PERſecutorum.

PErpetuus iuſticię cuſtos Deus, & pietatis remunerator, & impietatis uindex, nec hoc ſeculo de ſuę Eccleſię hoſtibus pœnas ſumere neglexit: ut Hiſtoriæ teſtantur. Bluſſo Vandalorum dux, à Chriſtianorum trans Albim extirpatione domum reuerſus, à ſuis obtruncatur. Helmoldus in Slauorũ Chronico, cap. 24.

Vdo Slauorum princeps, Chriſtianæ religionis hoſtis, & tyrannus crudelis, à quodã Saxone confoſſus eſt. idem.

Tragica morte Cruco, eiuſdem gẽtis princeps, interijt. Nam coniugis ſuæ inſtinctu, quæ ipſum uetulum oderat, & Heinrici Saxonum ducis appetebat nuptias, cùm forte ex cõuiuio tęmulentus excederet, ſecurĩ occipitium à quodam Heinrici ſatellite ipſi diſſectum fuit: ut refert idem cap. 34.

Rodulphus comes perfidus & auarus, eo ipſo quo Caſsinũ prędandi gratia ſe uenturum conſtituerat die, in cubili exanimis repertus eſt. Chronicõ Caſſ. libro ſecundo, capite ſeptuageſimoſeptimo.

Theodorici Treuerorum epiſcopi interfectores, ſeueram Dei ultionẽ experti ſunt. Ipſe enim Conradus comes, pœnitentiæ agendæ gratia Romam contendens, in itinere defecit: ut Marianus Scotus annotat. Militum uerò unus, qui eum de rupe præcipitarant, inter cœnandum cibo ſuffocatur. reliqui duo ſibi ipſis cruentas injiciunt manus: teſte Hermanno Contracto

Ciues etiam Colonienſes, duras ſuæ in epiſcopum perſecutionis pœnas luunt. Epiſcopus enim exul, collectis in Coloniẽſi agro copijs, urbem quarto poſtquam eiectus fuerat die repetit, eaq; facilimè potitur. Hoſtium enim aduentantium multitudo ferè infinita, omne animi robur & arma, ciuibus intra mœnia exiſtentibus, ſolo aſpectu excuſſerat. Epiſcopus intra urbem benignè receptus, excommunicationis fulmine inter miſſarũ ſolennia reos culpam de ꝑcari cogit. At milites epiſcopi, ipſo inſcio, arma capiunt, quæuis obuia proſternũt, in

ædes potentiorum irruunt, spoliant, ipsos uel occidunt, aut in uincula conijciunt. Adolescens ille qui frigidam, ut paulo antè diximus, suffuderat, cum paucis oculis priuatur. alij uirgis cæsi, alij uerò monasticen subire coacti sunt: ut Schasnaburgensis testatur.

Cintij Romani ædes, quem Romanum pontificem ab ara arreptum custodię tradidisse scripsimus, ciues funditùs destruxerunt, cunctaq; eius bona tum intra tum extra urbem fisco tradiderunt. Ipse fuga elapsus, ut Sabellicus testis est, in Germania subitaneo morbo correptus, anno 1076 interijt. Schafnaburgensis.

Vnum solummodo annum Bolestaus Polonorum dux, omnib. inuisus, post Stanislai cędem superstes fuit. Russorũ enim principes ab eo subacti, parêre respuerunt: conspirarunt deinde in necem eius nobiles plurimi. Qua tamen conspiratione detecta, ipse suæ saluti consulturus, cum filio Mescone & paucis comitibus in Vngariam fugit, cui tum Ladislaus Geisę frater dominabatur. Ab eo Bolislaus comiter & honorificè exceptus est mansitq; ibi aliquandiu: uerùm exagitante eum indies magis magisq; admissorum facinorum conscientia, mente captus ipse sibi mortem conscíuit, anno Salutis 1081, ut Cromerus lib. 4 de rebus Polonorum scribit. Boleslaum Deo hominibusq; perosum, languore inaudito miserè interijsse, filium uerò ueneno sublatũ, Crantzius lib. 3, cap. 14, de Vandalis narrat.

Præceperat Heinricus imperator in frequenti procerum suorum corona, funditus deleri Hirsaugiensem monachorum conuentum, eo quòd à Romani pontificis partibus contra ipsum starent. Ad hoc facinus perpetrandum, fidelem se Vuernerus Argẽtinensis episcopus præstitit ministrum: qui benignè cõpellatos suos milites, de amplissimis monachorum spolijs spẽ eis fecit maximam. At milites episcopo religiosiores, in Dei seruos sęuire detrectarunt. Quos episcopus læsæ maiestatis fore reos, nisi iussa exequantur, pronunciat. Mox ipse lorica indutus, conscendit equum, cæteris ducem se exhibiturus. Sed ex equo, omni uidente exercitu, eo ipso momento iterum delapsus, cum magno boatu animam expirauit. Quo uiso, cæteri ab incepto destitêre: ut Trithemius in Hirsaug. Chronico scribit.

Sueno etiam apud Anglos, non solũ Anglorum nomen, sed Christianam simul religionem uno eodemq; labore funditùs extirpare omnibus neruis contẽdens, suas dedit pœnas: quamuis de ijs autores non consentiant. Nam ferunt, eum dum apud suos milites lætitia exultans ob regnum adeptũ gloriaretur, repentè uelut pugionis supernè demissi ictu confossum, in terram ceciderit: uociferãtem, mortem sibi esse illatam, ac actutùm interijsse: & omnes qui aderant, subitæ rei casu stupentes, percussorem nullum cernentes, arbitratos id deorum ira esse factũ. Ad posteros bellissima etiam fama manauit, illũ eo ipso cultro fuisse interemptum, quem diuus Edmundus, dum uita erat, gestarat. Verùm longè fœliciorem ac alium uitæ exitum Sueno habuit, ut Saxo Grammaticus tradit: qui autor est, hunc regem post uarios rerum euentus subegisse Anglos, ac ea conditione pacem dedisse Etheldredo regi: qui licet in Saxoniano codice haud rectè Adelstanus nuncupetur, ut post eius mortem, omnis hæreditas sibi succiniret: & Suenonem postremò Christianum effectum, multa pietate purgasse facinora, quæ in priore uita fecisset. Ita minus à ueritate abhorrent, ut Sueno Christiano more uiuendi finem fecerit, & Etheldredus decinde precario regnauerit: quando satis constat illum, postquam regno expulsus fuerat, non in exilio, sed in Anglia obijsse mortem. Cæterùm illud non omiserim, certum Suenonis pietatis argumentum specimenq; esse, quòd eo rege Daci Christianum dogma receperint. Polydorus Vergilius lib. 7 Anglicæ historiæ.

Cum moueret aduersus Stephanum Vngariæ regem seditionem Cupas, religionis causa, quam multi auersabantur: Cupas in acie cæsus est, ac corpus eius in quatuor dissectum partes, portis est affixum, ut exemplum horrendum reliquos à seditiosis motibus coherceret. Bonfin. lib. 1 Dec. 2.

Dum Andreas Pius Vngarorum rex pro Christiana religione plurimùm laboraret, Leuenta frater eius, regni consors, ex rebus humanis exemptus est. Is enim satis superq́ue Christianis infestus erat, neque Scythicas cęremonias, dirosq́ue mores facile exuere posse uidebatur. Quare ne instauratam à fratre religionem turbaret, diuinitùs intempestiua morte sublatũ esse, à cunctis creditum fuit: ut Bonfinius libro secundo, Decadis 2 scribit. Vngarorum etiam furentem multitudinem, uniuersam religionem deleri, & episcopos tolli petentem, durissimè exceptam fuisse, suprà ex eodem autore annotauimus.

Guilielmus Ruffus Anglorum rex, qui Anshelmũ sua dignitate exuerat, & cui, (ut Polydorus inquit) nihil potius fuit, quàm religionem negligere, quàm aliena rapere, quàm suos generatim persequi, ac exinanire: cui præterea nihil minus cordi, quàm

quàm regis officium facere, quod est populi commoda suis anteponere, amare cum pri mis bonos, odisse malos: & ut hos pœna, sic illos beneficio afficere. Quæ equidem maxime. In uenatione à quodam Gualtero Franco milite, parum cautè telum in cervum mittente, transfixus est: quo uulnere statim animam sine uoce, uno edito gemitu effla, ex equo delapsus est, Anno millesimo octogesimo primo, ut Polydorus libro decimo Anglicæ historiæ scribit.

Abbas Vngarorum rex, & sacerdotibus & regni primatibus, ob insignem crudelitatem exosus, à fratellitibus suis, bello ab Heinrico uictis, in fuga trucidatur: ut Bonfinius refert.

CAPVT IIII.

DE DOCTRINA.

EX libris eorum qui hoc seculo aliquid literis memoriæq; tradiderunt, quiq; ad hæc nostra tempora sunt adseruati, corpusculum quoddam doctrinæ nunc colligendum est. Nomina istorum sunt, Berno, Algerus, Bruno, Petrus Damianus, Leo nonus, Lãfrancus, Anshelmus, Meginhartus. Sed dolendũ est, Romani præsules cum suo Antichristiano impetu, corruptelis & falsis cultibus penè omnem eruditionem toto orbe terrarum extinxisse. Inde est, quod & authores pauci extant, & in ijs pleraque sint næuis ac falsis dogmatibus supra modum respersa atque fœda. Necesse tamen est, nos ueluti ex arenarijs quædam granula eluere atque colligere. Primarium autem hoc quidem seculo inter scriptores Ecclesiasticos tenet locum Anshelmus Cantuariensis.

Symbola autem retinuerunt uetera, quæ interdum repetiuerunt. ut Leo 9 in epistola ad Venetiarũ & Histrię episcopos, inquit: Fit miter credo, sanctam Trinitatem, Patrem & Filium & Spiritũ sanctum, unũ Deum omnipotentem esse, totumque in Trinitate Deitatem coessentialem & consubstantialẽ, coę ternam, & coomnipotentẽ utriusq; uoluntatis, potestatis, & maiestatis: creatoré omnium creaturarum, ex quo omnia, & per quem omnia, in quo omnia quę sunt in cœlo & in terra, uisibilia & inuisibilia.

Credo etiam singulas in sancta Ttinitate personas, unum Deum uerum, plenum & perfectum. Credo quoque ipsum Patris Filium, uerbum Dei, æternaliter nãtum ante omnia tempora de Patre consubstantialem, coomnipotentem & coæqualem Patri per omnia in diuinitate, temporaliter natum de Spiritu sancto ex Maria semper uirgine, cum anima rationali: duas habentem natiuitates, unam ex Patre æternam, alteram ex matre temporalem: duas uoluntates & operationes habentem, Deum uerũ & hominem uerum, proprium in utraque natura atque perfectum, non commixtionem atque diuisionem passum, non adoptatiuum, neq; fantasticum, unicũ & uerum Deum, Filium Dei in duabus naturis, sed in unius personæ singularitate passibilem, & immortalem diuinitate: sed in humanitate passum pro nobis, & pro nostra salute: passum uera carnis pasione, & sepultum, & resurrexisse à mortuis die tertia, uera carnis resurrectione. propter quam confirmãdam, cum discipulis nulla indigentia cibi, sed sola uoluntate & potestate comedisse, die quadragesima post resurrectionem cum carne, qua surrexit, & anima, ascendisse in cœlum, & sedere in dextra Patris, inde decimo die misisse Apostolis Spiritum sanctum: & inde, sicut ascendit, uenturum iudicare uiuos & mortuos, & redditurum unicuique secũdum opera sua.

Credo etiam Spiritum sanctum, plenum & perfectum, uerum Deum, à Patre & Filio procedentem, coæqualem, & coessentialem, & coomnipotentem, & coæternum per omnia Patri & Filio, per Prophetas locutũ. Hanc sanctam & indiuiduam Trinitatem, non tres deos, sed in tribus personis, & in una natura sint essentia: unum uerum Deum, omnipotentem, etenim inuisibilem & incommunicabilem, ita credo & confiteor, ut Patrem ingenitum, & Filium unigenitum, Spiritum sanctum nec ingenitum nec genitum, sed à Patre & Filio procedentem ueraciter procedere.

Credo sanctam Catholicam & Apostolicam, unam esse ueram Ecclesiam, in qua unus datur Baptismus, & uera omniũ remissio peccatorum. Credo etiam ueram resurrectionem eiusdem carnis, quam nunc gesto, & uitam æternam. Credo etiam noui & ueteris Testamenti, Legis, Prophetarum & Apostolorum unum esse authorem & Dominum omnipotentem Deum, indicasse solummodo bona, præsciuisse autem mala: gratiam Dei prçuenire, & subsequi hominẽ. Credo & confiteor, ita tamen ut liberum arbitrium rationali creaturæ non denegẽ animam, non esse partem Dei, sed ex nihilo creatam, & absq; baptismo originali peccato obnoxiam, credo & prædico. Porrò anathematizo omnem hæresin, extollentem se aduersus sanctam ecclesiam Catholicam: pariterq; eum, quicunq; aliquas scripturas prçter eas quas Catholica ecclesia recipit, in autoritate haben-

habendas esse credit, uel ueneratus fuerit. Quatuor concilia omnimodè recipio, & uelut quatuor Euangelia ueneror: quia per quatuor partes mundi, uniuersalis Ecclesia in his, tanquam in quadro lapide, fundata consistit.

Anshelmus istam Summam recitat. Credunt quidem unum, ac solum & perfectum esse Deum: nec ullam eum habere partem, sed totum esse quicquid est. Hunc quoque confitentur esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: ita ut si solus dicatur Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus, siue duo simul Pater & Filius, aut Pater & Spiritus sanctus, aut Filius & Spiritus sanctus: siue tres simul, Pater, Filius, Spiritus sanctus, idem totus perfectus designetur Deus: quamuis non idem significet nomen Patris, aut Filij, quod nomen Dei. Non enim idem est esse Deum, quod est esse Patrem, aut Filium. Nomen autem Spiritus sancti ideo, quia Spiritus sanctus alicuius intelligitur spiritus, pro relatiuo nomine ponitur. Nam quamuis Pater sit Spiritus, & sanctus: & Filius sit Spiritus, & sanctus: non tamen Pater alicuius est spiritus. Est enim spiritus Dei, & spiritus Patris & Filij. Quamuis enim Græci negent de Filio, illum procedere: non tamen negant, eum esse spiritum Filij. Credunt quoque & confitentur, Deum de Deo esse nascendo, & Deum de Deo esse procedendo, quia Filius Deus est de Patre Deo nascendo, & Spiritus sanctus est de Patre Deo procedendo. Nec putant alium esse Deum qui nascitur, quàm de quo nascitur: & qui procedit, quàm de quo procedit: quamuis secundum nomina significantia, quia est de quo aliquis nascitur, & est qui de aliquo nascitur, & est qui de aliquo procedit, pluralitatem admittat: secundum quam plures, & alij sunt ab inuicem, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. Nam cum dicitur Deus est pater, significat esse de quo aliquis nascitur: & cum nominatur Filius, intelligitur esse qui de aliquo nascitur: & quando Spiritus sanctus nominatur, quia non absolutè spiritum, sed spiritum Dei intelligimus, monstratur esse qui de aliquo procedit. Sed cum dicitur, quia Filius est de Patre, & Spiritus sanctus de Patre: intelligitur, quia hoc quod est Filius, aut Spiritus sanctus, habet de Patre. Sed alio modo intelligitur Filius esse de Patre, & aliter Spiritus sanctus. Filius enim est de Patre suo, id est, de Deo, qui est pater eius. Spiritus sanctus uerò non est de Deo patre suo, sed tantùm de Deo qui est Pater. Ergo Filius secundum quod est Deo, dicitur Filius eius: & ille de quo est pater eius. Spiritus sanctus autem non secundum quod est de Deo, dicitur filius eius, nec ille de quo est pater eius. Certum est etiam, quia Deus non est Pater, aut Filius, aut Spiritus sanctus alicuius, nisi Dei: nec ulla res est Deus, nisi idem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & sicut unus Deus est, sic unus tantùm Pater, unus Filius, unus Spiritus sanctus est. Vnde fit, ut non sit in illa trinitate Pater, nisi eiusdem Filij: nec Filius, nisi eiusdem Patris: neque Spiritus sanctus alicuius spiritus, nisi eiusdem Patris & Filij. Hæc itaque sola causa est pluralitatis in Deo: ut Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, dici non possit de inuicem: sed alij, sicut ab inuicem: quia prædictis duobus modis est Deus de Deo, quod totum potest dici relatio. Nam quomodo Filius existit de Deo nascendo, & Spiritus sanctus procedendo, ipsa diuersitate natiuitatis & processionis referuntur ad inuicem: ut diuersi & alij ab inuicem. Et quando substantia habet esse de substantia, duæ ibi fiunt relationes insociabiles: si secundum illas nomina ponantur substantiæ. Cum enim homo est gnendo de homine, dicitur homo de quo est homo, pater: & homo qui est de homine, filius. Impossibile igitur est, patrem esse illum filium, cuius pater est: & filium esse illum patrem, cuius filius est: quamuis pa trem esse filium, & filium esse patrem, nihil prohibeat, cum unus homo pater est, & filius: quoniam ad alium est pater, ad alium filius. Nempè cum Isaac sit pater Iacob, & filius Abrahæ, pater est filius, & filius est pater, sine repugnantia: quoniam ad alium pater dicitur, quàm ad suum patrem: & filius ad alium, quàm ad suum filium. Patrem autem esse in eodem illius filium, cuius pater est: aut filium esse illius patrem, cuius est filius, non est possibile. Ita ergo in Deo, cum Deus sit Pater, & Filius, & Spiritus sanctus: nec sit Pater, nisi eiusdem Filij: nec Filius, nisi eiusdem Patris: nec Spiritus sanctus alicuius, nisi eiusdem Patris & Filij: Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus: Filius non est Pater, aut Spiritus sanctus: nec Spiritus sanctus est Pater, aut Filius. Quippe quoniam filius de Patre, & Spiritus sanctus de Patre: nec ille de quo est aliquis, potest esse ille qui de se est: nec ille qui de aliquo est, ualet esse is de quo est, sicut iam dictum est. Idcirco nec Pater est Filius aut Spiritus sanctus: nec Filius siue Spiritus sanctus est Pater. Filius autem, ut interim aliam causam dicam, quoniam nondum constat quòd Spiritus sanctus de illo sit & procedat: ideò nō est Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus est filius: quia Filius nascēdo habet de Patre, Spiritus sanctus uerò nō nascendo, sed procedendo. nec Filius potest esse suus spiritus,

spiritus, nec Spiritus sanctus ualet esse ille cultus spiritus est.

DE VERBO DEI.

VErbo Dei credendum esse, & ijs quæ ex Scriptura sequuntur, docet Anshelmus. Non tantùm, inquit, suscipere cum cerebrositate debemus, quæ in sacra Scriptura leguntur: sed etiam ea quæ ex his, nulla apparente contradicente ratione, rationabili necessitate sequũtur. in epist. de processione Spiritus sancti, contra Græcos.

Quis det effectum Verbo, Anshelmus inquirit: Nihil, inquit, foris proficit sermo doctoris, si Deus intus cor non tetigerit audientis. ad Rom. cap. 10.

De effectu uerbi inquit Anshelmus: Quã quis quotidie ex Scripturarũ proficit lectione, tantò altius intellectus eius ascẽdit: semper & quotidie magis nouus efficitur, & secũdum hanc pulchritudinem reformatur ad imaginem Dei. in 12 caput ad Rom. Item: Thesaurus iste uerbum Dei est, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, qui est absconditus in humana carne. in 13 cap. Matth. Item: Quantò opulentius nutrimur in sacra Scriptura, ex his quæ per obedientiam pascunt: tanto subtilius proficimus ad ea quę per intellectum satiant. in lib. de incarnat. uerbi, cap. 2. Item: Nos in Adam à uisione pacis, quod Ierusalem interpretatur, recesseramus, ac in huius exilij uastas inquietudines decideramus: & ad æterni supplicia nihil pacificum ultrà uisuri properabamus. Verbum autem Dei, per quod facta sunt omnia, nos misericorditer ad uisionẽ pacis reuocans, reducere uolens, descendit ad nos, ut ad ipsum nequibamus ascendere: & ita suscepta in se nostra humanitate, tetendit ad supernam Ierusalem, ubi semper uera pax cernitur. & illuc nobis uiam aperuit: & quia electos homines sua membra fecit, in ipsis membris suis adhuc quotidie uadit in Ierusalem, dum electos suos ab hoc exilio reducit ad patriam, in qua pax regnat sine ulla inquietudine carnis aut spiritus. in Euangel. enarrat.

Per uerbum homines fiunt boni, & bonos fructus adferunt. Nã Anshelmus ait: Si cor terra innumerabiles herbas & arbores, siue quibus humana natura alitur, aut etiam quibus perimitur, sine omnis hominis cura profert: illa uerò quæ nobis ad uitam nutriendam maximè sunt necessaria, non sine magno labore atq; cultore, nec absque seminibus: ita corda humana sine doctrina, sine studio sponte quasi germinant cogitationes & uoluntates nihil utiles saluti, aut etiam noxias: illas uerò sine quibus ad salutem animæ non proficimus, nequaquam sine generis sui semine, & laborioſa cultura concipiunt & germinant. in lib. de concordia præscientiæ & prædest. & gratia Dei, & libero arbitrio. Item: Sicut Deus in principio per miraculum fecit frumentum, & alia de terra nascentia, ad alimentum hominum, sine cultore & seminibus: ita sine humana doctrina, mirabiliter fecit corda Prophetarum, necnon & Euangelistarum, fœcunda salutaribus seminibus. ibidem.

DE SCRIPTVRA.

DE ueritate Scripturæ ait Anshelmus. Nos credimus ueras esse Scripturas, quas Iudęi tradiderũt nobis: & à nulla alia gente libros diuinæ autoritatis recipimus. in 3 cap. ad Rom.

De utilitate & ui scripturę Sanctæ, inquit Berno: Inter uarios rerum euentus, qui humanę solent fragilitati accidere, potentissimum ac speciale quoddam reor esse solatium, sanctarum meditationẽ Scripturarum: quod & Apostolica testari uidetur authoritas, dum dicit: Quæcunque enim scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt, &c. Hęc est illa mensa, cœlestiũ dapium ferculis referta, quæ lassis requiem, infirmis sanitatem, lapsis recuperationem, stantibus in fide confert fortitudinem: ut iuxta uocem Esaię, mutata fortitudine, ac adsumptis pennis aquilę possint uolare, & non deficere. De hac etiam sacrę Scripturę mensa, dicit ad Dominum Psalmista: Parasti in conspectu meo mensam, aduersus eos qui tribulant me. in epistola ad Eberhardum pręsulem. Item in sacris eloquijs pendent totius nostræ salutis munimina. Ser. 3, de S. Mar. euangelio.

De ueteri Testamento.

ANshelmus inquit: Vetus Testamentum in his tribus completur, scilicet in Lege Moysi, Prophetis & Psalmis. in 14 cap. Matth. Item: Propter ueteris hominis noxam, quę per literam iubentem & minantem minimè sanabatur, dicitur illud Testamentum uetus: hoc autem Nouũ, propter nouitatem spiritus, qui hominem nouum sanat à uitio uetustatis. in octauũ caput ad Hebręos.

De nouo Testamento.

ANshelmus ait: Per scripturam noui Testamenti, non solùm carnis desideria calcare, sed & facultates temporales, quæ per terram significantur, derelinquere præcipimur. in Matth. cap. 15. Itẽ: Nouum Testamentum dicitur æternum, quia aliud ei non succedet, sicut idẽ nouum successit ueteri. in 13 cap. ad Heb.

Nouum

Nouum Teſtamentum exhauriri nequit. Anshelmus: Nullus, inquit, tã perfectus eſt, qui in nouo Teſtamento non inueniat, unde ſemper proficere poſsit, quamdiu uiuit. In epiſt. ad Heb. cap. 8.

De collatione & doctrina ueteris & noui Teſtamenti, inquit Algerus: Notandum eſt, quia in ueteri Teſtamento dedit Deus tantùm figuræ umbram, in nouo ueritatem cum figura: in futuro dabit ueritatem non cum figura, ſed manifeſtam, ut tali profectu temporum nos perfectæ ueritati uiciniores oſtenderet, quibus poſt umbratam ueritatẽ nihil niſi eandem manifeſtam dari reſtaret. Vetus enim Teſtamẽtum ueritatem promiſit, non dedit: nouum dedit, ſed nõ oſtendit. Quid reſtat, niſi ut eadem ueritas in alia uita manifeſtetur? Lib. 1, cap. 8, de Euchariſtia.

Anshelmus ait: Tria ſunt in ueteri lege, moralia præcepta, figuræ in ſacrificijs, ꝓmiſsiones: ut, Ecce uirgo concipiet. Præcepta erãt initialia & imperfecta, & quædam ꝓpter fragilitatẽ hominũ permittentia. Illa impleuit Chriſtus, dũ imperfectionem ſuſtulit, & promiſsiones deſtruxit. Vt eſt dilectio proximi, quæ præcipitur in lege, ſed non perfectè, quia inimicus odio haberi permittitur. Ecce illud malum quod tolerabatur, deſtruxit: & omnis proximus diligi pręcipitur in Matth. cap. 5. Item: Lex ſcripta eſt in lapide, cuius ablato tegmine, oſtenſa eſt gloria reſurrectiõis Dominicę. In Matth. cap. 28. Item: Quantum diſtat inter umbrã & corpus, tantum inter illa quæ fiebant in ueteri Teſtamento, & ea quę fiunt in nouo. In epiſt. ad Rõ. cap. 7. Item: Hæc differentia eſt ueteris atq; noui Teſtamenti, quòd illud in lapide, hoc in corde ſcribitur: ibi merces terra eſt, hîc uiſio Dei. In 8 cap. ad Heb. Item: Bene congruit nouum Teſtamentum ueteri: quia illud incipit à generatione primi hominis, & creatione mundi: iſtud ſimiliter à generatione ſecundi hominis, & reſtauratione mundi. Illud uocatur Geneſis, iſtud Liber generationis. Illud agit de præceptis, ſed imperfectis: iſtud uerò de inſtitutionibus & perfectis. Illud de ſacerdotio & hoſtijs, ſed figuratiuis: iſtud uerò de quodam ſacerdote, ſcilicet uero, ſed & quadam hoſtia perfecta, cæteras complente. Illud agit de liberatione Aegypti: iſtud de liberatione inferni. Illud agit de introductiõe in terrã ꝓmiſsã: & iſtud de introductione noſtrę captiuitatis in cœlum. Sed hęc generatio eſt oppoſita priori, quia illa duxit nos ad damnatiõem, iſta ad reparationem.

Illa de paradiſo expulit, iſta reduxit. In capite primum Matthæi.

REGVLAE ET PHRASES

Scripturæ ſacræ.

BErno ait: Sacra ſcriptura non ſolùm in parte totum, ſed etiam aliquando ex toto partem ſignificat. In tract. de Aduentu Domini.

Anshelmus ait: Et uetus Scriptura perſer mentum deſignat peccatum, quæ execra- tur in paſcha ſuo comedere fermentatum. Et noua, dum monet nos in paſcha noſtro epulari non in fermento ueteri, neque in fermento maliciæ & nequitiæ. In epiſt. de ferment. & azy. Item: In Scriptura ſacra, res una & eadem multoties inuenitur diuerſa ſignificare: ſicut leo, hœdus, ignis, aqua, uel etiam ſol, & alia multa. In Homilia. Item: Non eſt conſuetudinis Scripturarum, geneologias texere per fœminas. In enar. Euang. Item: Apud Hebræos generationum nomina, nunc ſecundum naturam, nunc ſecundum legem computãtur. Secundum naturam, cùm ex ſeminis ueritate deſcendunt: ſecundum legem, cum quis filius alij generatione ſubſtituitur, ſub nomine fratris defuncti ſine liberis. Nam & ille defunctus non falsò dicitur pater filij huiuſmodi. Alter ergo duorum patrum Salathiel intelligitur ſecundum carnem: alter ſecundum legem, uel ſecundum adoptionem. In enar. Euang. Itẽ: Pars annorum in Scripturis ſanctis aliquando ponitur, & pars omittitur, ſicut oſtendit Liber generationis. Filius unius anni erat Saul, cum regnare cœpiſſet: duobus autem annis regnauit ſuper Iſrael. In enar. Euang.

Et ſępiſsimè in Scripturis uerba Domini primò ad ipſum Dominum referuntur, & deinde ad Eccleſiam, quæ eſt corpus eius: uel ad aliquem electorum, qui eſt membrum eius. uelut cum dicitur, Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, & his ſimilia. Anshelmus in enar. Euang. Et: In diuinis Scripturis inuenimus nonnullos binis, alios etiam ternis uſos eſſe nominib. ſicut Sedechiam, eundemq; Ioachim: ſicut Oziam, eundemq; Azariam: ſicut Salomonem, eundemq; Ididam, ſiue Eccleſiaſten, aliosq; ꝓplurimos. Sed nec Apoſtolis Chriſti iſte mos defuit. nam unus ex eis uocatus eſt Matthęus & Leui, alius aũt Lebbęus & Iudas atq; Thadæus. Quia ergo moris erat, binis uel ternis nominibus uti Hebręos, uidetur & hîc Apoſtolus duplici uſus eſſe uocabulo: & donec quidem genti proſelytis miniſtrabat, Saulus eſſe uocatus, quia hoc magis appellationi patriæ uernaculum uidebatur: Paulus autem, cum Græcis & gentibus leges & præcepta daret. In 1 cap. Matth. Et perſpicuum eſt, Apoſtolos in interpretatione ueterum Scripturarũ ſenſum quęſi-

quæsisse,nõ uerba: nec magnopere de ordine sermonib.q; curasse, cũ intellectui res pateret. Idem cap. 9 ad Romanos. Item: Quia omnes pœnitentes mutare solent illud, unde pœnitentiam agunt, pœnitentia pro mutatione,ut causa pro effectu,poni consueuit. Vnde Scriptura testatur, Dominum pœnituisse, quòd constituisset Saul regem: & diuisse de his quos in diluuio erat deleturus, Pœnitet me fecisse eos. In 11 cap. ad Rom. Et: Scriptura sacra duobus modis maledictum memorat: aliud uidelicet quod approbat,aliud quod damnat. Aliter enim maledictum profert iudicio iustitiæ, aliter liuore uindictæ. Maledictum iudicio iustitiæ profertur,sicut Abrahæ dicitur: Maledicam maledicentib. tibi. Rursum,quia maledictum liuore uindictæ promittitur,Apostolus nũc admonet,Benedicite (inquiens) & nolite maledicere. Deus ergo maledicere dicitur,et tamẽ maledicere homo ,phibetur: quia quod homo ait malicia uindictę,Deus nõ facit nisi examine & uirtute iusticię. idẽ ad Rom. 15 cap. Item: Scriptura diuina interdũ tenet proprietates,interdum abusiuè & prodigia pro signis, & signa pro prodigijs ponit. ibidem.

Et: Sic solet loqui Scriptura sacra, ut res significantes, tanquam illas quæ significantur, appellet. Omnia enim significantia uidentur quodammodo earum rerum, quas significant,gerere personas: & ideo tanquã hoc esset, dictum est, Petra erat Christus: quod utiq; per substantiam non hoc erat, sed per significationẽ, propter firmitatẽ petræ dictus est. in 10 cap. prioris ad Corinth.

Et: Cauendum est,ne figurata locutio ad literã accipiatur. Cũ enim figuratè dictum sit, secundũ hoc accipitur, tanquam propriè dictum sit, carnaliter sapitur. Anshel. in 3 cap. post. ad Corinth. Item: Omne, in Scripturis sanctis, non semper plenariam uniuersitatem significat, sed aliquando quandam multitudinem. In 3 cap. poster. ad Thess. Et: Sed nec in Scriptura uocãtur, nõ qui sola quantitate temporum, sed qui morum grandæuitate maturi sunt: iuuenes aũt, qui nulla consilij grauitate deprimũtur. In 5 cap. prior. ad Corinth. Itẽ: Scriptura sacra omnes carnalium sectatores, humanitatis nomine solet notare. In 6 cap. prior. ad Timoth.

Et: Sola Christiana doctrina,ab omni lãguore uitiorum & errorum sanat. In 2 cap. ad Tit. Et: Consuetudo legis est, ut sacrificium quod pro peccatis offertur, appelletur peccatum. In 9 cap. ad Hebr. Item: discipli nam, quam Græci παιδείαν appellant, ibi Scripturæ sacræ ponere consueuerunt, ubi intelligẽda est per molestias eruditio, sicut in hoc loco. in 12 cap. ad Hebr.

Anshelmus ait,Scripturã de quadruplici uoluntate loqui: uidelicet, efficiente, approbante, concedente, & permittente. Et cõsiderandum est, quia uolumus aliquando ita,ut quod possimus faciamus, ut sit quod uolumus: uelut cum æger uult salutem. facit enim ut sit sanus,si potest. Et si nõ potest, faceret,si posset. Hęc uolũtas potest uocari Efficiens: quoniam quantũ in ipsa est, efficit ut sit quod uult. Volumus autem aliquando,quod possimus facere,nec facimus: & tamen si fit, placet nobis, & probamus. Si enim dicat mihi pauper nudus,quẽ ego nolim uestire, ideo se nudum esse,quia ego illum nudum esse uolo, aut quia nolo illum esse indutum: respondebit, quia uolo illum esse indutum, & non esse nudum: & magis approbo quòd sit indutus, quàm ut sit nudus, quamuis non faciam illum esse indutum. Hæc uoluntas, qua sic illum esse uolo indutũ, Approbans nominari potest. Volumus etiã alio modo,ut si creditor uult indulgẽdo à debitore ordeum accipere pro frumẽto, qđ reddere debitor nequit. Hanc uoluntatem possumus uocare Concedentem tantùm. mallet enim ipse frumentum: sed propter indigentiã cõcedit, ut debitor ordeũ reddat. Habet etiã frequẽs usus,ut dicatur aliquis uelle, qui nec approbat, nec cõcedit: sed tãtũ pmittit, cũ prohibere possit. Nã cũ princeps in potestate sua nõ uult cohibere latrones & prædones,clamamus, illũ uelle mala quę faciũt,quãuis illi displiceãt, quoniã uult ea permittere. Omnis aũt uolũtas in hac diuisione quadripertita mihi uidetur contineri. Ex quib. quatuor uoluntatis diuersitatib. illã quidẽ quã uocaui Efficientẽ uoluntatẽ, quod uult quantum in ipsa est, facit & approbat, atq; concedit ac permittit. Approbans aũt nõ facit, quod uult: sed tantũ approbat, & concedit atq; permittit. Cõcedens uerò,nec facit nec approbat quod uult, nisi ,ppter aliud: sed tantũ cõcedit atq; permittit. Permittens aũt, nec facit, nec approbat, nec concedit quod uult: sed solũmodo permittit, quamuis reprobans. Istis diuersitatibus uolendi omnibus utitur diuina Scriptura. Vnde pauca ponam exẽpla. Cum enim dicitur de Deo, Omnia quæcunq; uoluit fecit: &, Cui uult miseretur: Efficiens est uolũtas, & est in primo uolẽdi esse, ad similitudinẽ faciẽdi esse: quia uult hoc ipsum, qđ uelle dicitur. Quãdo aũt legitur, Quẽ uult indurat: Permittẽs uoluntas est, & est in secundo modo uolendi esse: quia ideo dicitur uelle esse durum, quia non uult efficiente uoluntate non esse durũ: id est, nõ uult facere nõ durũ. Quod si dicimus, ideo uelle indurare, quia non uult mollire: erit idẽ sensus, & erit similiter

pmittēs, ſed erit in quarto modo uolendi eſſe. ideo enim dicitur uelle indurare, quia non uult aliud eſſe: id eſt, mollitū eſſe. Nā quia mollit, facit mollitum eſſe, & durum non eſſe. Cum autem audimus, quia Deus uult omnē hominem ſaluum fieri, Approbans uoluntas eſt: & ſicut uelle iudicare erit in ſecundo modo uolendi eſſe, quia non uult facere ſaluū: & in quarto modo, quia non uult aliud eſſe: id eſt, non uult efficiente uoluntate hominē damnari: id eſt, non uult facere unde damnetur. Quod dictū èſt cōtra eos, qui dicūt uolūtatem Dei cauſam eſſe quòd nō ſint iuſti, ſed iniuſti: & quòd non ſaluantur, cùm iniuſticia, pro qua dānantur, ab ipſis ſit, nec deſcēdat à uolūtate Dei. Si dicimus, quia uult Deus uirginitatē ſeruari, in illis q, facit eā ſeruare, uolūtas Efficiens eſt, in primo modo uolēdi eſſe: in alijs uerò eſt Approbās, quia nō uult eā efficiēti uolūtate non ſeruari, quod eſt in ſecūdo modo: aut quia nō uult eam uiolari, quod eſt in quarto modo. Velle eſſe eiſdē ſex modis dicimus, quib. facere eſſe. Similiter uelle nō eſſe totidē diuerſitatib. quot facere eſſe nō dicimus. Aliquādo uolumus aliquid propter ſe, ut cū uolumus ſalutem: aliquando propter aliud, ut cum amare potionem propter ſalutem.

Item: Proprio filio ſuo non pepercit, &c. Quæcunq; de Chriſto dicuntur ex his quæ dicta ſunt ſimilia, ſic ſunt exponēda, ut nulla neceſsitate, ſed libera uoluntate mortuus credatur, erat namq; omnipotens: & de illo legitur, quemadmodū oblatus eſt, quia ipſe uoluit. lib. 1. cur Deus homo, cap. 10. Et: Sæpè utiq; diuina Scriptura aſſerit aliquid eſſe, quando nō eſt: idcirco, quia certū eſt futurū eſſe, ſic quippe Deus Adæ de ligno uetito dicit: In quacunq; die comederis ex eo, morte morieris, non quòd eo die mortuus ſit corpore, ſed quoniam die illa neceſsitatem accepit aliquādo moriendi. In lib. de concep. uirginal. Itē: Solemus localia uerba ſæpè irreprehenſibiliter attribuere reb. quæ nec loca ſunt, nec circūſcriptione locali continētur. uelut ſi dicam, ibi eſſe intellectum in anima, ubi eſt rationalitas. In lib. Monolog. cap. 23.

Sequitur ſecundū unitatis Dei, quæ nullas habet partes, proprietatē: ut quicquid de uno Deo, qui totus eſt quicquid eſt, dicitur, de toto Deo patre dicatur, & de Filio, & de Spiritu ſancto: quia unuſquiſq; ſolus, & totus, & perfectus Deus eſt. Anshel. in epiſt. de pro. Spiritus ſancti.

Fides Chriſti, Chriſtus eſt in nobis, qui per fidem habitat in cordib. noſtris. Et hoc eſt fundamentum, ex quo ſurgit totū bene uiuendi ædificium. Neq; enim fides hæc intelligēda eſt ociosa: ſed quicquid boni poterit, operabitur per dilectionē. Non enim fides dæmonum, qui & credunt & contremiſcunt, ac filiū Dei confitentur IESVM, poteſt accipi in fundamētum: quia non eſt quæ operatur per dilectionem, ſed quę exprimitur per timorem. Fides itaq; Chriſti fides gratiæ Chriſtianæ: id eſt, ea fides quę per dilectionem operatur, poſita in fundamento, neminem perire permittit. Anshelmus in 3 cap. prior. ad Corinth.

Idolum eſt ſimulachrum, humana effigie, uel belluina, ſeu uolucrina factum & conſecratum: iuxta uocabuli ſui interpretationem. Eidos enim græcè, latinè forma ſeu ſpecies interpretatur. Et inde per diminutionē dicitur εἰδωλον, id eſt formula. & quia idolū (ut Apoſtolus nunc dicit) nihil eſt, idolum facit, qui illud facit quod non eſt. Quid eſt autem quod nō eſt? Species quam nō uidet oculus, ſed ipſe ſibi animus fingit. Anshel. in 8 cap. ad Corinth. prioris epiſt.

Simulachrū uerè nihil eſt: ſed ſub tegmine ſimulachri diabolus colitur. Gētes imolāt dęmonijs. Anshelmus in decimo cap. prior. epiſt. ad Corinth.

¶ Meginhardus inquit: Soléne id Apoſtolo eſt, ſuo quodāmodo trāslatiuis nominib. rē prętentiſsimè exponere. uelut ad Colosſēſes ſcribēs, de Chriſto ait: Quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Corporale utiq; propriè aliquid dicitur, cum de corporib. agitur. Diuinitas porrò quomodo corporaliter inhabitat? neq; enim corpus eſt: ſed trāslato uocabulo rē aperuit. Nā quia Sacramēta ueteris Teſtamēti appellat umbras futuri, propter umbrarū cōparationē corporaliter dixit habitare in Chriſto plenitudinē diuinitatis: quòd in illo impleantur omnia q̄ illis umbris figurata ſunt, ac ſi quodāmodo umbrarū illarū ipſe ſit ueritas. Sic ergo figurę ſignificatiuę trāslato uerbo uſus eſt, ut ſic accipias corporaliter, ac ſi diceretur, ſolidè & ueraciter. ad Guntherū, de fide. Item: Ad Corinthios loquens Paulus, cum hanc ipſam fidei immobilē certitudinē, & quaſi ſubſtantiā commendaret, inter cætera etiā hæc ſubiecit: Itaq; ex hoc neminē nouimus ſecundū carnem. Num quid'nam è uita iam exceſſerant, & carnis mortalitatem exuerant, quos tam inſtāter ad carnis edomationem, & uitę correctionis habitum prouocat? Absit. Sed quia illorum ſecum uitam futuram tanquam præſentem meditabatur, qui reſurgentes commutabūtur, Ex hoc (inquit) neminem nouimus ſecundum carnē: id eſt, certā ſpem tenemus futuræ noſtrę incorruptiōis & immortalitatis, ut iā in ipſa noticia gaudeamus: & non in hac carne morta-

li,

h, sed in sola illius expectatione uiuamus. Ibidem, ad eundem, de fide.

DE DEO.

DEum non posse sensib. comprehẽdi, Algerus monet. Non decet (inquit) ut bestiali sensu, uel modico intellectu no-bis, quo nec terrena ista scire sufficimus, im-dere uelimus: cũ ipsi angeli, qui adhuc no-bis superiores sunt, in eum desiderent pro-spicere: nec tamen immensitatem eius ma-jestatis ualeant penetrare, quamuis eum si-cor est, facie ad faciem contemplentur, & eius manifesta gloria satientur. Quæ enim creatura, cùm circumscripta sit, immensum possit comprehendere? Si enim aliquate-nus comprehendi potest, immensum non est. In prologo lib. 1 de Eucharistia.

Vnde noticia Dei. Anshelmus: Ostende nobis Domine faciem tuã, & salui erimus. hoc est: Dona nobis cognitionem tuã, quæ cognitio per filium hominis, hominibus in-notuit, ipso dicẽte in Euãgelio: Nemo no-uit patrẽ nisi filius, & cui uoluerit filius re-uelare. de Vestiment. Item: Sicut quædam res, cũ nõ uideãtur, per odorẽ tamẽ agno-scitur: ita & Deus, qui inuisibilis est, per Euãgelicã prędicationẽ uoluit agnosci, quę inuisibiliter ad aures, sicut odor ad nares, peruenit. Anshel. in 2 cap. post. ad Corinth.

Deum ita describit Anshelmus: Quare est quædã natura, uel substãtia, uel essen-tia, quæ est per se bona uel magna: & per quod est, id quod est: & per quã est, quicquid uere aut bonum aut magnum aliquid est: & quæ est summum magnum, summumq; bonum, summum ens siue existens: id est, summum omnium quæ sunt. In Monolo. cap. 4. Itẽ: An inuenisti anima mea quod quærebas? Quærebas Deũ, & inuenisti, cũ ipse quiddam summum omnium, quo ni-hil melius cogitari potest. Et hoc esse uitam ipsam, lucem, sapientiam, bonitatem, ęter-nam beatitudinem, & beatã æternitatẽ: & hoc esse ubiq; & semper. In Prosol. cap. 14.

Aeternus. Anshelmus: Quòd Deus sit sine principio, & sine fine, docet prolixè in Monologio, cap. 17.

Omnipotens. Petrus Damianus inquit: In dubitali fide credendum est, omnia Deũ posse, siue faciat, siue nõ faciat. Et quod ma-jum est, potius debet dici nihil, quàm ali-quid. Atque ideo nihil præiudicat, si dica-mus Deum omnia posse, licet mala nõ pos-sit. In epistola ad Nicolaum Papam. Item: Constanter & fideliter asserendũ est, quòd Deus sicut omnipotens dicatur, ita sine ulla prorsus exceptiõe ueraciter sit omnipotẽs, siue in his quę facta sunt, siue in his quæ fa-cta non sunt. Ibidem.

Immutabilis. Anshelmus: Illud sine du-bio uerum est, quia de summè incommuta-bili natura nihil potest dici, unde mutabilis possit intelligi. In Monoloquio, cap. 24.

Impassibilis. Anshelmus: Diuinam na-turã absq; dubio asserimus impassibilem, nec ullatenus posse à sua celsitudine humi-liari, nec in eo quod uult facere, laborare. lib. 7. cur Deus homo, cap. 8.

Misericors. Anshelmus: Sed & miseri-cors simul, & impassibilis quomodo es? Nã si es impassibilis, nõ cõpateris: si non com-pateris, non est tibi miserum cor ex cõpas-sione miseri: quod est, esse misericordem. At si nõ es misericors, unde miseris est tan-ta consolatio? Quomodo ergo es, & nõ es, misericors Domine? nisi quia es misericors secundum nos, & non es secundum te? Es quippe secundum sensum nostrum, & non es secundũ tuum. Etenim cũ tu respicis nos miseros, nos sentimus misericordis effectũ: tu non sentis affectũ, & misericors es: igitur quia miseros saluas, & peccatorib. tuis par-cis, & misericors nõ es, quia nulla miseriæ cõpassione afficeris. In Prosologio, cap. 8.

Rex. Bruno: Deus rectè dicitur rex cœli & Israël, quia ipsos propitius regit, qui eũ puro corde respiciunt. In Psal. 89.

Est uindex. Bruno: Magnalia Deus fe-cit, quoniam ad uindicandum fortis est, si-cut in Adam: & ad liberandum nullus ei si-milis inuenitur, sicut in latrone. Deus quo-que in operibus suis cognoscitur singu-laris esse. ideo dicitur: Quis similis tibi? Psal. 70.

Non est in loco. Anshelmus: Non es ta-men in loco aut tempore, sed omnia sunt in te: nihil enim te continet, sed tu contines omnia. In Prosolo. cap. 19.

Vbiq; est. Anshelmus: Deus totus est u-biq;. In 5 cap. Matth. Item: Idem est esse Dei, & potestas eius. Sicut itaque potestas Dei est semper, & ubique: ita quicquid est Deus, semper & ubiq; est. In libro de incar natione uerbi, cap. 4.

DE TRINITATE.

ANshelmus ait: Quòd dixi, summam Trinitatem posse dici tres substãtias: Græcos secutus sum, qui confitentur tres substantias esse in una persona, eadem fide, qua nos tres personas in una substantia. Nã hoc significat in Deo per substãtiam, quod nos per personã. In præfat. lib. Monolog. Item: Sic est alius pater, alius filius: ut cũ ambos dixerim, uideam me duos dixisse. Et sic est idipsum quod est & pater & filius, ut nõ intelligã quòd duos dixerim. Quam-uis nãq; singulus pater sit perfectè summus spiritus, sic tamẽ unus idẽq; est summus spi-

ritus,& ſpiritus filius,ut pater & filius. idem in Monologio,cap.42. Et: Quid prohibet concludi,quia unus tãtùm eſt in ſumma eſſentia pater,unus filius,unus ſpiritus:& non tres patres,aut filij,aut ſpiritus? ibidem cap. 59. Item: Non idcirco dicuntur tres perſonæ,quia ſint tres res ſeparatæ, ſicut tres homines: ſed quia ſimilitudinem habẽt quandam cum tribus ſeparatis perſonis. Idem in libro de Incar. uerbi, capite ſexto. Item: Originem perſonarum in Trinitate naturali exemplo probat,ſumpto uidelicet à fluuio Nilo,ex quo oriatur fons uiuus,& lacus. ibidem capite ſeptimo. Et: Ideo tota Trinitas hîc demonſtrata eſt,pater in uoce, ſpiritus in columba, filius in homine, ut tota Trinitas in ſingulis baptizatis operari creda tur. Voluit ergo Spiritus ſanctus potius in columbæ ſpecie apparêre,ut perfectam ſpeciem ſui doni in baptizatos denotaret. Confert enim in baptiſmate nocẽtibus innocentiam, & ſimplicitatem: quòd per innocentem ſimplicẽ auem,quæ felle caret, deſignatur. idem in 3 cap. Matthæi. Item: In eo quòd pater in uoce ſonat,& Spiritus ſanctus in columba deſcendit, filiusque baptizatur in homine, Trinitas euidenter declaratur,in cuius nomine & fide unuſquiſque noſtrũm baptizatur. in Enar. euang. Item: Gratia uobis & pax à Deo patre noſtro,&c. Tota Trinitas in hac ſalutatione ponitur,dum pater & Chriſtus apertè antè nominãtur,& Spiritus ſanctus gratia & pace ſignificatur. Nullo enim modo dari hominib. gratia poteſt, qua liberamur à peccatis, & pax qua reconciliamur Deo,niſi in Spiritu ſancto. in primũ cap. ad Roman.

DE VNITATE.

HAs tres perſonas eſſe unicum ſolũ Deum,Berno docet,inquiẽs: Sicut in hac trium literarum copulatione,diuiſio non admittitur,ut pax adimpleatur: ita nec ſancta Trinitas in diuinitatis ſubſtantia ullam diuiſionem patitur, ut Pater & Filius & Spiritus ſanctus rectè credatur. Sermone ſeptimo, de S. Marco. Et: Sit doxa Deo genitori, eius genitæ quoque proli,ac ſpiritui ſimul almo, manet hic Deus unus in alto, Amen. In Hymno ad Quadrageſ. ad noctem. Et: Vox ergo patris intonat, baptiſma proles conſecrat, formam columbæ ſpiritus, ſumit ſacer paraclitus. Et: Sit Trinitati gloria, honor, poteſtas inclyta,uni Deo per omnia,in ſeculorum ſecula. In Hym. in octa.epiphan.

Anſhelmus inquit: Quoniam Arriani, qui gradus in Trinitate facere uolunt, calumniantur, quòd Pater primùm nominetur, ſecundò Filius, tertiò Spiritus ſanctus: idcirco Apoſtolus mutauit hunc ordinem, ut primùm Spiritum: deinde Dominum, id eſt Filium: tertiò Deum, id eſt Patrem ponaret. Et dum dicit, Idem Spiritus, idem Dominus,idem Deus: eandem prorſus ſubſtantiam trium perſonarum oſtendit, uel contra Macedonium & cæteros hæreticos, qui Spiritum ſanctum negauerunt eſſe Deum, poteſt de ſolo Spiritu intelligi rotum, ut & Dominus & Deus ab Apoſtolo nominetur. in duodecimum caput prior.ad Corinthios. Item: Aduerſus impietatem Arrianorum, nouum nomen patres addiderunt ὁμοούσιον: ſed non rem nouam tali nomine ſignificauerunt. Hoc enim uocatur ὁμοούσιον, quod eſt, Ego & pater unum ſumus: unius uidelicet eiuſdemque ſubſtantię. in ſextum caput prioris ad Timotheum. Et: Quomodo Pater Filij, & Filius Patris ſit eſſentia, pluribus oſtenditur uerbis, quàm ut hîc breuiter poſſit ſcribi. In Monologio,capite 43. Eſt enim totus Pater in Filio,& communi Spiritu: & Filius in Patre,& eodem Spiritu: & idem Spiritus in Patre & Filio. ibidem capite 57. Et: Vnus ergo pater, non plures patres: unus Filius, non plures filij: unus procedens Spiritus, non plures procedentes Spiritus, ſunt in ſumma eſſentia. ibidem capite ſexageſimoprimo. Item: Poteſt ergo,ac neceſſitatis ratione irreprehenſibiliter, illa ſumma & una Trinitas, ſiue trina unitas, dici una eſſentia, & tres perſonæ ſiue tres ſubſtantiæ. ibidem capite ſeptuageſimoſexto. Et: Verè igitur hic eſt non ſolùm Deus,ſed ſolus Deus ineffabiliter trinus & unus. ibidem capite ſeptuageſimoſeptimo. Item: de incarnatione uerbi cap. 2. Homo aſſumptus eſt à uerbo, non perſona: id eſt, alia natura, non alia perſona eſt aſſumpta. Et: Credimus & dicimus,quia Deus eſt Pater, & Deus eſt filius: & conuerſim,Pater eſt Deus, & Filius eſt Deus: & tamen nec credimus nec dicimus plures eſſe deos,ſed ita unũ eſſe Deum numero, ſicut natura: quamuis Pater & Filius non ſint unus, ſed duo. ibidem cap. 3. Item: Quæro, an ſit Chriſtianus, reſpondebit, ut æſtimo, hic ſe eſſe. Ergo credit unum eſſe Deum,& ipſum eſſe tres perſonas. id eſt, Patrem & Filium & Spiritum ſanctum: & Filij perſonam ſolam incarnatam, alijs tamen duabus cooperantibus. Qui autem ita credit, affirmat eum non eſſe Chriſtianum, qui aliquid uult aſſerere contra aliquid horum. Si ergo iſte ita credit, negare eum eſſe Chriſtianum, quia contra hoc diſputat.ibidem capite tertio. Et: Quòd utique Deus una & ſola, & indiuidua & ſimplex ſit natura, & tres perſonæ, ſanctorum patrum,& maximè beati Auguſtini poſt Apoſtolos & Euangeliſtas, inexpugnabilibus rationibus diſputatum eſt. ibidẽ cap. quarto. Et:

Et: Quòd Pater Filius & Spiritus sanctus non sint tres res separatæ, probat exemplo ab Adam & Abel sumpto. Ibidem capite 6. Item: Ergo quoniã Deus æternitas est, nõ sunt plures dij: quia nec Deus extra Deum, nec Deus in Deo addit numerũ Deo. Semper igitur unus & idem est solus Deus. Cum itaq; Deus de Deo nascitur, quia qd nascitur non est extra id de quo nascitur, est proles in parente, & parens in prole, unus licet Deus pater & filius. Ibidem cap. 8. Item: Quòd inuiolabilis simplicitas diuinitatis, quam unum solum Deum esse credimus, nullatenus admittat, propter pernarum pluralitatem, plures deos, & alienarum ab inuicẽ admittat, prolixè docet Anselmus in epistola de processs. Spiritus sancõ. Itẽ: Sicut non est alius Deus pater, alius Deus filius, alius Deus Spiritus sanctus: sic non habet Deus in seipso aliud quàm Deum, non est Deus extra Deum, nec Deus dissimilis Deo. Ibidẽ. Et: Quòd sicut filius est idem essentia & sapientia Patris, eo ipsum, quia habet eandem essentiam uel sapientiam quam pater: sic idem Spiritus sit Patris & Filij essentia & sapientia. In Monolog. cap. 56.

Item: Sicut digitus cum manu uel brachio, manus uerò & brachium cum corpore sunt unum in natura: ita Pater & Filius & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed una substantia diuinitatis. Anshelmus de nestiment. & membris. Item: Pater & Filius & Spiritus sanctus, sunt unus Deus. Io enar. Euang. Item: Solus sapiens Deus, Pater & Filius & Spiritus sanctus, quẽadmodum Trinitas unus Deus est. Qui propterea solus sapiens dicitur rectè, quoniam solus secundum sapientiam suam & substantiam sapiens est, non secundum accidentem uel accedẽtem participationem sapientiæ, sicut sapiens est rationalis quæcunque creatura. Trinitas inquam, est solus sapiens Deus, qui omnino nec potuit unquam esse insipiens, nec poterit: nec per gratiã particeps sapientiæ, sed sapiens immobilitate naturæ. Soli igitur sapienti Deo tacum laude noticia, quia innotuit gentibus Deus Trinitas. Ideo per Iesum Christum: quia, ut alia taceam, ipse præcipit baptizari omnes gentes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: ubi præcipuè commendata est huius indiuiduæ gloria Trinitatis. In 16 cap. ad Rom. Et: Ideo tenenda est unitas, quia unus est Deus in substantia sua. non enim est multiplex substantia eius, sed una & simplex. Vnde & Moyses: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est. Non potest esse maior, nõ potest esse minor, non potest numerari. in 4. caput ad Ephes.

Quòd hæ tres personæ æquales sint, Bernõ declarat dicẽs: Sicut Dei Filius est Charitas, ita Pater, ita & Spiritus sanctus. In fine Epistolarum.

DE PATRE.

Anshelmus. Pater noster. Noster significat, quòd multorũ est, non unius tãtùm. Qui enim habet unũ filium naturaliter, per gratiam suam uoluit & alios adoptatiuos filios addere. Ecce communis est pater omnium nostrûm: per quod admonẽtur omnes eiusdem fraternitatis & unanimitatis. in 6 cap. Matth. Item: Cur Deus pater misericordiarũ uocatur, nisi quia per paternarum misericordiarum uiscera recipit filios pœnitentię, & in antiquam gratiam reducit, ut non sola sit uenia, sed & pristini status restauratio? & ipse est Deus totius consolationis, qui contristatis in pœnitentia dat perfectam consolationem, tribuendo spem non solùm euadendi tormẽta, sed & consequendi præmia. In 1 cap. posterioris ad Corinth. Et: Deus quem prædicant Apostoli, idcirco dicitur Deus huius seculi, ne in hoc seculo, ubi tot mala fiunt, putaretur aliquis alius Deus esse. Non solùm enim inuisibiles creaturas, sed etiam hoc uisibile seculum regit Deus noster: nullusq; Deus est præter eum, qui & prauorum malicia benè utitur. In quartum caput poster. ad Corinth. Item: Deus dicitur pater, uel quia ex se Filium genuit, uel quia creaturas pio moderamine gubernat & regit. In 3 cap. ad Ephes.

Meginhardus inquit: Credo in Deum patrem, &c. Pater est principium Deitatis, & sine ullo omnino principio, qui sicut nũquam fuit nisi Deus: ita nunquam non fuit Pater, à quo Filius ineffabiliter natus: à quo Spiritus sanctus non natus, sed procedens, quia Spiritus non est Filius: nèq; ingenitus, quia non est pater: nec factus, quia non est ex nihilo, sed ex Deo patre & Deo filio, Deus procedens. In tractatu de Fide ad D. Guntherum.

DE FILIO DEI.

Anshelmus inquit: Multi fuerunt antiquo tempore, quib. datum est hoc nomen, quod est Iesus: sed in figura istius. sicut Iesu Naue, id est, Iosue filius Nũ, Iesus & Iosue idem sunt, Naue & Nun idẽ sunt. Iesus Hebraicum est, & dicitur Græcè σωτὴρ, Latinè Saluator. Iesus fuit ei proprium nomen, sicut nunciatũ est ab Angelo: Christus uerò, nomen officij. Christus enim significat, eum unctum fuisse regem & sacerdotem. in primum caput Matthæi.

IESVS. Anshelmus: Humilimus omnium inuenitur IESVS, utpote fundamentum uniuersorum. Interpretatur Saluator, & non est in alio aliquo salus. Neq; enim est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri. Huius itaq; salutis per baptismum quisque fieri particeps inchoat. Sed si uult nõ amittere quod gratis accepit, oportet ut in eo crescere studeat per proprium laboré sanctę actionis. In enarrat. Euang.

Filius. Anshelmus: Idcirco Filius Dei patris brachium dicitur, quia creatura electa ab ipso continetur. De uestimentis & memb. Deo attrib.

Verbum. Anshelmus: Licet igitur unusquisq; seipsum, & omnes inuicem se dicãt: impossibile tamẽ est in summa essentia esse uerbum aliud, præter illud de quo iam cõstat, quod sic nascitur ex eo cuius est uerbum, ut etiam uera eius dici possit imago, & uerè filius eius sit. in Monologio, capite sexagesimoprimo.

Imago. Anshelmus: Aliter est imago Dei in Filio suo, quem non aliunde, sed ex semetipso, hoc est, ex substantia sua per omnia sibi similem genuit, & æqualem. Aliter uerò est in anima hominis, quam non ex se, id est de sua substantia, sicut pleriq; hæretici opinati sunt, genuit: sed ex nihilo creauit. Sicut aliter imago est cuiuslibet regis in filio eius, quẽ ex semetipso sibi similem genuit, id est, homo hominem: aliter uerò in annulo eius, siue in cera imago eius expressa, quæ non est quod ipse: sicut filius, qui naturaliter hoc est qd' & pater. De uestiment. & memb. Item: Christus est imago Dei, id est, omnino per omnia similis patri. sicut ipse dicit: Qui uidet me, uidet & patrem. Nam qualis est iste, talis est ille. Quantus est ille, tantus est iste. Sicut ille caret initio, sic & iste. Sicut ille creator, sic & iste. Sicut ille scit omnia, & potest, sic & iste. Quia ergo iste de illo est, & consubstantialis atq; coæternus & coæqualis est illi, ac per omnia similis, rectè uocatur illius imago. In 4 cap. 2 ad Cor. Et: Nos quidem sumus imago Dei, sed Filius est aliter eius imago. Nam sicut imago Imperatoris aliter est in nummo, aliter in filio: sic & imago Dei aliter in filio, qui est substantialis & coæqualis atq; coæternus: & aliter in homine, qui est creatura. In 1 cap. ad Colos.

Patris splendor. Anshelmus: Patris splẽdor est Filius, quia à Patre est, sicut splendor de sole: & coęternus est patri, sicut splẽdor coæuus soli. Nam sicut natura nõ patitur, ut sit unquã sol sine splendore, & ignis sine calore: ita pater nunquam potuit esse sine sapientia sua. Et sicut sol non est à splendore, nec ignis à calore: ita pater non est à filio, sed filius à patre. & sicut splendor ostẽdit illud cuius est splendor: ita filius manifestat patrem, cuius ipse est sapientia. Et sicut substantialiter splendor in sole est, & sol in splendore: ita substantialiter filius in patre, & pater in filio. In 1 cap. ad Heb.

Puer. Bruno: Christus in Scripturis dictus est puer, propter innocentiam mentis: filius ancillæ, quia illa Angelo respondit, Ecce ancilla Domini. Imperium illius est potestas iudicij: quia pater nõ iudicat quenquam, sed filio dedit omnem iudicij potestatem. In 86 Psalm.

Pascha. Anshelmus: Christus noster dicitur pascha nostrum. Pascha enim Iudæorum immolatus est agnus, pascha nostrum immolatus est Christus. Nam sicut Iudæi per immolationem agni liberati sunt à potestate Pharaonis & satellitum eius, ac mare transeuntes uenerunt in desertum, atq; interiecto temporis spacio terram promissionis intrauerunt: sic nos per immolationem Christi liberati sumus à potestate diaboli ac malignorum spirituum, ac per baptismum traiecti uenimus in hanc conuersionem, in qua nunc uelut in deserto sumus, atque ingressum supernę hæreditatis expectamus. Iudæi agno immolato liberati à seruitute Aegyptia, septem diebus comedebant azyma: & nos Christo immolato, liberati à seruitute dæmonica, per omne spaciũ uitę præsentis, quod septem diebus uoluitur, azyma comedamus: id est, satiemur bonis operibus, sine admistione corruptionis uitiorum. Azyma quippe (id est, panes sine fermento) cõedimus, si recta opera sine corruptione uanæ gloriæ exercemus, si præcepta Dei sine admistiõe peccati adimplemus. In 5 cap. prior. ad Corinth.

Iusticia. Bruno: Christus iusticia dicitur, quoniã diabolũ p iusticiã uicit magis, quàm per potentiam orbem iudicat in iusticia. In 60 Psal.

Saluator. Bruno: Christus saluator dicitur, quia in se sperantes saluat, & imminẽtes pœnas peccatorum commutat in præmia. In 88 Psalm.

Magister. Anshelmus: Nec Pater nec Magister uocandus est alius, nisi Deus pater, & Deus noster Iesus Christus. Pater, quia ex ipso sunt omnia: uel, quia per dispensatiõe carnis omnes sumus Deo reconciliati. in 23 cap. Matth.

Petra. Anshelmus: Propter firmitatem petra dictus est Christus. Qui duob. lignis crucis affixus, profudit ex suo latere sacramenta nostræ salutis, quibus interior sitis nostra potaretur: sicut petra illa bis percussa dedit

fudit aquam, unde populus satiaretur. Geminæ enim percussio, duo ligna crucis significant. In 10 cap. prioris ad Corinth.

Pontifex. Anshelmus: Christus non solum quamdiu præsens seculum manet, aut quamdiu uiuimus, sed etiam in futuro pontificis agit opus: non tunc pro peccatis nostris offerens, quæ nulla erunt: sed, ut bonum quod in nobis operatus est, indeficiens & stabile permaneat. in 6 cap. ad Hebræos.

Anshelmus uocat Iesum Christum, speculum humilitatis & mansuetudinis, uniuersæ creaturæ factorem, tremendum iudicem uiuorum atq; mortuorum. In speculo Euangelior. cap. 6.

Est Deus. Anshelmus: Complexus est omnia, quia naturam et nomen expressit, in quo summa uirtutum est. Deum uiuum appellat, ad distinctionem falsorum deorum. Notādum est, quia cum Dominus assumptæ humanitatis humilitatem profitetur, de se infimauit, quod minus est: discipulus uerò deo intimat, quod maius est. In 16 caput Matthæi. Item: Filius Dei unigenitus non potest appellari creatura, quandoquidem per ipsum facta sunt omnia, quæcunq; Deus fecit. In 8 cap. ad Rom. Item: Ille unigenitus Dei natura, non adoptatiuus. ibidē. Item: Qui antè speruimus in Christo, &c. per hoc quod in Christo speratur, Deus esse monstratur. Et quia in eo speratum est ante aduentū eius, constat eum sine initio semper apud patrem fuisse. Nisi enim ille fuisset, perissent omnes qui speraverant in eo, quasi sperantes in nihilo. in 7. cap. ad Ephes.

Æternus est Filius Dei. Anshelmus: Iesus Christus fuit heri, quia in principio erat Verbum, et ab æterno usq; ad nostra tempora ipse est: hodie quoq;, id est, nostro tempore est. Erit et in secula, quia æternaliter manebit. Unde et per Ioannem de eo dicitur: Qui erat & qui est, et qui uenturus est. In 13 cap. ad Hebræos.

Esse Filium Dei. Anshelmus: Inuentus est Iesus solus. Vt indubitāter agnosceremus, quia solus Iesus est naturalis & unicus Dei filius: non Moyses, aut Helias. in Euang. enarrat. Item: Filius Dei secundū diuinitatem quidē, in qua fratres non habet, dicitur unigenitus, sed secūdum humanitatē, in qua fratres habere dignatus est, appellatur primogenitus. In qua humanitate eum adorare monentur angeli: quia in diuinitate ut adorent eum, non indigebant admonitione. & quia homo unitus Deo, adoratur ab angelis, patet, quia longè melior est ipse quàm angeli. in 1 cap. ad Heb.

Æqualē esse filiū Deo patri, & Spiritui sancto, testātur apertis uerbis Doctores. Nā Bernardus ait: Tu Iesu Christe dilecte mi, qui cū Patre & Spiritu sancto uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum. in serm. de asc. Dom. Item: In cœlis Christus uerus Deus, & uerus homo, in unitate personæ: cum Patre uerò ac Spiritu sancto, in unitate substantię, unus Deus in Trinitate perfecta uiuit & regnat in secula seculorum. in serm. de natiuit. Mariæ. Item: In cœlestis regni thalamo ipse Christus sponsus & Dominus noster, cum Patre & Spiritu sancto, unus Deus uiuit & regnat in secula seculorum, Amen. in fine serm. de assump. Mariæ.

Anshelmus ait: Tu es filius meus, hoc est, ex substantia mea naturaliter æqualis genitus: & idcirco dilectus, utpote unigenitus. in enarrat. Euang. Et Anshelmus docet filium Deo esse æqualem omnia tenentē, ubiq; totum, incircumscriptum & incomprehensibilem. in enarration. Euangel. Et: Per Iesum Christū, & Deum Patrē, &c. Per hoc, inquit, quòd præmittit Christū, & subiūgit Patrem, innuit eum esse Patri æqualē: & quòd nullus ad Patris gratiā pertingit, nisi per eū. sicut ipse dixit: Nemo uenit ad Patrem, nisi per me. in 1 cap. ad Galat. Item: Vnde sciant, quòd una est utriusq; substantia, quamuis alia Patris, alia Filij sit persona: & quòd Pater non est prior aut maior Filio, nec Filius posterior aut minor Patre, sed ambo coæterni sunt, & coæquales. In 2 cap. ad Colos. Item: Secundum humanitatem Christi, Deus Pater super eum est: non secundum diuinitatem eius, in qua ipse est æqualis Patri. in 9 cap. ad Hebr. Item: Christo cum Patre & Spiritu sancto sit omnis honor & gloria, & antequā mundus esset, & nunc, & in omnia secula seculorum. in enarrat. Euang. Item: Erat æqualis, & sine rapina erat, quia æternus ab æterno natus erat. Erat in forma Dei: quia tantus, quantus ille: talis, qualis ille: hoc qđ ille, non hic qui ille, sed hoc quod ille. Ille enim Deus, & iste Deus: ille omnipotens, & iste omnipotens: ille immutabilis, & iste immutabilis. Hoc est quod ille, non hic qui ille: quia & ille pater, & hic filius. in 2 cap. ad Philippen.

De generatione filij, ait Anshelmus: Hoc itaq; modo quis neget summam sapientiā, cùm se dicēdo intelligat, gignere cōsubstantialem sibi similitudinē suam: id est, uerbū illum. Quod uerbum, licet de re tam singulariter eminenti propriè aliquid, satis cōueniēter dici nō possit: nō tamen incōueniēter sicut similitudo, ita & imago & figura & character eius dici potest. in Monologio, cap. 31. Item: De prædicta nube uenit uox Patris, dicēs de Christo: Hic est Filius meus dilectus: quia de immēsa obscuritate diuinæ incōprehēsibilitatis, procedit ad uos alta noticia generationis sempiterni Filij Dei, in qua nec

genitor est genito prior, nec genitus genito ri posterior: quia constat & patrem sempiternè genuisse, & filium sempiternè natum esse. Sed cuius fulgorem mentis acies nondum capit, generationem eius quis enarrabit? in Euāg. enarrat. Et: Benedictus Deus & pater Domini, &c. Qui Christum secundum humanitatem creauit, & secundū diuinitatem genuit, atq; ita est Deus & pater eius. in 1 cap. poster. ad Corinth.

Homo Christus.

Berno ait: Benè uernali pluuiæ eadē charitas, quæ testāte Ioanne Deus est, cōparatur: quia ipse Deus uernali tempore, sicut pluuia descēdit in uellus, & per intactæ uirginis uterum, ad redimendū genus humanum in mundum nascendo uenit: & eodē tēpore per sacrę passionis mysteriū, de captiuitate diaboli liberauit. in fine Epistol.

Algerus inquit: Christus impersonationis iure, ut uerus homo esset, in homine accepit animam cum ratione sua, & carnē cū sensibus suis, ut in ea pati posset. lib. 7, cap. 8 de Eucharist.

Bruno ait: Christus perfectus homo, qui nihil minus habuit extra peccatum quàm homo. Ex anima rationali Christus ueram animam habuit, ubi sapientia crescere potuisset. sicut dicitur in Euangelio: Iesus ꝓficiebat sapientia in anima, & ætate in corpore. In Psalt. in fide Athanas.

Anshelmus inquit: Sed super omnes uirtutes necessaria est incarnatio Christi, sine qua nullus potest saluari: quæ designatur per Mariam. Incarnatio enim Christi fuit nobis stella in mari, & lux in tenebris: per quam incarnationē natus est Iesus, qui ducet nos in terram repromissionis: ille scilicet, qui dicitur Christus. hoc ideo dicit, ut ostendat eum esse Messiam. iste nos saluauit, & reges & sacerdotes fecit. in 1 caput Matthæi. Item: Notandum est, quòd alio modo natus est Christus de Maria, alio modo de Spiritu sancto. Cum enim dicitur de Maria natus esse, de substantia eius intelligendū est: & tunc De, materiale est. Cum autem de Spiritu sancto natus esse dicitur, quasi ex potestate Spiritus sancti natiuitas illa fuisse intelligitur: & tunc De, potentiale est. Ibidem. Et: Oportebat, ut sicut per hominis inobedientiam mors in humanū genus intrauerat: ita per hominis obedientiam uita restitueretur. Et quemadmodum peccatū qđ fuit causa naturæ dānationis, initium habuit à fœmina: sic ueræ iusticię & salutis nostræ author nasceretur de fœmina. lib. 1, cap. 3, cur Deus homo. Itē: Quia genus humanum, ut pretiosum opus eius, omnino perierat: nec decebat, ut quod Deus de homine proposuerat, penitus annihilaretur: nec idem eius propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanū ab ipso Creatore liberaretur, &c. lib. 1, cap. 4, Cur Deus homo. Et: Si riuus per fistulā currat à fonte usq; ad lacum: nonne solus riuus, ut ita dicam, infistulatus est? Sic solus filius incarnatus est, licet non alius Deus quàm pater & Spiritus sanctus. In lib. de incar. uerb. cap. 4. Et: Postquā cōstat hominem illum esse Deum, & peccatorū reconciliatorem, dubium non est, eum omnino sine peccato esse: hoc autem esse nō ualet, nisi absq; peccato de massa peccatrice sit assumptus. In lib. 2, cap. 16, cur Deus homo. Et: Quòd si Christus non esset Deus, sed purus homo, necesse tamen esset illum talem esse, qualis primus homo factus est. In lib. de concep. uirg. cap. 13. Et: Quemadmodum Deus ex sua substantia genuit eum per quem cunctis originem dedit: ita beata uirgo Maria, de sua carne mundissima peperit illum, qui decorum primæ creationis omnium cunctis restituit. In lib. de excel. B. Mariæ uirg. cap. 11. Et: Nostra caro est peccati caro, quia per libidinis usum generata est. Sola autem Christi caro, non fuit caro peccati: quia non mater eum concupiscentia, sed gratia concepit. Tamen similitudo carnis peccati fuit: id est, passibilis & mortalis, quæ nutriri, & esurire, & sitire, & dormire, & fatigari & mori potuit. Mors enim & infirmitas, non est nisi de peccato. Et utiq; corpus illud mortale erat, & infirmū, ut cęterorū corpora. Caro peccati, habet mortē & peccatū: similitudo aūt carnis peccati, habuit mortē sine peccato. Si habuit peccatum, caro esset peccati. Si mortem non haberet, nō esset similitudo carnis peccati. In 8 caput ad Romanos. Item: Semen Abrahæ Christus est, quia de Abrahā processit populus Israel: & de populo Israel nata est uirgo Maria, quæ peperit Christum. in 3 cap. ad Gal. Item: Deus Domini nostri Iesu Christi. Hoc totum dicitur respectu humanæ naturæ: quia secundum humanitatem tantum est Deus Christi, qui secundum diuinitatem est pater ipsius. Qui enim tempore creauit eum ex uirgine, ipse ante omnia tēpora de seipso genuerat eum. in 1 cap. ad Eph. Item: Soli Deo notum erat, quòd unigenitus patris humanitatem pro humana salute esset assumpturus. Sed & facto iam mundo, tacitum est hoc mysterium Christi incarnationis, & humanæ reparationis: quia licet aliquatenus esset antiquis patrib. notū, nulli tamen eorū plenariè fuit cognitum. in 16 cap. ad Rom. Item: Qualis est hic, quia cœlū & terra compatiuntur ei, cuius mors mortuos uiuificat? Cognosce anima mea, cognosce: hic est Dns Iesus

Iesus Christus saluator tuus, unigenitus Dei filius, uerus Deus, uerus homo, qui solus sine macula inuētus est. In spec. serm. Euang. cap. 13. Item: Filius Dei unigenitus nō potest appellari creatura, quandoquidem per ipsum facta sunt omnia, quę cunq; Deus fecit. In 8 cap. ad Rom.

Meginhardus inquit: Natus est de uirgine Deus eo pacto, quo cum corpori docentia, sed quia ex utroq; fit una persona, & alius animus: nō quia utriusq; est una sub stantialis homo corpus, & alius animus. Qui post partum uirginis, non alius Dei, & alius hominis filius, & idem est unus Christus Dei & hominis filius. & sicut in uno homine aliud corpus, aliud animus: sic in uno mediatore aliud Deus, & aliud hominis filius, unus tamen & idē Christus Dei & hominis filius. In tractat. de pest. mult. hæresium, ad Guntherum. 2

Sed homo absq; peccato, ut Anshelmus inquit, solum illum hominem, quem Deus sine uiri semine de uirgine facere scivit, à peccato Adæ secernere uoluit. In lib. Cur Deus homo. cap. 18. Item: Videlicet illum hominem illum planè, quem quærimus, talem esse oportere: qui nec ex necessitate moriatur, quoniam erit omnipotens: nec ex debito, quia nunquam peccator erit: & sic mori possit ex libera uolūtate, quia necessarium erit. lib. 2, cur Deus ho. cap. 11.

DVAE NATVRAE IN *Christo.*

De duabus in Christo naturis, Berno docet inquiens: Christus factus ex participatione humanę naturæ frater noster, qui cum patre & spiritu sancto materiarum conditor noster. De hac fraternitate testatur idem ipse, qui post resurrectionem suæ triumphum dignatus est dicere: Ite nuntiate fratribus meis. In serm. de natiuitate Christi. Et: Panem angelorū ut manducare posit homo, qui cum patre & spiritu sancto unus Deus, uiuit & regnat in seculorum. ibidem. Et: Hodie iuxta uaticinium Esaiæ filium Dei, quem uirgo Maria angelo annunciante concepit, peperit, & post partum uirgo permansit, tanquā sponsus de thalamo suo, Christus processit de uirginis utero: cui meritò Epithalami dionis solēnia occurrunt, ubi omnipotens uerbum, quod in principio erat apud Deū, humanæ naturæ substantiam ita sibi in utero uirginali coadunauit, ut uerus Deus & uerus homo, ad salutem omnium appareret in mundo. Hunc sacratissimū Dominicæ incarnationis diem, optabant patriarchæ, desiderabant prophetæ, iusti expectabant, unde unius uoce ex desiderio cordis clamabant: Excita Domine potentiam, & ueni, ut saluos facias nos. In serm. de natiuitate Dom. Item: Et caput cum pedibus & intestinis uorabitis. In capite diuinitas, in pedibus Christi designantur humanitas. Quia is qui ante tempora ex Deo patre est Deus genitus, in fine tēporū ex uirgine matre homo est natus, ita ut uerbū qđ in principio erat apud Deū, in tēpore nouissimo caro fieret, & habitaret in nobis. In serm. de pasch. Cū patre formans omnia, formatus est ex fœmina: nullo uirili semine, sed casta natus uirgine. Fit paruus hic infantulus, sub iectus & parentib. obseruat & legalia, nostræ salutis gratia. Quē Simeon susceperat, & Anna decantauerat: ætas aut sexus concinat, iā Christus ad nos uenerat. Cui laus, potestas, gloria, per seculorum secula: qui regnat unus numine, cum patre & sancto pneumate. Amen. In Hym. de purif. Marię.

Lanfrancus ait: Nam cum ipse Dominus Iesus, uerus Deus sit, & uerus homo, omnisq; homo constet anima rationali & corpore: non tamen anima ipsa, aut ipsum corpus, rectè uocabitur homo uel Deus. In lib. de sacram. Eucharistiæ.

Quòd eundem ipsum per quem saluandus est homo, necesse sit esse perfectum Deum, & perfectū hominē, Anshelmus docet lib. 2 Cur Deus homo, cap. 7. Et: Sicut, inquit, in Deo una natura est, plures personę, & plures personæ, sunt una natura: ita in Christo una persona, est plures naturæ, & plures naturæ, sunt una persona. Quemadmodū enim pater est Deus, & filius Deus, & Spiritus sanctus est Deus, & tamen non tres Dij, sed unus est Deus: ita in Christo Deus est persona, & homo est persona: nec tamen duæ sunt, sed una persona. de incarnatione uerbi. Et: Ad hoc ualuit in Christo diuersitas naturarum, & unitas personę, ut qđ opus erat fieri ad hominis restaurationē, si humana non posset natura, faceret diuina: & si diuinæ minimè cōueniret, exhiberet humana: & non alius atq; alius, sed idem ipse esset, qui utrumque perfectè existens, per humanam solueret, quod illa debebat: & per diuinam posset, quod expediebat. lib. 2, cur Deus hom. cap. 18. Et unum filium sibi consubstantialem, coæternum, omnipotentem ex sua natura, sine initio Deus pater genuit, & per eum omnes creaturas uisibiles & inuisibiles ex nihilo fecit. Hunc igitur sibi tam unicum quàm dilectissimum, & in omnibus omnino æqualem, non passus est remanere solummodo suū, sed eundē ipsum uoluit in rei ueritate esse beatę Marię unicū et dilectissimū & naturalem filiū: nec ita ut duo essēt, unus uidelicet filius Dei, alius filius sanctæ Mariæ

riæ uirginis: sed unus & idem ipse qui filius Dei in una persona, esset filius S. Mariæ uirginis: & qui filius sanctæ Mariæ uirginis, unus & idē ipse esset in una persona filius Dei. de excellent. B. Mar. uirg. Et Deus, qui hominem assumpsit ex tua sanctissima carne, hoc fecit pro tua & nostri omnium salute. Ibidem. Et: Christus secundum humanitatem, qui dum esset mortalis, erat filius hominis, in resurrectione uestiens immortalitatem, factus est filius Dei, nec tamē destitit esse filius hominis: quia uerus homo permansit, sed gloriam quam humanitas non habebat, accepit. In 1 cap. ad Rom. Idem etiam in 1 cap. ad Heb. ponit. Item: Christus propter assumptionē hominis nō amisit æqualitatem patris, quia non est mutabilis natura diuinitatis, ut possit minui uel augeri. In 2 cap. ad Philip. Item: Mediator inter Deum & homines, oportebat ut haberet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus, ne in utroq; esset hominibus similis, longè à Deo: aut in utroq; Deo similis, longè esset ab hominibus, & ita mediator non esset. Et ideo inter mortales peccatores, & immortalem iustum, apparuit mortalis cum hominibus, iustus cum Deo: ut quemadmodum stipēdium uitæ pax est, per iusticiam coniunctam Deo, euacuaret mortem iustificatorum impiorū, quā cum illis noluit habere communem. Et quia omnes homines, quamdiu mortales sunt, etiam miseri sint necesse est, quærendus fuit medius, qui non solùm homo, sed & Deus esset: ut homines ex mortali miseria, ad beatam immortalitatem huius medij, beata mortalitas interueniendo perduceret. In 2 cap. prioris ad Timoth. Et: Homo iste propter unitatem personæ uerbi & carnis, factus est eiusdem patris filius, cuius & uerbum: quia & uirgo Dei genitrix idcirco dicitur, quòd non solum hominē, sed & Deū genuit. Caro enim communicat altioribus, sicut & diuinitas humilioribus. In 1 cap. ad Heb. Itē: Sine patre, sine matre, &c. Quia ex quibus parentibus descendat Melchisedech, non inuenitur: quoniam Spiritus sanctus altiori consilio uoluit hoc de eo reticere, ut figuram Domini per omnia gereret. Christus enim sine patre secūdum carnem est, quia sine uirili admistione natus est ex uirgine: & sine matre est secundum diuinitatem, quemadmodum illa ineffabilis genitura manet in æternitate. In 7 cap. ad Hebr. Et: Cum esses filius Dei uerus Deus, Deo patri Spirituiq; sancto coæternus & cō substantialis, lucem habitans inaccessibilē, portansq; omnia uerbo uirtutis tuę, nō despexisti in hoc nostrę mortalitatis ergastulū altitudinem tuā inclinare, ut ibi nostram & gustares & obsorberes miseriā, nosq; repararet ad gloriā. In Spec. Euang. sermo. ca. 3.

Meginhardus: Credo quia pater carnem non alsūpsit, neq; Spiritus sanctus, sed filius tantùm, cùm uenit plenitudo temporis, ut qui erat in diuinitate Dei patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius: secundum ueritatem naturæ ex Deo Dei filius, & secundum ueritatem naturæ ex homine hominis filius, ut ueritas geniti, non adoptione, non appellatione, sed in utraq; natiuitate filij nomē nascēdo haberet, ut esset uerus Deus & uerus homo unius Dei filius. In tractatu ad Guntherū, de peste mult. hære.

DE VNIONE.

BErno inquit: Humanæ cōditionis natura, dilectissimi fratres, magnificè sublimatur, quando omnipotenti uerbo ineffabiliter adunatur: non quo duarum naturarum, diuinæ scilicet & humanæ, confusa fiat commixtio: sed in una mediatoris Dei & hominum Christi Iesu persona, mirabilis maneat unitio. ita enim confitemur, eundem Dominum nostrum Iesum Christum, uerum Deū de Deo ante secula genitum, & uerum hominem ex homine Maria in secula natum, ut secundum hunc inconfusæ unitionis intellectum, non duos quāuis in duabus naturis, sed unum credamus Christum, unū Dei & hominis filium, Deum uerum & hominem uerum, consubstantialem patri secundū diuinitatem, consubstantialem nobis secundum humanitatem. sicut in quodā loco, consona modulamur uoce dicentes: Innouator naturæ Deus, homo factus est: id quod fuit permansit, & qd nō erat assumpsit, non cōmixtionē passus, neq; diuisionē. Hic igitur cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ patris, homo factus est pro nobis, ut esset Emanuel: hoc est nobiscum Deus, iuxta Apostolum participans carni & sanguini, ut per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium. Et hoc non ex merito nostro, sed ex gratuito eius nobis concessum est dono. Quid enim, ait Apostolus, habes homo, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Dei uestiq; fuit donum, ut qui ab humo, id est terra homines sumus dicti & facti, eius participatione efficeremur dij & filij. Ergo inquit Dij estis, & filij excelsi omnes. in sermone de natiuitate Domini. Et: Carnes agni assa quā coctas comedimus, si humana sapientia diuinæ dispensationis arcanum inuestigare nitimur, ut uidelicet speremus nos posse ratiōe cōprehēdere, qualiter mater uirgo angelo annūciante, supueniēte etiā Spiritu sancto, Dei filiū cōcepit, ac Deū & hominē in duabus

in duabus naturis & unitate personę genuerit, & posthæc uirgo permanſit. In ſermone de Paſch.

Algerus ait: Dominicæ incarnationis opere, ſicut ipſo Deo præ cæteris omnibus operibus ſuis, præcipuus fecit præcipuum, ut homine in unitate personæ ſuæ aſſumptũ, & quaſi exadiũcta diuinitate Deificatũ ita glorificaret, ut nõ ſolũ hominibus, ſed & omnibus angelicis ſpiritibus adorandum præferret, in dextram patris collocaret. lib.1 cap. 1 de Euchariſtia. Et: Reuera, ut ſecuriores eſſemus in Chriſto, de conformitate et unitate tantæ gloriæ, in humili noſtra natura, naturam carnis noſtræ ſibi uniuit Deus in eadem perſona, ut dum eam tam mirabiliter glorificatam uideremus, de germanæ carnis noſtræ glorificatione non deſperaremus. lib. 2 cap.2 de Euchar.

Anſhelmus ait: Qui rectè ſuſcipit filij incarnationem, credit eum non aſſumpſiſſe hominem in unitatem naturæ, ſed in unitatem perſonæ. de incar. uerbi. Item: Apparuit talis quæ dicta ſunt, filium Dei, et aſſumptum hominem, unam eſſe perſonam: ut idẽ ſit Deus et homo et filius Dei et uirginis filius. lib.2, Cur Deus homo, cap.16. Et: In uirtute id eſt, in eadem potentia cum patre, per unionem uerbi, qui perſonaliter homo ille eſt factus. in.1 cap. ad Ro. Item: Verbũ quod perſonaliter unitum eſt humanitati, propè nos eſt: quoniam non à locutione noſtra remotũ eſt, neq; ab intellectu. In 10 cap. ad Rõ. Cur homo Chriſtus ſit factus, exponit Bernardus dicens: Hic princeps regum terræ, natus ineffabiliter de uirgine. Magnus ante principium mundi, ſit paruus pro ſalute hominum: ante Luciferum genitus, ſubditus parentibus: ſubijci non dedignatur legibus, ne Iudæus oblatret impius, dicens, Se obid nolle in eum credere, quia ipſe non bellet legi ſubiectus eſſe. ſed, ut ipſe teſtatur, non uenit legem ſoluere, ſed implere. in ſermon. de purifi. Mar.

Anſhelmus inquit: Sicut enim rectum eſt, ut pro culpa hominis homo ſatisfaciat: ita neceſſe eſt, ut ſatis faciens idem ſit qui peccator, aut eiuſdem generis. aliter namq; nec Adam, nec genus eius ſatis faciet pro ſe. Ergo ſicut de Adam et Eua, peccatum in omnes homines propagatum eſt: ita nullus niſi uel ipſi, uel qui de illis naſcitur, pro peccato hominum ſatis facere debet. Quoniam ergo illi nequeunt, neceſſe eſt ut de illis ſit qui hoc faciat. Amplius, Sicut Adam & totum genus eius per ſe ſtetiſſet ſine ſuſtentatione alterius creaturæ, ſi non peccaſſet: ita oportet, ut ſi idem genus reſurget poſt caſum, per ſe reſurgat & reuelletur. Nam per quæcunque in ſtatũ ſuum reſtituatur, per illum utiq; ſtabit, per quem ſtatũ ſuum recuperabit. Deus etiam quando humanam naturam primitus fecit in ſolo Adam: nec fœminã, ut de utroq; ſexu multiplicarentur homines, facere uoluit, niſi de ipſo. Vnde ipſe apertè monſtrauit, ſe non niſi de Adam uoluiſſe facere, quod de humana natura facturus erat. Quapropter ſi genus Adæ per aliquem reuelatur hominẽ qui non ſit de eodem genere, non in illam dignitatem, quam habiturũ erat ſi non peccaſſet Adam: & ideo non integrè reſtaurabitur, & Dei propoſitum deficere uidebitur: quæ duo inconuenientia ſunt: ergo neceſſe eſt, ut de Adam aſſumatur homo, per quem reſtauretur genus Adæ. li.2, Cur Deus homo, cap.8. Et: Vnam perſonam uerbi et hominis, et in ea duas naturas, diuinam ſcilicet et humanam, credimus et confitemur. in epiſt. de proceſſ. Spir.5. Et: Mariã ipſa ſapientia Dei uerè dignam iudicauit, per quam in homine ueniens non modò reatum primorum hominum, ſed et totius mundi peccata deleret: et diabolum ſui operis inimicum, cum ſuis eliderer: necnon damna cœleſtis patriæ, illuc hominem deducendo, reintegraret. de excellentia beat. Mar. uirg. Item: Cogita quæſo, et cogita apud te, quia non ad dãnandum, ſed ad ſaluandum peccatores, conditor noſter ex te factus eſt homo. ibidem. Item: Ad hoc Deus noſter per te eſt factus frater, ut quemadmodum ipſe dignatus eſt cõſors fieri noſtræ humanitatis, ſic nos mereamur conſortes fieri ſuæ diuinitatis. ibidem.

Et: Dominus ad hoc terrenus factus eſt cum eſſet cœleſtis, ut eos qui terreni erant, faceret cœleſtes. Hoc eſt, ex immortali mortalis factus eſt, aſſumẽdo ſerui formã, nõ Domini mutãdo naturã: impartiẽdo dominicã gratiã, non perpetiẽdo ſimilem iniuriã. in 15 cap.1 ad Corinth. Itẽ: Quęritur, cur Chriſtus dicatur homo ſecundus poſt tot homines, aut cur Adam nouiſsimus, tã multis poſt ipſum generationibus ſuccedẽtibus: cũ et ſecũdus nõ poſsit eſſe poſt multos: et nouiſsimus dici non debeat, poſt quẽ multi? ibidẽ.

Et: Sacramentum pietatis in eo eſt, quòd unigenitus Dei miſericorditer homo fieri dignatus eſt per gratiam, ut ſibi fratres acquireret, qui cum eo poſsiderent hæreditatem regni cœlorum. in.3 cap.1 ad Timot.

De officio Chriſti.

Quòd ſacerdos ſit, Berno docet: Ideo uerus ille mediator Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus, cùm in forma Dei ſacrificiũ cum patre ſumat, cũ quo & unus Deus eſt: tamen in forma ſerui ſacrificiũ maluit eſſe, q̃ ſumere, ne uel hac occaſione quiſquã exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturę. Per hoc & ſacerdos eſt, ipſe pro nobis offerens, ipſe oblatio & ſacrificiũ. Cuius rei ſacramentum

quotidia-

quotidianum uoluit esse Ecclesiæ sacrificium: quæ cum sit corpus ipsius capitis, seipsam per ipsum quotidie discit offerre, in odorē suauitatis. in lib. de diuin. dęm. contē.

Algerus inquit: Si tāta uis est in cibo, qui non uiuit, nec manet, ut labentem uitam huius temporis foueat & retineat: quanto magis Christus, cibus uiuens immortaliter, uitam æternam conferre credendus est, qui bus sibi placuerit? Magis enim credendum est, uitam conferre, qui uitam in se habet, & uita est, quàm qui non habet. Cùm enim sit una ueritas & uita, corpus eius nobis uiaticum est, ne moriamur & deficiamus in uia, sed producamur ad uitam: ueritas est, ne eius promissionibus fallamur: uita est, ut ea in peruentione feliciter fruamur. In hac ergo mortali uita, immortali cibo uitæ nos pascit, ne in æternum moriamur. lib. 1 cap. 19 de Euchar.

Anshelmus ait: Tu es sacerdos in æternū, &c. Sacerdos Dei patris dictus est filius Dei, non secundum diuinitatem, sed secundum humanitatem, in qua se pro nobis per passionem & mortem suam acceptabile beneficiū Deo patri obtulit, ut esset sacerdos, qui & sacrificiū est. De uestiment. & memb. Itē: Appropinquante mundi termino, Christus solus in sancta sanctorum ut uerus pontifex intrauit, ibiq; est ad dextram Dei, & interpellat pro nobis. In enarrat. Euangel. Et agere ministerium pontificis, & ostendere patri pro nobis cicatrices uulnerū suæ passionis. ibidem. Et hic per singulos annos, Christus autem non sæpè, sed semel: hic in alieno sanguine, Christus in proprio: hic protinus egreditur de sanctis, Christus perpetualiter in sanctis sanctorum assistit uultui Dei, semper interpellans pro nobis. in 9 cap. ad Hebræos.

MEDIATOR. Berno ait: Mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus, cū Deus esset ante secula, perspontaneam benignitatē carne indutus, in populo suo piè ac misericorditer apparuit, quem redimendo suum fecit. Qui quasi currui prædicatorum suorum cordibus præsidens, Spiritus sui gratia illos impleuit, ut per doctrinam illorum ab errore paterni delicti liberaret orbē terrarū. Serm. 3 de sanct. Marco euang.

Algerus inquit: Non est iniquus Christus, qui pro nobis semetipsum obtulit, & noster in cœlo mediator est: quo suam Ecclesiam gubernante, bonis mali non oberunt, qui uel ignorantur, uel pro pace tolerantur. lib. 3, cap. 8 de Euchar.

Anshelmus inquit: Discordia facta fuerat inter nos & Deum: & idcirco regni eius hæredes fieri non poteramus, quia nec quo modo ad patrē eius reuerti nos oporteret, nisi discordia tolleretur? Quia ergo nos Deo reconciliare, & eius uoluntatem nobis interpretaretur, ut sciremus, quòd ipse nos operari uellet: & amici effecti, hæreditatem regni eius per nouum Testamentum assequeremur, sicut Iudæi per uetus Testamentum adepti sunt hæreditatē terræ Chanaan. in 9 cap. ad Heb. Item: Christus intercedit pro nobis apud patrem, ostendendo cicatrices uulnerum, quæ pro nostra redemptione pertulit: & quantū pro nostra salute laborauit, perpetualiter repræsentando. Miro enim & ineffabili nobis ordine, eum qui nihil unquam potest obliuisci, qui semper misereri paratus est, absq; intermissione Dominus Iesus admonet, quàm congruè hominibus misereri debet, quorum particeps uerè & doloris ac passiōis idem ipse Dei filius effectus sit: & pro quib. ipse confligens, mortis imperium moriendo prostrauit. Sic enim sæpè intercedit pro nobis. ibidem. Item: Christus est duorū mediator, sed Deus est unus: quia pater & filius non sunt dij duo, sed unus Deus. Quamuis enim pater sit Deus, & Christus Deus, uterq; tamē unus est, non duo dij. In 3 cap. ad Galatas.

Quòd Messias. Anshelmus: Ipse Christus fuit expectatio gentium, quia eas redemit, & ad fidem conuertit. Ligauit pullum ad uineam, quando primitiuæ ecclesiæ associauit in fide gentilem ecclesiam. In 1 cap. Matth.

De passione Christi.

DE passione Domini, ait Berno: Quis uerò ille sit agnus, qui immolari iussus est, ostendit Iohannes dicens: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. & Esaias: Sicut ouis ad occisionem ducetur, & sicut agnus coram tondente se obmutescit, sic non aperuit os suum. Hic appropinquante iam mundi uespera, in ara crucis est oblatus, ad multorum exhauriendā peccata: unde semper assistit uultui Dei patris, interpellans pro nobis: idem sacerdos & sacrificium, qui est futurus aduocatus & iudex omnium nostrūm. Quem nos, licet indigni, quotidie immolando mactamus, quādo in mensa sancti altaris eiusdem sacraméti mysterium celebramus. Cuius carnes extra domum Ecclesię prohibemur comedere, nera le sacramentum hæreticorum uel paganorum turbis uelimus cōmittere: iuxta quod alibi scriptum est, Nolite sanctum dare canibus. In serm. de paschate. Et: Benemors & resurrectio nostri Redemptoris, similitudini leonis comparatur. Quia sicut catulus leonis, ut physici scribunt, cum natus fuerit, tribus diebus ac noctibus dormit, do

nec

nec patris fremitu uel rugitu ſuſcitatur: ita Dñs noſter, tribus dieb. & tribus noctibus in ſepulchro iacens, ſomnum mortis imple uit, donec paterna uoce excitatus, etiam ex propria poteſtate ſurrexit. paterna namq; uox huiuſmodi ad eũ facta eſt: Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara. Gloria patris eſt filius, qui pſalterium erat, quãdo paterne uolũtatis opera in carne ſua per agebat: cithara uerò, quãdo in ligno crucis, exteſus uelut quibuſdã neruis dulce carmẽ perſonabat, dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Qui nunc paternæ uoci reſpondit dicens: Exurgam diluculo. De huius ſomni quiete ac reſurrectiõe, per Pſalmiſtam dicit ipſe: Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & exurrexi. Item in alio propheta: Ideo quaſi de ſomno ſuſcitatus ſum, & uidi, & ſomnus meus dulcis mihi. Quòd autem propria poteſtate ſemetipſum ſuſcitauit, in Euangelio teſtatur, ita loquens ad Iudæos: Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. Hoc, inquit Euangeliſta, dicebat de templo corporis ſui. In ſerm. de Reſurrectione Domini. Et: Dignum ualde fuit, ut ubi ueritas luceret, umbra omni no locum nõ haberet. Legalia ſacrificia fuerunt umbram eſſe, teſtatur Apoſtolus, qui dicit: legem umbram exiſtere futurorũ bonorũ, nõ ipſam imaginem rerum. Nunc uerò Chriſtus apparens in carne, factus eſt pro nobis ſacerdos & ſacrificium ſemel, in conſummatione ſeculorũ. Vnde Apoſtolus ait: Habemus itaque, fratres, fiduciam in introitu ſanctorum, in ſanguine Chriſti, quam initiauit nobis uiam nouam, & uiuẽtem per uelamen: id eſt carnem ſuam, & ſacerdotem magnum ſuper domum Domini. In ſermone de purif. Mariæ.

Petrus Damianus inquit in Canticis: Fasciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur. Per myrrham, amariſſimam aromatis ſpeciẽ, qua etiam defunctorum cadauera condiuntur, non ni ſi Chriſti paſsio deſignatur. Quid aliud inter ubera, niſi locus cordis agnoſcitur? In epiſt. ad Blancam comitiſſam.

Anshelmus inquit: Greſſus Domini aduentus filij Dei in mundum, & regreſsio ad patrem, de quibus Pſalmiſta ait: Viſi ſunt greſſus tui Deus, ingreſſus Dei mei regis mei, qui eſt in ſancto. De cœlo enim uenit in uterum uirginis, de utero uerò naſcẽdo pro ſus eſt in præſepio. Poſtquam omnia impleuit, pro quibus à patre miſſus uenerat, appẽſus eſt in ligno crucis. De cruce autem depoſitus, corpus ſepultum eſt: ſecundum uerò animam ad inferna deſcendit: tertia autem die per potentiam ſuæ diuinitatis, carnem ſuã de ſepulchro ſuſcitauit: & poſt diem reſurrectionis ſuæ, quadrageſima die, uidentib. Apoſtolis aſcendit in cœlum, ſedet ad dextram patris: id eſt, in gloria eius. Hi ſunt greſſus filij Dei. De ueſtib. & mẽb. Deo attributis. Item: Chriſtus non ex parte, ſed integer eſt crucifixus, ut nos ex toto moriamur peccato, & uiuamus Deo. In 6. cap. ad Rom. Item: Oblatio dicitur, quãdo nullo quęrente, aliquid ſponte offertur. Sic Chriſtus, cùm nemo id quærere auderet, obtulit ſe pro nobis in cruce ſacrificiũ Deo. Hoſtia uerò dicitur, quæ pro hoſtib. uel uictis uel ſuperandis celebratur. Sic & hoſtia Chriſti diabolus & dæmones ſuperati ſunt, atq; peccata. Vel oblatio fuit Chriſtus, quia morte ſua nobis dona uirtutum & diuinam gratiam acquiſiuit: hoſtia uerò, quia nos ab hoſte liberauit. Vel oblatio, dũ fuit iniuriatus: hoſtia, dum fuit occiſus. In 5 cap. ad Epheſ.

Quomodo peccatũ in ſe deriuarit. Anshelmus: Sine peccato fuit, & pœnam peccati uoluntate ſuſtinuit. Transfigurauit in ſe ſuos, qui nihil aliud uult quàm pater, cũ dicit: Non ſicut ego uolo, &c. in 26 caput Matthæi.

Quòd iuxta carnem paſſus. Bruno: Chriſtus, in quo homo erat, paſſus eſt, quia diuinitas impaſsibilis eſt: ſed in cõiunctione pſonę, filius Dei dicitur paſſus, uera natura filius hominis eſt paſſus. In Symb. Athan.

Anshelmus ait: Diuinã naturam abſq; dubio aſſerimus impaſsibilẽ, nec ullatenus poſſe à ſua celſitudine humiliari, nec in eo quòd uult facere, laborare. Sed Dominũ Ieſum Chriſtum dicimus Deũ uerũ, & uerũ hominem: unam perſonam in duabus naturis, & duas naturas in una perſona. Quapropter cum dicimus aliquid humile aut infirmum pati, non hoc intelligimus ſecundum ſublimitatem paſsibilis naturæ: ſed ſecundum infirmitatem humanæ ſubſtantiæ, quam gerebat. lib. 1 Cur Deus homo, cap. 8. Et: Nec homines Chriſtum crucifixiſſent, ſi Deum gloriæ illum eſſe cognouiſſent, qui in forma ſerui crucifixus eſt. Talis enim erat illa ſuſceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum. Quod tamẽ propter quid & ſecũdũ quid dicatur, ad iuuante Dño, prudens & diligens & pius lector intelligit. Quia rectè dicitur & Deus crucifixus, non ex uirtute diuinitatis, ſed ex infirmitate carnis: una enim eſt perſona Deus & homo. In 2 cap. ad Cor. Item: Verè languores noſtros portaſti, & non abſq; ſenſu doloris paſsionum ſentes percurriſti. Vox enim illa, uox carnis fuiſſe uidetur, nõ ſpiritus, ex eo q͡d ſubiunxiſti: Spiritus quidẽ prõptus, caro aũt infirma. In Spec. Euãg. ſerm. capite ſeptimo.

De morte Christi, Anshelmus inquit: Mors Domini Iesu non fuit in anima, sed in carne sola. in 12 caput Matth. Et: Qui peccatum non habuit in anima, non est mortuus, nisi tantum in carne: & hoc propter similitudinem carnis peccati, quam de Adã traxit. Mors autem eius fuit in carne, & resurrectio. Non enim resurrexit anima, sed tantum carne. Tamen simpla eius mors & resurrectio, nostræ duplici morti & resurrectiõi profuit. ibidẽ. Item: Deus pater non, quemadmodum videris intelligere, hominem Christum tractauit, aut innocentem pro nocente morti tradidit. non enim eum inuitũ ad mortem ille coegit, aut occidi permisit: sed idem ipse sponte suam mortem sustinuit, ut homines saluaret. lib. 1. cur Deus homo, cap. 8. Item: Non coegit Deus Christum mori, in quo nullum fuit peccatum: sed ipse sponte sustinuit mortem, non per obedientiam deserendi uitam, sed propter obedientiam seruandi iusticiam: in qua tam fortiter perseuerauit, ut inde mortem incurreret. Ibidem, cap. 9. Et: Myrrha mortem redemptoris nostri Iesu Christi, cuius caro corruptionem non uidit, significat: quia caro mortua, quæ myrrhæ conditur unctione, non potest putrescere. Vnde & hæc myrrha dicitur electa, quia mors Domini singulariter ex omnium sanctorum mortibus electa fuit, per quam omnes uiuerent. Ideoq; mors ista talem odoris suauitatem præbet, qualem nemo alium sentire potuit, ita ut eius fragrantia reuiuiscãt mortui. in Euangel. enarrat. Et: Quare Christus mortuus est pro nobis, nisi ut charitas Dei diffunderetur in nobis, ut diligeremus eum qui prior dilexit nos. in 5 cap. ad Rom. Itẽ: Christus pro nobis pœnam mortis excepit, ut nos à cruciatu perpetuæ mortis saluaret. Qui ergo peccatoribus donauit mortem suam, quid seruat iustis nisi uitam suam? Incredibilius est enim quòd mortuus est æternus, quàm ut in æternum uiuat mortalis. Iã quod incredibilius est, tenemus. Si propter hominem mortuus est Deus, non est nicturus homo cum Deo? non est mortalis uicturus in æternum, propter quem mortuus est qui uiuit in æternum? Carne tamen sola mortuus est. Mortuus est pro nobis peccatoribus: multo magis ergo saluabit iustificatos. Nam qui fecit quod maius & difficilius est, multo leuius faciet quod minus & facilius est. Difficilius quippe est pro peccatoribus mori, & peccata tollere, quàm iustos & cooperantes saluare. in quintũ cap. ad Romanos. Et: Christus ideo mortuus est semel, ut nos à duplici morte liberarer. Nos enim qui & mente à Deo recessimus, & carne ad puluerem redimus, pœna duplæ mortis astringimur. Sed ille pro nobis sola carne mortuus est, ut simplicem mortem suam duplæ nostræ coniungeret, & nos ab utraq; morte liberaret. Ibidem, capite sexto. Item: Ipse Christus est gratia Dei, qui pro salute omnium mortem gustauit: quia non debebatur nobis, ut filius Dei moreretur p nobis. Qui mortuus est pro omnibus: quia etsi omnes non credunt, ipse tamen quod suum est, facit. In 2. cap. ad Heb.

De fine atq; effectu passionis, inquit Beno: Verè Dominus noster Iesus Christus, nostræ per omnia memor salutis, non solùm homo, sed & pauper pro nobis fieri dignatus est, cum dives esset, ut nos sua paupertate diuites faceret: hic interim fide & spe, donec in futuro cohæredes & comparticipes regni cœlestis faceret in specie & re. in sermone de pur. Mar. Et: In quinq; huius seculi ætatibus, hominum genus sub iugo diaboli captiuum tenebatur, quousq; per intactæ uirginis uterum nascendo in carne appareret, qui carnis peccata per sui corporis hostiam aboleret, & initium sextæ sequentis ætatis sanctificaret. In tractat. de aduent. Dom.

Bruno inquit: Hanc proprietatem, quòd pauper est, uendicauit sibi Christus: quia nemo aliter hanc pauperratem & hunc dolorem pro totius mundi culpa sustinuit. Suscepit itaq; humanitatem salus: hoc est, forma filij, in qua æqualis est patri, quando reconciliauit mundum patri. in Psalmum sexagesimum octauum.

Anshelmus ait: Per mortem enim eius, mors infernalis & mors peccatorum nobis sublata est. Et similiter per resurrectionem eius simplicem, quæ tantùm in carne, non in anima fuit, nobis utraq; resurrectio, hoc est, animæ in baptismate, & corporis in resurrectione communi dabitur. in 12. cap. Matth. Item: Redemit nos à peccatis, & ab ira sua, & de inferno, & de potestate diaboli: quem quia nos non poteramus, ipse pro nobis uenit expugnare, & redemit nobis regnum cœlorum. libro primo, Cur Deus homo, capite sexto. Item: Iesus Christus Dominus noster ad hoc dignatus est homo fieri, pati, mori, ut nos ab omni delicto in sanguine suo iustificatos, ipsius regni consortes efficeret. in libro de similitudine, capite sexagesimoprimo. Et: Deus unicum quem genuerat, & per quem cuncta creauerat, misit in hunc mundum, ut non esset unus, sed haberet adoptatos, qui cum eo possiderent hæreditatem uitæ perennis. Hæreditas, inquam, in qua hæredes eius erimus, non minuetur multitudine filiorũ, nec fit angustior numerositate hæredum: sed tanta est multis, quanta paucis: tanta singulis, quanta omnibus. Item: in octauum caput ad Romanos: Christus morte & resurrectione sua Dominum in-

dum inquisiuit super omnes fideles, siue dũ uiuunt, siue dum mortui sunt. Ibidem, cap. 7. Et: Saluator, Rex, Dominus noster, de potestate sathanę nos eripuit, & suo dominio nos mancipauit. Serui nãq; eius sumus, licet pater eius nos in filios adoptauerit: quia ipse est filius per naturam, nos per gratiã: ille creator, nos creatura: ille sine peccato, nos liberati à peccato. In 1 cap. prioris ad Corinth. Itẽ: Christus cũ p crucẽ nos reconciliaret Deo, nõ fecit hoc p crucẽ, quã a-lius passus sit: sed ita, ut interficeret, hoc est, dolleret inimicitias, quas Deus iustè culpa primiparentis, & nostrorũ reatu peccaminũ in nos habebat: & hoc faceret nõ in alieno corpore, uidelicet Prophetæ uel Apostoli, sed in semetipso. Ipse enim pro nobis Deo satisfecit, sustinendo passiones & opprobria uice nostri, quas nos meritò pati deberemus. Et quia per eum inter nos & Deum facta est reconciliatio, frustra igitur post hæc obseruabuntur carnales cerimoniæ. In 2 cap. ad Ephes. Et: Sicut suauis et bonus odor est alicui acceptabilis: sic Deo sacrificium Dominicæ carnis. In quo pater delectatus est, non respectu simplicis mortis Christi, sed respectu fructus ab ea procedentis. Ex ea enim nunc salus humano generi prouenit, in qua quidem Deus delectatus est. In intentione etiam Salutoris, & affectu pietatis eius, dum se pro nostra redemptione immolari permitteret, delectatus est pater, ut in odore suauissimo. Nam quia iustus pro iusticia occisus est, optimum de sua morte præbuit odorem. Sicut enim peccatum fœtorem, sic iusticia bonum spirat odorem. Ibidem, capite quinto. Et: Qua hora sanguis redemptionis exiuit de latere Domini in cruce pendentis, dimissum est peccatum Adæ humano generi, & pacificata sunt cœlestia & terrestria: quia tunc patuit hominibus introitus in regnum cœlorum. Magna enim discordia separabat hominem & angelos: quia nemo tam sanctus erat, ut in consortium angelorum susciperetur, sed omnes ad infernum propter culpam primi hominis descendebant. Morte autem Christi tanta pax inter homines & angelos effecta est, ut nunc animæ iustorum cùm de corporibus exeunt, mox penetrent cœlos, gaudentibus angelis. Vel pacificata sunt Deo per Christi sanguinẽ, siue ea quæ sunt in cœlis, id est animæ sanctorum, quæ iam sunt in regno cœlorum, & olim discordabant à Deo, uel per suam, uel per protoparentis culpam: siue ea quæ sunt in terris, id est electi, qui adhuc peregrinantur in exilio uitæ præsentis. In primum caput ad Colos. Item: Crucifixo innocente Christo, interemptum esse peccatum Adæ. Ibidem, capite secundo. Item: Per triumphũ Dominicæ passiõis à potestate dæmonum liberati sumus, à qua eripi per legẽ non ualebamus. Ibidem. Item: Christus tantus & tantæ potentiæ est, ut possit alios sanctificare: & alij adeò sunt infirmi, ut indigeãt sanctificatione. ideo potius illum, quàm alium fratrem, oportuit subire passionem. In 2 cap. ad Heb. Item: Dominus Iesus extra omnes alios surrexit, ut oblatione sua mũdaret populũ ab omnib. peccatis: quod nullus alius facere potuit. Ibidẽ, cap. 7. Et: Christus duo fecit, & à peccatis nos mũdauit: & restituta libertate arbitrij, seruire fecit Deo: ut qui uerè uiuit, & uitam ueram sibi seruientibus tribuit. Ibidem, cap. 9. Itẽ: Sanguis Abel mortem parricidæ fratris petijt: sanguis autem Christi, uitam persecutoribus impetrauit. Sanguis Abel expetit uindictã, sanguis Christi misericordiã: ille uni nocuit, iste multis p̃fuit. Ibidẽ, cap. 12. Item: O fortitudo abscondita: hominem in cruce pẽdentẽ suspendere mortẽ æternam, genus humanum prementem: hominem in ligno confixum, defigere mundum perpetuæ morti affixum. O cælata potestas: hominem damnatum cum latronib. saluare homines damnatos cum dæmonib. hominem in patibulo extensum, omnia trahere ad seipsum. O uirtus occulta: unam animã emissam in tormento, innumerabiles extrahere de inferno: hominem mortem corporis suscipere, & mortem animarum perimere. In libro de Meditatione redempt. hum. cap. 1. Et: Non Deus egebat, ut hoc modo hominem saruum faceret: sed humana natura indigebat, ut hoc modo Domino Deo satisfaceret. Non egebat Deus, ut tam laboriosa pateretur: sed indigebat homo, ut sic Deo recõciliaretur: nec egebat Deus, ut sic humiliaretur: sed indigebat homo, ut sic de p̃fundo inferni erueretur. Diuina natura humiliari aut laborare nõ eguit, nec potuit. Hæc omnia humanã naturã, ut ad hoc restitueretur, p̃pter qd̃ facta erat, necesse erat facere, sed nec illa, nec quicqd Deus nõ est, poterat ad hoc sufficere. Ibid. ca. 3.

Christus est quoq; EXEMPLVM. Sic Berno ait: Sicut infernus nullis miserorum ualet cruciatib. mitigari: ita nec ille ullis aduersantiũ hostiũ tentamẽtis potuit à nostræ salutis cura reuocari. Quocirca per charitatis affectus, erga Deũ & proximos nostros, qui sunt eius mẽbra, debet nobis esse: quia sicut ille animã suã pro nobis posuit, ita & nos debemus animas nostras pro fratribus ponere. In serm. de resurrect. Dom.

Petrus Damianus inquit: Inter omnes uirtutum gemmas, quas Saluator noster de

cœlo ueniens attulit, duas insignius atque præclarius rutilare mõstrauit: quas & inferius expresit, & ut nobis imprimantur edocuit, charitatem scilicet, & patiẽtiam. Et de charitate quidem dicit Apostolus: Propter nimiam charitatem suam, qua dilexit Deus mundũ, filiũ suũ misit. De patiẽtia uerò ait: Quæcunq; scripta sunt, ad nostrã doctrinã, &c. In epist. ad Vlricũ Firman. episc.

Anshelmus ait: Christus cum iniurias & contumelias, & mortem crucis cum latronibus sibi propter iusticiam quam obediẽter seruabat, illas benigna patiẽtia sustinuit: exemplum dedit hominib. quatenus propter nulla incommoda quę sentire possunt, a iusticia quã Deo debẽt, declinẽt: qđ minimè dedisset, si secũdũ potentiã suã, mortem pro tali causa illatam declinasset. lib. 2 Cur Deus homo, cap. 19.

Descendit ad infernũ. Algerus: Dũ corpus Christi in sepulchro iacuit, anima ad liberãdas sanctorum animas ad inferna descendit. lib. 2, cap. 8 de Euchar.

Anshelmus inquit: Christus antiquos patres de inferno abstractos, in die ascensionis in cœlũ introduxit. In 20 Matth. Et: Christus in infernũ pro liberatione iustorũ, qui ibi tenebantur, descendit. In 10 cap. ad Rõ. Et: Si in abyssũ descendisse dubitetur Christus, nec mortuus esse creditur: qùia sicut mortuus est ut mortẽ occideret, sic in abyssum descendit, ut suos inde retraheret. Et hæc est iusticia fidei, distans à iusticia mortalis legis: ut non dubitet quis de spe Dei, quæ in Christo est: ut non diffidat Christũ spoliasse infernum, & cũ sanctorũ animab. cœlum ascendisse: quia qui hoc credit, ex hoc efficitur iustus. In 10 cap. ad Rom. Et: Non expectauit Christus, ut aliquis hominũ ascenderet in cœlũ, ad deducendũ eum, quod impossibile erat: sed ipse sua sponte descendit à paterna sede ueniens, quærere & saluũ facere quod perierat. Neq; fuit necesse, uel possibile, ut aliquis in abyssum descenderet, ad reuocandum inde Christum à mortuis: quia ipse sua uirtute, ligato forti aduersario, & spoliato inferno, resurrexit à mortuis. Ibidem.

De humiliatione, inqt Anshelmus: Christus dives est, cũ sit in forma Dei equalis omnino patri. Sed egenus ꝓpter nos factus est, quãdo semetipsũ exinaniuit, formã serui accipiens. Non aũt dictũ est: Egenus factus est, cũ dives fuisset: sed, Egenus factus est, cũ dives esset. paupertatẽ enim assũp sit, & diuitias nõ amisit. Intus dives, foris pauper Latens Deus in diuitijs, apparens homo in paupertate. Quia enim paupertate sumus ditati, quia in sanguine eius peccatorũ nostrorũ cõcisus est saccus. Per illũ sanguinem abiecimus pãnos iniqtatis, ut indueremur stolã immortalitatis. Ne ergo diuitias expa ueſceremus, et ad eũ accedere cũ nostra mẽdicitate nõ auderemus, pauperem se exhibuit: hoc est, Deus nasci dignatus est homo, uirtutẽ suæ potestatis humilians, ut homines cõsortes diuinę naturæ faceret. Quia nib. diuitias suæ diuinitatis adquireret, & mẽ in diuinitatis suæ diuitijs, nobis inuisibilis permanẽs, miris nos poterat uirtutib. ditare: sed ut ad internas diuitias rediret homo, foras apparere dignatus est pauper Deus. Quia uidelicet minus nos amasset, nisi & paupertatẽ nostrã susciperet: & uim nobis suæ dilectionis ostẽderet, nisi hoc quod à nobis tolleret, ad tempus ipse sustineret. In 8 cap. poster. ad Corinth.

Minor angelis. Anshelmus: Christus minor angelis fuit, ꝓpter humilitatẽ carnalis generationis atq; passiõis. Natura enim humanę mẽtis, quę ad imaginẽ Dei facta est, si peccato careat, par est angelis. Christus ergo corpore, nõ mẽte fuit minor angelis, & corpore mortali atq; passibili. In 2 ca. ad Heb. Itẽ: Christus Dñs minoratus est ab angelis, ut nos ęquaret angelis: & qs ꝓpter Christũ se nõ humiliet? Christus Dñs pro peccatis nostris crucifixus est, & crucis amara suis amatorib. dulcorauit. Mortuus est, & mortẽ enecauit, ut uiueremus per illum. In Spec. Euang. serm. capite primo.

De oratione Christi, Anshelmus: Quare orauit? propter tres rationes. Prima, quia delicatè nutritus fuit, utpote filius uirginis, & de stirpe regia natus: quia nobiles magis dolent, quàm ignobiles. Secunda: quia tanta angustia eum inuasit, quòd guttas sanguineas sudauit de toto corpore: quia Deus fuit, & ideo omnia quę pati debuit, præsciuit: uidelicet cõspuitionẽ, blasphemias, flagellationẽ, crucifixionẽ, & huiusmodi. Tertia: quia præsciuit, quòd Iudæi non deberent ei misereri. In lib. de Passione Domini.

Quomodo angelis passio Dñi profuerit, Anshelmus: In reuelatiõe mysterij incarnatiõis Dominicę receperũt angeli quandã in melius ꝓmotionẽ. Sed & gaudiũ eorũ creuit, cũ homines in sũ consortiũ cœpissent recipere. Nõ enim pro angelis mortuus est Christus, sed ideo etiã pro angelis sit, quia quid per eius mortẽ redimitur & liberatur à malo: quia cũ eis quodãmodo redditur in gratiã post inimicitias, quas inter homines & sãctos angelos peccata fecerũt: & exipsa hominũ redẽptione, ruinæ illius angelicæ damna reparãtur. Et sic instaurãtur cœlestia & terrena: sed tamẽ ea tantũ, quæ sunt in ipso ante mũdi constitutionẽ electa & prędestinata. In ipso enim semper fuerunt & sunt quos elegit ab æterno. In 1 cap. ad Eph.

De

DE REDEMPTIONE *generis humani.*

VNde sit redẽptio, Berno docet: Auctor & redemptor generis humani, per semetipsum in carne ueniens, à peccati morte, quem legis amor resuscitare non ualuit, per ingenitam mansuetudinis gratiam, ad statũ uitæ reuocauit. In sermone de resur. Domini. Item: In exordio mũdi, dies à luce incipiebat, & cursum suũ in tenebras finiebat: significans primi hominis lapsum, qui de luce iusticiæ ruiturus erat in tenebras culpæ. At postquã redẽptor generis humani, tenebras noctis, suæ sanctæ resurrectionis lumine illustrauit, ordo commutatur: & dies à nocte Dominicę resurrectionis gloria illustrata incipit, & terminũ suum in lucem concludit, eo quòd homo de tenebris mortis ad lucem uitæ redijt. Ibidem. Et: Omnis omnipotentis uerbi humanatis dispensatio, sanctę Trinitatis indiuidua est operatio. Et quanquam ad solum filium respiciat humanitatis assumptio: tamen ad totam Trinitatem pertinet effectu nostræ redemptionis consummatio. In tractatu de aduent. Dom.

Bruno ait: Mundus in se non habet uiã, nisi Dominum saluatorem, qui iter est cœlorum. In Psalm. 62.

Anshelmus ait: Vnus Christus, nullum omnino habens peccatum, solus hostia sufficiens fuit pro peccatis omnium. In 5 cap. 2 ad Corinth. Item: Quando humana natura primùm peccauit, hac pœna flagellata est, ut nunquam prolem naturaliter, nisi talem, qualem uidemus infantem nasci, generaret: ac post hanc uitam in inferno à regno Dei, ad quod facta erat, in perpetuum exularet: nisi aliquis illam, quam uel quod ipsa sola facere non poterat, reconciliaret. A quo autem reconciliari queat, non est nisi Christus. In omnibus igitur infantib. naturaliter genitis, in peccato & flagellata nascitur: quæ cum reconciliationem accepit, flagellatio meritò remanet, quam ante reconciliationem susceperat. Quæ autem in infernio tormenta passura erat, in illis quos Christus redemit, remittuntur: & regno Dei, quod post conuersionem paradisi tertamẽ in fide, quã p̃mittũt in baptismo, usq; in finẽ p̃seuerẽt. de cõcord. grat. & lib. arbit.

Quomodo redemerit. Anshelmus: Deus Christum pro nobis fecit peccatum: hoc est, sacrificium pro peccato. In lege enim peccata uocabantur sacrificia, quæ pro peccatis offerebantur. Et eodem modo locutionis appellatur nunc Christus peccatum, quia pro peccato est oblatus. In 5 cap. ad Corinth. Et: Christus in sanguine suo redemptionem omnium inuenit, nõ temporalem, sed æternam: quia tantum fuit precium quod dedit, ut æternam redemptis libertatem redderet. Deleuit enim tã originalia, quàm actualia peccata: & omnem iustificationem exhibuit, ac regnum cœlorũ aperuit. In 9 cap. ad Heb. Item: Hoc quoque seruatur in lege, quòd sine sanguinis effusione in aliquo sacrificio facta nõ sit ulla peccati remissio: per quod ostenditur, quia nisi passiõe Christi, nullum omnino potest remitti peccatum. Ibidem. Item: Vna hostia perfectos facit. cuius corpus semel oblatum, omnes suos perfectè emundauit: quoniam usque in finem seculi hostia illa sufficiens erit omnibus in emundationem. Et si millies peccant, nõ indigent alia: quia hoc sufficit ad omnia, & omnem conscientiam à peccato lauat. Ipsa enim & prius per baptismũ purificat eos: & si deinceps peccauerint, per pœnitentiam rursus emũdat, & in cõsummationem uirtutum reformat. In decimũ caput ad Heb. Et: Solius Christi sanguine delentur peccata, etiam illis qui sub lege quondam remissionem per illa sacrificia uidebantur accipere. Ibidem, capite decimo.

Omnes redemit. Anshelmus: Secundũ hanc similitudinem, quoniam non potuerunt omnes homines, qui saluãdi erant, prę sentes esse, quando redemptionẽ illã Christus fecit: tanta fuit uis in eius morte, ut etiam in absentes uel loco uel tempore, eius protendatur effectus. lib. 2 cur Deus homo, cap. 16.

Medicus Christus. Anshelmus: Seipsum medicum dicit, quia miro medicandi genere, propter iniquitates nostras uulneratus est, ut uulnus peccatorum nostrorum sanaret. In 9 cap. Matth.

Quomodo Deus in Christo & prophetis habitet. Anshelmus: In prophetis fuit Deus secundum inhabitationem gratiæ, & reuelationem uoluntatis sapientiæ suæ: in Filio autem omnino totus manebat, scilicet usquequaque mentem & rationem illius illuminans, ut nihil sibi deesset ad perfectionem animæ, utpote cui sapientia Dei personaliter erat unita. In primũ caput ad Hebræos.

Quomodo Christus Spiritum sanctum habuerit, Anshelmus docet: Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est ab Iordane. Non autem dicitur afflatus Spiritu sancto, sed plenus: quia in ipso habitauit omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Non enim ad mẽsuram dat Deus Spiritum sanctum, ipsi uidelicet Christo. nam cæteris sanctis dat eum ad mensuram, huic autem immensuraliter: hoc est, totum ipsum

immensum spiritum. Neque nunc primùm impletus est Spiritu sancto: sed ex quo cœpit in utero uirginis concipi, semper in eo totus mansit Spiritus sanctus. Sed idcirco nũc illo plenus fuisse dicitur, quia tunc cœpit operibus declarare, plenitudinẽ eius in se manere. In Euang. enarrat.

Differentiam Christi & sanctorũ, Anshelmus talem ponit: Nullus est in gloria Dei patris, nisi Dominus Iesus Christus, & ad eius comparationem nullus sanctorũ est aliquid: cessantque uoces legis & prophetarum, ubi pater uoce propria declarat unigenitum suum. in Euang. enarrat.

Differentia filij Dei & hominum. Anshelmus: Omnes alij sunt filij hominum, qui originem habent ex coniunctione duorum: sed est Christus filius solius hominis, quia sine carnali patre natus est de uirgine: & ideo magnum, quod & incomparabile est ipse apud Deum. in 2 cap. ad Heb.

De circumcisione Christi, inquit Anshelmus: Circumcisio Christi, quæ octauo die facta est, significauit, nos per fidem resurrectionis ab omni superfluitate uitiorum fuisse spoliandos: & in octaua ætate seculi, per resurrectionem corporũ ab omni labe mortalitatis & corruptionis exuendos. in 2 cap. ad Colosſ.

De transformatione Christi, scribit Anshelmus: Christus iuxta Lucam ascendit in montem, oraturus, & sic transformandus: quia in cœli secretam altitudinem, ut uerus pontifex, ascendit, pro suis interpellaturus, suamque gloriam eis ibi manifestaturus: ut ostenderet, quia qui beatam resurrectionem expectant, & regem in decore suo uidere desiderant, mente in excelsis habitare, ac continuis precibus insistere debeant. In enarrat. Euang.

De baptismo Christi, ait Anshelmus: Plures causæ sunt, quare Christus ad baptismũ accesserit. Primò, ut exemplo nos inuitaret, ne aliquis fortè ab inferiori baptizari, uel in conspectu hominum denudari erubesceret: & ita perfectionem totius iustitiæ, scilicet baptismum, deuitaret. Secundò, ut baptismate suo baptismum Ioannis confirmaret. Tertiò, ut aquas confirmaret: & quod minus inerat in baptismate Ioannis, efficaciam abluendi peccata eis daret. Quartò, ut operationem Trinitatis per descensum columbæ, per uocem patris, per præsentiam sui, & cætera mysteria baptismatis declararet, cum Ioãnes ita prædicaret & baptizaret. in tertium caput Matthæi. Item: Hæc omnia plena sunt sacramẽtis. Non enim Christus propter se, sed propter nos se manifestare uoluit: quoniam in his omnibus ostenditur, quod unusquisque fidelis in baptismate accipit. Ideo enim tota Trinitas hîc demonstrata, Pater in uoce, Spiritus in columba, & Filius in homine, ut tota Trinitas in singulis baptisatis operari credatur. ibidem. Et: Notandum est, quia bene conuenit mysterium secundæ regenerationis, cum mysterio primæ. In baptismate enim Christi, operatio totius Trinitatis ostensa est. Fuit enim filius ibi incarnatus: apparuit in specie columbæ Spiritus sanctus: & Pater in uoce ibi fuit declaratus. In transfiguratione enim, quæ sacramentum fuit secundæ regenerationis, similiter tota Trinitas apparuit: quia in uoce Pater, in nube Spiritus, in carne Filius. In 27 cap. Matth.

De ignorantia Christi sic inquit Petrus Damianus: De die autem illa, uel hora, nemo scit, neque angeli in cœlo, neque filius, nisi pater. Hoc proculdubio intelligendum est, quòd discipulis hoc tantummodo nesciat, qui sibi nihil prorsus ignorat. Cum enim IESVS, uerbum uidelicet Patris, tempora cuncta condiderit (omnia siquidem per ipsum facta sunt) qua consequentia, qui totum nouit, diem iudicij, partem uidelicet temporis, ignorabit? Sed supereodem saluatore scribit Apostolus: In quo sunt omnes thesauri sapientiæ absconditi. Cur autem absconditi, nisi quia non palàm omnibus manifesti? Nam de eodem iudicij die, post resurrectionem rursus à discipulis inquisitus ait: Non est uestrũm, nosse tempora, &c. ac si dicat: Non uobis hoc expedit nosse. quatenus dubietatis ista suspensio, in operibus pietatis non magis ac magis semper exerceat, & ab omni, (ubi possit obrepere) uanitate compescat. Scit ergo sibi, quod nescit Apostolis: cum patrem, cum quo uidelicet unum est, hoc esse denunciat. Ego enim (ait) & Pater unum sumus. Sicut enim iuxta uerbi sonũ asserit, se quasi nescire, quod pater, sicut aliquando significatur quodammodo non habere quod pater. Vnde & quod dicit Apostolus, cum tradiderit regnum Deo & patri: tanquam regnum, donec ipse tenuerat, pater non habebat: & cum patri tradiderit, ipse non teneat. Dum tradere regnum Deo patri, nihil aliud sit iuxta sobrium intellectum, nisi perducere credentes ad contemplandam speciem Dei patris. Tunc quippe Deo patri regnum à filio traditur, cum per mediatorem Dei & hominum, in contemplationem diuinitatis æternæ, fidelium multitudo transfertur: id est, ut iam necessaria non sit dispensatio similitudinum per angelos, & principatus, & potestates, & uirtutes.

Inepist. ad Desid. Calsinensis monasterij Abbatem.

DE SPI-

DE SPIRITV SANCTO.

De nominibus Spiritus sancti, hoc modo locuti sunt huius seculi Scriptores. Berno ait: Spiritus sanctus rectè dicitur promissum patris, & uirtus. Dicitur paraclitus: id est, aduocatus, uel consolator. Dicitur ignis, sicut de eo scriptum est: Deus noster ignis consumens est. Vt enim quidã sapiens de eo dicit, consumit sine dubio nõ substantias, quas ipse fecit: sed accidentem substantiæ malitiam, uel quicquid illud est quod facturæ suæ extrinsecus adhæret ignem. Et ipsa ueritas in Euangelio dicit: Ignem ueni mittere in terram, & quid uolo nisi ut ardeat? Terra dicuntur terrena corda, quæ igne Spiritus sancti inflammata, ab omni peccatorum rubigine sunt purgata. In sermo. de pentecoste.

Anshelmus inquit: Spiritus patris duobus modis intelligitur. Est enim Spiritus patris, quia est de patre, & quia datur à patre. Filij uerò patris, non est nisi quia datur à filio. In epist. de process. Spir. sancti.

Item: Spiritus sanctus est digitus Dei, quo præsente diffunditur charitas in cordibus nostris: quæ plenitudo legis est, & finis præcepti. In 8 cap. ad Heb.

Spiritus sanctus Deus est, ut Anshelmus docet. Spiritus sanctus apertissimè declaratur esse Deus: quia nisi Deus esset, templũ eius non haberet. nec minor est Christo, cuius templum sunt corda uestra, quæ sunt membra Christi. In sextũ caput prioris ad Corinthios.

Quòd æqualis patri & filio sit Spiritus sanctus, testatur Berno, dicẽs: Ille Spiritus sanctus, cum sit cum Deo patre & Filio unius substantiæ, unius naturæ, uerus Deus, incomprehensibilis, inæstimabilis, indiuisibilis: tamen propter uaria: eius dona septiformis gratiæ inscribitur, sicut Esaias de Redemptore dicit. Et requiescet super eũ spiritus Dñi, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eum spiritus timoris Domini. Et in Zacharia legimus: Ecce enim ego adducam seruum meum orientem: quia ecce lapis quem dedi coram Iesu, super lapidem unum septẽ oculi sunt. In serm. de pentecoste. Et: Spiritus sanctus cum æterno patre, eiusque unigenito filio, unus & uerus Deus, uiuit & regnat in secula seculorum. Ibidem.

Spiritum sanctũ procedere à Patre & Filio. Anshelmus: Manifestum est, quia à Patre pariter, & à Filio, summi Spiritus amor procedit. In Monolog. cap. 48. Et: Pater mittit Spiritum, Filius mittit Spiritum, Spiritus ubi uult spirat: quia, pfectò una est uoluntas & operatio Patris & Filij & Spiritus sancti. In decim sextumũ caput Matthæi. Et: Quapropter si Spiritus sanctus est de Patre, quia est de Deo qui Pater est, negari nequit esse quoq; de Filio, cum sit de Deo, qui est Filius. De process. Spiritus sancti. Et, quomodo Spiritus sanctus habeat suũ esse de Filio, sicut & de Patre, nec tamen de diuersis, sed de uno, prolixè & pulchrè docet Anshelmus in epistola de processione Spiritus sancti. Et: Misit Deus Spiritum scilicet sanctum, qui à Patre & Filio procedit. nam & missio, qua mittitur à patre, ipsa est processio, qua procedit à patre. Et ideo dicit eum Apostolus mitti à Patre & Filio, ut ostendat eum ab utroq; procedere. In 4 cap. ad Gal.

Spiritum sanctum à Filio esse. Anshelmus: Non apparet cur magis egeat Filius Spiritu sancto, quàm Spiritus sanctus Filio. Si enim respondetur, ad hoc datũ esse Spiritum sanctum, ut cum ipse cum patre quoque daret eundem Spiritum sanctum, par illi cum patre gratia imputaretur. Terrena est hæc opinio, & longè ab intellectu diuinitatis extranea, ut tanquam homo homini, Deus Deo indigenti subueniat. Namq; si dat Pater Spiritum sanctum Filio, dat Deus Deum Deo: Pater enim Deus, & Filius Deus, & Spiritus sanctus Deus: & unus idemque Deus. Non enim legimus Deum à Deo Deum accipere: nisi hoc dicatur, cum Deus est de Deo, ut Filius & Spiritus sanctus. Dicitur ergo Spiritus sanctus Filij spiritus, nõ ob aliud, nisi quia ex ipso est. Ibidem. Item: Insufflauit Dominus in discipulos suos, & ait illis: Accipite Spiritũ sanctum. Ac si diceret: Sicut uidetis hunc flatum, per quem uobis Spiritum sanctum, sicut sensibilibus insensibilia significari que unt, significo de intimo corporis mei, & de persona mea procedere: ita scitote, Spiritum sanctum, quem uobis per hunc flatum significo, de secreto deitatis meæ, & de mea persona procedere. Ibidem. Et Spiritum sanctum à Filio quoque procedere, probat Anshelmus explicatione aliquot dictorum sacræ Scripturæ, quæ habẽtur in eadem epistola.

De officio Spiritus sancti, ait Berno: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Iste est Spiritus, qui in origine mundi ferebatur super aquas. Ipse est, qui quotidie fertur super aquas sacri baptismatis, & eas fœcundat, sanctificat, & filios sanctæ matris Ecclesiæ generat, & ex filijs diaboli facit filios Dei. De ipso Dominus dicit ad Nicodemum: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, nõ potest introire in regnũ Dei. Huius Spiritus sancti gratiam, primò in sacro fonte baptismatis, deinde p impo-

ctionem manuum episcoporũ plenius percepimus. Vnde doctor gentium nos admonet, dicens: Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in uobis? Si quis templum Dei uiolauerit, disperdet illũ Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis uos. Et aliàs: Nolite contristare Spiritum sanctum, qui habitat in uobis. Toties Spiritum sanctũ contristamus, quoties templũ corporis nostri peccatorum maculis coinquinamus, & ea operamur, quæ tali mãsore indigna habeantur. Vnde scriptum est: Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, nec habitat in corpore subdito peccatis. In serm. de pentecoste.

Petrus Damianus ait: Spiritus Dei hominum mentes inebriat, ut tanquam à suis sensibus alienati, diuitias mundi huius, honorem & gloriam respuant: ad subeunda uerò pro Deo quæq; dura & aspera, flammabilibus desiderijs inardescant. In epist. ad Blancam.

Anshelmus ait: Spiritus sanctus, qui Deus est, & replet prophetas, non est author dissensionis, & discordiæ, sed pacis & concordiæ. In 14 cap. prioris ad Corinth. Itẽ: Donum sancti Spiritus pignus dicitur, quia per hoc anima nostra ad interioris spei certitudinẽ roboratur. Donum autem Spiritus sancti habet, quisquis igne charitatis ardet: & ideo se ad æternam beatitudinẽ peruenturum, si perseuerauerit, non dubitet. Qui uerò nec dum gustauit quàm dulcis est Dominus, & amorem charitatis non sensit, ad huc sine pignore est, nullam futuræ beatitudinis certitudinẽ habet. In 1 cap. poster. ad Corinth. Et: Spiritus sanctus mox ut cor hominis repleuerit, ardore illud charitatis facit: nec potest unquam discere charitatem, qui Spiritum sanctũ non habet intus docentem. In 4 cap. 1 ad Thess. Et: Ignis quatuor sunt officia, quemadmodum purgat & urit, & illũinat & calefacit. Sic Spiritus sanctus purgat sordes uitiorum, & urit renes & cor ab humore libidinum, illuminat mentẽ noticia ueritatis, & calefacit incendio charitatis. In 12 cap. ad Heb.

Spiritus sanctus columba. Anshelmus asserit, istam columbam quæ apparuit in baptismate Christi, ueram columbã fuisse: & ostendit quomodo Spiritus sanctus in ea fuerit: & alio modo Filium habitasse in homine, quàm Spiritus sanctus in colũba. in 3 cap. Matthæi.

Spiritum sanctum esse amorem. Anshelmus: Sicut uerbum summæ essentiæ filius est eius: ita eiusdem amor, satis conuenienter appellari potest spiritus eius: ut cũ essentialiter ipse sit spiritus, sicut pater & filius: illi non putentur alicuius spiritus, quia nec pater ab ullo alio est, nec filius à patre quasi spirante nascitur: iste aũt æstimetur spiritus utriusq;, quia ab utroq; suo quodã ineffabili modo spirante, mirabiliter procedit. In Monol. cap. 55.

De differentia personarum, ait Anshelmus: Habent utiq; à patre, esse, Filius & Spiritus sanctus, sed diuerso modo: quia alter nascendo, alter procedendo, ut alij sint ab inuicem. De process. Spiritus sancti.

DE ACTIONIBVS DEI, ET *alijs quibusdam.*

QVòd summa essentia dominetur omnibus, & regat omnia, & sit solus Deus, docet Anshelmus in Monologio, ca. 77.

De uoluntate Dei, ait Anshelmus: Volũtas Dei quatuor modis accipitur à doctoribus magistris: scilicet, pro scientia Dei, uolũtate sanctorũ, qui uolunt & iniustos charitatiuè saluari, pro ratione humana, quartò pro præceptis diuinis. In lib. de uoluntate Dei. Item: Duæ sunt uoluntates in Deo, una misericordiæ, quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines uult saluos fieri: quod tamen in libera uoluntate eorum positum est. Est alia, quæ est de effectibus rerum, de qua dicitur: Omnia quæcunq; uoluit fecit. huic nemo potest resistere, de qua dicitur: Voluntati eius quis resistit? Hæc prouidentię concordat semper: alia uerò non semper. In 6 cap. Matth. Item: Quæ autem de effectib. est, alia est permittens, alia approbans. Permittens est, quia efficit malum quandocũque uult. Approbans autem est, quòd facit bonum quandocunq; uult. & utraq; est ex iniusticia. Itaque homines resistunt uoluntati misericordię, & non resistunt uoluntati iusticiæ. Ibidem. Item: Voluntatũ Dei alia potest dici efficiẽs, alia approbãs, alia concedens, alia permittens. In lib. de uoluntate Dei.

Quot modis Deus loquatur, Anshelmus indicat, dicens: Aut per internam inspirationem, aut per Scripturas, aut per prædicatores loquitur suis Deus. In enarrat. Euang.

Quomodo Deus interroget, Anshelmus declarat: Tribus modis nos interrogare cõsueuit Deus: cũ aut flagelli districtione percutit, & quanta nobis insit, uel de patientia ostendit. Aut quędam quæ nolumus præcipit, & nostram nobis obedientiam uel inobedientiam patefacit. Aut aliqua nobis occulta aperit, & aliqua abscondit, & mensuram nobis nostræ humilitatis innotescit. Et hoc tertio modo doctores magis interrogat. In enar. Euang.

Quomodo Deus malum creet. Anshelmus inquit: Faciens pacem, & creãs malũ. Ipse

Ipse namque creat incommoda, quib. exercet & purgat iustos, & punit iniustos. De cõcordia præsc. & prædest. Dei.

Quomodo Deus dat malam uoluntatem, declarat Anshelmus: Fatemur, inquit, eum dare uoluntatẽ malam, non prohibẽdo eam cum potest: præsertim cum potestas uolendi quælibet, non nisi ab illo sit. In dialog. de casu diab. cap. 20.

PHRASES ET REGVLAE de Deo.

AVRES. Bruno: Aures Domini dicũtur, quando exaudire dignatur humilem, postulãtem ueniam pro delictis suis. in Psalm. 70.

Anshelmus ait: Multa huiusmodi in Scripturis sacris legimus, ut quod de una persona singulariter dicitur, indifferenter de tribus intelligatur. in epistol. de process. Spiritus sancti. Item: Vbicunq; sacra Scriptura sparsim diuersis libris in Deo motus animæ, seu humana mẽbra describit: id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, dexteram, sinistram, digitos, siue legitimum, linguam, imaginem, uterum, manus, brachium, alas, scapulas, uentrem, posteriores, pedes: item motus animæ, iram, furorem, obliuionem, pœnitentiam, recordationem, & alia his similia: non carnaliter iuxta historiam intelligentibus scienda sunt, sicut Iudæis & plerisque hæreticis carnaliter intelligenda sunt, & confitenda. In lib. de uestimentis & memb. Deo attributis.

Et: Deus aliquando nũcupatiuè, aliquando essentialiter dicitur. Nuncupatiuè, sicut Moysi dictum est: Ecce constitui te Deum Pharaonis. Essentialiter, sicut ait: Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Quia uerò nuncupatiuè dicitur Deus, inter omnia: quia autem essentialiter dicitur Deus, super omnia est. in nonum caput ad Hebræos.

De potentia Dei sic inquit Anshelmus: Sed & omnipotens quomodo es, si omnia non potes? aut si non potes corrumpi, nec mentiri, nec facere uerum esse falsum: ut quod factum est, non esse factum, & plura similiter: quomodo potes omnia? An hæc posse, non est potentia? Nam qui hæc potest, quod sibi non expedit: & quod non debet, potest: quæ quanto magis potest, tanto magis aduersitas & peruersitas possunt in illum, & ipse minus contra illas. Qui ergo sic potest, non potentia potest, sed impotentia. in Prosologio, cap. 7. Item: Ergo Domine Deus, inde ueriùs es omnipotens, quia potes nihil per impotentiam, & nihil potes contra te. ibidem.

Deus dicitur multa facere, quia non facit: ut cum dicitur inducere in tentationem, quoniam non defendit à tentatione, cũ possit. In dialog. de casu diab. cap. 1.

Non in natura sua Deus irasci potest, qui semper tranquillus & incommutabilis permanet: sed iratus uidetur eis, quibus uindictã reddit. ideoq; uindicta ipsa uocatur eius ira. Anshelmus in enarrat. Euang.

Tradere dicitur Deus, dum nõ retinet delinquentes. Anshelmus in loco de libero Arbit. Item: Tradere dicitur Deus, dum non retinet delinquentes propter arbitrij libertatem, ad malum promptissimam. Manifestũ quoq; est, Deum operari in cordibus hominum, ad inclinandas eorum uolũtates quocunq; uoluerit, siue ad bona pro sua misericordia, siue ad mala pro meritis eorum, iudicio utiq; suo, nonnunquam aperto, nonnunquam occulto, semper autẽ iusto. Nam propter præcedentia peccata, multiplicãtur sequentia. Et Deus qui peccatorem diu expectat ut redeat, non redeunti atq; contemẽnti ponit adhuc ubi grauius impingat. in 1 cap. ad Rom. Item: Neq; liberam uoluntatem rationali creaturæ suæ Deus negauit: & tamen potestatem qua etiam iniustos iustè ordinat, sibi retinuit. Rectè ergo nonnulli traduntur sathanæ, ut corrigantur: quia non potest eis sathanas facere, nisi quod diuinitus ordinatur, idem in 1 cap. 1 ad Timoth.

Sapientia de diuinis & spiritualibus dicitur, scientia de humanis & corporalibus. Est enim sapientia in Deo, & de ipso, & de Angelis, atq; de omnibus super cœlestibus creaturis: quoniam hoc, prẽter ipsum Deum, nemo perfectè cognoscit. Neque enim ipsi angeli seipsos perfectè cognoscũt, in quantum Deus illos perfectè intelligit, usq; ad plenũ. Scientia quoque de omnibus humanis & mundanis rebus, est imperfecta. Per hanc sapientiam & scientiam, gubernat & disponit ipse sapiẽter omnia cœlestia & terrena, licet nos abscõditas causas operum eius ignoremus. Anshelmus in 11 cap. ad Rom.

Quoniam ex ipso, & per ipsum, &c. Ex ipso potest intelligi, ex patre omnia: & per ipsum, & per filium omnia: & in ipso, in Spiritu sancto omnia. Per has prẽpositiones, Ex, Per, In, ostenditur diuersitas personarum. Per idem pronomen quod est Ipse, designatur identitas substantiæ, dum dicitur, Ex ipso, & per ipsum, & in ipso. Nec solum eadem substantia Patris & Filij & Spiritus sancti: sed & æqualitas per hoc demonstratur, & tota Trinitas omnia creasse & continere declaratur. Anshelmus in undecimũ cap. ad Hebræos.

Deus dicitur uerax: id est, inuariabilis, tam in essentia, quàm in promissis. Idem in 3 cap. ad Rom.

PHRA-

PHRASES ET REGVLAE *de Christo.*

ALgerus ait: Quòd dupliciter uel tripliciter dicatur corpus Christi: Spirituale, de quo dicitur, Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus: Humanum, in quo crucifixus est, &c. & Mysticũ, qđ est Ecclesia. lib. 1 cap. 17 de Euchar.

Anshelmus inquit de quæstione, Quomodo Christus homo absq; peccatis natus sit? Qua ratione uerò sapientia Dei hoc fecit, si non possumus intelligere, non debemus mirari: sed cum ueneratione tolerare, aliquid esse in secretis tantæ rei, quod ignoremus. In lib. 2 Cur Deus homo, cap. 16.

Meginhardus inquit: Ego sum uia, ueritas, & uita: hoc est, per me uenitur, ad me peruenitur, in me permanetur. Ex quo intelligitur, quia nulla res in uia nos tenere debeat, quando nec ipse Dominus, in quãtum uia nostra esse dignatus est, tenere nos uoluerit, sed transire, ut rebus temporalib. quamuis ab alio pro salute nostra susceptis & gestis, hęreamus infirmiter, sed per eas potius curramus alacriter: ut ad eũ ipsum, qui nostrã naturã à temporalib. liberauit, & collocauit ad dextrã patris, prouehi & peruehi mereamur. Ad Guntherum, de fide.

DE CREATIONE.

VNde creatio sit, Petrus Damianus indicat, dicens: Deus omnes creaturas ad nutum sui disponit arbitrij: omnib. uiuendi moderatur ac temperat ordinem: omnium formas distinguit, ac species: omnibus, prout uult, congruas uirium tribuit facultates. A' quo, & per quẽ est, quicquid est: sine quo quicquid est, proculdubio nihil est. In epist. ad Nicolaũ Papam.

Anshelmus: Necesse est, ut sicut nihil factum est nisi per creatricem præsentem essentiam: ita nihil uigeat, nisi per eiusdem seruatricem potẽtiam. In Monologio, cap. 12. Et: Quòd summa essentia sit in omnibus, & omnia sunt ex illa, & per illam, & in illa. Ibidem, cap. 13. Et: Vnum filium sibi consubstantialem, coæternum, omnipotentem, ex sua natura sine initio Deus pater genuit: & per eum omnes creaturas, uisibiles & inuisibiles ex nihilo fecit. De excel. beatæ Mariæ uirg. cap. 3.

Ex nihilo omnia condita. Anshelmus: Pater itaq;, quoniam priusquam fierent uniuersa, erant in ratione summæ naturæ, quid, aut qualia, aut quomodo futura essent: quare ea quæ facta sunt, clarum sit nihil fuisse antequam fierent, quantum ad hoc, quia non erant ex quo fierent: non tamẽ nihil erãt, quantũ ad rationẽ faciẽtis, p quã & secũdũ quã fierẽt. In Monlog. cap. 8.

De impulsiua creatiõis, inqt Petrus Damianus: Antequam uirtutes angelicas condidisset, antequam tempus uel temporale quid extitisset, plenas atque perfectas immortalitatis & gloriæ diuitias possidebat. Ad creandum igitur quod non erat, non solitudinis eum, uel alicuius inopiæ necessitas impulit, sed sola propriæ clemẽtiæ bonitas prouocauit. Nec beatitudini eius rerũ conditio conferre aliquid potuit, cũ ita per se, & in se sit plenus atq; perfectus, ut nec existẽte creatura, sibi aliqd accedat, nec ea pereũte decedat. In epist. ad Nicolaũ Papã.

Bona omnia creata esse. Anshelmus: Nihil in creaturis Dei immũdũ est, natura sui. Omnia nãq; à bono Deo creata, bona esse cõstat, & mũda. In 14. cap. ad Rõ. Itẽ: Manifestũ est, Saluatoris beneficio omnia mũda esse, q de subiugo legis eruẽs homines, reddidit eis statũ pristinũ libertatis. Itaque uel ꝓpter Dei creationẽ, uel ꝓpter Saluatoris aduẽtũ, nihil in creaturis est naturaliter immũdũ. Vnde & ipse dicit: Quia nõ quod intrat in os, coinquinat hominem. Ibidem.

DE ANGELIS BONIS.

VNde sint angeli, monet Petrus Damianus: Angelica uirtus licet potens sit, non tamen à se, sed ab illo, licet immortalis sit, suumq; beatè uiuere nullo prorsus fine concludat: tamen quia & loca mutat, & tempora, non coæterna suo dicenda est Creatori, qui naturaliter atq; essentialiter est ipsa potentia, ipsa immortalitas, ipsa æternitas. In epist. ad Nicol. Pap.

Qualis sit angelorum substantia. Anshelmus: Creatos spiritus, circũscriptos, & æternos esse docet. In Prosolog. cap. 13.

De confirmatione angelorum sic scribit Anshelmus: Illi ergo q ceciderũt, si nõ peccasset cũ possent, tãto meliores essẽt quàm isti, quanto & uerè essent iusti, & gratiam à Deo mererẽtur. Vnde seqtur, aut quia electi homines, maiores & meliores erũt angelis bũtur, quoniã nõ tales erũt homines, q pro illis sumũtur, quales illi futuri erãt. D. Hæc duo penitus negãda existimo. M. Poterant igitur boni angeli peccare ante casum malorum, nec aliter quàm sicut ostẽsum est, de illis qui peccauerũt. D. Aliter esse posse nõ uideo. M. Illi itaq; angeli, qui magis uoluerunt iusticiam, quam habebant, quàm illud plus quod non habebant bonum, quod quasi ꝓpter iusticiã quantũ ad uolũtatẽ pertinuit, perdiderũt, iusticia retribuẽte acceperunt; & de illo quod habebãt, in uera securitate permanserũt. Quapropter à Deo sunt profecti, & sunt adepti quicquid potuerũt uelle: nec iã uident qd plus uelle possũt, & ꝓpter hoc peccare nequeũt. Illi uerò angeli, q maluerũt illud plus, quod nõ dum

dum Deus illis dare uolebat, quàm ſtare in iuſtitia, in qua facti erant: eâdem iuſticia iuſticante, & illud propter quod illam conſeruare non curauerunt, nequaquã obtinuerũt: & qđ tenebant bonum, amiſerunt. Sic ergo diſtricti ſunt angeli, ut adhærentes iuſticiæ, nullum uelle bonum poſsint, quo non gaudeant: & deſerentes illam, nullũ uelle queant, quó non careant. In Dialogo de caſu diab. cap. 6. Item: Sicut glorioſa eſt ſcientia, quæ ex laudabili perſeuerantia eſt compacta: ſic ad gloriam eſt impotentia peccandi, quæ ex glorioſa ſciẽtia eſt nata. Quemadmodum ergo malus angelus uituperandus eſt, quia non poteſt ad iuſticiam redire: ita bonus laudandus eſt, quia non poteſt abire. Sicut enim ille iam redire non poteſt, quia ſola mala uoluntate abijt: ſic iſte iam abire non poteſt, quia ſola bona uoluntate permanſit. Palàm igitur eſt, quia ſicut ille non poſſe recuperare quod deſeruit, eſt pœna peccati: ita huic, non poſſe deſerere quod tenuit, eſt præmiũ iuſticiæ. Ibidẽ, ca. 24. De operib. angelorũ, ait Petrus Damianus: Eſaiæ 5. Vinea facta eſt dilectio in cornu in loco uberi, & maceria circũdedit, & circũfodit eã. Per maceriã lapidũ intelligit ſeptẽ, & excubias angelorũ. Quib. uidelicet anima in certamine poſita, dum uallatur atq; circundatur, à cunctis aduerſanti-ũ ſpirituum tentationibus cuſtoditur. In 1 epiſtol. ad Blancam.

Anſhelmus ait: Angeli ſunt teſtes humanorum actuum, ſub quorum cuſtodia benè uel malè egerunt. In cap. 25. Matth. Item: Mittũtur propter nos huc angeli uel à Domino, uel à maioribus angelis. Ex minoribus enim angelorum agminibus, foris ad exhibendum miniſterium immittuntur: id eſt, ad humana ſolatia uel angeli uel archãgeli ueniunt. Nam ſublimiora agmina ab infimis nunquam recedunt: quemadmodum ea quæ præeminent, uſum exterioris miniſterij non habent. In 1 cap. ad Heb. Item: Sicut urſarij urſos, ita angeli ſpiritus malignos, à ſua ſæuitia coercent & opprimũt, ne nobis noceant in quantũ uolũt. de ſimilitudinib. cap. 191. Item: Angeli nobis ſunt ad cuſtodiã deputati. In 11 ca. 1 ad Cor.

DE DIABOLO.

Dæmonia ſunt, quæ nulli præſtãt bona: ſed in ſe credentes decipiunt. dicũ Dæmones, quaſi ſcientes. Sed quoniam ſcientia non poteſt dici, quæ Creatoris non obſecundat arbitrio: eos ita ſcientes deleantur à corpore, quaſi non intelligentes. ſicut & Apoſtolus ſapientiam mundi ſtultitiam uocat. Bruno in Pſalm. 97.

Anſhelmus inquit: Quamuis homo iuſtè à diabolo torqueretur: ille tamen eum iniuſtè torquebat. Homo namq; meruerat ut puniretur, nec ab ullo cõuenientius, quàm ab illo cui conſenſerat, ut peccaret. Diaboli uerò meritum nullum erat, ut puniretur: imò hoc tãto faciebat iniuſtius, quanto nõ ad hoc amore iuſticiæ trahebatur, ſed inſtinctu maliciæ impellebatur. Nam hoc non faciebat Deo iubente: ſed incomprehenſibili ſua ſapientia, quæ mala etiam benè ordinat, permittẽte. lib 1 cur Deus homo, cap. 7.

De lapſu diabolorum ait Petrus Damianus: Diabolus per ſuperbiam cœlum perdidit, quod tenebat. In epiſtola cuius initium, Prodigium atq; portentum.

Anſhelmus inquit: Angelus in fortitudine ſcientiæ & ſubſtantiæ conditus eſt, ita quòd & profundam cognitionem habuit, & facultatem exequẽdi ex fortitudine ſubſtantiæ. Cùm ergo in tanto bono abundaret, uidens diuinam eſſentiam præſtantiorem multo ſe, contra conſcientiam ſuam, non ex aliqua infirmitate, cœpit Deo inuidere, & uoluit ſe ei parificare. Non ergo ex infirmitate ignorãtiæ, neq; ſubſtantię, contra Deum peccauit: ſed ex ſua prauitate, cognoſcens tamen eum eſſe Deum & conditorem ſuum, & tamen contra conſcientiam ſuam inuidit ei. Deus ergo iuſtus iudex, ſubtracta gratia ſua, noluit eum uiſitare: ſed permiſit eũ excæcari omnino, & in obſtinatiõe eâdẽ cadere. In 12 caput Matth. Item: Apoſtatę angeli ſuperbiendo ceciderunt. In 1 cap. ad Eph. Et: Propter ſuperbiam, qua diabolus ſe cunctis meliorem iudicauit, factus eſt cũctis poſterior. In 3 cap. prior. ad Timoth. Ité: Non eſt aliqua ſpes mali, q̃ non ex aliqua cupiditate aliquãdo procedit. Hac enim & primus angelus cecidit, qui utiq; non amauit pecuniam, ſed proprĩam poteſtatem. Ibidem, cap. 6. Item: Diabolus qui accepit uelle, & poſſe accipere perſeuerantiam: ideo non accepit, nec perſeuerauit, quia non perſeuerare uoluit. In dialogo de caſu diab. cap. 3. Item: Non ſolũ aũt uoluit eſſe æqualis Deo, quia præſumpſit habere propriam uoluntatem: ſed etiam maior uoluit eſſe uolendo, quòd Deus illum uelle uolebat, quemadmodum uoluntatem ſuam ſupra uoluntatem Dei poſuit. Ibidem.

Quales ſint diaboli, Berno monet: Dæmones ſunt (inquit) prauæ uoluntatis maximęq; ſuperbiæ, faſtus, & inuidentiæ atq; maliciæ ſpiritus, immundi atq; peruerſi. In lib. de diuinat. dæmon. contẽnenda. Item: Quoniã de diuinatiõe dęmonũ quęſtio eſt, illos ea plerunq; pronũciare quę ipſi facturi ſunt. Accipiũt enim ſępè poteſtates, & morbos immittere, & ipſum aẽrem uitiando morbidũ reddere: & puerſis atq; amatoribus terre-

terrenorum commodorum, malefacta suadere: de quorundam moribus certi sunt, quòd sint eius talia suadentib. consensuri. Suadent autem miris & insensibilibus modis, per illam sublimitatem corporum suorum, corpora hominum non sentientiũ penetrando: & se cogitationibus eorum, per quædam imaginaria uisa miscendo, siue uigilantium, siue dormientium. Aliquando autem non quæ ipsi faciunt, sed quæ naturalib. signis futura prænoscunt, quæ signa in hominum sensus uenire non possunt, antè prædicunt. Neq; enim quia præuidet medicus, quod non præuidet eius artis ignarus, ideo diuinus iá habendus est. Quid autem mirum, si, quẽadmodum ille in corporis humani uel turbata uel modificata temperie, seu bonas seu malas futuras præuidet ualetudines: sic dæmõ aëris affectione atq; ordinatione sibi notas, nobis ignotas, futuras præuidet tẽpestates? Ibidem.

Anshelmus inquit: Sicut in bono angelo nulla omnino est iniusticia: ita in malo nulla est penitus iusticia. Nihil igitur erat in diabolo, cur Deus contra illum ad liberandum hominem sua uti fortitudine non deberet. lib. 1 cur Deus homo, cap. 7. Item: Dæmonis est, scienter & uoluntariè peccare, cùm nulla ad hoc fragilitate trahatur: hominis autem est, per ignorantiam uel per infirmitatẽ peccare. Anshelmus in 10 cap. prioris ad Corinth.

Quomodo cogitatiões cognoscãt. Anshelmus: Dæmones non possunt cogitationes intelligere, nisi aliquibus signis indicãtur. In 6 cap. Matth. Item: Sunt arguendi hac sententia, qui cogitationes à diabolo immitti putant, & non ex propria uoluntate nasci. Diabolus est adiutor & incentor malarum cogitationum: potest esse nõ author, quia nec interiora, nisi per quosdam habitus & gestus exteriores nouit. Verbi gratia. Si pulchram mulierem uos crebrò inspicere uiderit, cor amoris iaculo uulneratum intelligit. Ibidem, in 15 cap.

De operibus diaboli, inquit Berno: Sępè etiam ipse dæmon ludificat mentes hominum, ut uidere uideantur quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. de contem. diuinat. dœm.

Anshelmus inquit: Crudelium angelorum officium est, reprobos torquere. In Euang. enarrat. Item: Sicut adulter homo lætatur nequitia sua, cum carnem corrumpit: sic diabolus lætatur, quando mentem corrumpit. Reuera enim corrũpitur mens & fides eorum, qui præponunt mendacium ueritati. Qui ergo mendaciũ ediscant in hominibus, quid ab eis expellunt, nisi ueritatem? immittunt diabolũ, excludunt Christum: immittunt adulterum, excludũt sponsum. Quando enim mentem falsitas possidet, tunc serpens eam possidet. In 11 cap. 2 ad Corinth.

De potentia diaboli, Berno inquit: Abusit à fidelium mentibus, qui Christum ueraciter credunt ac confitentur, qui iuxta Apostolum Paulum, qui dicit, Nescitis quia templum Dei estis, & Spiritus sanctus habitat in uobis, cognoscunt se esse templũ Dei habitaculum Spiritus sancti: putent uel deos esse, uel dæmones aliquid posse, præter quod illis Deus concedit, uel ad gubernationem fideliũ, uel iusto iudicio ad condemnationem reproborum, magnicas arbitres contra rectè in Deum credentes aliquid ualere. De diuinat. dæm. contem.

Quomodo noceat diabolus. Anshelmus: Dæmones rebus hominũ nocere non possunt, nisi permissione Dei. In 8 caput Matthæi.

De defensione contra diabolum. Anshelmus: Nemo potest omnes mortiferos dolos diaboli euadere, nisi regat atque tueatur Deus. Et ipsa huius rei difficultas ad hoc utilis est, ut nemo spem ponat in se, uel in alio homine, sed in solo Deo.

De damnatione diabolorum, ait Berno: Deus non uult dęmonum genus ante tempus damnare. Sciunt enim ipsi dæmones, quia tempus eorum præsens hoc seculum continet. propterea denique & Dominum rogabant, ut non torqueret eos ante tẽpus, neque in abyssum mitteret. Et ob hoc neque diabolum remouit à principatu mundi huius, quia adhuc opus est opera eius ad persecutionem eorum qui coronandi sunt: opus est opera eius ad exercitia certaminũ & uictoriarum beatorum. Si enim dæmonibus auferatur libertas arbitrij, nullus ultrà oppugnabit athletas Christi. Nullo autem oppugnante, nec certamen aliquod erit: & sublato certamine, nullum erit præmium, nulla uictoria. de diuinatione dæmonum contemnenda.

Petrus Damianus ait: Sublimis angelus idcirco irrecuperabiliter perijt, nõ quia contra uniuersitatis authorem protulit quælibet praua, uel fecit: sed tantum, quia pernequitiam cogitationis intumuit. In epistola cuius initium, prodigium atque portentum.

DE HOMINE.

Diuisio hominis. Anshelmus: Totus homo, id est interiore & exteriore parte, inueterauit propter peccatũ, & pœnæ immortalitatis addictus est. Renouatur autem secũdum interiorem hominem, ubi secundum sui Creatoris imaginem reformatur. In resurrectione uerò, etiam exterior

terior percipiet cœlestis habitudinis dignitatem. Renouatio interioris inchoatur à fide, bonisque moribus augetur, & roboratur de die in diem. Non enim momento uno fit ipsius conuersationis renouatio, sicut momento uno fit in baptismo peccatorum remissio. Neq; enim uel unum quãtulumcunq; remanet, quod non remittatur. Sed quemadmodum aliud est carere febribus, aliud ab infirmitate quę febrib. facta est, reualescere: itéq; aliud est infixũ telũ de corpore demere, aliud uulnus qđ eo factũ est, secunda curatione sanare: ita prima curatio est, causam remouere languoris, quod per omnium fit indulgentiam peccatorum: secunda, ipsum sanare languorem, quod fit paullatim proficiẽdo in renouatione huius imaginis. In 4 cap. 2 ad Corinth.

Quando creatus. Anshelmus: Homo in sexta, id est in perfectione, quæ per septenarium significatur, ad imaginẽ Dei factus est, quæ imago postea per peccatum corrupta est. In 6 cap. Matth. Et: Protoplastum Adam decimo calendas Aprilis esse formatum ex limo terræ. In 27 cap. Matth.

De forma hominis, inquit Anshelmus: Natura mea ad similitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indesinenter ipso Deo frueretur, & eius gloria sine omni corruptione & mutabilitate aliquando potiretur. de excel. Marię uirg. cap. 9. Et: Cõsequi itaq; uidetur, quòd rationalis creatura nihil tantũ debet studere, quàm hanc imaginẽ sibi per naturalem potentiam impressam, per uoluntarium effectũ exprimere. In Monolog. cap. 65.

De hominis formatione, inquit Anshelmus: Quatuor modis potest Deus facere hominẽ: uidelicet, aut de uiro & de fœmina, sicut assiduus usus mõstrat: aut nec de uiro, nec de fœmina, sicut creauit Adã: aut de uiro sine fœmina, sicut fecit Euam: aut de fœmina sine uiro, qđ nondũ fecit. Vt igitur hunc modum quoq; probet suæ subiacere potestati, & hoc ipsum opus dilatum esse: nihil conuenientius, quàm de fœmina sine uiro assumat illum hominem, quem quærimus. lib. 1 Cur Deus homo, cap. 7.

De ordinibus hominum in communi uita, ait Anshelmus: Tres sunt ordines hominum: uidelicet, orantes, agricultores, & defensores. Hos autem ordines sic ad diuersa officia Deus in hoc mũdo disposuit, quemadmodum quidam paterfamiliãs oues & boues, & canes maximos, in domo sua distribuit. In Similitudinibus cap. 126.

De quadruplici hominis statu, inqt Anshelmus: Notandum siquidem, quia humanæ naturæ quatuor sunt status, quibus pro diuersis meritis beata uita uel misera redditur. Duo namq; primi beati, duo postremi miseri. Beatorũ aũt alius minus beatus, alius uerò beatissimus: ita quoq; miserorum alius minus miser, alius uerò miserrimus. Status itaq; minus beatus fuit ille, quo ante peccatũ Adã in paradiso stetit. Beatissimus uerò ille est, quo nũc in cœlo sanctorũ animæ sunt. Minus aũt miser status noster est, quo dũ uiuimus in hoc seculo sumus. Miserrimus uerò ille erit, quo re,pbi pmane bũt in pœnis inferni. Vt ergo beatissimo statu æternaliter qescamus, in Dei seruitio tẽporaliter laboremus. In lib. de Similitud. cap. 124. Itẽ: Hominẽ ad excellentissimi regis imaginem & similitudinẽ factum, dum benè se rexit, dum sibi temperanter imperauit, regẽ fuisse quis dubitet? Regnũ uerò istius paradisus Dei fuit, in quo felix homo colonus, in quo operarius positus, in quo rex & dominus, ut dominaretur & pręesset bestijs & piscib. atq; reptilib. & auib. tanquã rex in solio collocatus est. Sed proh dolor, q hoc modo magnus rex & sublimatus p̃sidebat, per inobediẽtiæ tumorẽ à regno illo depulsus est, & ærumnis ac tristiciæ expositus est. Tamẽ miserãte Deo, cuius miserationes sup omnia opera eius, nõ ex toto miser homo, in p̃ditionis abyssũ redactus est: quoniã neq; liberũ amisit arbitriũ, neq; à rationis capacitate alienatus est. Perdidit ergo per seipsum magnũ quid, reliquit aũt ei misericordia conditoris parũ quid. In eo itaq; qđ amisit, rex esse desijt: in eo autem quod præ cæteris animalib. sibi relictũ est, quasi regulus uictitauit. In enarrat. Euang. Item: Homo in agnitione Dei creatus est, quia in principio creationis suæ Creatorem suum ex ratione cognouit: sed postea per peccatum cæcatus, agnitionem creatoris amisit. Nunc uerò per illuminationem Euangelij, & per infusionem gratię Spiritus sancti, eũdẽ suum Creatorẽ recognoscit, & mox interius renouatus, q uetustatẽ contraxerat, dũ Creatorẽ ignoraret. In 3 cap. ad Colosſ.

De fine hominis, inquit Anshelmus: Ad hoc factã esse rationalem naturam certũ est, ut summum bonũ super omnia amaret & diligeret, non propter aliud, sed propter ipsum: si enim propter aliud, non ipsum, sed aliud amat. lib. 2 Cur Deus homo, ca. 1.

De natura integra, sic scribit Anshelmus: Eadem ratione, qua monstratur rationalẽ iustam esse creatam: probatur etiam, quòd qui ex humana natura propagarẽtur, non pręcedente peccato, ex necessitate iusticiã pariter haberẽt cum rationalitate. Siquidẽ qui creauit primũ hominẽ sine parentũ generatione, creat etiã omnes qui per creatã fiunt ab illo propagandi naturã. Omnis igitur homo, si peccatũ non pręcessisset, simul

esset,sicut Adam,& iustus & rationalis.de cō cep.uirg.cap.10. Item:Si Adam nō peccas set,sicut ipse nulla senectute, nulla causa infirmatus deficeret: sic natura propagādi creata in illo,& ad utendum eius potestati subdita,nullo casu à suo cursu impediretur.Ibidem,cap.16. Et: In beatitudine secundum omnium sensum est sufficientia competentium commodorum,sine omni indigentia:siue angelica intelligatur beatitudo, siue illa quā habebat Adā in paradiso. Quamuis enī maior sit beatitudo angelorū,quàm illa q̄ erat hominis in paradiso: nō tamē ideo negari potest Adam beatitudinē habuisse.Sicut namq; calor magnus est sine omni frigore, & tamē potest esse alius maior calor: & quēadmodum frigus est sine omni calore, cum tamen maius ualeat frigus esse: ita nihil prohiber, Adam beatū fuisse in paradiso sine omni indigentia,licet maior esset angelica beatitudo. de concord. gratia, & lib. arbit.

DE ANIMA.

DE animæ hominis nominibus,ait Anshelmus: Nota,quòd plura sunt nomina animæ.Vocatur enim aliquando spiritus, mens,animus, ratio, intellectus,interior homo: dicitur etiam anima uegetabilis,sensibilis,rationalis.de Similitudinibus cap.171.

Vnde sint:Meginhardus:Credo animas humanas nō esse à principio inter reliquas intellectuales creaturas, neq; simul creatas,sicut Origenes fingit. neq; enim corporibus percoitum seminari,sicut Lucifer & Cyrillus affirmāt: sed corpus tātū p̄ coniugij copulā seminari. Dei uerò iudicio coagulari in uulua, atq; formari: ac formato iā corpore,animam creari & infundi,ut uiuat in utero homo, ex anima cōstās & corpore:& egrediatur uiuus ex utero,plenus humana substātia. Credo unā tātū animā in homine esse, uelut Iacobus & alij Syrorum perhibēt.Ad Gūther.de fide.

Vbi sit anima.Anshelmus: Notandum est, quòd principalis sedes animę,non iuxta Platonem in cerebro,sed iuxta Christum in corde est. in 15 cap. Matth.

Quò animæ perueniant. Anshelmus: Morte Christi pax tāta inter homines & angelos affecta est,ut nunc animę iustorū, cùm de corpore exeunt,mox penetrēt cœlos gaudentibus angelis. in 1 cap.ad Colosſ. Item: Omnes iusti, quicūq; in factis & dictis & cogitationibus perfecti sunt,mox ut animas de corporibus emittunt, cœlestibus habitaculis inferuntur. in 12 cap.ad Hebr.

Vnde lapsus hominis sit, Berno exponit, dicēs:Per seductionē patris diaboli,q̄ ob sui nequitiā toto terrarū orbe celebratur,& superbiam omnium uitiorū matrem in primis parentibus, ad tantā deuenimus amentiam, ut Deo cōmuni omniū parente relicto,heu consortium inissemus cum ipso omniū iniquorum patre diabolo. in serm. de ass. Mariæ.

De lapsu hominis, inquit Berno:Creatus est protoplastus Adam ad imaginem & similitudinē Dei,uidelicet secūdum interiorem hominem: Creatus est inquā,ut esset iustus, sanctus & innocens,qui etiam non mori potuisset,si Dei p̄ceptis obedire uoluisset. Sed quia diuini præcepti transgressor extitit,ab immortalitatis statu decidens,mortē incurrit,eamq; uelut hæreditariā suis posteris dereliquit. in serm. de resur. Dom.

Anshelmus inquit:Quamdiu uolūtas primùm data rationali naturæ, & simul in ipsa donatione ab ipso datore cōuersa, sed facta recta ad hoc quod uelle debuit,stetit in ipsa rectitudine,quā dicimus ueritatē,siue iustitiam,in qua fuit,iusta fuit.Cùm uerò auertit se ab eo quod debuit,& cōuertit se ad id q̄d non debuit,non stetit in originali (ut id dicam) rectitudine in qua est:quam cum deseruit,magnū quid perdidit,& nihil pro ea nisi priuationem eius,quæ nullam habet essentiam,quam iniusticiā nominamus,susceptit. De casu diaboli,dialog.cap.9.

De damnis lapsus,ait Berno: Ipsa natura hominis,in primo parente uitiata & corrupta,audire meruit: Terra es, & in terrā ibis. hodie in mediatore Dei & hominum supra cœlos elenata,& super angelos in cœlesti sede est collocata. in serm. de ascen. Dom.

Imaginē esse perditam. Anshelmus: Fateor Domine, & gratias ago, qui creasti in me hanc imaginē tuam,ut tui memor te cogitem,te amem.Sed sic abdita attritione uitiorum,sic est obfuscata fumo peccatorū,ut nō possit facere ad q̄d facta est, nisi tu renoues & reformes eā.In Prosolog.cap.1. Itē:Itaq; natura mea ad similitudinē Dei in principio creata fuit, quatenus indesinenter ipso Deo frueretur,& eius gloria sine omni corruptione & mutabilitate aliquando potiretur.Hoc tam grande bonum, natura statim in primis hominib. perdidit,& in huius mūdi miserias infelix & præceps ruit:debinc in æternas miserias,decurso uitę labētis articulo,multò infelicius ruitura.de excellent.uirg.Mar.cap.9.

Item eleganter inquit: Quoniam aūt personaliter peccauerunt,cum originaliter fores & incorrupti,haberent potestatē semper seruādi sine difficultate iustitiā,totum quod erat,infirmatum & corruptū est. Corpus quidem,quia tale post peccatū fuit, qualia sunt brutorum animaliū,corruptioni & carnalibus appetitibus subiacētia: anima uerò,quia ex corruptione corporis,& eiusdem appetitibus,ex indigentia bonorū quæ p̄didit,carnalibus affectibus est infecta.& quia tota natura humana in illis erat, & extra illos nihil erat,tota infirmata & corrupta est. Remansit igitur

igitur in ea debitum iusticię integrę, sine omni iniusticia quam accepit: & debitum satisfaciendi, quia eam deseruit cum ipsa corruptione, quam propter peccatum incurrit. Sicut itaq; si non peccasset, qualis facta est à Deo, talis propagaretur: ita post peccatū, qualem se fecit peccando, talis propagatur. Quoniā igitur per se nec satisfacere pro peccato, nec iusticiam derelictā recuperare uaet, & corpus quod corrumpitur aggrauat animam: & tunc maximè, quando infirmū est, ut in infantia & in utero matris, ut nec intelligere iusticiam possit: uidetur esse ne esse, eam in infantibus nasci, cum debito satisfaciendi, p primo peccato, quod semp quere potuit: & cū debito habendi originalē iusticiam, quam semper seruare ualuit. Nec importētia excusat eā in ipsis infantib. quia in illis non soluit quod debet, quoniā ipsa sibi fecit eā deserēdo iusticiā in primis hominib. in quib. tota erat: & semper debitrix est habere potestatē, quā ad seruandam semper iusticiā accepit: hoc esse uideri potest in infantib. originale peccatum. Addunt etiā peccata proximorū parentū, quæ redduntur in tertiā & quartā generationē. Quāuis enim quæri possit, utrū hæc omnia intelligēda sint in originali peccato, an nō: tamen ne propter hoc quod quæro, uidear denigare illud, ponā istud esse tale, ut à nullo grauius ostēdi possit. de conceptu uirginali, & peccato originali, cap. 2. Itē: Homo qui inter cæteras à Deo creaturas sublimis naturæ creatus est, dū Deū per suæ inobedientiæ reatū inhonorauit, omnia quæ sui iuris prius erant, amisit: omniaque quæ sui status integritatē seruauerūt, quadā confusione, ipsa reatus sui immanitate, quantum in ipso fuit, uulnerauit: adiecta est eis super hac confusione, & alia confusio. In lib. de excellent. beatæ uirginis Mariæ, cap. 10.

De uirib. hominis, ait Anhelmus: Homo q manū habebat aridā, humanū genus signi beat, in fœcūditate boni operis arefactum, sed Dñi miseratiōe curatū. Cuius dextra q in primo parēte aruerat, dū uetitæ arboris poma decerperet, per redēptionis gratiā, dū fontes manus in arbore crucis extēderet, bonorū operū crucis est restituta salutis. In 12 cap. Matth. Itē: Quinq; sensuū corporis delectatio rarius est bona, sæpius uerò mala. Bona etenim est, cū Dei uoluntatē sibi aduocatā habet: mala uerò, cū eā sibi aduocatā habere nō potest. In Similitud. cap. 12.

De infirmitate & corruptiōe humanę naturæ, quæ ex peccatorū labe uenit, sic inqt Bernō: Sicut tota farinæ massa, modico fermēto à naturali gustu recedēs corrūpitur, ac in quēdā leuitatis tumorē erigitur: sic mēs humana praua uitiorū cōsuetudine corrupta, à naturæ bono paulatim desipit, dum superbię fastu quodammodo in elationem turgescit. In sermo. de Paschate.

Algerus inquit: Humana fragilitas quotidie labitur & tentatur uel criminibus, uel saltē uenialib. peccatis, sine quib. hæc uita duci non potest. lib. 1, cap. 16 de Euchar.

Anshelmus ait: Omnis namque homo mēdax est. hoc est, humana natura sic est ex primitiuo casu corrupta, ut sine mendacio peccatorum non existat in hoc seculo. Non enim solummodo uerbis, sed & factis est mendax. Omnis homo, in quantum homo est, est mendax. Sed nonnulli, qui per gratiā Dei supra homines fiunt, etiam ueraces per eādē gratiā efficiūtur. In 3 cap. ad Rom.

De ueteri homine, inquit Anshelmus: Ad ueterem hominem pertinet, præsentē mundum quærere, transitoria ex concupiscentia amare, mentem in superbiā erigere, patientiam non habere, ex dolore malitiæ de proximi læsione cogitare, sua indigētib. non dare, ad multiplicandum aliena quærere, nullum purè propter Deum diligere, inimicitias reddere, de afflictione proximi gaudere. Cuncta hæc uetusti sunt hominis, quæ uidelicet trahimus de radice corruptionis. In 5 cap. posterioris ad Corinth.

De renatis. Anshelmus: Meritò debetis Christi esse, quia uos sanguine suo redemit, & calcata morte surrexit, ut uos possideat, quos moriendo acquisiuit. Ideo surrexit, ut & nos à morte animæ faceret resurgere. In 7 cap. ad Rom.

Cur homines breuius uiuāt, Algerus monet: Ne malis diutius liceret peccare, ad maiorem sui pœnam, ne etiā bonos in mūdi exilio tæderet uiuere, si nimia fieret eis dilatio ad gloriam, breuiauit Deus humanæ uitæ dies, propter electos, ne prauorum affectione, uel nimio suo labore deficerent. lib. 2, cap 7 de Eucharistia.

Comparat Anshelmus Christū Adamo: Adā forma est futuri, id est Christi, partim à simili, partim à contrario. A' simili: quia sicut Adam sine patre à Deo ex uirgine terra factus est, ita Christus ex uirgine Maria sine semine à Deo creatus est. Sicut ille est pater omniū secūdū carnē, sic Christus secūdū fidē. Dormiuit Adā, ut fieret Eua: mortuus est Christus, ut fieret Ecclesia. Dormienti Adæ facta est Eua de latere: mortuo Christo lancea percussū est latus, ut p fluerēt sacraměta quib. formaretur Ecclesia. A' contrario quoq; est Adā forma Christi, ut quomodo per illius inobedientiam peccatores cōstituti sūt multi, ita per Christi obediētiā iusti constituantur multi. Et sicut in illo omnes moriūtur, sic & in Christo omnes uificētur. Sicut enim māducatū est ab Adā,

suadente diabolo: & omnes qui nascuntur ex eo, morti addicti sunt: ita ieiunatum est à Christo, & omnes qui renascuntur per eũ, uitæ æternæ restituũtur. Sicut ille cõmunicare potuit filijs peccatũ & mortẽ: sic iste suis iustitiã suã, & uitã. Sicut ille est pater præsentis seculi, & princeps discordię: sic iste pater futuri seculi, & princeps pacis. Sed non sicut delictũ, ita & donũ. In 5 cap. ad Rom.

Collationem hominis & angeli, Anshelmus instituit: Homo conditus est in minori intelligentia, & in firmiori substãtia, quia non habuit tantam capacitatẽ intelligentię (scilicet quantam angelus) nec tantã facultatẽ exequendi. potuit ergo falli alio suadẽte. & cum peccauit Adã, putauit facilè Deũ posse reconciliare sibi: & ideo noluit uxorẽ scandalizare. Quoniam ergo ex infirmitate cognitionis & substãtiæ peccauit, alio suadẽte, remissibilis fuit ei culpa: quia uisitante gratia, humiliauit se homo, & pœnituit.

Opinio, homines in angelorũ locũ factos. Anshelmus: Si angeli, antequã quidã illorũ caderẽt, erãt in illo pfecto, de quo diximus, numero: nõ sunt homines facti, nisi pro restauratione angelorũ ꝓditorũ: & palam est, quia nõ erũt plures illis. Si aũt ille numerus nõ erat in illis omnib. angelis, complendũ est de hominib. & qd̃ pijt, & qd̃ prius deerat: & erũt electi hoiẽs plures reꝓbis angelis. Et sic dicimus, quia nõ fuerunt hoiẽs facti tãtùm ad restaurãdũ numerũ imminutũ, sed etiam ad perficiendum nondum perfectum. lib. 7, cur Deus homo, cap. 18.

DE LIBERO ARBITRIO.

QVid sit. Anshelmus: Libertas arbitrij est, posse peccare, & non peccare. M. Libertatem arbitrij non puto esse potentiã peccandi, & non peccandi. Quippe si hoc eius esset definitio, nec Deus, nec angelus, qui peccare nequeunt, liberũ haberent arbitriũ: quod nefas est dicere. In dialogo de lib. arbit. cap. 7. Itẽ: Iam itaq; clarũ est, liberũ arbitriũ nõ esse aliud, quàm arbitriũ potens seruare rectitudinem uoluntatis, propter ipsam rectitudinem. Ibidem, cap. 3.

Item: Libertas arbitrij est, potestas seruãdi rectitudinẽ uolũtatis, ꝓpter ipsam rectitudinẽ. Ibid. cap. 13. Itẽ: Est enim potestas, libertatis genus. Quòd aũt additum est seruãdi, separat eã ab omni potestate quæ nõ est seruãdi: sicut est potestas ridẽdi, aut ambulãdi. Addẽdo uerò rectitudinẽ, decernimus eã à potestate seruãdi aurũ, & quicqd nõ est rectitudo. Per additamẽtũ uolũtatis, segregatur à potestate seruãdi rectitudinẽ aliarũ rerũ: ut uirgæ, aut opinionis. Per hoc aũt qd̃ dictũ est, ꝓpter rectitudinẽ ipsã: diuiditur à potestate seruãdi rectitudinem uolũtatis propter aliud, ut cũ seruatur propter pecuniam, aut naturaliter. Seruat enim naturaliter canis rectitudinẽ uolũtatis, cũ amat catulos suos, aut dominum suum sibi benè facientem. Ibidem, in eodem capite.

Liberũ arbitriũ sic diuidit Anshelmus: Libertas arbitrij alia est à se, quæ nec facta est, nec ab alio accepta, quæ est solius Dei: alia à Deo facta & accepta, q̃ est angelorũ. Facta aũt, siue accepta, alia est habẽs rectitudinẽ, quam seruet, alia carẽs. Habẽs, illa tenet separabiliter, alia inseparabiliter. Illa quidẽ q̃ separabiliter tenet, fuit angelorũ omniũ, antequã boni cõfirmarentur, & mali caderẽt: & est omniũ hominũ ante mortẽ, qui habẽt rectitudinẽ eãdẽ. Quę uerò tenet inseparabiliter, est electorũ angelorũ & hominũ. Sed angelorũ electorũ, post reꝓborũ ruinã, & hominũ post mortẽ suã. Illa aũt q̃ caret rectitudine, alia caret recuperabiliter, alia irrecuperabiliter. Quæ recuperabiliter caret, est tantũ in hac uita omniũ hominũ carẽtiũ, quãuis illam multi nõ recuperent. Quę aut irrecuperabiliter caret, est reꝓborũ hominũ & angelorum: scilicet angelorum post ruinã, & hominũ post hãc uitã. In dialogo de lib. arbit. cap. 14. Libertatis siquidẽ modos tres dicimus esse: libertatẽ uidelicet actionis, quã omnes uolũt: id est, ut liberè facere possint quæ uolũt. Dicitur aũt libertas intelligẽtiæ, quã nõ omnes uolũt. Est etiã libertas rectæ uolũtatis, quæ semper est bona. hanc pauciſsimi uolũt. id est, ut ea uelint quæ debẽt. Notandũ, quòd libertas actionis sine libertate bonę uoluntatis, semper est mala. unde libertas intelligendi est media, quæ bona est, quotiescunq; libertati rectę uolũtatis adhæret: mala aũt, cũ sine illa est. Habet primò quia quãtulãcunq; libertatẽ intelligẽdi: id est, scit intelligere qd sibi expediat, uelut illã in bono, & sic promerebitur adipisci libertatẽ intelligendi qd quid expedit, uolendi quodcũq; debet, agẽdi qcquid ꝓdest. Sub libertate uolẽdi est libertas arbitrij. De Similitudinib. cap. 182.

Vnde sit liberũ arbitrium, Berno monet: Sine Deo nihil potest nostra mortalis infirmitas: sicut nec Lazari, sine eius adiutorio potuit. In serm. de concord. off. cap. 5.

Anshelmus ait: Cũ ꝓ liberũ arbitriũ primi hominis in cõdẽnationẽ uniuersa defluxerint, proculdubio quòd ex ea fiunt uasa in honorẽ, nõ ipsius iusticiæ, quæ gratia nulla processit, sed Dei misericordię attribuendũ est. Quod uerò in contumeliã, nõ iniquitati Dei, quæ nulla est, sed iudicio deputandũ est: qui figulus est, cũ fragiles, infirmos & terrenos facit: & ex eadẽ massa, quæ tota in Adam perijt, facit secundũ uoluntatẽ suã, alia uasa in honorẽ per misericordiã, alia in cõtumeliã per iudiciũ. In 9 cap. ad Rõ.

Item:

tem: Respice Dñe, exaudi, illumina nos, offende nobis teipsum: restitue te nobis, ut benè sit nobis, sine quo tã malè est nobis. Miserere, labores & conatus nostros ad te, qui nihil ualemus sine te, inuita nos, adiuua nos. In Prosolog. cap. 1. Et: Nullus homo à se habet ueritatẽ, quã docet, aut iustã uolũtatẽ, sed à Deo. lib. 1 cur Deus hõ, cap. 9. Item: Nemo uenit ad me, nisi pater traxerit eũ: id est, impulerit eũ, dãdo uolũtatẽ. Ibid. cap. 10. Et: Sicut Deus nõ facit iniustitiã: ita nõ facit aliqd iniustũ esse, qui tamẽ facit omnes actiões & motus: quia ipse facit res, à quib. & ex quib. & p quas, & in quib. fiũt: & nulla res habet potestatem uolle, quod aliquãdo iustũ est, aliquãdo iniustũ, nec est aliud quàm uti potestate & uolũtate: quas Deus dat in quantũ & bonum est, & à Deo est. Quod tũc quidem, quãdo rectè est, bonũ & iustũ est: quãdo uerò nõ rectè est, malũ est, & iniustũ. Est aũt aliquid rectè esse, & hoc est à Deo. in lib. de concord. præsc. & p̃destinatione bonis. Item: Nemo certè seruat rectitudinem hãc acceptã, nisi uolendo: uelle aũt illã aliquis nequit, nisi habendo. Habere uerò illã nullatenus ualet, nisi per gratiã. Sicut ergo nullus illã accipit nisi gratia p̃ueniente: ita nullus eã seruat, nisi eadẽ gratia subsequente. In lib. de concord. grat. & lib. arbit. Item: Rectè uelle nemo potest, nisi habeat rectitudinem uoluntatis, quam nullus habet homo nisi per gratiã. Ibid. Item: Hęc est perfecta & liberrima humanæ naturæ obedientia, cum uoluntatem suã liberã spõtaneã libertate opere perficit. De meditatione redempt. humanæ, cap. 4. Item: Trahe me Dñe in amorem tuum, & hoc ipsum totum. Totum qd̃ sum, tuum est conditione: facuorũ tuũ dilectione. Ecce Dñe, corã te est cor meũ: conatur, sed per se nõ potest, fac tu quod ipsum nõ potest. Admitte me in cubiculũ amoris tui: peto, quęro, pulso. Quia me facis petere, fac & accipere. Das quærere, da inuenire. Doces pulsare, aperi pulsanti. Cui das, si negas petenti? Quis in uenit, si quærens frustratur? Cui aperis, si pulsanti claudis? Quid das nõ orãti, si amorem tuũ negas oranti? A te habeo desidera re, à te habeã impetrare. Adhære illi, adhę re importunè anima mea. Ibid. cap. 7. Et: Ratio qdem naturaliter uult bonũ: sed hæc uolũtas semper caret affectu, nisi per gratiã fuerit adiuta. In 7 cap. ad Rõ. Item: Est in malorũ potestate peccare. ut aũt peccando hoc uel hoc ex eorũ malitia sequatur bonũ, nõ est in eorũ potestate, sed diuidentis tenebras, & ordinantis eas: ut huic etiã quod faciunt cõtra uolũtatẽ Dei, nõ impleatur nisi uoluntate Dei. in 11 cap. ad Rõ. Ité: Volũtate sua cadit, q cadit: sed uolũtate Dei stat, qui stat: uel surgit, qui surgit. Nã per se potest cadere, sed per Deũ resurgere. Ibid. 14 cap. Et: Notãdũ, quòd superna pietas prius agit aliquid in nobis, sine nobis, ut subsequẽte quoq; nostro libero arbitrio, bonũ quod iã appetimus, agat nobiscũ. Quod tamen per impensam gratiã, in extremo iudicio ita remunerat in nobis, ac si solis p̃cessisset ex nobis. Quia enim diuina nos bonitas, ut innocentes faciat, p̃uenit, aptè nunc Apostolus ait: Gratia Dei sum, id quod sũ. Et quia eadẽ gratia nostrũ liberũ arbitriũ sequitur, adiũgit: Et gratia eius in me uacua nõ fuit, sed abũdãtius illis omnib. laboraui. Qui dũ se de se nihil esse cõspiceret, ait: Nõ aũt ego. Et tamen quia se aliquid esse cum gratia inuenit, adiunxit: Sed gratia Dei mecum. Non enim diceret, mecum, si cũ præueniente gratia subsequens liberum arbitrium nõ haberet. In 15 cap. prior. ad Corinth. Et: Nihil sumus, ni misericordia & gratia Dei regamur. Attendant hæc uerba, qui putant ex nobis esse fidei captum, & ex Deo esse fidei supplementum. Quis enim nõ uideat prius esse cogitare quàm credere? Nullus quippe credit aliquid, nisi prius cogitauerit esse credendũ. Si ergo nõ sufficiamus cogitare boni aliquid ex nobis, p̃fectò nec credere sufficimus, qd̃ sine cogitatione nõ possumus: sed sufficientia nostra, qua & credere incipiamus, ex Deo est. Cogitãtes credimus, cogitantes loquimur, cogitantes agimus quicquid agimus. Quod aũt attinet, & ad pietatis uiã, & uerũ Dei cultum, non sufficimus uel cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis ipsis, sed sufficiẽtia ex Deo. Nõ enim est ex potestate nostra, cor nostrum & cogitationes nostrę. In 3 cap. poster. ad Corinth. Item: Sine Deo nihil ualet humanæ uoluntatis arbitrium. In 13 cap. 2 ad Corint. Et: Deus opera bona p̃destinãdo p̃parauit, p̃ueniens arbitrium nostrum. Omne namq; bonum, à gratia Dei sumit originem. In 2 cap. ad Eph. Item: Deo debet credi spiritus noster: quia nisi crediderimus, quòd Spiritus nostrę uolũtatis per seipsum nihil potest sine adiutorio gratiæ Dei, nihil unqnã boni facere poterimus. In 4 cap. ad Philip. Et: Gaudeo, & gratias ago Deo ex intimo corde: quia cum prosperitate terrena sic cor uestrum illuminat, ut nihil in beneficijs eius & prospectu uestro uobis, aut humanis uirib. sed totum eius misericordię imputatis. In epist. ad Henricum regem Angliæ. Item: Deo igitur largiente, inuenimus gratiam eius ad saluandum hominem cum libero arbitrio cõcordare: ita ut gratia sola possit hominẽ saluare, nihil eius libero

arbitrio agẽte. Sicut fit in infantib. & in nõ intelligẽtib. Ipſa ſemper adiuuat liberũ arbitriũ naturale, qđ ſine illa nihil ualet ad ſalutẽ, dãdo uolũtati rectitudinẽ, quã ſeruet p liberũ arbitriũ. de concord. gratiæ & liberi arbit. Itẽ: Nemo uenit ad me, niſi pater traxerit eum. id eſt, impulerit eum dando uoluntatem. lib. 1 cur Deus homo, cap. 10.

De libero arbitrio, Anshelmus inquit: Nõ per liberũ arbitriũ noſtrũ, ſed per Chriſti libertatem, à ſeruitute peccati, uenimus ad libertatem innocentiæ ac ſanctitatis ac iuſticiæ. In 4 cap. ad Romanos.

Vnde ſit uocationũ felicitas. Anshelmus, explicans dictum Matth. 4, Faciam uos piſcatores hominum, &c. ita ait: Benè dicit, faciã uos fieri. aliter enim homo fruſtra laborat, niſi Deus faciat ut perficiat: & tamen ita ut liberum arbitrium non pereat.

Liberũ arbitriũ ad peccandũ. Anshelmus: Liberũ arbitrium uſq; adeò in peccatorib. non perijt, ut per ipſum peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant, & amore peccati. in ſextum caput ad Rom.

DE PECCATO.

QVid ſit peccatum, Anshelmus declarat. Si angelus, inquit, & homo ſemper redderet Deo quod debet, nũquã peccaret. Nõ eſt itaq; aliud peccare, quàm Deo nõ reddere debitum. lib. 1 cur Deus homo, cap. 11. Item: Delictũ eſt declinare à bono: peccatum uerò eſt facere malum. Poteſt etiam illud eſſe delictum, quod ab ignorante fit: illud autem peccatum, quod à ſciente. Indifferenter tamen plerunq; dicuntur. In 6 ca. ad Gal. Item: Præuaricatio eſt, uetita facere: inobedientia uerò, iuſſa non facere. In 2 cap. ad Hebræos.

De diuiſiõe peccati, ait Anshelmus: Qui uiderit mulierem, &c. non uiſu corporeo, ſed ad concupiſcendam eam: id eſt, oculis concupiſcentiæ. Hi ſunt oculi, qui aperti ſunt in Adam, & in Eua. Erat enim clauſa in eis concupiſcentia exteriorum & carnaliũ uoluptatum. Sed corrupta natura hominis, cæpit aperiri & diffluere huc & illuc, concupiſcẽtia ad omnes carnales uoluptates. in 5 cap. Matth. Item: Facit quadruplex peccatum, ſcilicet ſcienter factum, & quod per ignorantiam fit, ueniale & infinitum peccatum, cui nulla alia comparari poſſunt. lib. 2 Cur Deus homo, cap. 15. Item: Eſt peccatũ à natura, ut dixi: & eſt peccatũ à pſona. Itaq; qđ eſt à pſona, poteſt dici pſonale: qđ aũt à natura, naturale, quod dicitur originale. Et ſicut perſonale tranſit ad naturam, ita naturale ad perſonã, hoc modo. Quòd Adã comedebat, hoc natura exigebat: quia ut hæc exigeret, ſic creata erat. Quòd uerò de ligno uetito comedit, non hæc uolũtas naturalis, ſed perſonalis Adę ꝓpria fecit: quod tamẽ egit perſona, nõ fecit ſine natura. Perſona enim erat, qđ dicebatur Adã: natura, quod homo. Fecit igitur pſona peccatrice naturã: quia ubi Adã peccauit, homo peccauit. de cõceptu uirg. & peccato orig. cap. 22. Item: In quamentũ carnis eſt, quod per carnem committitur, ſicut luxuria, homicidium, & ſimilia. In quinamentum ſpiritus, quãdo ſola cogitatiõe peccatur, ſicut mentis elatione & inuidia. Emundemus ergo nos, non ſolum ab inquinamento, ſed prorſus ab omni inquinamento carnis, ut omnia uitia carnalia fugiamus. Et ab omni inquinamẽto ſpiritus, ut cõſenſum peccati, & cætera omnia quæ ſpiritum inquinant, expellamus à cordibus noſtris. In 7 caput poſterioris ad Corinth.

De actualibus peccatis, inquit Anshelmus: Sic grauiter peccamus, quotieſcunq; ſcienter aliquid, quantumlibet paruum, contra uoluntatem Dei facimus: quoniam ſemper ſumus in conſpectu eius, & ſemper ipſe præcipit nobis ne peccemus. lib. 7 cur Deus homo, cap. 21.

Vnde ſit peccatum, Berno indicat: Ipſa natura in primo parente uitiata & corrupta, audire meruit: Terra es, & in terram ibis. In Serm. de aſc. Dom.

Algerus ait: Falſa fide mundus perijt, quando Adam plus diabolo quàm Deo credere præſumpſit: dum in ligno ſcientiæ boni & mali uetito, plus ſperauit diuinitatem aſſequi, quę ab hoſte promittebatur, quàm incurrere mortem, quam Deus minabatur. lib. 2 cap. 4 de Euchar.

Petrus Damianus ait: Mala à bono creatore facta nõ ſunt, & ab eo quærere eſt procul ſunt. In epiſt. ad Nicol. pontif.

Anshelmus inquit: Sicut propria uoluntas Dei, fons eſt & origo totius boni: ita propria uoluntas hominis, totius eſt exordium mali: in lib. Similitud. cap. 8. Item: Cupiditate primi homines deiecti ſunt, qui non aurum, ſed inconceſſam ſibi diuinitatem ſuperbè cupierunt. plus enim uolentes habere quàm acceperant, & quod acceperant, amiſerunt. Nam cum initium omnis peccati ſit ſuperbia, rectè malorum omnium radix eſſe dicitur cupiditas. In 6 cap. prior. ad Timoth. Item: Duas ad intelligendum ſe creaturas Chriſtus fecerat, angelicam ſcilicet, & humanam. Vtrãque uerò ſuperbia perculit, & à ſtatu ingenitæ rectitudinis fregit. Sed una tegimen carnis habuit, alia uerò nihil infirmum de carne geſtauit. Angelus namq; ſolummodo Spiritus, homo uerò Spiritus & caro. Miſertus ergo Creator ut redimeret, illam ad ſe debuit reducere, quam in pepetratione culpæ ex infirmitate aliquid conſtat habuiſſe: & eo altius apoſtatam angelum Dei habuit

buit repellere, quo cum à perſiſtendi fortitudine corruit, nil infirmum ex carne gerebat. Eſt adhuc aliud, quo & perditus homo reparari debuit, & ſuperbiens ſpiritus reparari non poſsit: quia nimium angelus ſua malitia cecidit, hominem uerò alienauit proſtrauit. in 2 cap. ad Hebr. Item: Et per poteſtatem peccandi, & ſponte per liberum arbitrium, & non ex neceſsitate, noſtra & angelica natura primitùs peccauit, & sine potuit peccato: & tamen illi peccatum dominari non poterat, unde illa non libera, aut eius arbitrium non liberum dici poſsit. in dialogo de lib. arbit. cap. 2. Item: Quòd semen hominis dicatur immundum, & conditi in peccatis, quamuis in eo non ſit peccatum, probat in libro de concep. uirg. cap. 7. Item: Diaboli ſuggeſtione, & carnis delectatione, ſpirituſq; conſenſu, unumquodq; uitium conſummatur. in lib. de Simil. cap. 39. Item: Ex ipſo ſunt omnia: id eſt, bona uoluntas, & bona actio, & omnes naturæ. Neque enim ex ipſo ſunt peccata, quæ naturaliter ſubſiſtentia non ſunt, ſed benè cõditam ſubſtantiam uitiant. in 11 cap. ad Rom.

De effectibus & finibus peccatorum, inquit Anshelmus: Sicut homo peccando rapit quod Dei eſt: ita Deus puniendo aufert quod hominis eſt. Quippe nõ ſolum id ſuum alicuius eſſe dicitur, quod iam poſsidet: ſed quod in eius poteſtate eſt, ut habeat. Quoniam ergo homo factus eſt ita ut beatitudinem habere poſsit, ſi non peccaret: cùm ergo propter peccatum beatitudine & omni bono priuatur, de ſuo, quamuis inuitus, ſoluit quod rapuit: quia licet Deus hoc ad ſuum ſui commodi non transferat, quod aufert: ſicut homo pecuniam quam alij auferendo, in ſuam conuertit utilitatem: hoc tamen quod aufert, utitur ad ſuum honorem, per hoc, quia aufert. Auferendo enim peccatorem, & quæ illius ſunt, ſubiecta ſibi eſſe probat. libro 1 cur Deus homo, cap. 14. Et: Si Adam non peccaſſet, differret tamen illam ciuitatem perficere, donec completo ex hominibus quem expectabat numero, ipſi quoq; homines in corporum, ut ita dicam, tranſmutarentur immortalitatem. Habebant enim in paradiſo quandam immortalitatem, id eſt, poteſtatem non moriendi: ſed non erat immortalis hæc poteſtas, quia poterant mori, ut ſcilicet ipſi non poſſent mori. lib. 1 cur Deus homo, cap. 18. Item: Hominis natura propter peccatum primi parentis, iam innumerabilium incommodorum facta eſt paſsibilis, ex qua paſsibilitate multis modis gratia nobis operatur incorruptibilitatem. Angelus uerò adhuc nullo peccato præcedente, alicuius mali inuenerat paſsionẽ. in lib. de caſu diab. cap. 21. Item:

Sola obedientia potuit hominem in paradiſo retinere, unde per inobedientiam eiectus eſt: neque ad regnum cœlorum aliquis niſi per obedientiam, perducitur. Penſate, quia ſi homo per unam ſolam inobedientiam in tantam miſeriam, quam patimur in hoc mundo, proiectus eſt: quantum debeamus eam horrere, & obedientiæ bonæ ſtudere? In obedientia totus uigor benè uiuendi conſtituitur: in eius negligentia deſtruitur. in Epiſt. 6. Item: Mali hominis finis interitus, mors & tribulatio: iuſti autem finis, eſt Chriſtus, uita & exultatio. in lib. de Simili. cap. 162. Item: Tria principaliter damna ſunt in peccatis, ſcilicet quòd in eis meremur pœnam æternam, demeremur æternam beatitudinem, tempus (quod peſsimum eſt) ſine amore & laude noſtri creatoris expendimus. Prima duo pertinent ad hominem, tertium ad tuum damnũ pertinere uidetur Deus Deus meus. de menſuratione crucis. Item: Sufficeret ad cõdemnationem, etiamſi non eſſet in hominibus niſi originale peccatum. Quamuis enim condemnatio grauior eorum ſit, qui originali delicto etiam propria coniunxerunt, & tantò ſingulis grauior, quantò grauius quiſque peccauit: tamen etiam illud ſolum, quod originaliter tractũ eſt, non tantum à regno Dei ſeparat, uerùm à ſalute ac uita æterna facit alienas, quæ nulla eſſe alia poteſt præter regnum Dei, quò ſola Chriſti ſocietas introducit. Ac per hoc ab Adam, in quo omnes peccauimus, non omnia noſtra peccata, ſed tantum originale traximus: à Chriſto uerò, in quo omnes iuſtificamur, non illius tãtum originalis, ſed etiã cæterorũ quæ ipſi addimus, peccatorum remiſsionem conſequimur. in 5 cap. ad Rom. Item: Peccatum quod eſt in corpore noſtro, quidã tyrãnus eſt, pugnãs aduerſum nos, & mẽbra noſtra pro armis habere quærit, ad debellãdum nos. Non ergo ſinamus eum membris noſtris contra nos pugnare. Surgit ira? non demus iræ linguam ad maledicendum, manum aut pedem ad feriendum. Non ſurgeret ira iſta irrationabilis, niſi peccatum eſſet in membris. Sed tollamus illi regnum, non habeat arma quibus contra nos pugnet. Diſcet enim non ſurgere, cùm arma cœperit non inuenire. in ſextum caput ad Romanos. Item: Stipendium peccati mors dicitur, quia militiæ diabolicæ mors æterna, tanquam debitum redditur. Ibidem. Item: Peccando ad mortem animæ labimur, & uehementius peccamus Lege prohibente, quàm ſi nulla lege prohiberemur. in ſeptimum caput ad Romanos. Item: Miſericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus niſi æterna damnatio debetur. ibidem, capite nono.

Peccata puniri. Si peccatum nihil est, cur punit Deus hominem pro peccato, cũ pro nihilo puniri nemo debeat? Ad hanc quæstionẽ respondet Anshel. in lib. de conceptu uirginali, cap. 6.

Omnes peccatores esse. Anshelmus: Dies malos duæ res faciũt, malitia & miseria. Sed miseria hominũ cõmunis est, nõ debet aũt malitia esse cõmunis. Ex quo enim lapsus est Adã, et de paradiso expulsus, nũquã fuerũt dies nisi mali. In 5 cap. ad Ephes. Itẽ: Nõ enim sine peccato quisque esse potest in hac uita. in 5 cap. ad Eph. Item: Omnes peccauerunt, uel in seipsis, uel in primo parente. Sed uenit unus sine peccato, qui saluos faceret à peccatis. In 1 caput prioris ad Timoth. Item: Nullus homo sine peccato est, sed multi sine crimine. Crimen nãq; est peccatum graue, accusatione & damnatione dignissimum: sicut homicidium, adulterium, furtum, sacrilegium, & aliqua immundicia fornicationis. In 3 cap. prioris ad Timoth.

DE ORIGINALI.

DE uocabulo ita scribit Anshelmus: Originale, ab origine denominari, dubium non est. Si ergo originale peccatũ nõ est nisi in homine, uidetur dici ab origine humanæ naturæ, quod est ab eius initio originale, eo quòd ab ipsa humanæ naturæ origine trahatur. Aut ab origine, hoc est, ab initio uniuscuiusq; personæ: quoniam in ipsa eius trahatur origine. In lib. de con. uirg. cap. 1. Item primordialem culpam uocat in Spec. Euang. cap. 3.

Quid sit. Anshelmus: Hoc peccatũ quod Originale dico, aliud intelligere nequeo in ipsis infantibus, nisi ipsam quam suprà posui, factam per inobedientiam Adæ, iustitiæ debitæ nuditatem, per quam omnes filij sunt iræ: quoniam & naturam accusat spontanea, quam facit in Adam, iustitiæ desertio: nec personas excusat, ut dictum est, recuperandi impotentia, quam comitatur beatitudinis quoque nuditas: ut sicut sunt sine omni iusticia, ita sint absque omni beatitudine, per quas duas nuditates in huius uitæ exilio positi sunt & parentes, peccatis & miserijs incessanter ubiq; occurrentibus, & undiq; irruentib. nisi quantũ diuina defendũtur dispositione. De con. uirg. ca. 26.

Vnde peccatũ originis. Anshelmus: Per unum hominem, qui primus peccauit, intrauit originale peccatum in hunc miserum mundũ: id est, in uniuersum genus humanum: quoniam peccando omnem suã stirpem in seipso, tanquam in radice, uitiauit, ut qcquid prolis ex simul dãnata per quam peccauerat coniuge, per carnalem concupiscentiam (in qua inobediente pœna similis retributa est) nasceretur, traheret peccatum originale. Sicut enim Christus, in quo omnes uiuificabuntur, præter id quod se ad iusticiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui spiritus occultissimam fidelibus gratiam, quam latenter infundit, & paruulis baptizatis: sic & Adam in quo omnes moriuntur, præter id quod eis qui pręceptum Domini uolũtate transgrediuntur, imitationis exemplum est, occulta etiam tabe carnalis cõcupiscentię suę, tabefecit in se omnes de stirpe sua uenturos. Peccatum enim generationis hìc intelligitur, nõ imitatiõis. in 5. cap. ad Rom. Item: Conabor assurgere ad lucem Dei, & recidi in tenebras meas. Imò non modò recidi in eas, sed sentio me inuolutum in eis. Antè cecidi, quàm cõciperet me mater mea. Certè in illis conceptus sum, & cum earum abuolutione natus sum. In Prosolog. cap. 18. Item: Dixi, quia peccatũ in omnes pertransijt, & uerũ dixi. Ná ab Adá usq; ad legẽ, peccatũ originale in omnib. fuit. De Iudæis nõ probo, quòd fuerint sub originali peccato, quia legẽ habebãt, & se esse sub illo cognoscere poterant: sed de illis qui ante legẽ fuerant, & peccatũ originale nõ cognoscebant. Ná usq; ad legẽ Moysi, peccatũ illud erat in toto mũdo. Erat qdem, sed nõ imputabatur aliquod huiusmodi peccatũ. Cũ lex nõ esset, q̃ casum primi hominis, ex quo peccatũ illud propagatũ est, intimaret. In omnes itaq; peccatum illud pertransijt: quia etiam ante legem, cum non ita uideretur, lege nõ docente. In 5 cap. ad Rom.

Peccatum originis, esse peccatum. Anshelmus: Omne peccatum est iniusticia, & originale peccatũ est absolutè peccatũ, unde seqtur, ꝙ est iniusticia. De cõ. uirg. ca. 3.

Effectus originalis peccati. Algerus: Quia uerę fidei cognitione, originalis delicti cæcitate tenti, ad uarios errores decideramus, ut instigante diabolo, idololatriæ & peccatorũ passionib. deseruientes, ad mortẽ obstinata mẽte tenderemus: magna sua gratia Verbũ caro-factũ est, & habitauit in nobis, ut qui de suo erat incõprehensibilis, de nostro nobis fieret appetibilis, dũ germanæ carnis nostrę gloriam in ipso, gloriam quasi unigeniti à patre uideremus, & ex ipsius iá quasi cooriginalis glorię uisibilib. signis, in inuisibiliũ amorem rapti, ad uitæ æternę patriam reduceremur. lib. 1, cap. 1 de Euchar.

Anshelmus inquit: Olim certè in illo omnes cecidimus, in quo omnes peccauimus. In illo omnes perdidimus, qui facilè quod tenebat, & malè sibi & nobis perdidit: quod cũ uolumus q̃rere, nescimus. cum q̃rimus, nõ inuenimus: cũ inuenimus, non est quod q̃rimus. In Prosologio cap. 18. Itẽ: Cũcta uetusti hominis opa trahimus deradice corruptiõis. In 5 cap. 2 ad Corinth.

Maria

Mariam fuisse peccatricem. Anshelmus: Primùm quæro, qualiter de massa peccatrice & humano genere quod totum infectum erat peccato, hominem sine peccato, quasi azymum de fermento, Deus assumpsit. Nam licet ipsa hominis eiusdem conceptio sit munda, & absque carnalis delectationis peccato: uirgo tamen ipsa, unde assumptus est, est in iniquitatibus conceptus, & in peccatis concepit eam mater eius: & cum originali peccato nata est: quia & ipsa in Adam peccauit, in qua omnes peccauerunt. At postquam constat hominem illum esse Deum, ac peccatorum reconciliatorem: dubium non est, eum omnino sine peccato esse. non autem esse, non ualet, nisi absque peccato de massa peccatrice sit absumptus. lib. 2. cur Deus homo, cap. 16.

De peccato in Spiritũ sanctũ, inquit Anshelmus: Iterũ infirmitates sunt peccata, peccare in Patrem, in Filium: & ex ignorantia uel infirmitate credere, uel Deum non habe re Filium, uel Filium minorẽ Patre. Et quia sunt ex infirmitate, uel ignorantia, sunt remissibilia. Non dico, quòd semper remittantur, & ita damnãtur. Sed possibile est eos ad pœnitentiam uenire, & ita peccata remitti. Quidam uerò recognoscunt ueritatem: & tamen ex inuidia, uel prauitate animi, contra conscientiam suam bonitati Dei resistũt: & ideo bonum odio habent, & detrahũt, ut Iudæi, qui intelligẽtes prophetas, & signa compleri onis uidentes, & nihil mali in operibus Christi notare ualentes: tamen ex inuidia Christo detrahebant, & contra cõscientiam suam bonitati De resistebant, potius se nunquam saluari, quàm Christum recipere, & legem suam dimittere uolentes: isti tales in diabolicum peccatum cadunt, & Deus desereos, sicut Iudã: ita quòd non possunt pœnitere. nec humiliare se, sed per obstinationẽ deserti sunt, & illud peccatum est irremissibile: & hoc uocatur peccare in Spiritum sanctum. Spiritus sanctus enim est bonitas Dei: & qui ita resistit bonitati Dei, contra Spiritum sanctum peccat. Solet autem aliter exponi. Dicitur enim peccare in Spiritum sanctum, esse impœnitentem. Remissio enim peccatorum, propriè Spiritui sancto attribuitur. in 12. cap. Matth.

De peccato ad mortẽ, inquit Anshelmus: Peccatum ad mortem est, cum post agnitionem ueritatis, peruersus tamẽ oppugnat fraternitatẽ, & homini bono inuidet, & in malo suo omnino obstinatus est. quod peccatũ obstinatio, uel impœnitẽtia uocatur. Hæc talis est, ut humilitatem pœnitendi subire non possit, & precandi: licet aliquãdo pœnitear, sicut Iudas. In 5 cap. Matth.

De blasphemia, inquit Anshelmus: Blasphemia est, per quam de Deo ipso dicuntur falsa, uel de sanctis eius. in 3 cap. ad Colos.

Cur quidam sathanæ tradãtur. Anshelmus: Licet primi peccati persuasio uenerit à sathana, & ipse sit author omnium peccatorum: quidam tamen ei tradũtur ad correctionem, ut opus sathanæ excludatur opere sathanæ. in 1 cap. 1 ad Timoth.

Discernit peccatum Adæ & infantiũ, Anshelmus: Verùm magnam patet esse distantiam inter peccatum Adę, & peccatum infantium: quia ille peccauit propria uoluntate, illi naturali peccãt necessitate, quam propria & personalis meruit illius uolũtas. Sed cùm nemo dubitet, quia par pœna non sequetur imparia peccata: in hoc tamen similis est & personalis & originalis peccati dãnatio, quia nullus admittitur in regnũ Dei, ad quod factus est homo, niſi per mortem Christi: sine quo nõ redditur, quod pro Adę peccato debetur: quamuis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem iudicij, nullus erit angelus aut homo, niſi aut in regno Dei, aut in inferno. Ita igitur & peccatum infantium minus est, quàm peccatum Adæ. Et nullus tamen sine illa uniuersali satisfactione saluatur, per quam magnũ & paruum peccatum dimittitur. de concep. uirg. cap. 22.

Peccata in hac uita non prorsus exui possunt. Anshelmus: Constat, quia omnes qui in carne peccati uiuunt, peccati sordem ad purum exuere non possunt. In Euangel. enarr. Item: Tanta & tam perseuerans est inquinatio, quam immundus spiritus humano generi per Euã infudit, ut ex toto purgari nequeat, niſi cum uitæ mortalis aut seculi terminus aduenerit. Sed sicut per Euam uenit inquinatio, sic per Mariam reuertitur emundatio. ibidem.

Quis nos à peccatis liberet? Anshelmus: Nemo est qui sine attactu alicuius peccati uiuere queat super terram. Sed quod Fullo hoc est doctor animarum, siue mundator aliquis sui corporis eximius, super terram non potest: Dominus faciet in cœlo, emundans Ecclesiam, uestem uidelicet suam, ab omni inquinamento carnis & spiritus: insuper & æterna carnis & spiritus beatitudine ac luce reficiens. Ibidem.

DE LEGE.

DE duobus capitibus doctrinæ cœlestis, sic inquit Petrus Damianus: A tempore Iohannis Baptistæ, regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud. Ex quo tempore regnum cœlorum dicitur pati, perspicuum est: quia iã & legi succedit Euangeliõ, & post uetus nouũ coruscare meritò creditur

Testamen-

Testamentum. Iure ergo dives iste, cum reprobis est damnatus in tartarũ, quia cum electis noluit regno uim inferre cœlorum. In epist.

De fine atque usu legis, ait Anshelmus: Prohibet lex peccatum, non aufert: & prohibendo, ostendit esse malum quod prohibet. Per legem fuit cognitio peccati, & per eã nemo sine gratia iustificatus est. In 3 cap. ad Rom. Item: Prius aut ignorabãt Deum homines, aut non putabant eum curare quid egissent. Sed ubi lex data est, nouerunt Deum curare humana, & iudicare. In 5 cap. ad Rom. Item: Non data est lex quę posset uiuificare, quia gratia uiuificat per fidem. Sed data est lex, ad ostendendum, quantis peccatorum uinculis cõstringerentur, qui de suis uiribus ad implendã iusticiã presumebant. Et ideo peccata non minuit, sed adiecit. Non tamen propter hunc effectum data est, sed ex hominũ prauitate hoc contigit. Non enim uitio legis, sed illorum, sic abundauit peccatum, cũ & concupiscentia ex prohibitione ardẽtior facta est, & peccantibus contra legem prȩuaricationis crimen accesit. In sextum caput eiusdẽ epist. Item: Quomodo medicina non est causa mortis, si ostendat uenena mortifera, licet de his mali homines abutãtur ad mortẽ, & uel se interficiant, uel insidientur inimicis: sic lex data est, ut peccatorum uenena mõstraret, & hominem malè libertate sua abutentem, qui prius ferebatur improuidus, & per præcipitia labebatur, freno legis retineret, & compositis doceret incedere gressibus. Lex docuit hominẽ, quid esset peccatũ: quia prius nesciebantur quædã uel esse peccata, uel adeò grauia, uel esse puniẽda. In 7 cap. ad Rom. Et: Vbi non est gratia liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum. Et: Lex dũ cõcupiscentiam prohibet, quodammodo eam inflammat. Ibidem. Item: Lex ostendit homini, in quibus peccatorum uinculis iaceat, ut p fidem implorato liberatoris auxilio, & solui & erigi, & firmissimè constitui mereatur. Ibid. cap. 8. Item: Accepimus legem, non ut emendatione finiremus peccatum, sed ut transgressiõe augeremus. Lex enim uirtus peccati: quia prohibitio auget desiderium operis illiciti, qua iusticia non sic diligitur, ut peccandi cupiditas eius delectatiõe uincatur: & multo sceleratius ac flagitiosius cõmittũtur ea q̃ lex prohibet, quàm si nulla lege prohiberentur. In 15 cap. prioris ad Cor.

Legem non implemus. Anshelmus: Lex quid aliud est quàm sola litera, eis qui eam legere nouerunt, & implere non possunt? In 7. cap. ad Rom.

Lege non saluamur. Anshelmus: Sicut Christus nos à lege & à legis prȩuaricatione liberauit: sic patres aut auos ab inferis eripuit, ne quis putet eos per legem saluatos. In 2 cap. ad Colos.

Lex non tollit peccatum. Anshelmus: Impossibile erat legi naturali uel scriptæ liberare à lege peccati & mortis: quia nec peccatum tollere, nec mortem uincere prȩualebat, nec sibi obedientem aut perfectũ quẽquã facere poterat. In 8 cap. ad Rom.

Sub lege quid. Anshelmus: Notandum, quòd Iudæos sub lege dicit esse, se autem in lege, paganos uerò sine lege. Aliud est autem esse sub lege, aliud in lege. Qui enim sub lege est, secundum legem agitur. Qui uerò in lege est, secundum legem agit: & ille seruus est, hic autem liber. Qui uerò sine lege est, ab omni seruitute diuina alienus est: ut sicut Onager, in solitudine præsentis seculi malè liber uiuat. In 9 cap. 1 ad Corinth. Et: Sub lege est, qui timore supplicij, quod lex minatur, nõ amore iusticiæ abstinet ab opere peccati, reus in uoluntate: quamallet non esse quod timeret, ut liberè faceret quod occultè desiderat. In 5 caput ad Galatas.

De liberatione à lege, inquit Anshelmus: A' legis damnatione liberantur, qui per Spiritum sanctum innouantur: ut iam non sint obligati literæ ad pœnã, sed intellectui per iusticiam copulati. Itaq; seruiamus in nouitate spiritus: id est, in nouitate quã dat Spiritus sanctus, infundendo charitatem, & innouando interiorem hominem. In 7 cap. ad Rom. Et: Sicut nulla rerum species nisi per Dei filium facta subsistit: ita lex debitæ damnationis neminem deserit, nisi quem ab ea filius B. Mariæ uirginis absoluit. De excel. uirg. Mar. cap. 11. Item: Absit hoc à fidelium cordibus, ut Christum putent alicui ministrare peccatũ, qui pro abolitione peccatorum nostrorum semetipsum obtulit sacrificium. In 2 cap. ad Gal. Item: Nemo liber est à peccato, nisi Deo liberante: cum non liberat, dicitur inducere: & cum mollit, indurare. De concept. uirg. cap. 24.

Nõ sumus liberi à peccato. Anshelmus: Quamdiu caro mortalis est, nõ potest à concupiscentia penitus esse libera. Minui quidem quotidie possunt concupiscentiæ: sed ex toto non possunt auferri, quamdiu hic uiuitur. In 7 cap. ad Rom.

De lege naturæ, ait Anshelmus: Est & naturalis lex, quæ in corde scripta omnes continet nationes: & nullus hominũ est, nisi qui adhuc expers est rationis, qui hanc nesciat legem. Vnde & omnis mundus sub peccato, & uniuersi homines prȩuaricatores legis sunt. Et idcirco iustũ iudiciũ Dei est, scribẽtis in corde humani generis: Q̃ tibi fieri

ſeri nolueris, alteri ne feceris. Quis enim ignoret, homicidium, adulterium, furtum, omnem cõcupiſcentiam eſſe malum, ex eo, quòd ſibi nolit fieri? Si enim mala eſſe nesciret, nunquam ſibi doleret illata. Hanc legem neſcit puericia, ignorat infantia: & peccans abſq; mandato, nec tenetur lege peccati. Male dicit patri, & parẽtes uerberat: & qa nec dũ accepit legẽ ſapiẽtiæ, mortem eſt in eo peccatum. In 7 cap. ad Rom. Iam etiam de quibuſdam operib. paucis adijciemus.

De reconciliatione, Anſhelmus inquit: Ea quæ nos in Deum peccamus, magna & multa ſunt: ea uerò quæ homines in nos peccant, exigua ſunt, & pauca. Et idcirco ſi Deus libẽter nobis tot ac tãta mala, quæ in eum commiſimus, dimittit: multò facilius nos hominibus dimittere debemus pauca & parua, quę in nos ipſi deliquerunt. In narrat. Euang.

Contra uindictam, ait Berno: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Hoc eſt: Noli iniuriarum uindictam quærere, quemadmodũ quiſquis fratri debitum de corde non dimiſerit, ipſe in ſcelerib. ſuis ultionis gladio percuſſus peribit. Hom. 1 de S. Marco euang.

Petrus Damianus: Cum inter cætera mala quæ noſtris temporib. inſolenter emergunt, ipſas quoque Eccleſias uiolenti homines opprimant, ac prædia uel quælibet bona ſacri iuris inuadant: nonnullos moueat, utrum Eccleſiarum rectores expetere uindictam debeant, ut malis mala ſecularibus more reddant. Nam pleriq;, mox ut eis iniuria infertur, iniuriæ, ad indicenda protinus bella profiliunt, armatorum cuneos inſtruunt: ſicq; hoſtes ſuos, acrius fortè quàm læſerant ulciſcuntur. Quod mihi planè uidetur abſurdum, ut ipſi Domini ſacerdotes intendent, quod turbis uulgarib. prohibẽt: & quod uerbis impugnant, operibus aſſerant. Quid enim magis Chriſtianæ legi pateatur eſſe contrarium, quàm redhibitio lęſionum? Vbi quæſo ſunt tot pręconia Scripturarum? ubi quod Dominus dicit, Si qs tibi quod tuum eſt tulerit, ne repetas? Si enim nobis non licet eadem ipſa quæ nobis ſunt ablata repetere, quomodo pro his licet ultorię retributionis uulnus inferre? Vbi eſt illud, Si percuſſẽt tibi maxillam, &c? Aſſorteſis quis obiicit, turbis ſecularibus hæc eſſe mandata, non ſacerdotibus: nimirum ut Eccleſiarum præſules hæc prędicare debeant, non ſeruare. Sed quis hoc uel deſipiens ſentiat? cum Dominus dicat: Qui ſoluerit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus uocabitur, &c. Sacerdos itaque, qui in regno cœlorũ uult eſſe magnus, ſit in populo præuius, ut quod uoce ſe ſequentibus dictitat, primus ipſe uiuis operibus impleat. Vnde, ut omnis praui intellectus occaſio tolleretur, primus ille inter Eccleſię ſacerdotes nõ ait: Domine, quoties peccauerit frater in fratrem, & dimittet ei? ſed omnium potius ſacerdotũ cauſam in una ſua perſona conſtituens: Domine, inquit, quoties peccauerit in me frater meus, & dimittã ei? Cũq; ſibi reſpõderetur: Septuagies ſepties indulgendũ, nullũ iam de ſeruando à ſacerdotib. uniuerſali mandato, relictum uidetur ambiguum. Luca etiam teſtante euangeliſta docemur, quia Domino Ieruſalem properante, diſcipuli præcedentes intrauerunt urbem Samaritanorum, ut illi uiam pararent. Cumq; illos Samaritanæ nullatenus recepiſſent, commoti Iacobus & Iohannes, humanitate diſtante dixerunt: Domine uis ut ignis deſcendat, dicamus, &c. mox conuerſus increpauit illos dicens: Neſcitis cuius ſpiritus eſtis? &c. Vbi mox ſubditur: Et abierunt in aliud caſtellũ. ac ſi nõ lingua, ſed opere loqueretur: Date locum iræ. Vel potius quod ipſe dicit: Si uos perſecuti fuerint in una ciuitate, &c. Vita planè, quam Saluator geſſit in carne, non minus quàm prædicatio, euangelium nobis eſt, & propoſita tenẽda linea diſciplinæ. Sicut ipſe ergo cũcta mũdi furentis obſtacula, non per diſtricti examinis ultionem, ſed per inuictam ſuperauit inconfuſæ patientiæ maieſtatem: ita nos mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quàm uel arma corripere, uel lædendi læſionibus reſpondere: præſertim cum inter regnum & ſacerdotiũ propria cuiuſque diſtinguatur officia. Nam & Dauid idcirco ante Euangelium euangelicè uixiſſe creditur, quia non modò Semęi & Saul, ſed & plurimis indulſiſſe ſuis hoſtibus inuenitur. Planè quis non uideat, quàm ſit inhoneſta confuſio, ut quod agendum Eccleſia denegat, impudenter ipſa committat? Et cùm alijs prædicet patientiam, infœderabilem ipſa contra nocentes accendatur in iram? Contigit enim hoc facienti, quod Apoſtolus dicit: Ne cùm alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. uel illud potius, quod ad Romanos ait: Qui ergo alium doces, teipſum non doces? Qui prædicas, nõ furãdum, furaris? qui dicis, Nõ mœchandũ, mœcharis? qui abominaris idola, ſacrilegium facis? In epiſt. ad Vdal. Firman. epiſc.

De inuidia, Anſhelmus inquit: Inuidia eſt, quæ aliena felicitate torquetur: & in duplicem ſcinditur paſsionem, cum quis aut quod ipſe eſt, alium eſſe non uult: aut alium uidens eſſe meliorem, dolet ſe non eſſe conſimilem. Homicidiũ aũt ex homine & cæde

cæde compositum est. Et pulchrè homicidium inuidiæ sociauit Apostolus, quemadmodum ipsa est prima huius criminis materia. Nam primum homicidium & diaboli & Cain, de inuidia ortum est, & adhuc non nunquam fiunt homicidia per inuidiam. In 1 cap. ad Rom.

De tribus homicidij generib. sic ait Anshelmus: Tria sunt homicidij genera, quæ pari pœna plectuntur: interfectio fratrum, detractio, odium. De qua etiam Paulus dicit: Si comeditis, & inuicem mordetis, uidete ne ab inuicem consumamini. Comedit namque alter alterum, & quasi morsum in eum facit, quotiescunque quis aliquem malè loquendo uiliorem efficit: unde necesse est, ut ab inuicem consumantur, pœnis uidelicet gehennalibus detrusi miserrimè puniantur. Sic igitur is qui alterum detrahendo comedit, cõsumitur ab eo, quem morsibus detractionis consumere gestit. nã cum eius uitam per detractiõem dilacerat, semetipsum ante iustum iudicem Deũ condemnat. Sicq; plerunq; contingit, ut is qui alteri derogat, nisi resipiscat, coram Deo in damnationem cadat: quamuis ille cui detrahitur, nihil læsionis ex ipsa detractione sentiat. De Similitud. cap. 147.

De concupiscentia, ait Anshelmus: Concupiscẽtia peccati nomine appellatur, quoniã ex illa oriuntur omnia peccata. Quicquid enim est peccatorũ in dictis, in factis, in cogitationibus, non oriuntur nisi ex mala cupiditate, non oriũtur nisi ex illicita delectatione. In 7 cap. ad Rom. Item: Peccata siue parua siue magna, impunita esse non possunt, quia aut homine puniẽte, aut Deo iudicante plectuntur. Cessat autẽ uindicta diuina, si conuersio præcurrat humana. In 11 cap. prioris ad Corinth. Et: Si unus Christus mortuus est pro omnib. hoc est, ut omnes uiuant: ergo necesse est fateri, quia omnes mortui sunt in anima per peccatum, quorum uiuificatio quæsita est morte unius, qui peccato solus carebat, nec mortis animæ particeps esse poterat. Et idcirco nos debemus ad eos instruendos humiliari, pro quibus uiuificandis Saluator usq; ad mortem dignatus est inclinari. Omnes itaq; mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, dempta morte Dei, siue originalibus, siue etiam uoluntate additis, uel ignorando, uel sciendo, nec faciendo quod iustum est. In 5 cap. 2 ad Corinth. Item: Nemo reconciliatur, nisi ex inimicitijs, & nihil inter Deũ & homines facit inimicitias, nisi peccatum. In 5 cap. 2 ad Corinth. Item: Sicut iusticia est uita animæ, sic peccatum mors eius. Delictum nonnulli uolunt accipere secundum consensum malę uolũtatis, & peccatum secundum executionem operis: uel delictum est, quando aliquis facere negligit, quòd à Deo præcipitur: peccatum, quando præsumit agere, quod prohibetur. In 2 cap. ad Eph.

De castitate, inquit Anshelmus: Castitas est, initium bonæ operationis: ideoque nunc prima ponitur in Spiritualibus armis, quæ describuntur. Quamdiu enim quis luxuriæ subiacet, nihil boni potest agere: quia nihil eorum quę facit, potest Deo placere. Sed postquam deseruerit luxuriam, incipit operari iusticiam. in sextũ caput ad Ephesios.

De malis colloquijs, ait Anshelmus: Sicut malus aër assiduo flatu tractus, inficit corpus: sic peruersa locutio assiduè audita, infirmantium inficit animum, ut tabescat delectatione praui operis, & assiduitate ini qui sermonis. In 15 cap. 1 ad Corinth. Item: Vnum est, pro quo uitari malorum societas debeat, ne si fortasse corrigi non ualent, ad imitationem trahant. Corrũpunt enim mo res bonos, colloquia mala. Sicut ergo perfecti uiri, peruersos proximos non debent fugere, quia eos sæpè ad rectitudinem trahunt, & ipsi ad peruersitatem nunquá trahuntur: ita infirmi quicunque societatem declinare debent prauorum, ne mala quæ frequenter aspiciunt, & corrigere non ualent, delectentur imitari. In sextũ cap. 2 ad Corinth.

De ieiunio, inquit Anshelmus: Duo sunt genera ieiunij. unum tristitiæ, propter peccata: aliud gaudij, ex nimia contemplatione: quando in solo bono æterno contemplãdo delectatur animus, obliuiscitur esũ. in 9 cap. Matth.

De auaricia, inqt Anshelmus: Hydropicus quo amplius bibit, eo amplius sitit: sic & auarus, quo magis pecuniã auget, eo magis pecuniæ siti ardet: & ei crescit amor nũmi, quãtũ ipsa pecunia crescit. In Euãg. enar.

De eleemosynis, Anshelmus: Quanto maiori affectu piæ compassionis quis indigentiæ proximi subuenit, tãto maiorem sibi frugem acquirit æternæ refectionis. In 9 cap. 2 ad Corinth. De eleemosynis ex rapinis ait: Nõ ex rapinis & usuris uel fraudibus acquirere debemus, unde eleemosynas faciamus: sed si cõtigerit nos ante conuersionem nostram talibus modis opes acquisisse, iam post conuersionem rapinas & fraudes non faciamus, sed tamen ex opibus largè tribuamus. in Euangel. enar.

De curiositate, inquit Anshelmus: Curiositas est, studium perscrutandi ea quæ scire nulla est utilitas. Huius autem sedecim sunt genera, è quibus quinque sunt simplicia, sex duplicia, quatuor triplicia, unum

num uerò quadruplex. de Similitudine cap. 26.

De iudicio temerario ait Anshelmus: Duo sunt, in quibus temerarium iudicium cauere debemus. Cum incertum est, quo animo quid factum sit: uel cum incertũ est, qualis futurus sit qui nũc uel bonus uel malus apparet. Si ergo quispiam (uerbi gratia) conquestus de stomacho, ieiunare noluit: & tu id non credens, edacitatis uitio id tribueris, temerè iudicabis. Item, si manifestam edacitatem ebrietatemque cognouerís, & ita reprehenderis, quasi nunquam illa posset corrigi atque mutari, nihilominus temerè iudicabis. Non ergo reprehendamus ea, quæ nescimus quo animo fiant: neque ita reprehendamus quæ manifesta sunt, ut desperemus sanitatem. Maximè autem hi temerè iudicant de incertis, & facilè reprehendunt, qui magis amant uituperare & damnare, quàm emendare & corrigere, quod uitiũ uel superbia est, uel inuidentia. In 14 cap. ad Rom.

Non iurandum per creaturas. Anshelmus: Tria sunt, quare non debemus iurare per creaturas: tum quia bonæ sunt factæ à summo bono, tũ quia Deus habitat in eis. Item de iuramento inquit: Iuramentum neq; bonũ est, neq; malum per se, quia etiam præcipitur & prohibetur cũ additamento. In quintũ caput Matthæi. Item: Alia facienda sunt propter aliud, ut iurare propter incredulitatem hominum, ne peccent in nobis proximi, malè suspicãdo de nobis: quia credulitas est famam contemnere, in qua proximus occiditur. Iuramẽtum enim est de istis ultimis, quia per se non est malum, quia si esset malũ, non aliquando præciperetur: nec bonum est quod prohibetur. Iubetur tamen propter necessitatem: prohibetur si ociosum sit, quia tunc malum est. Est etiam ociosum & superfluum, & generat periurium, si sæpius frequentetur. Ibidem.

De confessione, inquit Anshelmus: Confessio est propriè opus fidei, ut quod mens credit, lingua fateatur. In primum caput ad Thessalonicenses.

Cõtra inobedientiam. Anshelmus: Qui parentibus non sunt obedientes, feris sunt indomabiliores: quemadmodum feræ suis parentibus sunt subditæ, & acquiescentes. In 1 cap. ad Rom.

Contra superbiam sic scribit Petrus Damianus: Videbam sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ac si dicat: Videte, ne dum nequitiæ spiritus uestris subdãtur imperijs, mentes uestræ iugo premantur elationis. Quia si sathanas per superbiã cœlũ perdidit, quod tenebat: homo superbiẽs nequa. quam ualet inuenire quod sperat. In epist.

Anshelmus inquit: Superbia omnis peccati est initiũ, quia ex ea nascitur omne peccatum. de Simil. cap. 7.

DE EVANGELIO.

Evangelium interpretatur bonum nuncium, quia ibi nunciatur humana salus per incarnationem & mortem & resurrectionem Christi. Quòd euangelium non est hominum, sed Dei: id est, non ab hominibus institutum, uel inuentum, sed à Deo. Anshel. in 1 cap. ad Rom.

De materia Euangelij, inquit Anshelmus: Materia Euangelij, sunt septem beneficia. Primum beneficium est, quòd Christus factus est homo. Secũdum, Baptismus. Tertium, passio. Quartum, quòd spoliauit infernum. Quintum, quòd surrexit. Sextum, quòd cœlos ascendit, Spiritum sanctum daturus. Septimum, secundus aduentus, in quo remunerabit suos. Hæc septem beneficia, ait adaptari quatuor Christi figuris, secundum quas homo, uitulus, leo, & aquila uocatur. His beneficijs applicat septem dona Spiritus sancti, quæ Esaias enarrat, ubi dicit: Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus cõsilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & repleuit eũ spiritus timoris Domini. In præfat. in Matth.

De fine Euangelij, inquit Anshelmus: Dato Euangelio, nullus per statum ueteris legis potest amplius saluari. In duodecimum caput Matth.

De differentia Legis & Euangelij, Anshelmus scribit: Legis obseruantia, pœnam tantummodo effugit: fidei uerò meritum, spem repromissionis expectat. Et præceptum seruis imponitur, fides ab amicis quęritur. In 4 cap. ad Rom. Item: Lex peccantes mox interfici iubebat, gratia uerò etiã post culpã expectat ad pœnitẽtiã. Ibid. cap. 6. Item: Lex Moysi est spiritualis, sed non uitæ: quia non uiuificat, dimissis peccatis. Lex autem quam Spiritus sanctus ponit, est uitæ: quia uiuificat, remittẽdo peccata. Lex Moysi, est lex Dei, sed factorum, lex operum, lex quę iubet, non iuuat: Lex quæ ostendit peccata, non tollit. Lex autẽ Spiritus lex est fidei, lex gratiæ, lex misericordiæ, lex quæ tollit peccatum, & liberat à lege membrorum, quæ non est Dei, sed peccati & mortis: quoniam reos facit, & mortem operatur. In 8 cap. eiusdem epist. Item: Lex quidem sancta, & mãdatum iustum & sanctum & bonum: & tamen quia de ipso bono interficitur inobediens anima, ubi non adiuuat Dei gratia, ministratio mortis facta est lex in ueteri Testamento, propter occidentem literam: & ministratio uitæ facta est gratia, propter iu-

stificantem Spiritum. Distinguitur ergo lex à gratia, eo quòd sub illa elidantur elati, sub ista erigantur elisi: & quòd illa in tantum bona sit, ut bona iubeat: hæc in tantum ut bona conferat: illa iusticiæ faciat auditorem, ista factorem. Et ideo sub illa peccator, insuper etiam præuaricator, amissa excusatione ignorantiæ conuictus iacet: sub ista uerò & parcente & opitulante, nec qui mala est operatus, extinguitur. Quid ergo mirum est, si illa dicta est ministratio mortis, ubi litera occidit, malum prohibendo quod fit, & bonum imperãdo quod non fit: ista uerò dicta est ministratio Spiritus, utiq; uiuificantis, nisi ut à præuaricatiõis morte surgamus, & iusticiam non rei legamus in tabulis, sed liberi habeamus in cordibus & in moribus? In tertium caput 2 ad Corinthios. Item: Lex non adiuuabat, sed tantum præcipiebat. Sub gratia uerò Deus nos adiuuat, ut bona quę præcipit, facere ualeamus. Nam ideo adiuui te, quia ipse liberũ in nobis arbitriũ restituit: & ex libero arbitrio nostro laboramus, & diuina gratia adiuuante potentes efficimur, sine qua nihil facere possemus. In sextum caput posterioris ad Corinthios. Item: Per legem cognitio peccati, per fidem impetratio gratiæ contra peccatum, per gratiam sanatio animæ à uitio peccati: per animæ sanitatem, libertas arbitrij: per liberum arbitrium, iusticiæ dilectio: per iusticiæ dilectionem, legis operatio. Ac per hoc lex non destruitur, sed statuitur per fidem: quia fides impetrat gratiam, qua lex impleatur: gratia sanat uoluntatem, qua iusticia liberè diligatur. In 3 cap. ad Rom.

DE PRAESCIENTIA, ELE-ctione & prædestinatione.

QVid sit prædestinatio. Anshelmus: Prædestinatio uidetur idẽ esse quod præordinatio, siue p̃stitutio: & ideo quòd Deus prædestinare dicitur, intelligitur præordinare, quod est, statuere futurum esse. De con. præsc. & grat.

Anshelmus inquit: Quare negat Deus gratiam libenter suscepturis, & gratiæ consensuris, non est nostrum scire: sed hoc solum audemus affirmare, quòd iustè agit, si peccatores respuit. Sed quare hunc eligit, non consensurum gratiæ, illum autem tam bene consensurum gratię negligit, soli Deo notum est. In undecimum caput Matth. Item: Cui uult miseretur, & quem uult indurat. Miseretur utiq; gratuito dono, indurat autem iustissimo merito. Miseretur secundum gratiam, quæ gratis datur, non meritis redditur: indurat autem secundum iudicium, quod meritis redditur. Miseretur magna bonitate, indurat autem nulla iniquitate, ut nec liberatus de suis meritis glorietur, nec damnatus nisi de suis meritis cõqueratur. Sola enim gratia redẽptoris, discernit à perditis, quos in unam perditionis concreuerat massam, ab origine ducta causa communionis. Cùm ergo totus mundus iustissimè posset damnari, Deus cui uult miseretur, & quem uult indurat: hoc est, non miseretur ei, nec emollit cor eius: & tamen iniusta est eius uoluntas, uolentis alij misereri, alijque non uolentis. Quis enim dicat aliquem potentem iniustè agere, si ex duobus reis unum iustè uelit interimere, & alterum misericorditer liberare? Sic & Deus in nullo potest reprehendi, siue damnet, siue misereatur. Meritum enim misericordiæ nullum est: meritum autem indurationis, est peccatum totius massæ damnatæ. Nec indurat Deus impartiendo duritiam, sed non impartiendo misericordiam, sicut nec digni sunt. Quod facit æquitate occulta, ab humanis sensibus remota. In nonum caput ad Rom. Item: Rationalem creaturam, quæ Dei contemplatione beata uel est, uel futura est, in quodam rationabili & perfecto numero præscitam à Deo, ita ut nec maiorem illum esse deceat, non est dubitandum. Aut enim nosci Deus, in quo numero melius eam deceat constitui, quod falsum est: aut si scit, in eo illam constituet, quem ad hoc decentiorem intelliget. Quapropter, aut angeli illi qui ceciderunt, facti erant ad hoc, ut essent intra illum numerum: aut quia intra illum numerum permanere non potuerunt, ex necessitate ceciderunt: quod absurdum est opinari. libro primo cur Deus homo, capitè decimosexto. Item: Præscientia Dei non propriè dicitur præscientia, non habet futurorum præscientiam. Cùm ergo alia sit ratio de futurorum præscientia, quàm de præsentis rei scientia: non est necesse diuinam præscientiam, & illam de qua quærimus, eam habere consequentiam. In dialogo de casu diaboli, capite uicesimoprimo. Item: Quòd sit prædestinatio, & q̃ prædestinatio nihil inferat necessitatis libero arbitrio. Item: Quòd nec prædestinatio excludat liberum arbitrium, nec liberum arbitrium aduersetur prædestinationi, docet in libro de concordia & prædestinatione Dei. Item: Cuius uult miseretur, non iusticiæ, sed misericordiæ gratia: & quem uult obdurat, non iniquitate, sed ueritate uindictæ. Per has enim uias uenit ad omnes. Et inuestigari non potest, cur Deus ad hunc ueniat per uiam mi-

sericordiæ, ad illum uerò per uiam ueritatis uel iusticiæ. Nulla enim creatura perscrutari ualet, cur ipse misereatur huic potius quàm illi. In undecimum caput ad Romanos.

Qualis sit prędestinatio. Anshelmus: Decularia, prædestinatum habuit in secreto consilij sui, ut Verbum eius caro fieret: hoc ut ab exordio rerum, & ante tempora seest, ut omnium Dominus formam serui, pro seruis redimendis misericorditer assumeret: & quod is qui fecit quæ futura sunt, certissimè faciendum disposuit, iam in eius conspectu factum fuit. Sic igitur ante secula creauit eum secundum humanitatem, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem. In enarratione Euangelica. Et: Quando plasmatus est homo, & quando creatus est angelus, præuisum est, ut unigenitus Dei clementer homo fieret, qui genus humanum, quod grauiter deliquerat, releuaret. Ibidem. Item: Prædestinatio non solum bonorum & malorum potest dici: quemadmodum Deus mala quæ non facit, dicitur facere, quia permittit. Nam dicitur hominem indurare, cùm non emollit: ac inducere in tentationem, cum non liberat. Non est ergo conueniens, eum hoc modo prędestinare, dum malos & eorum mala opera non corrigit. Sed bonis specialibus præscire & prędestinare dicimus: quia in illis facit quod sunt, & quòd bona sunt: in malis autem, non nisi quod sunt essentialiter, non quòd mala sunt, ut suprà dictum est. Sciendum quoque, quia sicut præscientia non in Deo dicitur propriè, ita nec prædestinatio: quia illi nec antè, nec post aliquid est, sed omnia sunt illi simul præsentia. De concor. gratiæ & libero arbitrio. Item: Quod autem Deus statuit futurum esse, necessitate uidetur futurum esse: quare quicquid Deus prædestinat, necesse est futurum esse. Ibidem. Item: Paruer igitur quamuis necesse sit fieri quæ præsciuntur, & quæ prædestinantur: quædam tamen pręscita & prædestinata, non eueniunt ea necessitate quæ præcedit rem, & facit: sed ea quæ rem sequitur, sicut suprà diximus. Non enim ea Deus quamuis prędestinat, facit uoluntatem cogendo, et uoluntati resistendo, sed in sua illi potestate dimittendo. Quamuis autem sua uoluntas utatur potestate, nihil tamen facit quod Deus non facit in bonis sua gratia, in malis non sua, sed eiusdem uoluntatis culpa: quod, sicut promisimus, clarius, cum de gratia loquemur, apparebit. Et sicut prescientia, quæ non fallitur, non prescit nisi uerum, sed erit aut necessarium, aut spontaneum: ita prędestinatio, quæ non mutatur, non prędestinat, nisi sicut est, est in præscientia. Et quemadmodum quod prescitur, licet in æternitate sit immutabile, tamen in tempore aliquando antequàm sit, mutari potest: ita est per omnia de prædestinatione. Patet igitur ex his quæ dicta sunt, si benè considerentur: quia nec prædestinatio excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium aduersatur prædestinationi. Siquidem omnia illa quibus suprà monstrauimus, liberum arbitrium prescientiæ non repugnare, pariter ostendunt illud prædestinationi concordare. Non ergo rationabiliter, quoties aliquid contingit, operante contingit spontanea uoluntate: uelut cùm homo homini facit iniuriam, unde ab illo occiditur, quidam clamant dicentes: Sic prescitum & prædestinatum erat à Deo, & ideo necessitate factū est, nec aliter fieri potuit. Quippe nec qui iniuria alium irritauit, nec qui se uindicauit, hoc fecit necessitate, sed sola uoluntate: quia si non sponte uoluisset, neuter quod fecit fecisset. Ibidem. Item: Qui iudicat omnem diem, Deus est: quia nō solum qualis quisque modò sit, sed etiam qualis fuit, & qualis omni die futurus sit, nouit. Et ideo secundum præscientiam, qua nouit quos ante mundi constitutionē prędestinauit, multi etiá qui apertè mali uidentur, multis bonis meliores sunt. Quid enim sint hodie uidemus, quid cras futuri sint ignoramus. In decimūquartū caput ad Romanos. Et: Notandum, quia sunt nonnulli qui dicunt, Quare laboremus bonis operibus ad uitam peruenire? Nam si prædestinati sumus, sine dubio ad eā perueniemus. Quorum errorem destituit, dum Romanos hortatur, ut orent impleri ea quę ipse per Spiritum prophetię futura prędixerat. Deus enim multa sic prędestinauit futura, ut sancti ea cum labore obtineant: & ideo qui laborare neglexerit, non apprehendet illa. In decimūquintū caput ad Romanos.

DE IVSTIFICATIONE.

De duplici iusticia inquit Anshelmus: Simili ratiōe potest dici originalis & personalis iusticia. Siquidem Adam & Eua originaliter, hoc est, in ipso sui initio, mox ut homines extiterunt, sine interuallo iusti simul fuerunt. Personalis aūt dici potest iusticia, cū iniustus accipit iusticiam, quam in origine non habuit. Ergo Adam & Eua si iusticiam seruassent originalem, qui de illis nascerētur originaliter, sicut illi iusti essent. De conceptu uirg. cap. 1.

Vnde iustificatio. Algerus: Deus nos Chri-

sti fratres fecit, & illum, & cum illo omnia donauit: ut cum Dominicum hominem in unitate personæ Dei credimus deificatum, non dubium sit, quod mediante ipsius gratia, teste Iohanne, nobis est datum. Ait enim: Quotquot receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, qui ex Deo nati sunt. Lib. 1 cap. 2 de Euchar.

Anshelmus ait: Remissionem peccatorũ homo nullus habere potest, nisi per hominẽ, qui idẽ ipse sit Deus, atque sua morte hoiẽs, peccatores Deo cõciliet. lib. 2 cur Deus homo, cap. 15. Item: Nos quoq; dũ mẽbra eius efficimur, in Spiritu sancto per baptismũ iustificamur. Et: Sed nõ sicut delictũ, ita & donũ. hoc est, non sic est efficax peccatũ Adæ ad damnationẽ, ut gratia Christi ad saluationẽ. In 5 cap. ad Rom. Multo magis abundat gratia, quàm delictũ: quia omnes qui per Christũ liberãtur, tẽporaliter p Adã moriuntur, propter ipsum aũt Christũ sine fine uicturi sunt. Ibid. Et: Quandoquidem Adã est forma Christi, & quia maius est donum & plus cõfert: igitur sicut iustè per delictum unius, transiens in omnes homines, itum est in condemnationem corporis & animæ: sic iusto iudicio, etiam per unius iusticiam, uenientem in omnes homines electos, itum est in iustificationem, ut participatione iusticiæ Christi iustificentur: quæ iustificatio est causa uitæ, sicut condemnatio causa mortis æternæ. Sicut ibi delictum solum sine actuali peccato, omnes præcipitauit in condemnationem: ita sine nostro opere, præcedente gratia Christi, nos duxit ad iustificationem, & sic ad uitam æternam. In quintum caput ad Romanos. Et: Nemo uenit ad mortem nisi per Adam, nemo ad uitam æternã nisi per Christũ. In 15 cap. 1 ad Corinth. Itẽ: O mirabilis censuræ conditio, & ineffabilis mysterij dispositio: peccat iniquus, & punitur iustus: delinquit reus, & uapulat innocẽs: offendit impius, & damnatur pius: quod meretur malus, patitur bonus: quod perpetrat seruus, exoluit Dominus: quod committit homo, sustinet Deus. In lib. Meditation. Item: Aut enim per Christũ, aut alio aliquo modo, aut nullo modo poterit saluus esse: quapropter si falsum est, quia nullo, aut aliquo alio modo potest hoc esse, necesse est fieri p Christũ. li. 1 cur Deus homo, cap. 25. Item: Si ergo, sicut constat, necesse est ut de hominibus perficiatur illa superna ciuitas: nec hoc esse ualet, nisi fiat prædicta satisfactio, quam nec potest facere nisi Deus, nec debet nisi homo: necesse est ut eam faciat Deus homo. libro secundo, cur Deus homo, cap. 6. Et: Remissionem peccatorum homo nullus habere potest, nisi per homi-

nem, qui idem ipse sit Deus, atq; sua morte homines peccatores Deo concilier. Ibidem, capite decimoquinto. Item: Quòd in regno Dei angelica quærimus æqualitate beari, dono & gratię Iesu Christi Domini nostri id adscribimus: qui ad hoc dignatus homo fieri, pati, mori, ut nos ab omni delicto in sanguine suo iustificatos, ipsius regni consortes efficeret. Vos igitur considerate, an sanguis Christi, qui pro nobis est effusus, queat nobis non esse perfecta causa salutis. In lib. de Similitudinibus, capite decimosexto. Item: Sic homo ille (Christus) redemit omnes alios, cùm hoc quod spõte dedit Deo, cõputat pro debito, quod illi debebant. Quo precio non semel tantum à culpis homo redimitur, sed etiá quoties cum digna pœnitentia redierit, recipitur. Quę tamen pœnitentia peccanti non promittitur. Quod quoniam in cruce factum est, per crucem noster Christus nos redemit: qui ergo ad hanc gratiam uolunt cum digno affectu accedere, saluantur. Qui uerò illam contemnunt, quia debitũ quod debent nõ reddunt, iustè dãnantur. De meditatione redem. gen. hum. cap. 4. Item: Heri in passione Christi reliquit hominem febris, quoniam Christus uitiorum nostrorum peregrinos & inordinatos feruores, & uariarum incentiua libidinum crucifuę affixit: quia languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. In Euang. enar. Item: In Christo iustificantur omnes qui credunt in eum, propter occultam communicationem & inspirationem gratię spiritalis: quia quisquis adhęret Domino, unus spiritus est cum eo. In quintum caput ad Romanos. Item: Sicut per peccatum primi hominis, quod in omnes pertransijt, amisimus uitam: sic per iusticiam secundi hominis, quę in omnes qui membra eius fiunt, diffunditur, recuperabimus uitam. ibidem. Item: Ab Adam, in quo omnes peccauimus, non omnia nostra peccata, sed tantum originale traximus. A Christo uerò, in quo omnes iustificamur, non illius tantum originalis, sed etiam cæterorum quę ipsi addidimus, peccatorum remissionẽ consequimur. In quintum cap. ad Romanos. Item: In gratia Dei, quę data est nobis in Christo Iesu, non in Petrò uel Paulo. Gratia enim data est in Christo: quia hoc constitutum est à Deo, ut qui credit in Christo, saluus fit sine opere, sola fide, & gratis accipiat remissionem peccatorum. In primum caput prioris ad Corinthios. Item: Cuncti in Christo unum sumus, uniuersi ad regnum Dei uocamur: omnes post offensam patri nostro reconciliandi sumus, non per merita nostra, sed per gratiam

gratiam Saluatoris: uel quòd Dei patris uiens & subsistẽs gratia ipse sit Christus: uel quòd Christi Dei Saluatoris hęc sit gratia, & non nostro merito saluati sumus. secũdũ q̃d alibi dictũ est, Pro nihilo saluos facies illos. In 2 cap. ad Tit. Item: Sanctificatis, id est, in baptismo regeneratis in Christo Iesu: id est, in figuratione mortis & resurrectionis Christi Iesu. Sanctificatis in Christo, non in Petro uel Paulo, uel alio quolibet baptizatore: quia Christus sanctificationem istam æqualiter operatur, per omnes suos ministros: & ideo nulli gloriandum est in meritis sui baptizatoris. In 1 cap. prior. ad Cor. Item: Sed quoniam nullus potest reddere quãtum debet, solus Christus reddidit pro omnibus, qui saluãtur plus quàm debetur. de concep. uirg. cap. 21.

Meginhardus inquit: Per omnia quæ ab ipso mediatore Dei & hominum acta ueneramur, uia nobis quodammodo ad perpetuæ beatitudinis capessenda præmia præparatur. Neque enim in ipsis finem ætemæ felicitatis, & felicissimæ æternitatis quæ Deus est, ponimus: sed per illa in illum finem curremus, quem omnis fidelis anima in eremo huius uitæ ardẽtissimo anhelat desiderio. Ad Gunther. de fide.

Dei impulsiua iustificationis, seu causa, propter quam, Berno inquit: Huius rei (scilicet lapsus Adæ) gratia, secundus Adã Dominus ac redemptor generis humani, per intactæ uirginis uterum, absq; uirili commixtione, in hunc mundum ueniens, semetipsum in ara crucis pro nobis obtulit: cuius redemptionis modum in libro B. Iob longè antè taliter inuenimus prænunciatum. Si fuerit pro eo angelus, loquens unum de milibus, ut adnunciet hominis æquitatem, miserebitur eius, & dicet: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: Inueni in quo ei propitier. Hic ille angelus intelligitur, qui per Prophetam Magni consilii angelus dicitur: qui ueniẽs in carne, culpam nostram dominãdo subdidit, pœnam nostram miserando suscepit. Et cum in omnibus distet à nobis magnitudine potentiæ, sola concordat nobis ueritate naturæ. Vnde apud iusticiam patris interueniendo, dicit: Libera eum, ut non descendat in corruptionem: Inueni in quo ei propitier. Ac si diceret: Quia nullus hominum inueniri potuit, qui corã Deo intercessor iustus pro hominibus appareret, me ipsum ad propitiandum hominibus hominẽ feci. Et dũ me hominem exhibui, in quo iusto homine hominibus propitier inueni. Hæc singularis ac salutaris hostia, qua Redemptor generis humani in ara crucis seipsum obtulit Deo patri, ante constitutionem mundi fuit prædestinata, ab initio seculi mysticis rebus sæpius præfigurata, prophetarum etiam oraculis prænunciata. In Sermone de resurrectione Domini.

Anshelmus ait: Quia enim creatura humana peccauerat in Deum, nec pœnitebat ut reuerteretur ad eum: Deus opus suum nolens perire, misit filium suum, per quem prædicata remissione peccatorum, reconciliaret sibi per ipsum, per quem eos creauerat. In quintum caput posterioris ad Corinthios.

Ex dilectione. Anshelmus: Magna & inenarrabilis dilectio, ut unicus filius Dei, semetipsum pro nobis traderet morti, Dominus pro seruis, creator pro creatura. In 5 cap. ad Ephes.

Ex misericordia. Anshelmus: Quid misericordius intelligi ualeat, quàm quòd peccatori tormentis æternis deputato, & unde se redimat non habenti, Deus pater dicit: Accipe unigenitum meum, & da pro te? Ipse Filius: Tolle me, & redime te. libro secundo, cur Deus homo, cap. 20. Item: O misericordia Dei, de qua opulenta dulcedine, & dulci opulentia nobis profluis? O immẽsitas bonitatis Dei, quo affectu amanda es peccatoribus? Iustos enim saluas iusticia comitante, istos uerè liberas iusticia damnante. Illos meritis adiuuantibus, istos meritis repugnantibus. Illos bona quæ dedisti cognoscendo, istos mala quæ dedisti ignoscendo. In Prosol. capite nono. Item: Misericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus quàm æterna damnatio deberur. In 9 cap. ad Rom.

De materia iustificationis, ait Anshelmus: Multum quidem, quod non mea meretur impietas: longè aũt maius est, quod Redẽptoris mei possit pietas: magna enim mea est iniusticia: multo uerò maior Redẽptoris mei iusticia. Quãto enim superior est Deus homine, tã mea malitia inferior bonitate, ut qualitate, ita etiã quantitate. Quid enim delinquere possit homo, quod non Dei filius redimeret, factus homo? Quæ tantum superbia tumeret, quam non tanta humilitas sterneret? Quid nam esset mortis imperium, quod nati Dei non destrueret crucis supplicium? Nimirũ Deus meus, si æqua lance iniquitas peccantis hominis. & redimentis gratia liberentur authoris: non tantum oriens distat ab occidente, seu inferior separatur infernus à summo cœli cardine, quantum pietas Redemptoris superat malitiam peccatoris. In libro meditationũ. Item: Si non haberẽt singuli peccatum Adæ, quomodo asseris, nullum saluari sine satisfactione peccati Adæ? nam qualiter iustus Deus exigit ab illis satisfa-

ctionem peccati, quod non habent? Ad quod dico: Deus non exigit ab ullo peccatore plus quàm debet: sed quemadmodum nullus potest reddere quantum debet, solus Christus reddidit pro omnibus qui saluantur, plus quàm debetur. de concep. uirg. cap. 21. Item: Nullus admittitur ad regnum Dei, ad quod factus est homo, nisi per mortem Christi: sine quo non redditur, quod pro Adæ peccato debetur, quamuis non omnes pariter in inferno torqueri mereantur. Nam post diem iudicij, nullus erit angelus aut homo, nisi aut in regno Dei, aut in inferno. Ibidem capite uigesimosecundo. Item: Non poterat animus hominis à peccati morbo sanari, nisi medicamentum ei fieret mors ipsius medici. In enarratione Euangelica. Item: Crux & mors & resurrectio Saluatoris est uirtus Dei, quamuis stulticia uideatur incredulis. Nulla enim maior uirtus est, quàm deuicta morte homini uitam perditam reddere. In primum caput ad Romanos. Item: Cum Deus sit omnipotens, & alijs modis nos potuisset liberare, cur filium suum pro nobis mori uoluit? ad quod Apostolus: Non sine causa Deus id fecit, sed hoc modo commendat charitatem suam in nobis. Quando indebitè aliquid redditur, tunc charitas commendatur. Et quid tam indebitum, quàm ut sine peccato Dominus pius pro peccatoribus seruis impijs moreretur? Et in hoc commendatur nobis charitas patris, qua sic nos dilexit. In quintum caput ad Romanos.

Merito Christi nos reconciliari. Anshelmus: Bene possumus Deo reconciliari, qui sanguine Christi sui delet omne peccatum nostrum, si nos illud pœnitendo damnemus. In quintum caput posterioris ad Corinthios.

Ex gratia nos iustificari, docet Berno, inquiens: Quapropter attende tibi homo: attende quid per culpam, quid uerò merueris per gratiam. Natura quippe tua, propter Adæ præuaricationem, in ipsa origine uelut radice uitiata, in Redemptore nostro per gratiam est reparata. Vnde Apostolus testatur dicens: Si portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis. Propter culpam audis, Terra es, & in terram ibis: propter gratiam, Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabitur tibi Christus. Propter culpam dicit Apostolus, & nos natura filij iræ sicut cæteri: propter gratiam Euangelista ait: Quotquot recepetunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Ex culpæ merito loquitur Deus in Genesi: Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est: ex gratiæ autem dono dicitur in Psalmo: Et recordatus est, quia caro sunt. In Sermone de Natiuitate Domini.

Anshelmus inquit: Gratia Dei multo magis abundauit, quia primus parens unum delictum in omnes misit: Christus autem etiam delicta illa quę homines propria uoluntate addiderunt originali, in quo nati sunt, gratia sua soluit, & iustificationem & uitam æternam dedit. In quintum caput ad Romanos. Item: Omnis creatura gratia existit, quia gratis facta est: & multa bona dat Deus per gratiã, sine quibus homo saluari non potest. de concord. grat. & libero arbitrio. Item: Lex quidem dum iuberet & minaretur, & neminem iustificaret, satis indicauit dono Dei hominem iustificari, per adiutorium Spiritus. Ibidem, capite tertio. Item: Paulus commendans iusticiam quæ ex fide est, aduersus eos qui fidem negligentes, gloriabantur de iustitia quæ est ex operibus, dixit: Abraham non esse iustificatum ex operibus, sed quæ fidem præcederent. Iacobus autem aduersus illos qui percepta fide torpebant ocio, & putabant se per eandem fidem, utpote iustificatos, posse saluari, etiamsi bona opera non haberent, dixit: Abraham ex operibus esse iustificatum, sed quæ fidem secuta sunt. In quartũ caput ad Romanos. Itẽ: Iustificatio quæ ex fide est, pacem cum Deo facit: quia inimicas præsumptiones humanorum meritorum expellit, & animã Deo humiliter subijcit, dum se sola gratia saluari cognoscit. Ex fide sumus iustificati, & tamen gratis: quia & ipsa fides donum superne gratiæ est. Et cum fides impetrat iustificationem, non gratiam Dei, aliquid meriti præcedit humani: sed ipsa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur perfici, comitante, non ducente: pedissequa, non præuia uoluntate. Ita ergo iustificati iam de cætero pacem habeamus ad Deum, quia reconciliati sumus ei per mediatorem Iesum. Non iam à diuina uoluntate discordemus, sed pacem ad Deum habere studeamus. In quintum caput ad Romanos. Item: Ab Adæ uitio sola Christi gratia liberat, quæ non secundum merita hominum, sed gratis datur, quoniam Deus misericors est: nec omnibus datur, quoniam Deus iudex est: & iusto eius iudicio in alijs demonstratur, quid in eis quibus datur, conferat gratia. Ibidem. Item: Cum posset Apostolus dicere, Stipendium autem iusticiæ uita æterna: maluit dicere, Gratia autem Dei uita æterna: ut hinc intelligeremus, non meritis nostris

noſtris Deum nos ad æternam uitam, ſed pro ſua miſeratione perducere. ibidem, capite ſexto. Item: Quia omnes ſub peccato concluſi ſunt, non iam meritis hominum, ſed miſericordia Dei ſalus humana conſiſtit. in duodecimum caput eiuſdem epiſtolæ. Item: Si poſsibilitas naturalis per liberum arbitrium ſufficit ſibi, quemadmodum ſe- culi ſapientes dicunt, & ad cognoſcendum quomodo uidere debeat, & ad bene uiuendum: ergo Chriſtus gratis mortuus eſt, & crux eius ab omni utilitate uacua eſt. Sed impoſsibile eſt, crucem eius uacuam ac ſuperfluam eſſe, quia ſalus humana non niſi per crucem illam poterat euenire. Ergo ſtulta eſt ſapientia uerbi ſecularis, quæ hoc ignorauit. in primum caput prioris ad Corinthios. Item: Miſericordiam conſecuti ſunt: id eſt, habentes eam non ex meritis, ſed ex Dei miſericordia, quæ nos abluit & iuſtificauit, & miniſtros ſuos fecit. in quartum caput poſterioris ad Corinthios. Item: Bene primò gratiam dicit, deinde pacem nominat: quia ſine gratia Dei ad pacem reconciliationis peruenire non poſſumus: imò nihil pacificum niſi per gratiam eius habere ualemus. Gratia enim gratis datur, ſine præcedentibus meritis: & per hanc dum culpas remittit, accedimus ad pacem reconciliationis. in primum caput prioris ad Theſſalonicenſes. Item: Gratia eſt, qua nullo merito nulloq; opere ſaluamur: pax, qua reconciliati Deo per Chriſtum ſumus. Sed quoniam à patre & à Chriſto gratia & pax rogatur, una filij patriſque natura eſſe uel potentia monſtratur, cum id filius poteſt præſtare quod pater, & id dicitur pater præſtare quod filius. in epiſt. ad Plu.

Fide iuſtificamur. Anshelmus: Chriſtus non infideles quoſq; & pro ſuis criminibus æternis ſupplicijs deditos, ab inferno traxit: ſed eos ſolummodo, quos ſuos fide & actibus recognouit. in decimumquintũ caput prioris ad Corinthios. Item: Quia iuſtificati per legem non ualuiſſet, niſi occulta ſancti Spiritus gratia per Chriſti fidem eum iuſtificaſſet. in Euangel. enarrat. Item: Deus per legem oſtendit homini infirmitatem ſuam, ut ad eius miſericordiam per fidem confugiens ſanetur. in tertium caput ad Romanos. Et: Hæc iuſticia Dei eſt, per fidem Ieſu Chriſti: hoc eſt, per fidem qua creditur in Chriſtum. Sic enim iſta fides Chriſti dicta eſt, qua credimus in Chriſtum: ſicut illa iuſticia Dei, qua iuſtificamur à Deo. utraq; enim natura eſt. Sed idcirco Dei & Domini dicitur, quia eius nobis largitate donatur. Hæc iuſtitia quæ confertur per fidem, fideſq; ipſa occulta inſpiratione Dei & gratiæ, dono infunditur, non labore humano, nec opere uetc- ris Teſtamenti acquiritur: quia ipſius donum eſt, ut credamus. ibidẽ. Item: Si quis dixerit, ut merear iuſtificationem, habeo fidem: reſpõdetur ei, Quid habes quod non accepiſti? Cum ergo fides impetrat iuſtificationem, ſicut unicuique Deus partitus eſt, etiam ipſius menſuram fidei, non gratiam Dei aliquid meriti præcedit humani: ſed ipſa gratia meretur augeri, ut aucta mereatur & perfici, comitãte, non ducente: pediſſequa, non præuia uoluntate. in tertium caput ad Romanos. Et: Chriſtus non aliter erit propitiatio alicui, niſi credat eum fudiſſe ſanguinem ſuum pro redemptione generis humani, & ſubiungat huic fidei bona opera, prout poterit. ibidem. Item: Ex fide datur iuſtificatio, & non ex operibus legis aut naturæ. in eodẽ capite. Item: Illi acceptam fert Deus iuſticiam, qui per fidem qua primùm Deo credidit, & de præterito abſoluitur, & de præſenti iuſtificatur, & ad futura fidei opera præparatur. in quartum caput ad Romanos. Item: Multis modis probatum eſt, nõ ex operibus legis, nec ex uiribus liberi arbitrij, ſed ex fide iuſtificari hominẽ. Ibidem, cap. 5. Item: Iuſtificatio ex fide impetratur, & ita per iuſticiam fidei completur uera iuſticia legis. in decimum caput ad Romanos. Item: Nihil apud Dominum prodeſt eſſe filium Abrahæ, ſi deſit iuſticia uel fides Abrahæ: quia fides eſt quæ ſaluat, non propago generis Abrahæ. in undecimũ caput poſterioris ad Corinthios.

DE FIDE.

QVid fides. Anshelmus: Fides eſt diuinitatis confeſsio, & religionis ſolidum fundamẽtum: qua ueraciter credimus id quod uidere non poſſumus. Propriè uerò nomen fidei inde uocatur, quia fiat quod dictum eſt, aut promiſſum. Fides enim eſt dicta ab eo, quòd fit illud quod inter utroſque placitum eſt: id eſt, inter Deum & hominẽ: ſcilicet ut homo faciat opere, quod dicit ore: & Deus reddat ei beatitudinẽ, quam promiſit. in 7 cap. ad Rom. Item: Fides eſt donum miſericordiæ, & iuſtificat credẽtes. in 4 cap. ad Rom. Item: Fides eſt, quod non uides credere: ueritas, quod credidiſti uidere. Fides ducit ad ueritatem. Si maneatur in eo quod creditur, peruenitur & ad id quod uideatur. in 2 cap. 1 ad Timoth. Item: Fides eſt ſubſtantia, id eſt firmamẽtum rerum ſperandarum. Fruſtra enim ſperat, qui non credit. in tertium caput Matthæi.

Fidem eſſe certitudinem, Meginhardus docet, cum inquit: Nec minus ad Corinthios loquens, cum hanc ipſam fidei immobilem certitudinem, & quaſi ſubſtantiam commendaret, &c.

Idem Meginhardus ait: Credere ergo

in Deum, proximum est quasi signaculum prędestinatorum. Quisquis enim sic credit, hic spiritu Dei agitur, huic pater est Deus, hic hæres est Dei, huic frater est Christus, hic cohæres est Christi. Illo autem modo locutionis dicitur, Credo in Deum: quo dici possit, Fumus defecit in aëra, uel glacies defecit in aquã, uel panis deficit in carnem: id est, suo quodammodo defectu, & transmutatione in naturam carnis absumitur. Credere porrò Deum, hoc est fidem habere Deum esse. Hoc modo credunt Iudæi, hoc modo dæmones etiam credunt & contremiscunt. Credere uerò in Deo, eandem ferè sententiam habet cum eo quod primum posuimus: id est, Credo in Deum. Sic enim in Euangelio Ioannis inuenirur: Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius. Credere tamẽ in Deo, insolentius ad usum Latinitatis dicitur: credere uerò in Deum, longè significantissimè celebrior usus obtinuit. Non ergo quisquis credit Deo, uel credit Deum, continuò etiam credit in Deum, uel in Deo. Quisquis uerò credit in Deum, uel in Deo, consequenter etiam credit Deo uel Deum. Ad D. Guntherum, de fide.

De uiua & mortua fide, scribit Anshelmus: Ergo quoniam quod aliquid operatur, inesse sibi uitam, sine qua operari non ualeret, ostendit: non absurdè dicitur operosa fides uiuere, quia habet uitam dilectionis, sine qua non operaretur, & ociosa fides non uiueret: quia careret uita dilectionis, cum qua non ociaretur. Quare si cæcus dicitur, nõ tantum qui perdidit uisum, sed qui dum debet habere, non habet: cur non similiter potest dici fides sine dilectione mortua, non quia uitam suam, id est dilectionem perdidit: sed quia non habet, quam semper habere debet. Quemadmodum igitur illa fides quæ per dilectionem operatur, uiua esse cognoscitur: ita illa quę per contemptum ociatur, mortua esse conuincitur. Satis itaq; conueniẽter dici potest uiua fides, credere in id, in quo credere debet: mortua uerò fides, credere tantum id quod credi debet. In Monologio, capite septuagesimoquinto.

De fide dęmonum ait Anshelmus: Fides quæ non habet charitatem & opera bona, fides dæmonum est, non Christianorum. In 5 cap. ad Gal.

Vnde fides. Anshelmus: Credere in Christum, & audire eum, id est obedire ei, nemo potest nisi dante ipsius gratia. In 2 cap. ad Rom. Item: Quod Apostolus ait, Fidem esse ex auditu, intelligendum est, quia fides est ex hoc quod cõcipit mens per auditum, neq; ita ut sola cõceptio mentis faciat fidẽ in homine, sed quia fides esse nequit sine conceptione. Addita namq; rectitudine uolendi cõceptioni per gratiam fit fides, quia credit quod audit. Auditus autem est per uerbum Christi, hoc est, per uerbum prædicantium Christum. Prædicantes uerò non sunt, nisi mittantur: sed quòd mittuntur, gratia est. Quapropter & prædicatio gratia est: quia gratia est, quod descẽdit ex gratia: & auditus est gratia, & intellectus ex auditu gratia, & rectitudo uolẽdi gratia est. Anshelmus de concordia, gratia & lib. arb.

De effectu & fine fidei, inquit Anshelmus: Per fidem uiuere incipit anima, quæ per infidelitatem erat mortua. Fides autem qua uiuitur, ipsa est, quæ per dilectionem operatur. quoniam fides si non habeat operationem his qui tempus operandi habent, intelra, mortua est in semetipsa. Quod tamen ligitur. Nam si quis mox ut per fidem iustificatus est, ex hac luce migrauerit: hic sola fide, sine ullis operibus uitam consequetur. Qui uerò tempus benè operandi habet, & operari negligit, frustra de fide præsumit. In 1 cap. ad Rom. Item: Fides concessa nobis ex gratia, apud Deum impetrat & remissionem delictorum, & perfectionem omnium uirtutum. In quintum caput ad Romanos. Item: Tunc rectè, tũc iustè, tunc piè fit, cum opus bonum in eius fit laudem, cuius gratia donatur ut fiat. In quo affectu proficiens, quicquid boni facit, Domino facit: hoc est, in eius laudem, cuius gratia percepit ut faciat. In decimũ quartum caput ad Rom. Item: Coram Deo sufficit nobis bona conscientia, sed coram hominib. necessaria est bona fama. propter nos enim conscientia nostra sufficit nobis: sed propter homines fama nostra non pollere debet in eis. Qui enim fidẽ lui, sed pollere debet in eis. Qui enim fidẽ conscientiæ, negligit famam suam, crudelis est, quoniam salutem proximorum spernit. in 8 cap. 2 ad Cor. Item: Angeli nobis ad custodiã deputati, cuncta quæ facimus, diligẽter aspiciũt, & de bonis actib. nostris lætantur, de malis uerò contristantur. Non tamẽ tristicia possũt affici, qa perfectè beati sunt. sed quòd eis mala nostra displicẽt, uocatur eorum tristicia. In Euang. enar.

Qui saluentur. Anshelmus: Christus saluat totum corpus Ecclesiæ. Nullum enim membrum Ecclesiæ saluatur, nisi per Christum, qui caput & Saluator est omnium electorum. in 5 cap. ad Ephes.

Peccatores iustificari. Anshelmus: Cum uenit medicus, uolens sibi famam comparare, infirmum quærit aliquem desperatum, & ipsum sanat. Et si pauperrimum inueniat, non ibi quærit mercedem, sed commen-

commendat artem: ita & Christus potentiã specialis medicinæ spiritualis suæ ostendit in Saulo, ut omnes deinceps nossent, eum sanare posse cunctas infirmitates omnium confugientium ad se. in primum caput prioris ad Timotheum.

Omnes saluari. Anshelmus: Quicunq; inuocauerint nomẽ Domini, &c. Nullus excipitur, nulli gratia hæc denegatur: sed omnis Iudæus & Gentilis, cuiuscũq; gradus & conditionis sit, quicunq; pijs precibus inuocauerit nomen Domini, præparans se dignũ ad excipiendum in sui cordis templum habitatorem Deum, saluus erit æterna salute. in 10 cap. ad Romanos.

Omnes eodem modo iustificari. Algetus: Eadem fide Christi saluati sunt qui antè Christum, qua saluantur & illi qui modò sunt: quia crediderunt uenturum esse, quem nos credimus uenisse. libro primo, capite 8, 20 de Eucharist.

Anshelmus ait: Spirituales quippe illi patres, omnipotentem Deum Trinitatem esse crediderunt, sicut eandem Trinitatem noui patres aptè locuti sunt. Sed & eadem fides incarnationis Christi saluauit eos, qua & nos saluamur. quia sicut nos credimus eum uenisse, passum esse, resurrexisse: ita & illi crediderunt uenturum, passum, resurrecturum. Tempora uariata sunt, non fides. Habemus enim eundem spiritum fidei, quem habuerunt illi, sicut scriptum est in eorum libris: Credidi, propter quod locutus sum. in quartũ caput posterius ad Corinthios.

De iusticia ciuili, ait Anshelmus: Iusticia præstans est imperfecta, & quasi esuriens. in 4 cap. Matth. Et: Iustitia est habitus aliquis, reddens unicuique quod suum est: scilicet ut se uestiat secundum mensuram, & comedat & procuret se secundum mensuram. in 9 cap. Matth. Et: Iustitia est habitus, reddens unicuiq; quod suum est.

De lege fidei, & lege operum, scribit Anshelmus: Lex fidei est, qua in Christum credimus, & auxilium gratię eius ad benè agendum precamur. Lex fidei est in spiritu iuuante, lex factorum in litera iubente. Quod lex operum minando imperat, hoc lex fidei credendo impetrat. Lex operum dicit: Non concupisces: lex fidei dicit: Cum scirem, quia nemo potest esse continens, nisi Deus det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cuius esset hoc donum, adij Dominum, & deprecatus sum. Ipsa est illa sapientia, quæ pietas uocatur, qua colitur pater luminum, à quo est omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem sacrificio laudis, actionibusque gratiarum, ut cultor eius non in seipso, sed in illo glorietur. Ac per hoc lege operum dicit Deus, Fac quod iubeo: lege fidei dicitur Deo, Da quod iubes. Non ergo per legem operum excluditur gloriatio eorum, qui cum sibi iustè uidentur uiuere, ita gloriantur, quasi non acceperint: sed per legem fidei, quia per eam quisque cognoscit, si quid benè uiuit, Dei gratia se habere, & ut perficiatur in dilectionem iusticiæ, non se aliunde consequuturum. In lege itaque factorum, est Dei iubentis iusticia: in lege autem fidei, subuenientis misericordia. Hęc est enim lex fidei, qua credimus & oramus per gratiam nobis donari, ut faciamus quod per nosmetipsos implere non possumus, ne ignorantes Dei iusticiam, & nostram uolentes constituere, iusticiæ Dei non simus subiecti. Verè, inquit, per legem fidei, excluſa est gloriatio tua, qua de legis obseruatione tumebas. in quartum caput ad Romanos.

DE BONIS OPERIBVS.

QVòd bona opera sint necessaria, docet Anshelmus: Fieri non potest, ut eis qui cruce Christi informantur, professa adulteria, uel alia crimina permittantur. omnia enim uitia carnis ac spiritus mortificat crux Christi, ut uiuere faciat in uirtutibus: quia & ipse pro peccatis nostris crucifixus est, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & cruciatibus æternis saluaret. Hæc & alia multa discuntur in Christo crucifixo. in secundum caput prioris ad Corinthios. Et: Debet uita humana in se deficere, in Christo proficere: qui mortuus est, ut nos moreremur peccatis: & resurrexit, ut resurgeremus ad opera iusticiæ. in 5 cap. 2 ad Corinthios. Et: Absit hoc à fidelium cordibus, ut Christum putent alicui ministrare peccatum: qui pro abolitione peccatorum nostrorum semetipsum obtulit sacrificium. in 2 cap. ad Gal. Item: Gratia Dei est remissio peccatorum, quam in uacuum recipit, quisquis in bonis operibus se postea non exercet. in 6 cap. 2 ad Corinth. Item: Quamuis iustificati sumus ex fide, speramus tamen in ipsa iusticia de die in diem proficere: & mens nostra esuriens sitiensque iusticiam, non nisi in futuro seculo satiabitur plenariè. in 5 cap. ad Gal. Item: Sicut corpus humanum sine frequenti ciborum usu nequit subsistere: sic anima absque uirtutum frequentatione non potest uiuere. in lib. de Similitudin. 160. Item: Inuenit Dominus requiem in his qui peccare desierunt, & sanctè ac iustè uiuunt. in enarratione Euangelica. Item: Quisquis à criminibus flagitiorum atq; facinorum uitam suam custodit, sibi benè facit: quisquis autẽ famam, & in alios misericors est. Nobis enim necessaria est uita nostra, alijs fama nostra. Et utique etiam quòd alijs ministramus misericordiam

misericorditer ad salutem, ad nostram quoque redundat utilitatē. In quartū caput ad Philip. Item: Quemadmodum pedes & manus Christi cruci sunt affixi, ut in nullam partem moueri possent: ita manus & pedes nostri debent imitatione mortis eius ligari, ut non possint ad peccatum moueri. In 6 cap. ad Rom.

Vnde sint bona opera, Petrus Damianus attingit, inquiens: Spiritus sanctus ad mandata seruanda uires mentibus administrat. In epist. quadam.

Anshelmus inquit: Homo qui manum habebat aridam, humanum genus significat, infœcunditate boni operis arefactum, sed Domini misericordia curatum: cuius dextra, quæ in primo parente aruerat, dum uetitæ arboris poma decerperet, per Redēptoris gratiam, dum insontes manus in crucis arbore extenderet, bonorum operum crucis est restituta saluti. In duodecimum caput Matth. Item: Quomodo si aliquis imperator disponeret aliquem infirmum sublimare ad cōsulatum, & daret illi sumptus, quibus se præpararet idoneum, & ornaret, ut dignè promoueri posset ad tātum honorem: ita Deus illis quos prædestinauit ad uitam, dat uirtutum & bonorum operū gradus, per quos ad tantam sublimitatem possint erigi. Vocat enim illos, & uiuificat, & magnificat. In 8 cap. ad Rom. Item: Finis dicitur ipse Christus, quia quicquid agimus, ad illum referimus: & cum ad eū peruenimus, non habebimus ultrò quod quęramus, sed ibi permanebimus. In eum nāque dirigitur nostra intentio. Ad quē cum peruenimus, non erit ultrà quò tendamus, quia ibi est omnium bonorum plenitudo. Ibidem cap. 10. Item: Quicquid boni habemus uel agimus, hoc non à nobis, sed tātum à Domino habemus quod agimus. Ideo non in se, sed in Domino quisq; debet gloriari. Ibid. Item: Facti sumus & creati in bonis operibus, quia restitutione liberi arbitrij data est nobis libertas benè operandi: id est, facti sumus habiles ad benè operandum. Et hoc factum est in Christo Iesu, id est in gratia eius, & non in merito nostro. In 2 cap. ad Eph. Et: Nullus fidelium in aliquo bono potest crescere, nisi adhæreat capiti Christo: sicut & in humano corpore, cum membrum aliquod à capite suo abscinditur, iam non crescit, sed marcescit. Ibid. cap. 4.

Quæ bona opa facienda. Berno ait: Tūc uerò uestigia Christi sequimur, si quod ipse iubet, implemus. Vultis scire quid iubeat facere? Hoc est, ait, præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Et ut aptius huius dilectiōis uim exprimeret, sub. iunxit: Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis. In Serm. de resur. Dom.

Qui possint bona opera facere. Anshelmus: Duo sunt necessaria fidelibus, illuminatio mētis, & fortitudo operationis. in 5 cap. Matth. Item: Quisquis sine fide operari bona uult, impius profectò est. Sed credat in eum qui iustificat impium, ut & ipse ex impio fiat pius: & per fidem iustificatus, possit deinceps opera pietatis & iusticiæ facere. Ei qui sic credit, reputatur fides eius ad iusticiam, secundum propositum gratiæ Dei: qui sic per gratiam suā proposuit & decreuit, ut cessante lege fides iustificet. In 4 cap. ad Rom. Item: Omnis qui in Christum credit, habet ipsum Christum consummationem legis, ut per eum faciat iusticiam. Sunt enim opera, quæ uidentur bona sine fide Christi: & nō sunt bona, quia non referuntur ad eum finem, ex quo sunt bona. In 10 cap. eiusd. epist. Item: Quomodo uoluntas humana, postquā Dei uoluntati est iuncta, uirtutes & bona opera generet, docet Anshelmus in libro de Similitud. 2. 3. & 4 cap.

Ordo bonorum operum faciendorum. Anshelmus: Manifestum est, quia quod Apostolus dicit, iustificari hominem per fidem sine operibus, non ita debet intelligi, ut accepta fide, si uixerit, dicamus eum iustum, etiamsi malè uixerit: sed ut sciat se quisque per fidem posse iustificari, etiamsi legis opera non præcesserint. Sequuntur enim iustificatum, non præcedunt iustificandum. De illis autem qui post acceptionem fidei nolunt benè operari, testatur Iacobus: quia fides si non habeat opera, mortua est in semetipsa. In quartū caput ad Romanos. Item: Legis opera sequuntur iustificatum, non pręcedunt iustificandum. In 3 cap. ad Rom.

In fide facienda. Anshelmus: Omne quod non est ex fide, peccatum est: quia etiam illud quod est bonum, si putetur esse malum, & tunc fiat, peccatum est. uelut si quis (uerbi gratia) castitatem crederet esse malum, & uiueret castus, profectò peccaret. Et propterea omnium infidelium uita peccatum est, nihil bonum est sine summo bono. Vbi enim deest agnitio æternæ & incommutabilis ueritatis, falsa uirtus est, etiam in optimis moribus. In decimūquartū caput ad Romanos. Item: Opera misericordiæ nihil prosunt paganis siue Iudæis, qui Christo non credunt: siue hęreticis, siue schismaticis, ubi fides & lectio non inuenitur. In secundum caput 1 ad Timoth.

Charitas regula operū. Anshelmus: Quicquid

quid sine charitate agitur, nihil est, quamuis esse bonum ualde uideatur. in 16 cap. prior. ad Corinth.

Bona opera non merentur uitam. Anselmus: Si homo mille annis seruiret Deo, etiam feruentissimè, non mereretur ex cõdigno, dimidiam diem esse in regno cœlorum. De mensurat. Crucis. Item: Opera sunt ex gratia, sed non ex operibus gratia: quia ipsa prima est, ex qua interpretantur cætera: ideo nullus aliquo modo iustificari ualet ex operibus, nisi per fidẽ, quæ procedit ex gratia. in 2 cap. ad Gal.

Causa bene operandi. Anshelmus: Sicut bona uita fidelium, causa est ut Deus glorificetur à uidentibus: sic, quando illi qui legem Dei accipiunt, malè uiuunt, illorum praua conuersatio causa est ut Deus blasphemetur. in 2. cap. ad Rom. Item: Faciliùs deuotos mẽtes ad bene agendum exemplis, quàm sermonibus inuitantur. ibid. cap. 15. Item: Inenarrabile donum Dei est, quod incitat homines ab bene agendum, quando bona quæ operantur propter ipsum eorum quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, nec cor hominis excogitauit. in 9 cap. 2 ad Corinth. Item: Quotiescũq; uincimur uitijs atq; peccatis, toties Deum negamus: sicut ecõtrariò, quoties boni quid agimus, toties Deum cõtemur. in 7 cap. ad Titum.

DE DILECTIONE.

De dilectione Dei, Berno ait: De hac uirtute dicit quidam sapiẽs egregiè: Charitas Dei quædã uernalis pluuia est, sub qua beata uoluntas germinat, & operatio sancta fructificat. in conclusione sui uoluminis.

Anshelmus inquit: Homo quidam.) Homo iste Deus est, qui omnes quos creauit, paterno affectu diligit: qui cùm sit natura Deus tamen mauult diligi ut pater, quàm timeri ut Deus. in uigesimumprimũ caput Matthæi. Item: Tribus etiam his modis diligendus est Deus. Natura, quia omnibus & melior & utilior, & ideo plus cæteris est amandus. Rectitudine, quoniam omnia quæ habemus, præstat nobis, etiam hoc ipsum quod sumus, & tanto eum amare debemus plus nobisipsis, quanto maior ipse est qui se pro nobis dedit, & nobis eisdẽ semetipsum daturus est. Et quoniam ei personaliter non possumus reddere illud (non enim is personæ eius eget) ostendit nobis, quibus debeamus uicem reddere, dicens: Mando uobis ut diligatis inuicem, sicut dilexi uos. Et Apostolus: Sicut pro nobis Christus animam suam posuit, ita debetis pro fratribus animas ponere. Diligere igitur debemus nos inuicem: tum quia & bruta quædam animalia hoc faciunt: tum quia unius familiæ, scilicet Christi sumus: & quia in regno eius singulos, sicut nosipsos, diligemus: & quia ibi æqualiter ab ipsis diligemur. Indecens enim est, si in hoc mundo habuerimus odio, quos ibi sumus habituri charissimos. Sciendum est enim, quòd quicunque ibi aderunt, nobis uicem reddent pro dilectione præsenti. Spe etiam commodi uel remunerationis, diligendus est Deus: quoniam immortalitatem & incorruptibilitatem nobis promittit. De similitudinibus capite 182. Item: Non à nobis ipsis, sed à Spiritu sancto possumus habere charitatem. in quintũ cap. ad Romanos.

De dilectione proximi, inquit Anshelmus: Dilectio proximi, est adimpletio legis: qui habet dilectionem proximi, habet dilectionem sui. in septimum caput Matthæi. Item: Misericordiam & charitatem erga proximum habere studeamus, remittentes ei mi sericorditer quod in nos deliquit, & puro corde eum diligentes, ut & nos similem uicissitudinem à pio iudice nostro consequamur, qui uiuit & regnat in secula seculorum, In fine Euang. enarrat.

Charitas cur maior. Anshelmus: Maior horum est charitas.) ideo maior, quia fides cessabit, dum futura quæ creduntur, aduenerint: & spes finem habebit, dum beatitudinem, quam quisque præstolatur, accepit: sola uerò charitas in æternum perseuerabit, & de iussione conditoris ac beatitudine sanctorum sine fine gaudebit. in 13 cap. prior. ad Corinthios.

DE ORATIONE.

DE expositiõe nominis, ait Anshelmus: Maiorem orandi expressionem notat obsecratio, quàm oratio: quia obsecratio est, oratio cum adiuratione, uel obtestatione: oratio autem, simpliciter facta est rogatio. in 6 cap. ad Ephes.

Quomodo orandum sit, Anshelmus docet: Illis est dies Dominus, qui inuocãt, nõ modò credunt: quia credere dat remissionem peccatorum, inuocare impetrat promissa Dei. Orans inuocat, sed hoc nõ potest nisi prius credat. in 10 cap. ad Rom.

Vnde sit facultas orandi, Berno declarat: Dominus dat rogandi, simulque ueniam sperandi ausum, qui publicanis & meretricibus aperuit regna cœlorum. in sermone de Ass. sanctæ Mariæ.

Qui possint rectè inuocare, Berno exponit, inquiens: Nemo Magus potest inuocare Michaelem, Gabrielem, Raphaelem. multo magis, Magus non potest inuocare omnipotentem Deum patrem, nec filium eius IESVM Christum Dominũ nostrum, nec Spiritum sanctum. Nos soli, qui uerè credimus, & Christiani sumus, accipimus potestatem inuocandi Deum patrem, & filium

lium eius unigenitum, & Spiritũ sanctum. In lib. de diuin. dæm. contem.

Pro quibus orandum. Anshelmus: Proprio exemplo declarat Apostolus, quia pro his orare debemus, à quibus tẽporalia bona accipimus. In 4 cap. ad Philip.

Quis inuocandus. Anshelmus: Ecce patet, omni homini expedire, ut credat in quãdam ineffabilem trinam unitatem, & unam trinitatem. unam quidem, & unitatem propter unam essentiam: trinam uerò, & trinitatem, propter tres. In Monolog. cap. 76. Item: Quippe omnis qui Deum esse dicit, siue unum siue plures, non intelligit nisi aliquam substantiam, quam censet supra omnem natutam quæ Deus non est, ab hominibus & uenerandam propter eminentem eius dignitatem, & exorãdam sibi propter quamlibet imminentem necessitatem. Ibidem. Item: Cùm fluctuat cupiditate cor tuum, ut uincas tuã cupiditatem, inuoca Christi diuinitatem. Putas enim tunc uentum esse contrarium, quando huius seculi surgit aduersitas, & non etiã quãdo blanditur prosperitas. Nam quãdo bella, quando tumultus, quando fames, quando pestilentia, quando cuiq; hominum etiam singulorum euenit priuata calamitas, tunc putatur uentus aduersus, & ibi putatur inuocandus Deus. In enar. Euang. Item: Cùm tibi orando loquimur, non debemus te cogitare quasi durum ad exaudiendum: sed patrem benignissimum, qui etiam antequam oramus, scis quid necesse nobis: & ex naturali bonitate tua, infinitum pronior es ad exaudiendum, quantum in te est, quàm nos auidi ad rogandum. Da dulcissime Domine, ut non simus pusillanimes, sed magnanimes in infirmitatib. nostris, nos deijcere contendentibus, medicinam tuarum gratiarũ apponentes: non pusillanimes, sed magnanimes te sequi firmiter proponamus: maximè si nõ est in nobis tanta fortitudo, quòd post te gigantem, q exultasti ad currẽdã uiã, currere possimus: hoc tamẽ remediũ habemus, q, post te clamare possumus: Trahe nos post te, & clamo rẽ nostrũ audiat auris tua. In li. de miser. hõ.

Semper orandum. Anshelmus: Sicut largitas tua Domine nunquam lassatur in dando, ita nunquam debemus uoluntariè deficere in orando. de mens. Cru.

Quomodo orandum sit, Berno monet, inquiens: Tunc fideliter petimus, si conseruis nostris debita dimittimus, ut & nos à nostris debitis per Dominum absolui ualeamus. In lib. de con. off. cap. 5.

Anshelmus ait: Orantes omni tempore in Spiritu, id est, mente: ut mentis affectus concordet uerbis orationis, quæ proferuntur ex ore. Vel in spiritu, non in carne orate. In carne enim, non spiritu orat, qui polluta mente orat: iterum peccaturus, nõ casu, sed ex proposito. Vel omni tempore orate in spiritu: hoc est, in cordis deuotione, ut licet os non semper orare queat, spiritus tamen semper bonis desiderijs intus oret. In 7 cap. 1 ad Corinth. Item: Cum fidelitas maximè in oratione consistat, considerandum est, qualiter debeat orare, qui uolerit exaudiri. Debet enim orare sapienter, attenter, humiliter, fideliter, perseuerantèr & confidenter. De mensur. Crucis. Item: Cum stamus ad orationẽ, cogitatio omnis carnalis & secularis abscedat: nec tunc quic quam animus cogitet, præter id solũ quod precatur. Subripit enim frequenter hostis, & subtiliter fallés preces nostras à Deo uocat, ut aliud habeamus in corde, & aliud proferamus in uoce, cùm intentione syncera Deum debeat non sonus uocis, sed animi sensus orare. In 4 cap. ad Col.

Mediator est Christus. Anshelmus: Sic te pater omnipotens, per omnipotentis filij tui postulo charitatem, educ de carcere animam meam, ad confitendum nomini tuo: libera me à uinculis peccatorum, per coæternum tibi unicum flagito natum: neque, cui propria merita lætabilem minantur sententiam, preciosæ ad dextram tuam consedentis prolis interpellatione restaura placatus ad uitam. Quem alium enim diri-gam intercessorem pro me tibi, nisi hunc, nescio: nisi hũc, qui est peccatis nostris propitiatio. de uestiment. Et: Vnigenitum filium pro hominibus interpellare, est apud coæternum patrem, seipsum hominem demonstrare: eumque pro humana natura rogasse, est eandem nostram in diuinitatis sue celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non uoce, sed miseratione: quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberauit. In octauum caput ad Romanos.

Quòd efficax sit oratio. Anshelmus: Ideo Deus per orationes fidelium, non credentes credere facit, ut ostendat, quia ipse facit. Nemo est enim tam imperitus, tã carnalis, tam tardus ingenio, qui non uideat Deum facere, quod se rogari præcepit ut faciat. in 3 cap. 2 ad Thess.

Formulæ quædam orationum in doctorum scriptis inueniuntur, ut in Anshelmo, in libro Euangelici Sermonis, capite 19. O quàm bonus & suauis es Domine Iesu, animæ quærenti te: Iesu redemptor captiuorum, saluator perditorum, spes exulum, laborantium fortitudo, angustiati spiritus latitudo: animæ lachrymosæ, & post te in sudore currentis, dulce solatium, & suaue refrige-

refigeriũ: corona triũphantiũ, unica mercis & lætitia omniũ ſupernorũ ciuiũ, uberrime fons omnium gratiarũ, inclyta proles ſummi Dei. Summe Deus, te benedicant omnia quæ in cælo ſunt ſurſum, & quæ in terra deorſum: quia magnus es tu, & magnum nomen tuum. O' immarceſsibilis decor Dei excelſi, & puriſsima claritas luminis æternæ, uita omnem uitam uiuificans, lux omne lumen illuminans, & conſeruans in perpetuo ſplendore, mille millena millia luminum fulgentium ante thronum diuinitatis tuæ à primæuo diluculo. O' æternum & inceſſabile, clarum & dulce profluuium fontis abſconditi ab oculis noſtris, qui ſolus ortum neſcit, fundo caret, circumſcriptionis terminum non habet, nihil perturbationis admittit. Eructauit te cor altiſsimi Dei, de ſuæ profunditatis inpenetrabili abyſſo, uita uitam, lux lucem, Deum Deum, æternus æternum, immenſum immenſum, ac per omnia ſibi coæquales, & de plenitudine tua omnes accepimus. Te enim largiſsime fons omnis boni, ſeptemplicis gratię precioſum lumen: te, in quam, piiſsime Spiritus deprecor, ut ſi qua in fragilitate mea, in ueritate maieſtatis tuæ minus intellexi, & in præceptis Dominicis intellecta per laſciuiam carnis neglexi, tua me uiſitatione illuſtrare digneris: quib. ea decenter, & mihi neceſſariè corrigam, meique erroris p te miſericordiã cõſequar, ut p te quem in periculoſo huius uitæ pelago in conſilium aduocaui, ſine naufragio ad optatum perennis requiei littus perducat. Te iam, pater clementiſsime, peto, ut qui me primitus creaſti, p paſsionem unigeniti tui recreaſti qcquid ad laudẽ tuã ptinet, me cogitare facias, & amare. Sed qa fragilis ſum, nec poſsũ perficere: ſedula tamẽ deuotione cõcedas me ſtudere, ut redẽptionis ac ſaluationis tuę gratiã cõſequar. Et quicquid deinceps operis agam, ex tua, & per tuã, & in tua gratia, ad laudem tuam totum perueniat facias: meque deinceps tuere à peccatis, & in bonis operibus ualidiorem eſſe præcipias, & ut quamdiu in hoc corpuſculo uiuam, aliquid ſeruitij tibi ſemper exhibeam. Poſt exitũ uerò animæ meæ à corpore, ueniam omnium peccatorum conſequi, & uitam ęternã me percipere cõcedas, per eum qui tecum uiuit & regnat per omnia ſecula ſeculorum, Amen. Item de medit. redempt. gener. hum. cap. 7. Conſidera anima mea, intende omnia intima mea, quantũ illi debeat ſubſtãtia mea tota. Cernis Domine, quia me feciſti, debeo amori tuo meipſum totum: quia tantum promittis, debeo me ipſum totum: imò tantũ debeo amori tuo plus quàm meipſum, quãtum tu es maior me, pro quo dediſti temetipſum, & cui promittis teipſum. Fac precor Dñe me guſtare per amorem, quod guſto per cognitionẽ: ſentiam per affectũ, quod ſentio per intellectum. Plus debeo quàm meipſum totum: ſed nec plus habeo, nec hoc ipſum poſsũ per me reddere totũ. Trahe me Dñe in amorẽ tuũ, & hoc ipſum totum. Totum quod ſum tuũ eſt cõditione, fac totum tuũ dilectione. Ecce Dñe coram te eſt cor meum: conatur, ſed per ſe non poteſt, fac tu quod ipſum non poteſt. Admitte me intra cubiculum amoris tui, peto, quæro, pulſo. Qui me facis petere, fac & accipere. Das quærere, da inuenire. Doces pulſare, aperi pulſãti. Cui das, ſi negas petẽti? qs inuenit, ſi q̃rẽs fruſtratur? Cui aperis, ſi pulſanti claudis? Quid das nõ oranti, ſi amorẽ tuũ negas orãti? A' te habeo deſiderare, à te habeã impetrare. Adhære illi, adhære importunè anima mea. Bone Dñe, pie Domine, ne reijcias eã: fame amoris tui lãguet, refocilla eam: ſatiet eam dilectio tua, impinguet eam affectus tuus, impleat eam amor tuus: occupet me totum, & poſsideat me totum: quia tu es cum Patre & Spiritu ſancto Deus, ſolus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

Item, reddit rationem Anshelmus, cur Chriſtus orantibus multiloquium prohibeat, cum ipſe prolixè imminente paſsione orarit. Hac intentione, inquit, longas orationes fieri prohibet, ut quaſi in multiloquio tantum non confidant, & non in propria conſcientia. In 5 cap. Matth. Item: Domine per filium tuum iubes, imò conſulis, petere, & promittis accipere, ut gaudium noſtrum ſit plenum. Peto Domine, quod conſulis, per admirabilem conſiliarium noſtrum accipiam, quod promittis, per ueritatem tuam, ut gaudium meum plenum ſit. Deus uerax peto accipiam, ut gaudiũ meũ plenũ ſit. Meditetur interim mens mea, loquatur inde lingua mea. Amet illud cor meum, ſermocinetur os meum. Eſuriat illud anima mea, ſitiat caro mea, deſideret tota ſubſtantia mea, donec intrem in gaudium Domini, qui es Trinus & unus Deus benedictus in ſecula. In Proſol. cap. 26. Item: Adoramus te Ieſu Chriſte rex, lux gentium, princeps regum terræ, Domine Sabaoth, uirtus Dei omnipotentis fortiſsima. Adoramus te precioſum redemptionis noſtræ precium: hoſtia pacifica, quæ ſola odoris tui inæſtimabili ſuauitate, patrem qui in altis habitat, ad reſpiciendum humilia inclinaſti. Tuas Ieſu Chriſti miſerationes prædicamus: tuæ ſuauitatis memoriã cum abundantia eructamus: tibi Chriſte ſacrificium laudis immolamus pro multitudine boni-

tatis tuæ, quam ostendisti nobis semini nequam, filijs sceleratis ac perditis. In Specul. serm. Euang. cap. 2. Item: Respice Domine sancte pater de sanctuario tuo, & de excelso cœlorum habitaculo, & intuere hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus pōtifex noster, sanctus puer tuus Dominus Iesus Christus, pro peccatis fratrum suorum, & esto placabilis super multitudinem malitiæ nostræ. Ibidem, cap. 14. Et: O' Saluator meus, & Deus meus, ueniat, ueniat oro tēpus, ut q̄d nūc credo, reuelatis tandē oculis aspiciā: quod nunc spero, & à longè saluto, apprehendā: quod nunc, p uiribus meis desidero, ulnis animæ meæ amplectar & osculer, & in amoris tui abyssō totus absorbear. O' saluator meus, & Deus meus. Sed nūc interim benedic anima mea saluatorē tuū, & magnifica nomē eius, q̄d est sanctū, & sanctissimis delicijs plenū. In eo dēli. ca. 18. Itē: Iesu Iesu, ꝓpter hoc nomē tuū, fac mihi secundū nomē tuū. Iesu Iesu, obliuiscere superbum prouocantem: nomē dilectū, nomē delectabile, nomen cōfortās peccatorē, & beatę spei. Quid enim est Iesus, nisi Saluator? Ergo Iesu, ꝓpter temetipsum esto mihi Iesus: q me creasti, nō perimas: qui me redemisti, nō me condēnes: q me creasti tua bonitate, ne perimas opus tuum mea iniquitate. Rogo pijssime, ne ꝑdat me iniquitas, quod fecit tua omnipotēs bonitas. Recognosce benignissime, q̄d tuum est, & absterge quod alienū est. Iesu Iesu miserere, dum tēpus est miserandi, ne damnes in tēpore iudicandi. In lib. de miseria hominis. Item: Tu Domine Iesu Christe dirige intentionē nostrā, ut in omnibus gloriam patris tui quæramus, & tuā nos abnegando, profundum, sublimitatem, latitudinem & longitudinē crucis portādo, & in ea perseuerando ad laudem & gloriam tuam: qui cum Patre & Spiritu sancto uiuis & regnas Deus, per omnia secula seculorū, Amen. de mensurat. crucis. Item: Domine Deus meus, da cordi meo te desiderare, desiderando q̄rere, quærendo inuenire, inueniendo amare, amādo mala mea redimere, redēpta nō iterare: da Domine cordi meo pœnitentiæ compunctionē, spiritui contritionem, oculis lachrymarū fontem, manib. eleemosynæ largitatem. Rex meus, extingue in me desideria carnis, & accende uim tui amoris. Redemptor meus, expelle à me spiritū supbiæ, & cōcede mihi ꝓpitius thesaurū humilitatis tuæ. Saluator meus, amoue à me furorē iræ, & indulge mihi sensum patiētiæ. Creator meus, euelle à me animi rancorē, & largire mihi mētis dulcedinē. Da pater clemētissime solidā mihi fidē, spē cōgruā, charitatē ꝑfectā. Rector meus, uerte à me animi uanitatē, mētis incōstātiā, cordis uagationē, oris scurrilitatē, oculorū elationem, uentris ingluuiē, opprobria proximorū, scelera detractationum, curiositatis prurigināē, diuitiarum cupiditatem, potentatui rapinam, inanis glorię appetitum, hypocrisis malum, adulationis uenenum, cotēptū inopum, oppressionem debilium, auaricię ardorē, inuidiæ rubiginē, blasphemię morem. Reseca in me temeritatē factorū meorū, iniquam pertinaciam, inquietudinem, ociositatem, somnolentiam, pigriciā, mentis hebetudinem, cordis cæcitatem, sensus obstinationē, morū truculētiā, boni inobedientiā, cōsilij repugnationē, linguæ effrenationē, pauperū prædā, impotentū uiolentiā, innocentū calūniam, subditorū negligentiā, circa subditos seueritatē, aduersus domesticos impietatē, erga proximos duritiā. Deus meus, misericordia mea, oro te per dilectum filium tuū, da mihi opera misericordiæ, pietatis studia, compati afflictis, subuenire egenis, succurrere miseris, cōsolare erroneis, cōsolari mœstos, releuare oppressos, pauperes recreare, flebiles refouere, dimittere debitorib. parcere in me peccantibus, odientes me diligere, pro malis bona reddere, neminem despicere, sed honorare: bonos imitari, malos cauere: uirtutes amplecti, uitia reijcere: in aduersis patientiam, in prosperis continentiam: cuſtodiam oris, & ostium circumstantiæ labijs meis: terrena calcare, cœlestia sitire. Ecce plasmator meus, multa rogaui, cùm nec pauca promerui. Fateor, heu fateor, nō solum quę postulo, non debentur bona, sed multa mihi debentur, & exquisita supplicia. Animant me publicani, meretrices & latrones, qui à faucibus hostis momentaneè eruti, sinu recipiuntur pastoris. Tu enim omnium factor Deus, licet in cunctis tuis sis mirabilis operibus, mirabilior tamen in uisceribus credentis pietatis. Vnde tutemet per quendam tuum dixisti: Miserationes eius super omnia opera eius. Et quasi de singulo loquente, de uniuerso populo tuo dixisti confidenter: Misericordiam meam non dispergam ab eo. Nullum enim spernis, nullum abijcis, nullum perhorrescis, nisi qui te fortè amens exhorruerit: ergo nō modò nō iratus percutis, sed tre irritantib. dona, si q̄erint, tribuis: Deus meus cornu salutis meæ, & susceptor meus. In lib. Meditationum.

Distributionem orationis Dominicæ habet Anshelmus: Nota quòd in oratiōe Dominica septem petitiones sunt: tres de cœlestibus, scilicet priores: tres inferiores de terrenis: & media est quasi confinium, adhę rens tamen plus cœlestib. Et prius ponun-

turaltiores, deinde inferiores: & tamẽ, Liberanos à malo, est prima naturaliter.

DE GRATIARVM ACTIONE.

GRatia (secundum alios) est pro præteritis excessibus ac delictis, obsecratio autẽ pro adipiscendis futuris bonis, gratiarumactio pro collatis beneficijs, petitio uerò de rebus nominatim necessarijs. Anshelmus in 4 cap. ad Philip.

Cui sint gratiæ agendæ, Berno indicat: Omnia quæ uel angeli uel homines uidentur hominib. præstare, in unius Dei constituat potestate, ut ei meritò ab omni rationabili creatura de uniuersis donis & beneficijs suis gratiarũactio reddatur, q̃ est uniuersorũ creator & cõditor, & omniũ bonorum largitor. Quòd illi soli debeatur cultus diuinus, testatur Scriptura, q̃ dicit: Qui immolat dijs, occidatur, p̃ter Deo soli. Et iterũ: Noli adorare Dñm alienũ: Dñs zelotes nomẽ eius, Deus est æmulator. Et aliàs: Dominũ Deũ tuũ adorabis, & illi soli seruies. Et ut ostenderet quantum detestatur spiritũs immundos, qui sibi diuinitatis cultum usurpãt, terribiliter minatur dicens: Vir siue mulier, in quibus Phitonicus & diuinationis spiritus fuerit, morte moriantur, lapidibus obruent eos, sanguis eorũ sit super eos. de diuinat. dæm. con.

Forma. Anshelmus: Gratias tibi bone Domine, gratias tibi, quia quod prius credidi te donante, iam sic intelligo te illuminante, ut si te esse nolim credere, non possim non intelligere. In Prosol. cap. 4.

Contra hypocrisin, ait Petrus Damianus: Quid nobis p̃dest, in uestimento uel uerbo nos uelut humiles deijci, intus uerò de prorsorũ titulis, uel fastu superbiæ singularis super cæteros arroganter extolli? Nitimur humiliter loqui, humiles uideri: euellatur ex corde radix infixa superbiæ, & mox, etiamsi nostra desit industria, uidebitur humilitas in sermone. Sed ubi liquor acescit in uegete, suaue uinũ in poculo, nullus ualet haurire. Quis enim de furfure cõficiat polẽtũmò, ut ad Euãgelicũ recurramus exemplũ, nũquid colligũt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Non enim, ut illic sequitur, potest arbor mala fructus bonos facere. Vo. litas intelligẽda est, nõ p̃sona. Nã eadẽ persona hominis & bona operari ualet, & mala; sicut ex eadẽ terra & fructus p̃fertur, & spina. Sed sicut mala arbor nunquã bona germinat poma: ita de superba uoluntate, quæ p̃culdubio mala est, nunquã mera uel incontaminata procedit humilitas. Et sicut radice læsa, totius arboris rami consequenter arescunt: sic ex mẽte superba, si quid boni operis ad tẽpus uiresc ere cernitur, uelut humore conuallis exhausto, in prærupti saxi ariditate siccatur. Reuersi sunt aũt, ut Lucas euangelista testatur, septuaginta duo, cũ gaudio dicentes: Domine, etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo. Quid ad hæc ille, qui cordis attendit arcana, respondit? Videbam, inquit, Sathanam sicut fulgur de cœlo cadentem. Ac si dicat: Videte, ne, dum nequitiæ spiritus uestris subdantur imperijs, mentis uestræ iugo premantur elationis. Quia si Sathanas per superbiam cœlum perdidit quod tenebat: homo superbiens nequaquã ualet inuenire, quod sperat. Certè cùm Ioab contra Rabath regem Ammon robustè confligeret, urbemq; obsidione uallaret, nuncios ad Dauid ordinat, eumq; ut ueniens uictoriam in suum transferat nomen, inuitat. Dimica, inquit, aduersum Rabath, & capienda est urbs aquarum. Nunc igitur congrega reliquam partem populi, & obside ciuitatem, & cape eam, ne cum à me uastata fuerit urbs, nomini meo adscribatur uictoria. Militaris homo, ad regalis glorię famã gaudet sui laboris transferre uictoriam: & seruus Dei, in regendis fratribus præceptori suo dedignatur impendere clientelam? Herodes ac Philippus, urbes proprio labore constructas, ad honorem alter Augusti, alterque Tyberij, Cæsareas appellarunt: & nos, qui uitæ huius pompas abiecimus, imò q mũdo nos mortuos fore iurauimus, uani nominis gloriolas concupiscimus, & de rumusculis friuolæ laudis inflamur? In epist. cuius initium, Prodig. atq; portentũ.

DE POENITENTIA.

QVòd sit agẽda pœnitẽtia. Anshelmus: Quamuis fidelis res mũdi abdicauit, quãuis de iniurijs nõ doluit, tamẽ in multa incidit aliquãdo: & ideo necessariæ sunt lachrymæ, q̃ semp abluãt, qa semper peccamus, & in miserijs huius mũdi nos esse uidemus. Dolemus enim de peccatis proximorũ. Duo sunt genera cõpunctionis: quãdo p̃ miserijs huius mũdi et peccatis nostris gemimus, & p̃ desiderio cœlestiũ. In 5 cap. Matth. Itẽ: Magna ira Dei est, peccatores ad pœnitẽtiã nõ uocare, sed in peccatis usque ad mortẽ relinq̃re. In Euang. enarrat. Itẽ: De benignitate Dei irã ubi re, p̃bus thesaurizat, qui dum ad pœnitendum tempus accipit, & ad peccandũ expendit, ipsum remediũ gratiæ uertit in augmentũ culpæ. In 2 cap. ad Rom. Item: Diabolus per peccati suggestionẽ quotidie it ad uenãdũ. Eos uerò intra retia sua retinet, quos nec dolor pro peccato afficit: illos aũt iã admittere incipit, quos pro carnis intẽperie lugere iam conspicit. Quosdã iã tertij ordinis, id est sanatos à carnalibus & spiritualib. peccatis,

omnino perdit: primi omnino lugent: doleant adhuc secundi, tertij uerò gaudeant. in Similitud. cap. 183.

Quòd sit locus pœnitentiæ, Berno docet: Donec sumus in hac uita, quantacunq; nobis acciderũt peccata, possibile est ablui omnia per pœnitentiam. In libro de diuinat. dæmon. contemnenda.

Anshelmus ait: Nota quòd dicit, Puella dormit: quia qui peccant in præsenti, nõdũ mortui sunt, sed dormiunt, quia adhuc per pœnitẽtiam suscitari possunt. In nonũ cap. Matth. Item: Si qui peccauit, usquequò est hodie, potest reuerti: nemo igitur desperet dum uiuit: sed neq; securus incautè fiat, quia nescit quando sibi istud hodie determinetur. in 3 cap. ad Heb.

Definitionem imperfectam recitat Anshelmus: Pœnitere est, antea acta deflere, & deflendo non committere. Agere pœnitentiam, est post pœnitentiam satisfacere ieiunãdo, eleemosynas dãdo. In 3 ca. Matth.

Diuisionem pœnitentie talem facit Anshelmus: Sicca pœnitentię est, cũ aliquẽ qui dẽ sui peccati pœnitet: sed humore pietatis, suiq; ipsius cõpunctione caret. Humida uerò est, cũ habet utrũq;, suũq; luget peccatum magna cordis contritione. ut ad hanc ergo sibi prosit pœnitentiam, non iuuenis tantùm, uerumetiam omnis homo erubescat, cũ qd agit illicitũ. de similitud. ca. 144.

De partib. pœnitentiæ, ait Berno: Necesse est unamquamq; rectè credentis animam, prius timore, deinde compungi amore: prius malorum, quæ gesit, reminiscens, ac pro eis ad æterna protrahi supplicia pertimescens, lachrymis irrigatum pro peccato faciat sacrificium. Sacrificium, inquit, Deo spiritus contribulatus. post amorem cœlestium gaudiorum, fiat ipsa holocaustũ. Et quæ prius pro peccato dicebat ingemiscẽdo, Laboraui in gemitu meo, lauabo p singulas noctes lectũ meũ, lachrymis meis stratũ meũ rigabo: postmodũ pro cęlestis patrię dilatiõe holocaustũ offerẽdo, offerat cũ gemitu ꝑclamãdo, Sup flumina Babylonis. In Serm. de purificat. Mariæ.

Anshelmus inqt: Qui inde tristis est, quia hoc ei in seipso displicet, qđ Deo displicet, elaborat illud pœnitẽdo delere, & Deo satisfacere, ut possit ad salutẽ, quã peccãdo amiserat, puenire. Agit. n. pœnitentiã, & sperat Dei misericordiã. in 7 cap. ad Corinth.

De contritione, quam etiam humilitatẽ uocat Anshelmus, sic scribit: Humilitas aũt mons magnus est, in cuius sũmitate lux est nõ modica, & honestarum personarũ, id est sanctarũ uirtutũ pulcherrima turba. Sed qa adhuc puenire desiderat, necesse est ut per gradus quosdam ascendat, si hunc montem agnoscere & inhabitare affectat. De similitudinib. cap. 99. Et: Primus itaq; gradus in monte humilitatis, est cognitio sui. Hãc unusquisq; sic debet habere, ut se inferiorẽ omnib. iudicet esse: imitans Apostolũ, qui se omniũ suorũ coapostolorũ dixit esse minimum. in eodẽ lib. cap. 100. Item: Vt ergo humiliemur, quid simus, quid nati fuerimus, uel quid fecerimus, mẽte pertractemus: & nos uiles peccatores, multoq; supplicio dignissimos cognoscemus. Qui se ergo talẽ iudicat, iã in primo gradu humilitatis stat. Ibid. Itẽ: Secũdus gradus est dolorẽ sunt nõnulli q se peccatores esse cognoscũt, sed nullũ inde doloré habere dignoscũtur: quib. necesse est ut doleãt, si ueniã mereri desiderãt: quia nõ ualet ad salutẽ, ut se cognoscat quisq; peccatorem, nisi inde habeat dolorem. Ibid. ca. 102. Itẽ: Deinde sequitur cõfessio, qa qualiter se peccator cognoscat & doleat, cõfiteri studeat. Multi enim sunt qui se peccasse cognoscunt, & dolent, & tamẽ celant: quonia quidã hoc conf iteri erubescentes nõ audent. Ibid. ca. 103. Item: Cum itaq; tres gradus in mõtem humilitatis habemus, sequitur persuasio, quę unicuiq; habenda est, quartus uidelicet ꝑlibatę uirtutis gradus. Cũ enim necessariũ sit ut cõfiterentur, sciendũ est q, ita cõfiteri debemus, ut hoc ipsum qđ cõfitemur, ita esse persuadeamus. tunc enim pura est confessio, si eam sequitur uolũtaria persuasio. cap. 104 eiusdem lib. Item: Quinto igitur gradu cõcessio apponatur, ut scilicet qualem se quis cognoscit, dolet, confitetur, & suadet, talem quoq; se consentiat ab alijs iudicari. Sunt enim pleriq; satis semetipsos iudicãtes: sed nequaquã possunt ab alijs pati iudicari, aut uituperari. Qui enim ad mõtem ueræ humilitatis ascendũt, necesse est ut sicut semetipsos despiciendo iudicãt, sic & alios, si se iudicando despexerint, tolerare sciant. Qua in re opus est patientia, q sexto loco est apponenda. Ibid. cap. 105. Item: Hęc itaq; unicuique familiaris sic esse debet, ut quãdocũq; ei aliqua iniuria fit, ita eam suscipiat patienter, quasi commodum sibi magnum fieret. Ibid. cap. 106. Item: Nec solùm absq; murmuratiõe pati debemus molestias: sed ut etiam grauiter puniamur, ad uindictã Dei amemus. Supremus enim, amor mentis, humilitatis gradus esse uidetur. Quoniam quidem est tunc Deo grata satisfactio, cum in eius mente, qui satisfacit, nulla manet murmuratio, sed pia iugiter feruet dilectio. Ibid. cap. 107.

De fide, inquit Anshelmus: Consolatio debet subsequi fratrem delictum flentem, ne diu contristatus, & contẽptus à charitate Ecclesiæ, incipiat desperare de se: & uidens,

dens, qui ſemper in inſidijs eſt, ſubtilis diabolus, mente eius uilẽ effectã, accedat, ac ſuggerat ei, ut uel preſentib. fruatur, qui de ſpe futuri pmij deiectus eſt, & pereat poſſeſſa à diabolo: cui ad hoc pœnitẽtia data eſt, ut cõuerſus reformet ſe. In 2 ca. 2 ad Cor.

Peccatores recipi, Petrus Damian. docet: Cõfeſsionẽ & decorẽ induiſti.) Cõfeſsionẽ quippe Dñs induit, cũ ſibi peccatores aſſociat pœnitendo ſanatos. Decorem uerò, cũ fabricæ ſplẽdidos. In epiſt. ad Heinric. reg. clementer agglutinat innocẽtes, nitore

Anshelmus inquit: Cũ de his tã execrãdis libidinũ (ſcilicet quę fiunt cum fœminis ſuę conſanguinitatis, ut cum ſorore, uel nepte, ſiue fratris uxore) perpetrationibus pœnitentiã fieri ſuadeat Apoſtolus: patet, quia non eſt ulla criminum tam horrenda macula, quæ per pœnitentiam deleri non poſsit. In 12 cap. 2 ad Corinth.

Iuo inquit: Completo cœnæ myſterio, diſcipulorũ pedes lauit Dominus, in ſacramentum pœnitentiæ & remiſsionis: hoc ſacramento deſignans, terreno puluere etiã religioſa corda ſordeſcere: & neminem eſſe mortalium, qui non egeat pœnitentia, & peccatorum indulgentia. epiſt. 34.

Omnes agentes pœnitentiã recipi, docet Aerno: Scimus, inquit, pœnitentiã his conferri, qui cõtra Dñm deliquerũt in furto, in adulterio, in homicidio, in ſacrilegio, uel in his, q̃ uarijs modis ſolent p fragilitatẽ ab hominib. cõmitti. Nũ legimus aliquẽ magicorũ qui uel diabolo per nicromãtiã ſacrificãt, uel Deũ negant, aliquando pœnitentiam egiſſe, uel ad Dominũ conuerſum fuiſſe? Lege paſsionem ſancti Iacobi, fratris Ioannis euangeliſtæ: & inuenies, quatuor Philetus, & Hormogenes eius magiſter, magi fortiſsimi, ad Deũ ſunt conuerſi. Inuere quendã (ſcilicet Theophilũ) uicedominũ, qui ſcripto Chriſtũ Dominũ negault, & ſe ipſi dæmonũ principi ſubiugauit: is per ſanctã Dei genetricẽ uirginẽ ſemper (id q̃d cõtra honorem Chriſti dicitur, q̃ ſolus eſt Mediator) Mariam reconciliari meruit. De diuinat. dæm. contem. Item: Interhæc, fratres dilectiſsimi, quid nobis eſt aliud agendũ, quàm ut toto cordis affectu cõuertamur ad illũ, qui magis uult ut peccator cõuerſus uiuat, quàm peruerſus pereat. Hinc eſt q̃ paterna nos uoce ad ſe inuitat, dicens: Conuertimini ad me filij reuertentes, & ego ſanabo contritionem ueſtram. Tantæ ſpei fiduciã habentes, nullus ueſtrũm propter ſcelerũ immanitatem deſperet: quia etſi caſtitatis palmam corpore uel mente perdidimus, recuperationis conſolatorem bonũ habemus. Ait namq; Dominus per prophetam: Ergo ſaltem amodò uoca me, Pater meus es tu, dux uirginitatis meæ es tu. dat etiam rogãdi ſimul ueniam, ſperandi auſum, qui publicanis & meretricibus aperuit regna cœlorum. Idem in ſermone de aſſumpt. Mariæ.

Nõ deſperandũ eſſe, docet Algerus: Nõ eſt deſperanda inuicta Dei gratia, quãtumcunq; hoſtis fraudem, quantũcunq; noſtrã fragilitatem attenderimus: quia uel hoſtis fraude, uel noſtro uitio anguſtiorẽ Dei gratiã cõſtituimus, ſi hoſtẽ potentiorẽ ad nocendũ, quàm Deũ ad liberandũ: nos autem habiliores ad labendũ, quàm ipſum ad ſtabiliendũ crediderimus. Quid uerò eſt quod ait Apoſtolus: Vbi abundauit delictũ, ſuperabundauit & gratia? niſi hæc potentior ſit ad ſaluandum, quàm illud ad perdendum? lib. 1. cap. 22 de Euchar.

De nouitate uitæ, inquit Anshel. Quomodo glorificatur pater reſurrectiõe filij, ita & per conuerſationis noſtrę nouitatẽ glorificatur. Nouitas aũt uitę eſt, ubi uetere hominẽ cũ actib. ſuis deponimus, & induimus nouũ, qui ſecundũ Deum creatus eſt, in iuſticia & ſanctitate ueritatis. in 6 ca. ad Rõ.

De fine pœnitentiæ, inquit Anshelmus: Peccata, ſiue parua ſiue magna impunita eſſe non poſſunt: quia aut homine puniente, aut Deo iudicante plectuntur. Ceſſat autem uindicta diuina, ſi conuerſio præcurrat humana. In 11 cap. ad Corinth.

Meginhardus inquit: Indubitãter credo, pœnitẽtia aboleri peccata, etiã ſi in ultimo uitæ ſpiritu admiſſorum pœniteat, & publica lamentatiõe ꝑdatur: quia ꝓpoſitũ Dei, quo decreuit ſaluare quod perierat, ſtat immobile: & ideo quia uoluntas eius nõ mutatur, ſiue ad emendationem uitæ tempus conceditur, ſiue poſt ſupplicem confeſsionem, continuò uita exceditur, uenia peccatorum fideliter præſumitur ab illo, qui non uult mortem peccatoris, ſed ut conuertatur à perditione pœnitendo, & ſaluatus miſeratione Dei uiuat. ad Gunth. de fide.

Non differendam pœnitentiam. Anshelmus: Sicut ſemper es benignus (Chriſte) in relaxando, ita nunquam debemus defectibus noſtris terreri, quin ſtatim poſt culpam ueniam poſtulemus. Quando enim cor hominis eſt diſtortum, & à te quodammodo alienum, multo eſt pronius ad leuitates, & ad quærendum exterius falſas conſolationes, quàm ſibi dum apud te eſſet. Vnde non eſt differenda acquiſitio ueniæ, ne diuturnior receſſus difficiliorem reditum operetur. de menſurat. crucis.

De peccato, de quo non agitur pœnitentia, inquit Anshelmus: Peccatum quod nõ per pœnitẽtiã citius deletur, aut peccatum eſt à cauſa peccati, aut peccatum eſt pœna

peccati, aut peccatũ simul est pœna & causa peccati. Omne enim quod prius malè committitur, peccatum est. Sed si citius pœnitendo non tergitur, iusto iudicio omnipotens Deus obligatam peccantis mentem, etiam in culpam alteram permittit cadere. Peccatum ergo quod pœnitentiæ lamento non diluitur, peccatum est simul, & causa peccati: quia ex illo oritur, unde adhuc peccatoris animus altius obligetur. peccatum uerò quod ex peccato, id est, ex secundo sequitur, peccatum simul est, & pœna peccati: quia excrescente cæcitate ex retributione prioris culpæ generatur, ut quasi iã quædam sint in peccatore supplicia, ipsa incrementa uitiorum. Fit uerò nonnunquam, ut uerum idemque peccatum, & peccatum sit, & pœna peccati, simul & causa peccati. in 1 cap. ad Rom.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

DE appellatione Sacramenti, inquit Algerus: Sciendum, quòd sacramentum in Sacris codicibus, nõ semper pro sacro signo: sed sacramentum aliquando iusiurandum, aliquando res sacrata accipiatur. lib. 1, cap. 4 de Euchar. Item: Sciendũ, quòd sacramentũ & mysteriũ in hoc differũt: quia sacramentũ signũ est, uisibile aliquid significans: mysteriũ uerò, aliqd occultũ ab eo significatũ. Alterũ tamẽ ꝑ altero ponũt. Ibid.

Quot sint, Algerus ait: Inusitato & stupẽdo miraculo postquam spiritum emisit, de latere Christi sanguis & aqua contra naturam manauit, ut regenerationis & redemptionis unum nostræ salutis opus esse mystícè signaret, dũ hoc duplici Sacramẽto, unũ corpus Christi & Ecclesiæ ꝑ Spiritũ sanctũ cõformet. Vnde & tria sunt, q̃ Christo testimoniũ dãt in terra: Spiritus, aqua, & sanguis: quia & mirũ fuit, mortales de cœlo secundum promissionem Christi, Spiritum sanctum accipere: & mortuum, more uiuẽtis, non saniem, sed sanguinem, imò supra morem uiuorum & mortuorũ, cum sanguine aquam de uulnere lateris fundere: quod tamen sicut miraculum, sic constat fuisse & mysterium. lib. 1, cap. 19 de Euch.

De differentia Sacramentorũ ueteris & noui Testamenti, inquit Algerus: Cętera sacramenta noui Testamenti & ueteris, figurę tantùm fuerunt, nec aliquæ species eorum, ut id fierẽt quod significabant, ab hoc quod fuerant, (ut manna, petra, Christus) aliquatenus mutatæ sunt. Aqua uerò baptismatis, & oleum chrismatis in sacramento, ab hoc quod est non mutatur: nec Spiritum sanctum, quem significat aqua abluentem, emundantem, oleum uerò roborantem, illuminantem, quamuis credentibus suo mysterio exhibeat, non tamen continere essentialiter, sed figuratè tantùm creditur. Solum sacramentum panis & uini ita mutatur, ut substãtialiter nõ sit q̃d antè fuerat: sed substãtia eius corpus Christi fiat, forma uerò remanẽs ipsum significet & contineat. Hanc autem panis & uini substantiam ideo Christus in suo sacramento remanere nõ uoluit, ne si duæ substantiæ ueritates, panis scilicet communis noster, & ipse uiuus & uerus panis, quia uita æterna, & panis communis suo modo uerus, quia temporalis uitæ substantia. Facilius enim & certius creditur, corpus Christi in illo sacramento fieri & esse, ubi corporaliter non fuerat, non solum pro sacramento, sed & pro miraculo, dum ibi panis desinit esse quod fuerat. Et forsitan ne hæreses impanationis & fœdæ digestionis huic suo singulari sacramento adscribi possent, ipsum ab omni incorruptibilis naturæ uel materiæ contagio purum esse uoluit. lib. 7, cap. 8 de Euchar.

Anshelmus inquit: Sacramenta nõ sunt eadem: quia alia sacramenta dant salutem, alia salutẽ ꝑmittũt. Sacraméta noui Testaméti dant salutẽ, Sacraméta ueteris ꝑmiserunt Saluatorem. In 8 cap. ad Hebræos.

DE BAPTISMO.

QVòd necessarius sit baptismus, docet Anshelmus: Baptismus est consummatio omnis iusticię. Quantumcunq; enim fuerit iustus, religiosus, eleemosynarius, ieiunator, castus: tamẽ si baptismatis gratia caret, nihil ei proficit. In 3 cap. Matth.

Quid sit. Anshelmus: Baptismus Christi lauacrum est aquæ, in uerbo uitæ. Tolle aquã, nõ est baptismus. Tolle uerbũ, nõ est baptismus. Verbum uocat ĩnuocationem diuinitatis, quod à baptizante super aquã profertur. In 5 cap. ad Eph.

Diuisionem baptismi talem recitat Anshelmus: Triplex baptisma. Quia est baptisma in aqua, est & in lachrymis pœnitẽtię, & est in sanguine martyrij. In 6 cap. ad Heb.

Vnde sit. Algerus: Quis de filijs diaboli potest regenerare filios Dei, nisi pater Deus? Quis peccatores iustificare, nisi qui pro peccatis nostris mortuus est Christus? Et cũ spirituale sit, quicquid in baptismo geritur, quis hoc potest pagere nisi Spiritus sãctus? Frustra enim hoc in Trinitatis nomine fieret, si ad aliũ quemlibet à Trinitatis potestate trãsiret. Nõ ergo ꝑsumat homo suũ deputare, q̃d solius Dei est facere. Ait enim Apostolus: Diuisiones gratiarũ sunt, unus aũt Dñs, qui operatur omnia in omnibus, diuidẽs singulis prout uult. lib. 3, cap. 5 de Euchar. Itẽ: Quòd sanguinis effusiõe uel sola fide baptismus compleatur, & nullis horum meritis uel officijs sit astrictus, docet Algerus,

Algerus, adductis aliquot Augustini testimonijs, & uno Isidori ex lib. de Officijs. lib 3, cap. 7 de Eucharist.

Anshelmus inquit: Christus est Dominus qui baptizat: propter quod tantum ualet baptismus per hominem contemptibilem, quantum per Apostolum datus. in 1 cap. 1 ad Cor. Item: De baptismo uos scitis, quòd quicũq; baptizet, Christus baptizat. in Epistola ad Heber. episc.

De materia baptismi, ait Anshelmus: Quæritur, quare in aqua fieri uoluit remissionis sacramentum? Scilicet, ut flammeum gladium, id est ignem gehennalem, nobis ex tingueret: quia aqua contrarium est elementum igni. In 3 cap. Matth.

Quomodo baptizandum sit, Algerus docet: His tribus sacramentis baptismus ritè perficitur, ut quia in Trinitatis nomine celebratur, Trinitatis etiã fidem suo ministerio confessans, per aquam nos Deo patri regeneret, per corporis & sanguinis sui communionem filio Dei ad uitam nos concorporet, per olei unctionem Spiritus sancti uirtute confirmet: ut qui in initio regenerationis tanta Dei gratia præuenimur, non desperemus ad uitæ palmã perduci, si cum eadem adniti uoluerimus. lib. 3, cap. 4 de Eucharist.

Anshelmus inquit: In eo quod pater in uoce sonat, & Spiritus sanctus in columba decernit, filius q; baptizatur in homine, trinitas euidenter declaratur, in cuius nomine, & fide unusquisq; nostrũm baptizatur. In Euang. enarrat. Item: Trina mersio baptismi, imago est triduanæ sepulturæ Domini: ut quisquis in aquam uelut in sepulchrum deponitur, mortuus sit omnino peccatis, ut possit resurgere uirtutibus. in 2 cap. ad Colos.

Vnum baptisma docet Anshelmus: Propter hoc etiam seruanda est unitas, quia unum est baptisma. Non enim potest iterari: sed à quocunq; datum fuerit, siue à bono, siue à malo, siue à catholico, siue ab hæretico, iuxta morem Ecclesiæ in nomine sanctæ Trinitatis, scilicet Patris & Filij & Spiritus sancti, tantũdem ualet ad remissionem peccatorũ, & apetitionem regni cœlorum. in 4 cap. ad Eph. Item: Qui iterat baptismum, iterat cruſus mortem Christi, ut ex ea iterata, fiat iterata remissio. Sed hoc est impossibile. Non talis hostia nobis relinquitur, si post baptismum nos inquinauerimus. In 10 ad Heb.

Meginhardus inquit: Confiteor unũ baptisma in Ecclesia, ubi una fides est, & ubi in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti datur: & ideo si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & ueniunt ad nos, recipiendos fateor quasi baptizatos, ne sanctæ Trinitatis confessio uel inuocatio annulletur: sed docendos antè, quo sensu sanctæ Trinitatis mysterium in Ecclesia teneatur: & si cõsentiunt credere, uel acquiescunt confiteri, confirmãdos manus impositiõe. Si uerò paruuli sunt, uel hebetes, respondeant pro illis qui eos offerunt, iuxta morem baptizandi: & sic manus impositione & chrismate cõmunitos, Eucharistiæ mysterijs admittendos annuo. Illos autem qui non in sanctę Trinitatis inuocatione apud hæreticos baptizati sunt, & ueniunt baptizari, debere pronuncio rebaptizari. Neque enim credendum est, eos fuisse baptizatos, qui non in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, iuxta regulam à Domino positam, tincti sunt. Ad D. Guntherum, de fide.

De typo baptismi, Anshelmus scribit: Signum baptismi, quod Hebræi acceperunt, tantundem ualuit eis credentibus, quãtum ualet nobis ipse baptismus. in 10 cap. 1 ad Corinth. Item: Apertè per mare rubrum baptismus designatur, sanguine Christi consecratus. Mors enim Ægyptiorũ in mari significat abolitionem peccatorum in baptismo. Israelitæ transeuntes, præsignãt eos qui nũc baptizantur. Ibidem. Item: Spiritus uerò intelligentiæ, baptismati, quod est secũdum beneficium, concordat. ibi enim intelligentia ualde necessaria, ubi tot mysteria cõtinentur. In baptismate enim intelligitur, quòd filij Diaboli fuimus, & filij Dei facti sumus. in baptismate enim Christi tota Trinitas reuelata est: Pater, in uoce patris: Spiritus sanctus, in specie columbæ: Filius, ubi dictum est, Hic est filius meus dilectus. in tertium caput Matthæi.

De fine atq; utilitate baptismi, inquit Bernno: Hinc est, quòd in die secundæ natiuitatis nostræ, idem rex & Deus noster materną pietatis officiũ gerens, per aquam regenerationis nos lauit in saluté, ac pro libidinosæ mẽtis umbilico cingulo castitatis nos donauit, suæq; sapientiæ sale nos cõdiuit, insuper uestimento iusticię uelut pannis inuoluit. in serm. de assumpt. Mariæ.

Algerus ait: Vt gratia Dei omnimodo esset gratuita, in sacramentalib. speciebus non quæsiuit dignitatem, sed aptitudiné. Quia enim aqua extinguit, mundat, & candidat præ cęteris liquoribus: ideo etiam in baptismate carnis incentiua extinguitur, peccatorum tam originalium quàm actualium labem abluit, innocentiæ candorem reducit: & dum sic cœlestis patris imaginem reformat, filios adoptionis regenerat. lib. tertio, capite 4 de Euchar.

Anshelmus inquit: Imaginem terreni hominis induimus propagatione præuaricationis & mortis, quam nobis intulit generatio: imaginem uerò cœlestis hominis induimus

gratiæ, indulgentiæ uitæque perpetuæ, quam nobis per Christum præstat regeneratio. Vnus enim regenerat in mortem, alius in salutem. In decimumquintũ caput prioris ad Corinthios. Item: Sicut Christus resurrexit, & ascendit, & Spiritum sanctum misit: sic populus Dei prius resurgat in baptismate, adiuuatur à Spiritu sancto ad bene operandum in confirmatione: & sic efficitur iustus, & uerè iustus, quia diligit proximum & Deum. In 3 cap. Matth. Item: Octauus dies, in quo circumciditur infantulus, dies est baptismatis, in quo neophytus quisq; exuitur labe primæ generatiõis: & ascendens de lauacro, fit particeps resurrectionis Christi, quæ die octauo mundum illustrauit. In Euang. enar. Item: Christus, in quo omnes uiuificabũtur, præter id quòd se ad iusticiam exemplum imitantibus præbuit, dat etiam sui Spiritus occultissimam gratiam fidelibus, quam latenter infundit & paruulis baptizatis. in 5 cap. ad Rom. Item: In morte Christi baptizamur, ut in ipsius morte credentes, & imitantes, quasi mortui uiuamus. Mortui enim per baptismũ peccato nõ debemus ei iterũ uiuere, ut iterum mori ei necesse sit: quia in mortem Christi, id est in similitudinẽ mortis Christi sumus baptizati, ut sicut ille semel mortuus est, & semper uiuit, ita nos semel mortui malo, semper uiuamus bono. Quomodo enim mortuus peccare non potest, ita et nos, si Christo sumus cõmortui, implicari peccatis capitalib. nõ debemus. Ibid. cap. 6. Itẽ: Quẽadmodũ Christus fuit sepultus corpore, sic peccatũ nostrum lateat & sepeliatur sepulchro aquæ. sicut ipse tribus diebus in sepulchro iacuit, sic nos trib. uicibus sepulchro baptismatis immergimur. Nã quòd tertiò mergimur, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus: & dum tertiò ab aquis educimur, resurrectio triduani temporis exprimitur. Quia in illo aquarum elemento sepelimur, ut renouati per Spiritum sanctũ resurgamus. In aqua enim imago mortis, in spiritu pignus est uitæ: ut per aquam moriatur corpus peccati, quæ quasi quodã tumulo corpus includit, ut p uirtutẽ Spiritus renouemur à morte peccati. Ibid. Itẽ: Gratia Dei per baptismũ Christi, q uenit in similitudine carnis peccati, id agit, ut destruat corpus peccati. Destruitur aũt, nõ ut in ipsa uiuẽte carne cõcupiscẽtia cõsperſa & innata, repẽtè absumatur & nõ sit: sed ne obsit mortuo, q̃ inerat nato. Destruitur, ut non interim nõ sit, sed ut nõ cogamur ei seruire. Ibidem. Item: Quisquis in Christo baptizatus est, apertum est ei cœlum, & Deus desuper paratus est eum suscipere, sed ille per gradus scalæ, quæ à baptismo usque ad Deum porrecta est, debet ascẽdere. Quia sicut Salomon ait: Semita uitæ super erudi tum, qua scilicet ipse eruditus tẽdat in cœlum. In enar. Euang. Et: Quilibet fidelis Christi, accepto in baptismate Spiritu sancto, regreditur ab Iordane: cum à lauacro rediens, aduersum seculi uitia, in quib. antè conuersabatur, pugnam inchoat. Ab Iordane enim regreditur, qui à baptismo ad certamen, contra relictas mundi tentationes properat. In Euang. enarrat. Item: Momento uno fit in baptismo peccatorum remissio. neq; enim uel unum quantulumcunq; remanet, quod non remittatur. In 4 cap. 2 ad Corinth. Item: Sanctificatio carnis & spiritus facta est diuinitus in baptismo. Ibidem, cap. 7. Item: Deus secundum largas misericordiæ suæ diuitias, omnia peccata & originalia & actualia per baptismum remisit, ut ubi abundauit peccatum, superabundaret gratia. In 2 cap. ad Ephesios. Item: In baptismo Spiritus sanctus fide & Sacramẽtis & Spiritualib. gratijs signat fideles: id est, ab infidelib. secernit. Ibid. cap. 4. Itẽ: Habemus in Christo redẽptionẽ & remissionẽ, quæ in baptismo cõsecuti sumus, destructa potestate diaboli, & restituta libertate nostri arbitrij. In 1 cap. ad Colos. Itẽ: In Christo per spẽ similiter habemus redemptionẽ: id est, liberationẽ ab his miserijs & afflictionibus, quas nunc patimur. & per rei exhibitionem habemus iam in illo peccatorum remissionem: quia & semel in baptismo per effusionem sui sanguinis deleuit peccata nostra: & quotidie si peccamus, non indigemus alijs hostijs. Vnde patet, quia legales hostiæ non amplius offerendæ sunt, quia nullam iam omnino utilitatem præstant. Ibidem. Item: Reatu per baptismũ deleto, nec conscientia nostra iam timet, nec diabolus quod obijciat habet. Ibidem, capite secundo. Item: Malè tenet baptisma, qui non credit omnia in eo peccata ablui, nisi superadditis carnalibus obseruantijs. In sextum caput ad Hebræos. Item: Omnia peccata delentur in baptismo, tam interiora quàm exteriora. Quia ergo per baptismũ facti sumus à peccato liberi, & restaurata est nobis libertas arbitrij, & gratia Dei data, & nullam habemus excusationem, accedamus (ut dictum est) ad eum, qui tot beneficia nobis largitus est, & uero corde diligamus, atque fidem integram illi seruemus, & fide plena eum credamus: & quod corde credimus, ore confiteamur. In decimum caput ad Hebræos.

De infantum baptismo, inquit Anshelmus: Et sanata est filia eius ex illa hora.) Propter humilẽ fidelemq; sermonẽ, filiam deseruit

deseruit dæmonium. ubi datur exemplum catechizandi & baptizandi infantes: quia per fidem scilicet, & confessionem parētum in baptismo, liberātur à diabolo paruuli, qui necdum per se capere, uel aliquid boni uel mali possunt facere. in 15 cap. Matth. Item: Nec paruuli de quibuslibet sanctis iustisque procreati, originalis peccati reatu absoluuntur, nisi in Christo fuerint baptizati. In 7 cap. 1 ad Cor. Item: In infantibus qui baptismati moriuntur, antequam suo possint uti libero arbitrio, non apparet concordia quam quærimus: quoniam in illis sola gratia operatur salutem sine illorum libero arbitrio. Nam hoc quoq; gratia est: quia datur alijs uoluntas, ut illis sua fide subueniant. In lib. de con. grat. & lib. arbit.

De baptismo Christi, scribit Anshelmus: Nihil aliud intelligimus baptismum Christi, nisi mortis Christi similitudinem: nihil aliud autem mortem Christi crucifixi, nisi remissionis peccati similitudinem: ut quemadmodum in illo mors uera facta est, sic in nobis uera remissio peccatorū: & quemadmodum in illo uera resurrectio est, ita in nobis uera iustificatio. Et sic hinc ostenditur mortui esse peccato, quia in morte Christi baptizati sumus: profectò & parituli qui baptizantur in Christo, peccato mo riuntur, quia in morte ipsius baptizātur. Nul lo enim excepto dictum est: quia quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Et ideo dictum est, ut probaretur nos mortuos esse peccato. qui autem peccato paruuli renascendo mori untur, nisi quod nascendo traxerunt? in 6 cap. ad Rom.

De circūcisione spirituali, ait Anshelmus: Circumcisio prodest. Non alia intelligitur esse uera circumcisio, quàm animæ purgatio, & uitiorum abiectio. Et idcirco prodest carnis circumcisio, si & mens per obseruantiam mortalium præceptorum legis circumcisa sit. Signum prodest, si res adsit. Cęterùm signum sine re superfluum erit. In secundum caput ad Romanos.

Cur euangelizare maius, quàm baptizare, Anshelmus declarat: Maius est euangelizare, quàm baptizare: quia non omnis qui baptizat, idoneus est euangelizare. Quia igitur & minores possunt baptizare, qui sapientiam & uirtutem prædicandi non habent: ideo non baptizare missus sum, ne retardarer à prædicatione, sed Euangelij semina spargerem. Quo dicto illi humiliantur, quibus Corinthij multum dabant, eo quòd ab illis baptizati fuerant, dum innotescit non magnum esse baptizare. in primum caput prioris ad Corinthios.

DE CLAVIBVS.

Anshelmus inquit: Claues regni cœlorum, ipsam discernendi sententiam & potentiam nominat: potentiam, qua liget uel soluat: discretionem, qua dignos uel indignos discernat. Qui enim aliquid indignè soluit uel ligat, ut ait Gregorius, à propria potestate se priuat. Si scientiam discernendi habet, nec tamen potentiam suscepit ligandi atque soluendi, neminem ligat neq; soluit. Si autem potestatem accepit, nec tamen bene discernit, si quem ligat uel soluit, quamuis in conspectu hominum, tamen in conspectu Dei qui ligatur, immeritò uel soluitur uel ligatur, nec solutus habetur. in 16 caput Matthæi.

Vnde sint. Anshelmus: Post resurrectionem legimus, quia insufflauit Dominus in discipulos suos, & ait illis: Accipite Spiritum sanctum. Quid sibi uult ista insufflatio? Scimus enim, quia flatus ille qui de ore eius tunc processit, non erat Spiritus sanctus. Non ergo credimus illam insufflationem sine aliquo mysterio factam esse. Quid igitur rectius hic intelligi potest, aut apertius, quàm hoc illum ideo fecisse, ut intelligeremus Spiritum sanctū de illo procedere? Ac si diceret: Sicut uidetis hunc flatum, per quem uobis Spiritum sanctum, sicut sensibilibus insensibilia significari queunt, significo, de intimo corporis mei, & de persona mea procedere: ita scitote, Spiritum sanctū, quem uobis per hunc flatum significo, de secreto Deitatis meæ, & de mea persona procedere. De processi. sanct.

Erga quos clauibus utendum. Anshelmus: Notandum est, quòd dicit super terram. non enim data est hominibus potestas ligandi uel soluendi mortuos, sed uiuos. Mortuos enim soluendi uel ligandi potestas Deo reseruata est. in decimumsextum caput Matthæi.

Quis absoluat. Anshelmus: Perueniendum est ad sacerdotes, & ab eis quęrenda solutio: ut qui iam coram Deo sunt mundati, sacerdotum iudicio etiam hominibus ostendantur mundi. in Euang. enarrat.

De excōmunicatione inquit Anshelmus: Si autē pecccauerit in te frater.) Quasi dicat: Noli contemnere pusillum: sed si peccauerit in te, faciēdo tibi iniuriā, labora adeò de salute illius, quod prius corripias per te, postea per alios: deinde per totā Ecclesiam: deniq; per excommunicationem, non tam cupidus uindictæ, quàm correctionis fraternæ. Quidam uolūt hoc intelligere de omni peccato, non tantùm de iniuria. & dicitur ita: Si peccauerit frater tuus in te, id est publicè. Omne enim publicum peccatum, contra unumquemque dicitur fieri: quia publicè peccans,

peccãs, proximum ſuũ corrumpit. Corrige priuatim, ne potius uidearis alieni criminis proditor quàm corrector. Si autem nec ſic corrigi uoluerit, uel dixerit non eſſe peccatum: adhibe alios tecum, ut coram multis erubeſcat, uel probent illud eſſe peccatum. Si autem nec ſic corrigi uoluerit, dic toti Eccleſiæ, ut maiorem erubeſcentiam patiatur. Poſt hæc omnia ſequitur excommunicatio, quæ tantum fieri debet per os Eccleſiæ: id eſt, per ſacerdotem. Sacerdote autem excommunicante, totum corpus Eccleſiæ operatur. In 18 cap. Matth. Item excommunicationem uocat, Eccleſiaſticam diſciplinam. in 5 cap. 1 ad Corinth.

DE COENA DOMINI.

VNde ſit. Algerus: Dignũ erat ut ipſe mediator Dei & hominum, finis legis, initium gratiæ, poſt eſum agni paſchalis, poſt completionẽ legis ueteris, nouo ſacramento, nouũ gratiæ teſtamentũ inſtrueret ad ueſperam, ut utrũq; hoc in fine mũdi ſe agere declararet. libro ſecundo, capite 1 de Euchar.

De materia cœnæ, ſic ſcribit Berno: Terra quæ in primo homine maledicta, ſpinas & tribulos germinauit, nunc cœleſti imbre perfuſa, ac bonorum operum fructu ſatiata, illum panem producit, qui de cœlo deſcendit, cuius guſtu reficimur: & uini poculo in myſterio ſanguinis Chriſti potamur, ut oleum diuinæ miſericordiæ, faciem interioris hominis exhilaret, & panis eiuſdem cor hominis confirmaret. In lib. de concord. officij, cap. 5. Item: Agni paſchalis carnes aſſas igni, nocte iubemur comedere: quia dum in huius mundi tenebris ſumus, neceſſe eſt ut carnes Redẽptoris noſtri igni paſsionis aſſatas, cum debita reuerẽtia ſumamus. In Serm. de paſchate. Item: Patet profectò, quemadmodum nos ita oportet Dominici corporis & ſanguinis ſacramenta fideliter percipere, quatenus ei dem Redemptori noſtro in azymis ſinceritatis & ueritatis ualemus placere. Sed quid per lactucas agreſtes, niſi quædã (ut ita dicã) dulcis amaritudo Dominicæ paſsionis? Quoties enim tãti myſterij participes efficimur, dignum ualdè eſt, ut peccatorum noſtrorum recordatione amaricati, illi nos in ara cordis mactemus, quem expenſis in cruce manibus pro nobis Deo patri oblatum nouimus: cuius memoria dulcis, ſemper recondi debet in arca cordis. Ibidem. Et: Dominus noſter Ieſus Chriſtus, eſt frumentum noſtrum: cuius quotidie, licet indigni, non ſolum pane, qui eſt uera eius caro, in ſacro altari paſcimur, uerumetiam ſangui ne potamur. In Serm. de nati. S. Mar.

Algerus ait: Sciendum, quia licet prius myſticè uinum & aqua miſceatur: poſt conſecrationem tamen non niſi ſanguis bibitur, quia prius per aquam baptiſmatis renati, poſtmodum non ſolum corporales, ſed & conſanguinei Chriſto efficimur ſpiritualiter. lib. 1, cap. 19 de Euchar. Et: Notãdũ eſt, cùm diuina pagina corpus Dñi panẽ uocat, nõ ſubſtãtialiter, ſed myſticè & figuratè dici: uel qa ex eo cõficitur, eiusq; nõ nullas retinet qualitates: uel quoniã animã paſcit, eiq; uitæ æternæ miniſtrat ſubſtantiam: uel quoniã panis eſt angelorum. Solent enim Scripturæ quaslibet res uocare nominib. illarum rerum ex quib. fiunt: ut cum dicitur homini: Quid ſuperbit terra & cinis? cùm homo nõ ſit cinis, ſed ex cinere factus. Seu quæ putantur eſſe, & non ſunt: ut cum legitur Abraham uidiſſe tres uiros, cum eſſent angeli. Seu quib. ſimiles aliquo modo exiſtunt: ut cum Deus dicitur Leo propter fortitudinẽ. lib. 1, cap. 6 de Euchar. Et: Chriſtus cum potens ſit de lapidib. ſuſcitare filios Abrahæ, qui elementa bruta panis & uini in ſuam conuertit ſubſtantiam, multo magis fideles ſuos ſub tantæ ſpei imagine & uirtute in corporis ſui trãſigurauit gloriam, non pro merito, ſed pro gratia dans gratiã. In Prolog. lib. 1 de Euch. Itẽ: Sicut Spiritus ſanctus in ſpecie colũbę, uel linguis igneis ſine unitate perſonæ apparuiſſe creditur: ſic Chriſtus in Sacramẽto panis & uini corporaliter cõfici, ſed nõ perſonaliter uniri aſtruatur. lib. 1, cap. 8 de Euchа. Itẽ: Videtur ſtultũ ſed ſtultis, Chriſtum in ſpecie panis & uini, brutæ ſcilicet rei prę ſentem nobis corporaliter fieri: tãtilla formula panis, tantã maieſtatẽ contineri. Sed quis in Deo reprehendere debeat, quod in ipſo pium, nobis autem eſt neceſſarium? Congruere quidem non uidetur eius dignitati, ut corruptibilis ſubſtantia panis, incorruptibile eius corpus fiat. Sed congruit noſtræ ſaluti, ut in tali ſacramento, pane angelorum nos reficiat: ſapientiſsimè quidem, ut occulto myſterio fides exercea tur ad meritum: fortiſsimè autem, ut mens tali cibo roborata, hoſte deuicto, fortius ni tatur ad regnum: ſapientiſsimè inquam, & fortiſsimè, ut tanti ſui operis de re minima & maxima, nec comprehendi poſsit potentia, nec artificium. Super omnia enim eſt mirabile, exiſtentem ſubſtantiam panis, in eo exiſtentem carnis ſuæ conuertere: quod eſt, non uideri, quod uidetur, non eſſe: ipſamq; carnem cum ſit localis, præſentem in cœlo & in terra, uerè & ſubſtantialiter eſſe: & cùm uerè caro comeſta, & ſanguis eius bibitus fuerit in poculo, ipſum Chriſtum

Christum uiuum & integrum suo permanere in regno. Sed hæc rationi cæca, fidei sunt manifesta. Quòd ergo ex se Christus tam mirabiliter, tam salubriter dignatus est pro nobis operari, non paruipendendum, sed iugiter à nobis uenerandum est, & colendum: quia cum potens sit de lapidibus suscitare filios Abrahæ, qui elemẽta bruta panis & uini in suam conuertit substantiam: multò magis fideles suos sub tantę spei imagine & uirtute in corpore sui transfigurabit gloriam, non pro merito, sed pro gratia dans gratiam. In prologo libri primi de Eucharistia. Et: Quis igitur dubitet de ueritate & corporis & sanguinis Domini, quæ spiritualiter creatur, quicquid sensus corpori de ipso uel forma, uel odore uel sapore extrinseco mentiantur? Non minus uerè erat Christus, cùm Maria putaret hortulanum, quàm cum recognouit eum. libro 1, cap. 6. Et: Fide rudes, sacramentum corporis Christi in sacramento significans & significatum in panis & uini forma, itemq; in hominis forma, substantialiter & uerè unum eundemq; Christũ credant esse. Ibidem, cap. 18. Et: Quòd sicut nec minus à malo, nec magis à bono sacerdote consecratur ueritas corporis Christi: sic nec minus à malo, nec magis à quolibet bono sumitur, quantum ad substantiam. lib. 1, cap. 21. Et: Dedit Ecclesiæ suæ ueritas ueritatem, Christus corpus suũ & sanguinem, ut quod uetus umbra non poterat, ipse redemptionem remissionemq; peccatorum, quam fecerat in cruce, faceret similiter in altari quotidie: & quotidiano peccatorũ contagio, salubrius quotidiano subueniret remedio: denique ipse qui futurus erat electis uita & præmium, in præsenti esset medicina & uiaticum. libro secundo, cap. 3. Item: Egregium & super omnia excellẽs sacramentum nobis prouidit Deus in sacrificio suo, quo corporis & sanguinis sui ueritatem, pagina causa: ne scilicet infidelibus pateat, & eorum blasphemijs uilescat: néue nos iudicent inhumanos & crudeles, utpote humani corporis comestores, & sanguis bibitores. libro secundo, capite tertio. Et: Hoc quia ineffabile est, quomodo corpus Christi hic fiat, & ibi maneat, ad intelligentiam spiritualem & fidem talia cogitantes reuocat: quia etsi sciri non potest, credi potest: quia quod uidetur, non materiale corpus panis est, sed species corporalis: quod autem intelligitur, Christus est, qui omnia quæcunque uult, in cœlo & in terra potest. Sicq; dum exteriorum sensuum testimonio non acquiescit, nec interiore inquisitione comprehendens, de ueritate tamen non titubat, fit per Dei gratiam: ut in tali suo agone fides nostra exerceatur, exercendo augeatur, augendo perficiatur, perfecta coronetur. Ibidem. Item: Bene Christus sub Sacramento dedit nobis semetipsum, ut per hoc nobis & fidei meritum, & gratiæ suæ augeat beneficium, dum in terrena quadam, & prorsus stolida panis & uini forma, maiestatem sapientiæ uerbi Dei substantialiter comprehensam, incomprehensibilem credere & uenerari non erubescimus: quæ quantitate & qualitate sua ita eius excellentiæ uidetur indigna, ut nullatenus etiam existimari debeat, nisi quia ipse est, qui omnia quæcunque uoluit fecit in cœlo & in terra, nisi quia etiam caro eius ipsa est, cui data est omnis potestas in cœlo & in terra: ut potestate tali sit in unitate personæ in cœlo & in terra, quandocunque, quomodocunque sibi placuerit. Hac fide ipsum sacramentum, quasi diuinum quoddam adoramus, & rationabile alloquimur, & rogamus: Agnus Dei qui tollis peccata mundi, miserere nobis. quia non quod uidetur, sed quod uerè est, Christum ibi esse credimus. ibidem. Item: Sic in sacramento corporis Christi, panis formam Christo non dicamus imperfonatam: sed quamuis ipsa panis substantia mirificè in corpus Christi conuersa sit, panis tamen forma in sacramento remanens, mansura perpetualiter in Christi corpore non putetur, sed sicut cætera sacramenta post hanc uitam omnino desistere credatur, ne de incarnatione aliqua hæresis oriatur. lib. 2, cap. 8. Et: Cùm ergo constet, quia seipsum moriturus immortalem, inuisibilis inuisibilem in sacramento dederit: constat, quia illud corpus suum, quale nos modò sumimus, tale fuit, unum idemq; omnino in substantia & tunc & nunc: sed tunc tamen differens mortalitate & immortalitate, in hominis & sacramenti forma: nunc hominis tantùm & sacramenti forma. Ibidem, cap. 9.

Non solũ spiritualiter et corporaliter nos comedere corpus, & bibere sanguinem Christi, docet Algerus lib. 1, cap. 12, dicens: Non futurum prædico, non absens aliquid denuncio: sed hoc quod præsentialiter do, est corpus meum: non figuratum, sed uerum, ipsum quod pro uobis tradetur. Hic est sanguis idẽ ipse, qui pro uobis effundetur: addens etiam propriè proprium suæ carnis & sanguinis effectum, scilicet remissionem peccatorum. Cum enim solius Dei sit remittere peccata, cui soli peccatorum debetur remissio: cuius sanguis, nisi ipsius Dei, posset remissionem peccatorum operari?

Petrus Damianus ait: Christi corpus & sanguinẽ, ore carnis crebriùs suscipe. Terretur enim aduersarius, cum Christiani labia, Christi uidit cruore rubentia. In Epist. ad Blancã.

Lanfranc

Lanfrancus inquit: Cùm diuina pagina corpus Domini panem uocat, ſacrata ac myſtica locutione id agit: ſeu quia animam incomprehenſibilem paſcendo ſatiat, eiq; æternæ uitæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: uel q; corpus eſt filij Dei: ſeu aliquo alio modo, qui à doctoribus comprehendi poteſt, à nobis nō poteſt. Item: Nos in ſpecie panis & uini, quam uidemus, res inuiſibiles, id eſt Chriſti carnem & ſanguinem honoramus. Nec ſimiliter pendimus has duas ſpecies, ex quibus cōſecratur Dominicum corpus: quemadmodum ante conſecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur, ante cōſecrationem eſſe panem uinumq; : id eſt, eas res quas natura formauit: inter ſacrandum uerò conuerti in Chriſti carnem & ſanguinem, quas utraſque res benedictio cōſecrauit. Item: Sacramentū corporis Chriſti, quantum ad id ſpectat quòd in cruce immolatus eſt ipſe Chriſtus Dominus, caro eius eſt, quam forma panis opertam in Sacramento accipimus: & ſanguis eius, quem ſub uini ſpecie ac ſapore potamus. Caro uidelicet carnis, & ſanguis ſacramentum eſt ſanguinis. Carne & ſanguine utroque inuiſibili, intelligibili, ſpiritali, ſignificatur redemptoris corpus uiſibile, palpabile, manifeſtè plenum gratia omnium uirtutum, & diuina maieſtate. Quorum alterum quidem dum frangitur, & in populi ſalutem diuiditur, alterum uerò effuſum de calice, ab ore fidelium ſumitur, mors eius in cruce, & ſanguis eius de latere emanatio figuratur. Caro ergo & ſanguis, quibus ad impetrandam pro peccatis noſtris Dei miſericodiam quotidie alimur, Chriſti corpus ac ſanguis uocantur: non ſolum quia eſſentialiter idē ſunt, qualitatibus plurimum diſcrepantes: uerùm etiam eo locutionis modo, quo res ſignificans, ſignificatæ rei ſolet uocabulo nuncupari.

Anſhelmus ait: Manducate quod tribuo, quia hoc eſt corpus meum. Senſibus quidem exteriorib. uidetur eſſe panis, ſed ſenſibus cognoſcite mentis, quia hoc eſt corpus meum, non aliud: ſed iſtud idem ſubſtantialiter quod pro uobis redimendis tradetur ad mortē, & crucifigetur. Hoc, quod dixi, facite: id eſt, corpus meum accipite & manducate per ſucceſsionem temporis, uſque ad finem ſeculi, in meam commemorationem: id eſt, in memoriam paſsionis meæ, ut pertractetis & conſideretis, quàm dignam & ſanctam & humanæ ſalutis efficacem medicinam accipietis, quatenus ex conſideratione tantę ſanctitatis cum maiori ueneratione ſacrā euchariſtiā percipiatis, & imitari paſsionem meam deſideretis: ut ſi opus fuerit pro ſalute fratrum mori, paratis ſitis. Accipientes enim corpus meum, memores mei eſſe debetis, ut diligenter recogitetis quis ego ſim, & quæ inter homines conuerſans operatus ſim, uel quæ pertulerim, ut ſicut præceſsi ſequamini. Vel, uos ſacerdotes hoc facite: id eſt, ex pane corpus meum, per myſtica uerba conſecrate, in memoriam paſsionis meæ: ut recogitetis eam, dum ſacrificium iſtud obtuleritis. In undecimum caput 1 ad Corinthios. Et: Quemadmodum Melchiſedech Abrahę panem & uinum ſacratum dedit: ita & Ieſus diſcipulis ſuis, in iiſdem ſpecibus corpus & ſanguinem ſuum dedit. In ſeptimum caput ad Hebræos. Item: Caro Chriſti, quam ex altari ſumimus, idcirco uelamen appellatur, quoniam ſenſibus noſtris in ſacramento uelatur. Nam ſenſus noſtri aliud renunciant, & aliud fides. Viſus enim perſuadet nobis eſſe ſolummodo panem, ſecundum panis ſpeciem: fides autem inſinuat, eſſe carnem uiuam & uiuificatricem: guſtus panem in ſapore, auditus etiam illud in fractione: fides uerò integrum agnū à fidelibus ſumi, ſine aliqua ipſius læſione. In 10 cap. ad Heb. Item: Qui uult corpus & ſanguinem Chriſti accipere, debet ad locum paſsionis eius accedere, ut honores & opes tabernaculi relinquēs, impropería & paupertatem pro nomine eius ferre non reſpuat: & de caſtris & de urbe exiens, ad crucem ueniat: id eſt, peruerſos mores multitudinis eorū qui latam uiam ſeculi tenent, deſerens, anguſtam uiam quæ ducit ad uitam, arripiat. cap. 13 eiuſd. epiſt.

Quomodo in pane Chriſtus. Algerus: Quòd Chriſtus in pane ſacramētali, non ita perſonaliter ſit impanatus, ut in carne incarnatus, probat teſtimonijs Auguſtini lib. 1, cap. 6 de Euch. Item: Corpus Domini panis uocatur, uel quia ex pane conficitur: uel quia intuentium oculis, cùm ſit caro, panis uidetur: uel ea ſimilitudine, quia ſicut panis materialis carnem, ſic ipſe ſpiritualis alit mentem. In eodem loco.

De duabus cænæ partibus, ait Algerus: Ideo corpus & ſanguis diuiſim in ſacramēto uidentur, ut quia Chriſtus p nobis mortuus eſt, nos qui corpore & anima periramus, corpus per corpus, & animā per animam redimēs, corpus & animam ſuam pro noſtra redemptione in morte diuiſa fuiſſe ſignetur, dum corpus eius in ſepulchro iacuit, anima uerò ad liberandas ſanctorum animas ad inferna deſcēdit. libro ſecundo, capite octauo.

Cur uiſibile. Algerus: Cur uiſibile Sacramentū inuiſibile Deo ſit? Reſpondeo: In Sacrificio uiſibili, præſentiam inuiſibilis corporis ſui exhiberi nobis uoluit: ut ſicnō bis no-

bis noſtram magis exercitaret memoriam, ad recolendam tantæ ſuæ pietatis gloriam. lib. 2, cap. 2.

Figuram reprehendit Algerus: Alij panem & uinum non mutatum, ſed ſolum ſacramentum, ſicut aquam baptiſmatis, uel oleum chriſmatis corpus Chriſti non uerè, ſed figuratè dicunt uocari. In Prolog. lib. 1 de Euch. Item ponit hanc obiectionem. Illud in altari, quod tu aſſeris uerum corpus Chriſti, in ſacris Literis appellatur ſpecies, ſimilitudo, figura, ſignum, myſterium, ſacramentum. Hæc autem uocabula non ad aliquid ſunt. Nulla uerò quæ ad aliquid ſunt, poſſunt eſſe id, quod ſunt ea ad quæ referuntur. Non eſt igitur ſacramentum corpus Chriſti. Reſpon. His uocabulis in nullo præiudicatur fidei, qua credimus: & ueritati, quam timemus. Vt enim ſuperiùs dictum eſt, quantum ad uiſibile ſacramẽtum, ſpecies & ſimilitudo illarum rerum ſunt nomina, quæ antè fuerunt, panis ſcilicet & uini, nõ corporis Chriſti. Corpus uerò & ſanguis Chriſti uocantur nunquàm impatiuè, eo locutionis modo, quo res ſignificans, ſolet rei ſignificatę uocabulo nũcupari. lib. 7, cap. 17 de Euchar.

Quomodo accipienda cœna ſit, Lanfranc⁹ docet: Apoſtolica doctrina in tota mundi latitudine prædicãdum inſtituit, carnem ſcilicet & ſanguinem Dñi noſtri Ieſu Chriſti, & ore & corpore, & ore cordis, hoc eſt corporaliter & ſpiritualiter manducari & bibi. Corporali ſiquidem ore corporaliter manducamus & bibimus, quoties de altari Dominico, ipſum Dominicum corpus per ſacerdotis manus accipimus. Spirituali uerò ore cordis ſpiritualiter comeditur & bibitur, quando ſuauiter & utiliter, ſicut beatus Auguſtinus dicit, in memoria recondimur, quòd unigenitus Dei filius pro ſalute mundi carnem accepit, in cruce pependit, reſurrexit, apparuit, aſcendit, uẽturus in die iudicij, dignas ſingulis mercedes rependere pro ſuis operibus. Quæ comeſtio tunc eſt utilis pauperibus Chriſti, ſi ad tanti diuitis tam magnam menſam ſedentes, ſic edunt ut ſaturentur, ſic recolunt ut imitẽtur, parati ſemper mori pro Chriſto, mortificantes iugiter membra ſua quæ ſunt ſuper terram, & crucifigentes carnem ſuam cum uitijs & concupiſcentijs. In Orthodox. de Sac. euchar.

Anſhelmus inquit: Sed & hodie, & in ſempiternum uæ homini illi, qui ad mensam Domini malignus accedit: qui præcordijs aliquo ſcelere imbutus, pollutis ſacrorũ ſanctis myſterijs participari non metuit. In 26 cap. Matth.

De duabus corporis comeſtionibus, Algerus: Duę ſunt comeſtiones corporis Chriſti in Eccleſia: una corporalis, altera ſpiritualis: his ad ſalutem, illis ad iudicium: ſpiritualis autem, tantùm bonis. cap. 20, lib. 1.

Cur fides tantopere exigatur in cœna, docet Algerus lib. 2, cap. 4, inquiens: Vtrique rei media uera fides uidetur neceſſaria. Adæ, ut crederet mortem eſſe in pomo, & ita uitaret: nobis, ut in ſacramento Chriſti uitam credamus, & ita eam aſſequamur. Vtriq; enim ex ſe contrarium uiſui effectum parit: illud, dum uidetur cibus uoluptatis, & uitæ mortem inferens: iſtud, dum uidetur cibus mortalitatis, uitam æternam exhibens. Sicut igitur à Petro, poſt trinam negationem trina confeſsio repetita eſt: ſic ab homine, ut ſaluari poſsit, pro perfida fide qua perijt, uera fides exigenda eſt: quia tãtum ſacramẽtum nec ſine fide poteſt intelligi, nec nos etiam per illud ſine fide ſaluari.

Qui debeant accedere. Anſhelmus: Sicut populus Iſrael ante tranſitum maris, nõ potuit manna comedere: ſic nemo ualet ante baptiſmum, corpus redemptoris accipere. In 10 cap. 1 ad Corinth.

Quòd ſit communis omnibus. Anſhelmus docet: Cœna Dominica communis debet eſſe omnib. Chriſtianis, ſicut Chriſtus cum ſuis diſcipulis communiter cœnauit. In 11 cap. 1 ad Cor.

Apud quos fructificet, Anſhelmus: Communia fuerunt omnibus illis ſacramenta, ſed non cõmunis gratia: ita & nunc baptiſmus nobis omnib. cõmunis eſt, ſed non uirtus baptiſmi. Cõmune nobis eſt ſacramentum corporis & ſanguinis Domini, ſed non communis uirtus ſacramenti. Non ergo ſolis ſacramentis confidamus, quia his ſolis ad regnum cœleſte non peruenimus, ſi bona opa neglexerimus: aut ſi Saluatorẽ more ueterum offendere nõ timuerimus. In 10 cap. 1 ad Corinth.

De indignis, Algerus ait: Omnino credamus, bonos uerè corpus Chriſti ſumere: malos autem uerè quidem, quantũ ad ſubſtantiam: & non uerè, quantum ad effectus gratiam. lib. 1, cap. 21.

Lanfrancus ait: Eſt quidem etiam peccatoribus & indignè ſumentibus, uera Chriſti caro, uerus ſanguis: ſed eſſentia, non ſalubri efficiẽtia. Huius rei teſtis eſt beatus Auguſtinus in quinto libro de baptiſmo dicẽs: Sicut enim Iudas, cui buccellã tradidit Dominus, non malum accipiendo, ſed malè accipiendo locum in ſe diabolo præbuit: ſic indignè quiſq; ſumens Dominicum ſacramentum, non efficit ut, quia ipſe eſt malus, malum ſit: aut quia nõ ad ſalutem accepit,

nihil acceperit. Corpus enim Domini, & sanguis Domini, nihilominus erat etiã illis, quibus dicebat Apostolus: Qui manducat & bibit indignè, iudiciũ sibi mãducat & bibit. De sacram. Euch. Anshel. in 1 Cor. 11 de uerbo ad uerbum idem testimonium ponit.

Cœnæ sacræ uim & efficaciã, nõ pẽdere à persona. Berno: Quid aliud esse possit in sacramentis diuinis, quod non sit presbyteris commune cũ episcopis: præcipuè cum id quod excellentissimum est in omnibus sacramentis, sanctum uidelicet corpus & sanguis Domini, quotidie sicut episcopi, ita & consecrent presbyteri: nec sanctius sit illorum, quàm nostrorum. In libro de concord. officio.

De fine sacræ Cœnæ, inquit Algerus: Non est sine magno gratię priuilegio, quòd Deus etiam corporaliter humani corporis & cordis uti dignatur diuersorio: nec tantum ad hospitandum, ut in templo suo, sed ad incorporandum sibi, ut membrũ capiti suo. Quid enim ad salutem nobis deerit, cũ ille qui salus est omnium, nobis unitus fuerit? lib. 1, cap. 22. Et: Sicut Deus cum omnia posset, non in nobis ipsis, sed in exterioribus alimonijs temporalem uitam nostrã retineri uoluit, ne nobis debere uideremur, quod sumus: sed ei potius à quo sunt illa munera, unde uiuimus sic etiam uisibili suo sacramento, quo uitæ æternæ pignus accepimus, admoneri nos uoluit eius gratiæ esse referendum, quòd ab ipso uitam æternam accepimus, quam in nobis non habemus, imò per nos perdidimus. lib. 2, cap. 2. Et: Christus ideo se unituit nobis in sacramento, ut quod nobis est impossibile, possibile fiat in ipso. Vnde etiam, ne quod dabat, inane uideretur & friuolum, nec ante nec post, sed ipsa passionis & transitus sui hora, sacramentum corporis sui dedit, & sanguinis: ut unde dabat exemplum, daret etiam mysterij exordium, quatenus memoriæ nostræ arctius passionis suæ characterem imprimeret, spei nostræ certius transitus sui & nostri uiaticum delegerat: cum illud sicut primus primum, sic in extremo corporalis uitæ suæ, sub noui Testamenti assignatione daret extremum. Testamento enim sanguinis sui, data redemptione & peccatorum remissione, pactum quod habemus à morte deleuit, uitæ æternę fœdus nobiscum pepigit, & tãti sacramentum testamenti ad conferẽdam sibi sanctam Ecclesiam in commune omnibus reliquit, ut unde habemus gustum in uia, satietatẽ quæramus in patria, & ipsum per ipsum inueniamus, cùm in manifesta sua apparuit gloria. Cum enim corpus Christi sumpserimus, & corpus eius facti fuerimus, transibit ipse in nobis ad patrem, transibimus & nos in illo: ut cum illo tanti in transitus labore unum facti, unum semper simus in peruentionis gaudio. lib. 1, cap. 22. Item: Per acceptionem huius sacramenti, Christo perfectè uniri & incorporari debemus, & in hac uita conformitate innocẽtiæ, quantũ possumus: & post hanc uitã simili beatitudine, quantum digni fuerimus. lib. 2, cap. 3. Et: Ideo Saluator hoc tradidit sacramentum, ut per hoc semper commoneamur, quia pro nobis mortuus est. Nam & ideo, cum accipimus, à sacerdotibus cõmonemur, qa corpus & sanguis Christi est, ut non simus ingrati tantis eius beneficijs. libro primo, capite octauo. Et: Quamuis corpus Christi & sanguis, spiritualis cib. & potus sit, & spiritualiter sumi iubeatur: nõ tamen ita per omnia accipientium est spiritualiter, ut tantum animæ, nõ corpori nostro salutem æternam operetur. Ait enim Augustinus in 1 epist. ad Cor. caput enim mysticum ad tuitionem animę & corporis percipimus. Caro Saluatoris pro salute corporis, sanguis uerò pro anima nostra effusus est, ut totum hominem saluum faceret. lib. 1, cap. 11. Et: Cum solius Dei sit remittere peccata, cui soli peccatorum debetur remissio: cuius sanguis, nisi ipsius Dei, potest remissionem peccatorum operari? lib. 1, cap. 12.

Item: Sciens Iesus uel peccata hominum impedire, uel merita nõ sufficere ad uitam, sacramentorum suorum exhibuit gratiam, ut Ecclesia quo minus habet in meritis, diuinis credens suppleri sacramentis: quanto in sua imperfectione esset humilior, tanto in superabundantia beneficiorum eius fieret perfectior. lib. 3, cap. 2. Et: Quia panis & uinum homini incorporatum, uita est temporalis: ideo Christus hoc sacramento nobis tanquam caput membris incorporatus, fit uita fidelibus. lib. 3, cap. 4 de Euchar.

Lanfrancus ait: Sacramenta illarum rerum, quarum sacramenta sunt, semper similitudinem gerunt, sicut in sacramento cœnæ, dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio, eiusq; sanguinis de latere effusio designatur: alioquin sacramentum non esset. Si tamen sacramẽti nomen eo intelligatur modo, quo nunc intelligimus, & intelligi à lectoribus seu auditoribus æstimamus. Dicitur namq; sacramentum etiam iusiurandum, non quòd rei cuiuspiam similitudinem habeat, sed quia supra res sacras alicuius rei confirmatio uel abnegatio fiat, &c. Dicitur quoque sacramentum, alicuius rei sacratio. De sacramento Euchar. Anshel.

Anshelmus inquit: Participatio calicis & panis Dominici facit, ut anima nostra & corpus tandem conformetur animæ & corpori Christi, secundum receptionem eiusdē beatitudinis. Tunc autem hoc erit, si quod in sacramento uisibiliter sumitur, in ipsa ueritate spiritualiter manducetur, spiritualiterbibatur. Sicut enim, ut sit species uisibilis panis, multa grana in unum conspergun tur, tanquam illud fiat quod de fidelib. ait Scriptura: Erat illis cor unum, & anima una, & sicut in confectione uini, liquor grauorum multorum in unitatem cōfunditur: ita Dominus Iesus nos ad se pertinere, per finem pacis ac unitatis nostræ in sua mensa consecrauit: & ideo quod accipit mysterium unitatis, & non tenet uinculum pacis, non mysterium accipit pro se, sed testimonium contra se panis quem frangimus, est participatio corporis Dominici: quia ipse panis quem multis diuidimus, est uerum corpus Domini: & qui de illo accipiunt, de corpore Domini accipiunt, atq; fiunt etiam ipſi quod accipiunt. In 10 cap. 1 ad Corinth. Item: Quòd quisq; suam partē ex hoc pane percipit, significat, quia unusquisq; iuxta mensuram suam particeps fit huius gratiæ. Sicut autem unus panis Dominici sacramēti, unum corpus Christi efficit in Ecclesia: hic panis idololatriæ, dæmonum participatio est. Et sicut omnes qui de uno pane ac de uno calice Domini sumimus, unum corpus efficimur: ita, si cum idololatris de sacrificio eorum comedimus & bibimus, unū profectò cum illis corpus efficimur. Qui enim comedit idolothytum, unum cum dæmone fit: sicut qui comedit corpus Christi, unum cum Christo. In 10 cap. 1 ad Cor. Et: Sicut Iudæi participes fiebant altaris, per esum hostiarum: sic nos efficimur participes Christi, per esum carnis eius. Quoniam uera carnis substantia, quæ in Christo est, in nos transit: quemadmodū sacrificium illud idem quod erat in altari, transibat in eos qui comedebant de illo. Similiter &, qui idolothyta sacrificia manducant, fiunt socij dæmoniorum: quomodo carnalis Israel socius erat altaris in templo, qui de sacrificio manducabat. Ibid. Item: Ad nutritionem corporis & animæ nostræ, sacramenta eius percipimus: quia caro eius pro salute nostri corporis est oblata: sanguis ueró pro anima nostra effusus est, ut utraque nostri substantia hæreditatem uitæ perennis accipere posset. In undecimum caput prior. ad Corinth.

Iuo inquit: Corpus & sanguis Domini, sunt nostræ reconciliatiōis sacramēta, & uulnerum nostrorum medicamenta, ad edendum, bibendum, in sui commemorationem faciendum discipulis commendata. Epist. 43.

De typo cœnæ. Anshelmus: Eandem escam corporis Christi, quam nos in pane manducamus, patres nostri manducauerunt in manna: et eundem potum sanguinis Christi, quem nos ex calice bibimus, ipsi biberunt ex petra, & ideo spiritualē manducauerunt eandem quam & nos, corporalem uerò alteram: quia uisibilem escam spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustarunt, ut spiritualiter satiarentur. Nam & nos accepimus uisibilem cibum, sed aliud sacramentum, aliud uirtus sacramenti: similiter potum spiritualem perceperunt, quem & nos, non corporalem alium. In 10 cap. 1 ad Cor. Item: Iudæi post maris transitum, post angelicum cibum, & spiritualē potum, quia grauiter Deum offenderunt, ad promissam hæreditatem non peruenerunt, sed in deserto perierunt. Sed hæc quæ de illis narrātur, facta sunt tunc in figura nostri, qui eramus futuri: quoniam in illis præfiguratum est, quòd nos, si post baptismum, si post Dominici corporis & sanguinis cibum & potum, similiter peccauerimus, ad cœlestem patriam non perueniemus: sed in hoc seculo malignè morientes, ad pœnas inferni ducemur, quas pœnæ illorum præsignabant. Caueamus igitur similiter offendere, ne talia patiamur in ueritate, qualia illi pertulerunt in imagine. In decimū caput prioris ad Corinthios.

DE SACRIFICIIS.

DE Christi sacrificio, inquit Algerus: Sciendum, quòd Deus ideo tam multa sacrificia dedit in lege, ut nullum eorum sufficiens esse ostenderet, quia cætera essent superflua. Si unum sufficere posset, ut unum suum sufficiens magis desideraretur, & interim in eis, etsi modicum, sentirent suffragium: in eorum tamen multitudine, maiori occuparentur exercitio, quò Deum discerent colere, & ab idolorum cultura recedere: & certiori tot figurarum instruerentur testimonio, quò futuram ueritatem non dubitarent sperare. libro secundo, capite tertio de Euchar.

DE ECCLESIA.

BErno in sermone de natiuitate Domini dicit, Ecclesiam & matrem & uirginem uocari. matrem, per prolis fœcunditatem: & uirginem, per fidei incorruptionem. Et: Quemadmodum primus homo mulierem de sua carne creatam, nominis sui participem fieri uoluit: ita dicendo, Et uocabitur uirgo, quia de uiro sumpta est:

Sic, tu Mater sanctissima, à secundo homine, sponso uidelicet tuo Christo Domino nostro, dicaris sponsa, & Christiana, ut ab ipso Saluatore salute doneris æterna. ibidem. Et: Hæc sponsa in sacro eloquio uarijs solet nominibus appellari. Vocatur amica, formosa, columba, turtur, soror, regina, templum, domus, ciuitas, multaque id genus. In Sermone de dedicatione Eccles.

Quid sit. Lanfrancus: Ecclesia Dei corpus est Christi. de sac. Euchar.

Anshelmus ait: Cum autem uenisset domum.) Mysticè domus illa, in qua illuminati sunt cæci, Ecclesia est: in qua per fidem, lumẽ uisiõis Dei percipimus, quod per peccatũ primi parẽtis amisimus. Matth. cap. 9. Item: Ecclesia est ciuitas Dei, ex conuersis peccatorib. sanctificata. In Euang. enarrat.

Vnde sit. Berno: Ne in decrepita constituta ætate senescendo deficeres: ille qui quondam de primi dormientis hominis latere costam perduxit, & in mulierem ædificauit, ipse in cruce mortis acerbitate sopitus, de sacratissimo latere sanguinem & aquam produxit, ut te præmortuam tanti mysterij dono uiuificaret, æternoq; coniunctionis fœdere mũdando sibi sociaret. Hinc & Apostolus: Vt exhiberet, inquit, sibi Ecclesiã non habẽtem maculã aut rugã: id est, duplicitatẽ in fide, nec maculam in operatione. In sermone de natiuit. Dom.

Anshelmus inquit: Mundauit Christus Ecclesiam, ut ipse post diem iudicij, in æterna beatitudine exhibeat: id est, animo & corpore fulgentem, quia tunc iusti fulgebunt sicut sol, in regno patris eorum. Tunc plenè ac perfectè erit Ecclesia, non habens maculam peccati, uel rugam duplicitatis, aut aliquid huiusmodi: quia tunc etiam erit uerè glorioſa. Non enim modò in tantis malis, in tantis scandalis, in tanta permistione hominum pessimorum, in tantis opprobrijs impiorum dicenda est esse glorioſa: sed tunc potius, quando à malis omnibus liberata, gaudebit perenniter in bonis cum Christo. Et tunc erit uerè sancta & immaculata: quia sic sola sanctitas in ea regnabit, ut omnis macula cuiuscunq; peccati procul sit ab ea. In 5 cap. ad Ephes.

Vna est. Algerus: Sicut cibus & potus temporalem uitam, sic unitas Ecclesiæ confert æternam. lib. 1, cap. 3. Item: In una domo agnus comedi, nec inde aliquid efferri præcipitur: quia cum extra Ecclesiam non sit locus sacrificij, quantiscunque polleat moribus quis, non ritè datur uel sumitur agnus, nisi à catholico, unitatem Ecclesiæ scilicet seruante, tam fide, ne sit hæreticus, quàm obedientia, ne sit schismaticus. lib. 1, cap. 22. Item: Sicut panis ex multis granis, & uinum ex multis acinis: sic Ecclesia ex uarijs personis colligitur. lib. 2, cap. 5 de Euch.

Anshelmus ait: Sicut unus panis ex multis granis, & unum corpus ex multis membris cõponitur: sic Ecclesia Christi, ex multis fidelib. charitate copulante connectitur. Vnus ergo panis sumus. nam ieiunijs & exorcismis cœpimus moli: deinde in baptismo consperſi sumus, & per acceptationem sancti Spiritus sumus decocti, & ita panis Dominicus effecti, si unum esse perseuerauerimus. Nam ideo Dominus corpus & sanguinem suum in eis rebus commẽdauit, quæ ad unum aliquid rediguntur è multis: quemadmodum aliud in unum ex multis granis cõficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit. Et ob hoc, communicatio corporis & sanguinis Christi societatem æternam sanctorum designat & facit, ubi pax erit & unitas plena atq; perfecta. propter q omnia, rectè dicimur omnes unus panis & unum corpus. In 10 cap. 1 ad Corinth.

Caput Ecclesiæ Christus. Berno: Totius Ecclesiæ caput est Christus, & eius membra sunt omnes electi. unde unus ex uoce omnium electorum, gemebundus clamat ad Dominum: Quis mihi tribuat adiutorem, ut desiderium meum omnipotens audiat? Quem quærit adiutorem suum, nisi unigenitum Dei filium, qui humanam naturam dum suscepit, adiuuit? Ipse quippe factus est homo, ut uiam redeundi panderet homini puro ad Deum, per hominem Deum. Ipsa natura hominis in primo parente uitiata & corrupta, audire meruit, Terra es, & in terram ibis: hodie in mediatore Dei & hominum supra cœlos eleuata, & super angelos in cœlesti sede est collocata. In Sermone de ascensione Domini.

Algerus inquit: Christus ita uerè & perfectè communicauit nobis, ut uisibiliter etiam corporis & sanguinis mirifico sacramento Ecclesiam sibi uniens & compaginans, tanta gratia insigniret, ut ipse caput eius, & ipsa esset corpus suum, non nomine tenus tantùm, sed in ueritate sui corporis, uerè sibi comparatum, ut in illo nullius gratiæ nobis esset diuortium, cum quo nos solidaret tam unicæ unitatis sacramentũ. lib. 1, cap. 3 de Euchar. Et: Christus est caput corporis Ecclesiæ, non unitate personæ, sed gratiæ. Ibidem.

Anshelmus ait: Vnius naturæ sunt caput & corpus: Ecclesiæ caput, & homo ille cuius susceptione Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Membra uerò cætera sunt omnes sancti, quibus perficitur & completur Ecclesia. In 1 cap. Colos. Iteꝝ: Christus est

fius est origo & concordia, & caput omnium iustorum, qui sibi sanctos ueteris & noui Testamenti hinc & inde facit adhærere. Omnes enim ab hoc fundamento consurgunt, & à tanto principe ac medio bono, & communi omnium lumine, gubernantur. In 9 cap. Heb.

Ecclesia est mixtus cœtus. Anshelmus: Hæc autem uita quæ inter cœlum & infernum sita est, sicut in medio subsistit, ita utrarumque partium cines communiter recipit: quos tamen sancta Ecclesia nunc indiscretè suscipit, postmodum in egressione discernit. in uicesimũ secundũ caput Matth. Item: In Christianismo quidam in uirtutib. sunt ualidi, plures uerò inualidi. In lib. Similitud. cap. 76. Item: Sicut corpus humanum ex carne & ossibus constat, & caro eius sustentatur ab ossib. sic Ecclesia de minus perfectis constat, & perfectiores exemplo suo & exhortatione sustentat imperfectos. In 5 cap. ad Ephes.

De fundamento Ecclesiæ, ait Algerus: Ecclesia, ipsius Christi sanctorumq; testimonijs roborata consistit: à quibus quo firmius ueram obtinet fidem, eo certius æternam assequitur salutem. Non enim, ut ait Apostolus, in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed per stulticiam prædicationis, placuit saluos facere credentes. In Prologo lib. 1 de Euchar.

Docet uerbum. Lanfrancus: Ecclesia ueram fidem prædicare non cessat. De Euchar. sacramento.

Membra diuersa. Anshelmus: Sicut membra corporis singula quæque proprios habent actus, & officijs suis unumquodque membrum deseruit: nec tamen possibile est, ut nõ consensu mutuo sibi inuicem cedant: sic in Ecclesia, quæ est corpus Christi, diuersos singuli habemus actus. Verbi gratia: alius studet sapientiæ & uerbo doctrinæ, & est oculus: alius est deditus ministerio fratrum, & curæ indigentium, & est manus huius corporis: alius est studiosus auditor uerbi Dei, & est auris huius corporis: alius ad uisendos decumbentes, & requirendos tribulatos, & erudiendos in necessitatibus positos, est impiger, & est pes ecclesiæ. In duodecimum caput Roman. Item: Sunt duo genera hominum in Ecclesia: actiui uidelicet, & contemplatiui. In decimumquartum Matthæi. Item: In Ecclesia iste ordo est: alij præcedunt, alij sequuntur: & qui præcedunt, exemplo se præbent sequentibus: & qui sequuntur, imitantur præcedentes. Sed & illi qui se exemplo præbent sequentibus, sequuntur ipsum Christum. Nam quia omnes supernauerunt proficiendo, nec iam remansit homo quem imitentur, ipse Christus eis remanet, quem usque ad finem sequantur. In 11 cap. 1 Corinth.

Ecclesiæ membra sunt humilia. Anshelmus: Hoc proprium specimen electorum esse solet, quod de se semper infrà, quàm sint, sentiunt. In 2 cap. ad Philip.

De autoritate Ecclesiæ, ait Lanfrancus: Autoritati totius Ecclesiæ sanctæ, rectisq; sanctarum Scripturarum expositionibus, est acquiescendum. De sacram. Euch.

De duratione Ecclesiæ, inquit Lanfrancus: Religio nominis Christiani permanebit cum sole, quamdiu sol oritur & occidit: hoc est, quamdiu tempora ista uoluuntur, non deerit Ecclesia, hoc est, Christi corpus in terris. De Sacram. Euch.

Anshelmus ait: Nullius diaboli tentationibus, nullisq; tyrannorum persecutionib. fieri poterit, ut Christiana religio non perduret usq; ad mundi terminum. In Euang. enarrat.

Qui sint ab Ecclesia reiecti, Bruno testatur: Meritò proiectos dicit peccatores, tanquam abortiuos à uulua Ecclesiæ, qui nulla doctrinæ confirmatione perfectè imbuti sunt: sed tanquam teneræ pecudis fatuata mollities, non ad lucem uitalem, sed in perfidiæ tenebras probantur abiecti. Et rectè Ecclesia uterum habere dicitur, quæ nos sacro baptismate genuit in perpetuam lucem. Errauerunt ab utero per contraria matri dogmata, sicuti sunt: falsa locuti sunt, qui ab eius sanctis doctrinis errauerunt. In Psal. 47.

De gentium uocatione, ait Berno: Ante redemptoris nostri aduentum, gentilibus ob perfidiæ culpam reprobatis, sola Iudæa ad unius Dei cultum est electa, teste ipsa ueritate, quæ mulieri Cananeæ pro filiæ sanitate deprecanti, respondit dicens: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierant domus Israel. postquã uerè, iuxta illud prophetæ uaticinium, ipse in terris uisus est, & cum hominibus conuersatus est, & mundum passionis suæ trophæo redemit, iam in cœlum ascensurus, discipulis ait: Ite, docete omnes gentes, baptizantes in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. ac si alijs uerbis diceret: Quia à patre egrediens, in agrum Iudaicæ plebis nascendo ueni, totumq; orbem proprij cruoris precio redemi, iamq; peracta carnis dispensatione ad patrem redeo: uobis uicem meam in uillis omnium gentium commendo, quatenus per diuinæ maiestatis præsentiam, meæ uestræq; prædicationis instantiam, in eis usque ad consummationem seculi commorando, hoc circa eos compleam, quod antea uobis dicebam: Si exaltatus

fuero à terra, omnia traham ad meipsum. In Serm. de natiuit. Dom.

De differentia potestatis Ecclesiasticæ & politicæ, inquit Petrus Damianus: Inter regnum & sacerdotium, propria cuiusque distinguuntur officia: ut & Rex armis utatur seculi, & sacerdos accingatur gladio spiritus, quia est uerbũ Dei. De seculi namque principe Paulus dicit: Non sine causa gladium gestat. Dei enim, &c. Azarias rex, quia sacerdotale usurpat officium, lepra perfunditur. Et si sacerdos arma corripit, quod utique laicorum est, quid meretur? Ad Vlric. Firm. episc. Item: Si pro fide, qua uniuersalis uiuit Ecclesia, nusquam ferrea corripi arma conceditur: quomodo pro terrenis ac transitorijs Ecclesiæ facultatibus, loricatæ acies in gladios debacchantur? porrò, si sancti uiri, cum præualent, hæreticos idolorumque cultores nequaquam perimunt, sed potius ab eis pro fide catholica perimi non refugiunt: quomodo pro rerum uilium detrimentis, fidelis fidelem gladijs impetat, quàm secum utique Christi redemptum sanguine non ignorat? in eadem epistola. Item: Causas Ecclesiastici cuiusque negotij, leges dirimant fori, uel sacerdotalis edicta concilij: ne quod gerendum est in tribunalibus iudicum, uel ex sententia prodire pontificum, in nostrũ uertatur opprobrium, congressione bellorum. Ibidem.

Anshelmus ait: Nota, duos gladios esse in Ecclesia, alter materialis, alter spiritualis: sed spiritualis non nisi uolentes, materialis uerò etiam cogit nolentes. In uicesimũ sextũ caput Matthęi.

Quomodo infidelib. se iungẽdum. Anshelmus: Si uos ad cœnam quis infidelium uocarit, non præcipio ut eatis, sed in uestra uoluntate pono. Tunc autem Christianus ad cœnam infidelium ire debet, si aliquem fructum ibi habet: id est, si scit se illum lucrari, sicut Christus ideo cum peccatoribus edebat, ut eos ad pœnitentiam conuerteret. In 10 cap. 1 ad Corinth.

DE ANTICHRISTO.

VNde sit. Anshelmus: Sicut Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: ita diabolus erit in Antichristo mundum seducẽs. Et sicut Christus ait, Pater in me manens, ipse facit opera: sic diabolus in Antichristo manens, faciet omnia quę ille uidebitur facere. in 2 cap. 2 ad Thess.

Qualis sit futurus Antichristus, Bruno declarat, inquiens: Exacerbabit Dominum peccator, hoc est ad iracundiam concitabit sua superbia: quod ꝓpriè de Antichristo datur intelligi, qui irritat uerum Dominum, quando se sua fallacia non solum terrenum regem, sed etiam rerum omnium Deum prædicabit. Sed hoc erit ei ad ruinam: ideo ut falsus deus, flammis dignis punietur. Non requiret Antichristus, ut sua peccata crudelia dimittantur: quia in conspectu suo non habet Deum. Psalmo nono. Et: Antichristus irritat uerum Dominum, quando se sua fallacia non modò terrenum regem, sed etiam rerum omnium prædicabit Deum. Sed hoc ei erit ad ruinam, ideò ut falsus Deus flammis dignis punietur. Non requiret Deum Antichristus, ut sua peccata crudelia dimittantur: quia in conspectu suo non habet Deum. Ideo dicit Dauid: O quàm profunda cæcitas, Deum non habere ante oculos, &c. & subdit de Antichristo, omnes semitas eius esse pollutas: hoc est, cogitationes, & facta sordida. Necesse est enim ut sint contaminata, quæ pestiferi ducatu diaboli sordidantur. Et auget ei interitum, quod dicitur tenere principatum inimicorum suorum: qua gloriatione ad scelera pronior erit, cum nullum sibi obuiam ire cognouerit. Dicit Antichristus, Non mouebor: id est, nullam gentem relinquam intactam, & pergam de gẽte in gentem uindicandus. Actus uerò suos ostendit uno uerbo, quando dicit, se sine malo nihil esse facturũ. Nequitia prius duplici peruersitate describitur. In ore quippe habebit blasphemiam & maledictionẽ, cum se filiũ Dei mẽtitur: amaritudinem, quando contradicẽtibus sibi mortem indicit, & ad supplicia inducit. Et quia sibi mortem uidet peruenire: laborem, cum diuersis clades affligit innoxios: dolorem, cum martyres facit, sedet in insidijs. Hos actus Antichristi comparauit Dauid consuetudini latronum, qui se occultant, ut interficiant innocentes. Diuites seculi ditabit, ut eorum gloria alios decipiat. Inclinabit se tyrannis, cum animum suum remiserit in aliquod ocium, cessando à tanta persecutione, nimia acquisitione perditorum satiatus. Post prænas afflictiones q; iustorum, cadet nequissimus cum suis sequacibus, de sua præsumptione, quando illi superuenerit repẽtinus interitus. Finem enim seculi infœlix nescit, quoniam eum in sua potestate Dominus constituit. In Psal. 9. Item: Talem intentionem habebit Antichristus, ut Christianum nomen de orbe terrarum funditus deleatur, nesciens misereri. Quia dũ sanctos Christi necare cupit, sanctorum numerum assidua persecutione complebit. Psal. 82.

Erit persecutor. Anshelmus: Quis uel perfectorum non timebit, quando sub Antichristo immanis illa persecutio ubiq; feruebit? Timens autem, incipiet aliquan-

citatis

citatis suppliciorum, quæ sanctis inferentur, & propter admirationem fallaciũ signorum quæ per sequaces Antichristi fient, aliquantulum in corde suo fluctuans, ab inferiori parte animæ sentiet aliquid: quò, nisi Christi dextra leuauerit, facilè totus demergi potest. In enar. Euang.

Discessionẽ, sic interpretatur Anshelmus: Nisi primùm uenerit discessio.)ut omnes gẽtes quæ Romano Imperio subiacent, discedant ab eo. siue in multitudine Ecclesiarum discedat à principe Romano, aut multitudo hominũ discedant à fide. in 2 cap. 2 ad Thess.

Item: Tunc Romanus pontifex, qui tenet nunc Ecclesias, teneat illas, donec de medio fiat: id est, donec ab ipsa Romana Ecclesia, quæ nunc medium & cor Ecclesiarum, iniquitas, ob quam ab ea multa discedant. Ibidem.

Vbi occidendus. Anshelmus: Occidetur Antichristus, sicut è uolumine Danielis intelligimus, in monte Oliueti, in papilione solio suo: illo uidelicet loco, quo Dominus in cœlum ascendit. in secundum caput posterioris ad Thessalonicenses.

DE MINISTERIO VERBI.

De appellatione Apostolorum ita scribit Berno: Apostoli atq; Euangelistę eorum pedes uocantur, quos Dominus à mundanæ actionis puluere lauando mundauit, ut pulchri & speciosi, etiam calceati in præparationem Euangelicę pacis, in toto orbe discurrerent, & uerbo ac baptismatis sacramento mundum ab errore paterni delicti purgarent. Vnde missis eisdem prædicatoribus dicit: Ite, docete omnes gẽtes, &c. Serm. de S. Marc. Euangelista.

Anshelmus ait: Ista nomina ad prædicationis significationem conueniunt. omnis enim prædicator debet esse Petrus, hoc est, firmus in fide: & Simon, id est, obediens. Debet esse Andreas: hoc est, fortis in patientia. & sic de cæteris. Matth. 10. Item: Villicus gubernatorem Ecclesiæ designat. sed plerunq; contingit, ut is qui Ecclesiam ad gubernandum suscepit, terrenis commodis inhians, luce exemplis religionem in subiectis destruat. Sed talis quisq; diffamatur apud Dominum suum, quasi dissipator bonorum eius: quoniam ab angelis coram Deo uentilantur operaipsius, per quæ disciplinã in eis, quos ad regendum susceperat, mala de se exempla præbẽdo dissipat. In Euang. enar. Item Episcopatus quid sit, noluit exponere: quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atq; inde ductum uocabulum, quòd ille qui præficitur, illis quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. ἐπισκοπεῖν namq; intendere est. Ergo ἐπίσκοποι superintendens interpretatur: ut intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Nec desiderare episcopatum æstimandus est, qui suum desiderat lucrum uel honorem, non plebis salutem. In tertium caput prioris ad Timoth. Item: Presbyter quoq; est episcopus, id est, superintendens Ecclesiæ, quam regit. Sed ille est maior episcopus, iste minor. Ibid.

Duplices sunt doctores. Anshelmus: Duę sunt differentiæ prædicatorum in Ecclesia, quasi in agro laborantium: eorum scilicet qui syncerè Christum annunciant, & eorum qui uerbum Dei adulterant. in uigesimumquartum caput Matthęi.

Vnde sit, Berno docet: Mediator Dei & hominũ, homo Christus IESVS, cum Deus esset ante secula, per spontaneam dignitatem carnis indutus, in populo suo piè ac misericorditer apparuit, quem redimendo suum fecit. Qui quasi currui, prædicatorum suorum cordibus præsidens, spiritus sui gratia illos impleuit, ut per doctrinam illorum ab errore paterni delicti liberaret orbem terrarum. Serm. tertio, de S. Marc. Euang.

Quales doctores cõstituendi. Anshelmus annorum triginta baptizatur, & tũc demum incipit signa facere, & Euangelium prædicare: legitimum uidelicet & maturum tempus ætatis ostendens, his qui omnem ætatem uel ad sacerdotium, uel ad magisterium putant opportunam. Nam & Ioseph in typum huius nostri Saluatoris, triginta annorum erat, quando regni gubernacula suscepit: atq; Dauid tricenarius regnare cœpit: & Ezechiel eiusdem ætatis erat, quando uaticinium inchoauit. Talem igitur ætatem exemplo Christi debent habere, qui sacerdotes fiunt, uel doctores, aut aliquem huiusmodi primatũ accipiũt. In Euãg. enarrat.

Quales doctores Christus delegerit. Anshelmus: Deus ineruditos liberalibus disciplinis, & omnino (quantum ad seculi doctrinas pertinet) impolitos, nõ peritos grammaticæ, non armatos dialectica, piscatores suos fecit prædicatores: ut uidelicet cunctis in eis ostẽderet, quòd ad uitã credẽtes populos, nõ sermo, sed causa persuaderet. In. 1. cap. 1 ad Corinthios.

De Apostolis, inquit Anshelmus: Quatuor modis fit Apostolorum, id est missorum electio. A' Deo, & non ab hominibus: à Deo, & ab hominibus: ab hominibus, & nõ à Deo: nec ab hominibus, nec à Deo, sed à diabolo, uel à seipso. A' Deo, & non ab hominibus: sicut Moyses & Aaron diuinitus missi sunt ad Pharaonẽ. A' Deo, & ab hominibus: sicut Iosue & Caleb missi sunt ad explorandam terram. Ab hominibus, & non à Deo: sicut factum

ctum est, quando pharisæi consilium inierunt, ut caperent Iesum in sermone, & miserunt ei discipulos suos cum Herodianis dicentes, Magister scimus quia uerax es, &c. Nec ab hominibus, nec à Deo, sed à diabolo, uel à seipsis: sicut pseudoapostoli, qui instigante sathana, sine lectione se ingerunt, & in aliorum messem mittere falcem prǫsumunt. ad Gal. 1.

Officia eorum sunt: Docere. Berno: Ite, docete omnes gentes, &c. Quasi diceret: Quia à patre egrediens, in agrum Iudaicæ plebis nascendo ueni, totumq; orbē proprij cruoris precio redemi, iamq; peracta carnis dispensatione ad patrem redeo, uobis uicem meam in uillis omnium gentium commendo, quatenus per diuinæ maiestatis præsentiam, meæ uestræq; prædicatiōis instantiā, in eis usq; ad consummationē seculi commorādo, hoc circa eos cōpleā, quod antea uobis dicebā: Si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad meipsū. In Serm. de nat. Dom.

Anshelmus inquit: Prædicatio Euangelij testimonium est gentibus, aduentus filij Dei, & redemptionis hominum, ut inexcusabiles reddantur. In uicesimū quartū Matth. Item: Vos estis sal terræ.) Sicut sal carnem à corruptione seruat, & uermes ibi extinguit, & fluidos humores siccat: sic & Apostoli, postquam aliquos illuminarint, eos in bono proposito debent seruare, & uermes uitiorum extinguere, & omnem exiccare carnalitatem. In cap. 5 Matth. Item: Nulla prædicatio ualet, nisi condimento Apostolicæ doctrinæ sit effusa. Ibid. Item: Per prædicatores Euangelica doctrina populo ministratur. Matth. cap. 15.

Verbo Dei alligatam esse prędicationem, docet Anshelmus, inquiens: Nulla prædicatio ualet, nisi condimēto Apostolicæ doctrinæ sit effusa. In 5 cap. Matth.

Accommodare se auditoribus. Anshelmus: Necesse est, ut semper sermo prædicantis cum auditorum debeat qualitate formari, ne aut uerecundis aspera, aut impudentibus leuia loquatur. ad Galat. cap. 1.

De ordine docendi, inquit Anshelmus: Euntes docete, &c. Primùm docendus est auditor, deinde fidei sacramentis imbuendus, tunc ad seruanda mandata instituendus. In Matth. cap. 28.

Reprehendere. Anshelmus. Verecundæ mentes, si quas fortasse culpas admiserint, leuiter arguendæ sunt: qui si asperius increpentur, franguntur. Prioris ad Corinthios capite primo. Item: Magna arte prædicationis agendum est, ut qui ex aperta correptione deteriores fiunt, quodam correptionis temperamento ad salutem redeant. In duodecimum caput prioris ad Corinthios. Item: Sicut inhonesta membra in corpore, ita quidem intra sanctam Ecclesiam potentes & praui, qui dum aperta inuectione feriri non queunt, quasi honore regiminis uelantur. Sed hęc de occultis potentum delictis loquimur. nam quando & alijs cognoscentibus peccant, alijs etiam cognoscentibus increpandi sunt, ne si prædicator tacet, culpā approbasse uideatur: atq; hæc crescens in exemplū ueniat, quam pastoris lingua nō secat. Ibid. Item: Gaudeo, quia cū pudore estis contristati, non cū ira. Qui enim reprehensus pudorē patitur, corrigere se ꝓmittit. Qui aūt irascitur, peiorē se futurū ostendit. In eadem epist. cap. 7. Item: Sed ita discretè exercenda est hęc potestas ad ędificationem, & non ad destructionē, ut bene agentes ad meliora hortemur, & malè agentes arguamus, ut correpti ædificentur. Non enim destruuntur, qui arguuntur, ut se corrigant: sed potius ædificantur. Sic exercenda est potestas, ut & pœnitentes absoluamus, & impœnitentes uinculo anathematis astringamus. Qui aliter agit, peruertit ab ea. In 2 Epist. ad Cor. cap. 13.

Prophetare. Anshelmus: Sicut prophetā prædicit futura, quę nesciuntur: ita & doctor, dum Scripturarū sensum, qui multis occultus est, manifestat, dicitur prophetare. Et iste ad multorum utilitatem sic prophetat, nec ab homine, sed à Spiritu sancto est sensus dictorum eius. In 14 cap. 1 ad Corinth.

Claues administrare. Anshelmus. Quorum remiseritis.) Nec solis Apostolis, sed etiam omnibus episcopis & presbyteris, hæc potestas concessa est. In Matth. cap. 16.

Fide sit prędita. Anshelmus: Caput nostrum est fides, quæ operatur per dilectionem, quę si moriantur, omnia moriuntur. Ea ergo seruata, debet prędicator omnia secularia, & corpus etiam persecutori exponere, & auferri sibi tolerare. In Matth. 10. ca.

¶ VIRTVTES MINISTRORVM, per colūbę ꝓprietates exponit Anshel. inquiēs: Significantur etiam septem uirtutes in fidelibus, per columbam. Columba enim secus fluenta habitat, ut uiso accipitre, mergat se in aquis, & sic euadat: meliora grana eligit: alienos pullos nutrit: non lacerat rostro: felle caret: in cauernis petrarum nidificat: gemitum habet pro cantu. Ita prædicatores sancti, secus diuinę Scripturæ fluenta, quibus corda eorum rigantur, inhabitāt, ut eorum munimento incursum diaboli euadant. meliora grana, id est meliores sententias, scilicet non hæreticas, quib. pascantur, eligunt: alienos pullos, id est hoiēs prius à Deo alienatos, qui diaboli pulli,

pulli, id est imitatores fuerunt, doctrina sua nutriunt, & exemplo: non rostro lacerant, id est bonas sententias more hæreticorum larcerando non peruertunt: felle, id est ira irrationabili carent. in cauernis petræ nidificant, id est, in plagis mortis Christi, qui firma petra est, nidum ponunt: per nidum quippe refugium & spes designatur. Columbæ enim, aduenientе imbre, ad nidum fugiunt, & spem prolis in nido ponunt. Gemitum habent pro cantu: id est, sicut alij delectantur in cantu, ita ipsi in tribulatione & gemitu. in 3 cap. Matth.

Bona uita. Futurus pastor Ecclesiæ, talis debet eligi, ad cuius comparationem rectè grex cæteri nominentur: ut cum reprehendit alios, ipse à nomine reprehendi possit. Perdit enim autoritatem arguendi, cui possunt ab eo quem arguit, propria delicta improperari. in tertium caput prioris ad Timotheum.

De mala uita doctorũ, Anshelmus: Quilibet doctor Ecclesiæ, qui bona prædicat, & mala facit, destruit moribus quod astruit uocibus. in secundum caput ad Romanos.

Item: Quantumcunq; prædicator fundat uerba, gladius oris eius non peruenit ultra ad læsionem hostis: sed uox inanis & otiosa reputatur, si ipse prædicationi suæ contrarius existat. Quia qui aliter facit quàm prædicat, suspectos facit audientes, ut de promissis dubitent: & ideo malum de corde eorum non ualet expellere, nec hostem qui in eis habitat, lædere. in nonum caput prioris ad Corinth. Item: Christiani, qui nunc in Ecclesia malè uiuendo filiũ Dei conculcant, eliminandi sunt ab ea. in decimum caput ad Hebræos.

De bona fama prędicatorum, Anshelmus inquit: Multum nocet in Ecclesia Dei, opinio alicuius uitij, siue uera siue falsa sit, de aliquo homine: & maximè de eo, qui sic est in Ecclesia catholica constitutus, ut & uerbo & exemplo uitæ alijs debeat & possit prodesse. in Epistolis, Epist. 9.

Hospitalitas. Anshelmus: Episcopi domus omnium commune debet esse hospitium. Laicus enim uel diues, aut paucos recipiens, impleuit hospitalitatis officium: Episcopus uerò, nisi omnes receperit, inhumanus est. Ad Titum cap. 1.

Deum regere Doctores. Anshelmus: Non qui forinsecus loquimur ad aures uestras, ita sumus quasi operarij adhibentes culturam forinsecus ad arborem, sed incrementum dare non possumus, nec fructus formare. ille autem qui nos creauit, & redemit, & uocauit per fidem & Spiritum sanctum, habitans in uobis, nisi loquatur uobis intus, sine causa nos perstrepimus. interior ergo magister est, qui docet. Christus docet, in spiritu ipsius docet: ubi illius inspiratio, & illius unctio non est, forinsecus in aniter perstrepunt uerba. Nam & agricola potest plantare, aquam foris adhibere, & diligentiam culturæ: sed non potest folia pomaque formare. Excedit enim hoc humanam humilitatem, excedit angelicam sublimitatem, nec omnino pertinet nisi ad creatorem. in tertium caput ptioris ad Corinthios.

Doctores officijs prosequendos esse Anshelmus etiam ostẽdit: Hi qui bono operi in Ecclesijs dant operam, uicem recipere debent à fratribus, & honorem: ut in quibuscunque necesse fuerit, siue spiritualibus, siue etiam carnalibus officijs adiuuentur, & honorificè habeantur. in decimumsextum caput ad Romanos.

De dignitate & officio docentium in Ecclesia Christi, Berno scalam Iacobo uisam exponit. nam sermone in festo Marci habito, sic inquit: Hãc scalam patriarcha Iacob in somnijs uidit erectam, cuius cacumen cœlos tangebat: uidit etiam angelos Domini ascendentes & descendentes per eam, ac Dominum innixum scalæ. per hanc scalam nemo melius quàm ipse intelligitur Christus, qui pro nostra redemptione ad terram ueniens, seipsum nobis fecit uiam, per quam in ueritate possimus peruenire ad uitam, ipso dicente: Ego sum uia, ueritas & uita. Nemo uenit ad patrem, nisi per me. Quòd autem angelos Domini ascendentes & descendentes uidit, significat Apostolos Ecclesiarum magistros, ac præcipuè sanctos Euangelistas: qui ex omnibus quos capiebat mundus, soli quatuor sunt electi. Illi namq; altius ascendentes, ab ipso sapientiæ fonte præceperunt, quiquid de diuina nobis natura propinare potuerunt. Ex quibus unus ultra humanum modum, ex supradicto sapientiæ fonte inebriatus, illud diuini uerbi arcanum retro cunctis huius mundi sapientibus absconditum eructauit, dicens: In principio erat uerbum, & reliqua. Idemq; descendentes ad incarnationis Domini mysterium, eundemq; Christum Dominum nostrum, dictis ac scriptis nunciauerunt de matre uirgine natum, pro nostra redemptione crucifixum, mortuum ac sepultum. Nec prætereundum puto, quòd hi quatuor speciali quadam prærogatiua angelorum participantur uocabulo. Igitur Euangelistæ Græcè, boni nuncij dicuntur Latinè.

Anshelmus ait: Ecce inter nos & Deum discordiam peccando fecimus: & tamen ad nos Deus suos legatos prior misit, ut nos ipsi qui peccauimus, ad pacem Dei rogati ueniamus. Erubescat ergo humana super-

ſuperbia. In 5 cap. 2 ad Corinth. Item: Sacerdos eſt uicarius Chriſti. in undecimum caput eiuſdem epiſtolæ. Item: Sciendum, quia tam ſanctum eſt nomen ſacerdotij, ut nobis etiam ea quæ extra nos ſunt poſita, reputentur: non quò propter uitia noſtra epiſcopi non fiamus, ſed quò propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arguendi ſumus. Qua enim libertate alienos filios corripere & docere poſſumus quæ recta ſunt, cùm nobis ſtatim poſsit, qui fuerit correptus, ingerere: Antè doce filios tuos? aut qua fronte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conſcientia mea reſpondeat, Exhæreda ergo filium fornicantem, abijce filios tuos uitijs ſeruientes? In primum caput ad Titum.

Non debent corporalia tractare. Anshelmus: Sicut non conuenit regibus, quod ad ſtolam pertinet: ſic nec epiſcopus, quæ regis ſunt, exercere debet: quòd, quia Petrus, qui figuram ſpiritualium gerit, materialem gladium quodammodo exercuit, dum auriculam ſerui amputauit, à Domino increpari meruit. In uigeſimumſextũ caput Matthæi.

Deficientes à fide redarguendi. Anshelmus: Quilibet prælatus, ſi exorbitauerit à fide, eijciendus eſt, & accuſandus ab hominibus. Si in uita ſua mala euanuerit, & prædicatione fuerit bona, tolerandus eſt ab hominibus, iuxta illud: Quod dicũt facite, quod autem faciunt nolite facere. In Matthæi caput quintum. Item: Poſtquam prædicatio hęreſin ſapit, nihil prodeſt niſi ad hoc, ut mittatur foras ab Eccleſia, & deſpiciatur ab hominibus. Ibidem.

De fine miniſterij, inquit Anshelmus: Prædicatores genus humanum non in uno loco, ſed in una fide, conſpectibus Dei, non tantum corpore, ſed anima ſanandum præſentant. In Matthæi caput nonum. Item: Chriſtum ad prædicatores ducit, qui eum prædicatoribus prædicat. Qui quia rarus eſt, ideo Dominus ait: Quis deducet me? Pſalmo quinquageſimonono. Meſsis enim multa, operarij autem pauci. In Euangelica enarrat. Item: Veritas arguentis apparet, ſi hi qui arguuntur, incipiunt ſe emendare: quia dum correcti immutantur, teſtimonium perhibent arguenti. In ſeptimum caput poſterioris ad Corinth. Item: Vnuſquiſq; uerus prædicator non ideo prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat: ſed ideo mercedem recipere, ut prædicare ſubſiſtat. Quisquis enim ideo prædicat, ut hic uel laudis uel muneris mercedem recipiat, æterna proculdubio mercede ſe priuat. In 5 cap. 1 ad Timoth.

DE CRVCE.

QVòd Eccleſia ſit ſubiecta cruci. Anshelmus: Quis arbitratur homini uitam iſtam mortalem adhuc gerenti, poſſe contingere, ut dimoto atque diſcuſſo omni nubilo phantaſiarum corporalium atque carnalium, ſereniſsima incommutabilis luce ueritatis potiatur: & mente penitus & conſuetudine uitæ huius alienata, illi cõſtanter & indeclinabiliter hæreat, nequaquam quid quærat intelligit. In quintum caput poſterioris ad Corinthios. Itẽ: Tolerandi ſunt ubique proximi: quia Abel fieri non ualet, quem Cain malitia non exerceat. Ibid. cap. 6. Item: Eccleſia ſemper habet inimicos, & quos ferat foris, & quos gemat intus: foris facilius euitabiles, intus difficilius tolerabiles. Sunt enim falſi fratres, ſunt mali filij, qui cõtra nos blaſphemant Chriſtum, ſed nobiſcum adorant Chriſtum: & in nobis perſequuntur Chriſtum, ſicut Abſolon patrem ſuum. De his eſt timor in Eccleſia, ne cæteros ad imitationem ſui pertrahant. Valde enim periculoſum eſt infirmis, habitare cum talibus. Ad Corinth. capite ſeptimo epiſt. ſecundæ. Item: Sol dicitur eſſe Chriſtus, hoc eſt ſeparatus ab Eccleſia uidetur & eam deſeruiſſe, cum eam permittit in tribulatione eſſe. Meritò dicitur tempeſtas in ueſpere: quia dum Eccleſia eſt in tribulatiõe, dicitur eſſe quaſi in nocte, & ſol iuſticiæ ſe ab ea abſcondiſſe. In Matth. cap. 14. Item: Nemo poteſt cum Chriſto regnare, niſi eius paſsionem fuerit imitatus. Ibid. cap. 20. Item: Nauis in medio maris iactabatur fluctibus, dum Ieſus in montis acumine moraretur: quia ex quo Saluator in cœlum aſcendit, ſancta Eccleſia magnis tribulationibus in hoc mundo agitata eſt, & uarijs perſecutionum turbinibus pulſata, ac diuerſis malorum hominum prauitatibus uexata, uitijsq; multimodè tentata. Erat enim ei contrarius uentus, quia flatus malignorum ſpirituũ ei ſemper aduerſatur, ne ad portum ſalutis perueniat, obruere eam nititur fluctibus aduerſitatum ſeculi, omnes quas ualet cõtrarietates ei cõmouens. In enar. Euang.

Diuiſionem afflictionum talem habet Anshelmus. Tria ſunt genera tentationum: in concupiſcentia carnis, in concupiſcentia exteriorum, quæ dicitur tentatio oculorum: in ſuperbia uitæ. In Matthæi cap. 4.

Vnde crux. Anshelmus: Diabolus inceſſanter pios perſequitur, & tanto periculoſius, quanto occultius. perſequitur, inquam, eos hoſtis, cui nomina ſunt mille, & mille nocendi artes: perſequitur eos & hic mundus illecebris ſuis, perſequitur

quitur eos, & hic mundus illecebris suis persequitur eos innumerabilium exercitus uitiorum, persequitur eos caro ipsorum, persequũtur eos & illicitæ cogitationes suæ. In tertium caput posterioris ad Timotheum.

Quænam sint cruces. Anshelmus: Tribulationes, quibus patientia fidelium probatur, non solùm eas debemus intelligere quæ extrinsecus accidunt: hoc est, de damnis uel languoribus, uel ex quolibet corporis cruciatu: sed eas etiam quas intus sibi faciunt aut perferunt, dum in requie positi, semetipsos affligunt & atterunt, abstinendo uoluptatibus suis, refrenando libidinem, & quæ ad bonum continentiæ uel abstinentiæ pertinent faciendo. in 5 cap. ad Rom. Item: Sunt etiam humanæ tentationes, cùm bono quisq; animo, secundum humanam tamen fragilitatem, in aliquo consilio labitur: aut irritatur in fratrem studio corrigendi, paulò tamẽ amplius, quàm Christiana tranquillitas postulat. In his & talibus est humana tentatio, non dæmonica. Dæmonis est enim, scienter & uoluntariè peccare, cũm nulla ad hoc fragilitate trahantur: hominis autem est, per ignorantiam, uel per infirmitatem peccare. in decimum caput prioris ad Corinthios.

Quomodo affligamur. Dolores corporis plerunq; immittuntur ab angelis satanæ. Sed hoc non possunt, nisi permissi. Nam & Iob sic probatus est: permissus est ad eum probandum sathanas, & percussit eum ulcere, ita ut uermibus putresceret. sic & angelus sathanæ quasi libenter permissus colaphizare Apostolum, sed tamen Apostolus curabatur. in duodecimum caput posterioris ad Corinthios.

Cur pij affligantur. Anshelmus: Deus non potest accusari, si diu uiuentes in carne, malos patienter tolerat, ut eos in malitia perseuerantes postmodum acerbius puniat: & bonos eorum prauitate uexari permittit, ut eis pro patientiæ merito maiorem gloriæ coronam reddat. Si eos quos indurat, patienter sustinet, ut eos iustius damnet, postquam diu sustinuerit, non eius accusanda est patientia, & infinita clementia: sed eorum duritia, qui bonitate eius in perditionem abutuntur. Alioqui unus est solis calor, & secundum essentias subiacentes alia indurat, alia liquefacit, alia dissoluit, alia constringit. Liquatur enim cera, & induratur lutum: & tamen caloris non est diuersa natura. Sic & bonitas Dei, atq; clementia, uasa iræ, id est populum Iudæorum et cæteros reprobos indurat: uasa uerò misericordiæ, hoc est electos, liquefacit. in nonum caput ad Romanos. Item: Non omnis qui unctus est Iesu Christi unctus est: sed ille tantum, qui pro Christi nomine, & pro eius confessione uincula patitur. sicut sanguis effusus ille tantummodo martyrem facit, qui pro Christi nomine funditur. in primum caput ad Philippẽses. Item: Cur persecuti sunt Christum Iudæi usq; ad mortem? Non ob aliud, nisi quia ueritatem & iusticiam uiuendo & loquendo indeclinabiliter tenebat, libro primo, Cur Deus homo, capite nono.

Pugnandum contra diabolum. Berno: Quid totius humanæ uitæ cursus est aliud, quàm certamen continuum contra hostem antiquum? Quod per experimentum in seipso uerum esse comprobabat, qui dicebat: Militia est hominis uita eius super terram. Sermone tertio de sancto Marco Euangelista.

Quomodo portanda crux. Anshelmus: Crux duobus modis portatur: cum aut per abstinentiam corpus affligit, aut per compassionem proximi afficitur animus. Crucem ergo ferre debemus, ita tamen, ut non mundum, sed Christum sequamur. in decimum caput Matthæi.

Consolatio in cruce. Anshelmus: Consolatio nobis datur in recitatione passionum Christi: quia dum legimus uel audimus, quot & quanta ille sine culpa sustinuit: intelligimus, nos peccatores omnia debere libenter sustinere, ac deinde sequitur spes: quia per has afflictiones speramus ad illam beatitudinem peruenire, ad quam Christus merito suæ passionis peruenit. in decimumquintum caput ad Romanos. Item: Qui nos consolatur in omni tribulatione.) uel per se nobis apparẽs, uel per angelum admonẽs, uel per Scripturas, uel per alios sanctos, uel per occultam inspirationem, uel per tribulationis alleuiationem, siue per nostram de tribulatione liberationẽ. in primum caput posterioris ad Corinthios. Et: Sicut Christus est causa passionum, sic idem ipse est causa consolationum, & ideo non uiliores, sed gloriosiores æstimandi sumus ex eo, quòd passionibus Christi communicamus, quos Deus in omnibus aduersis semper ita consolatur, ut & alios consolari possimus. ibidem. Item: Deus suorum non est immemor, sed semper dat eis in aduersitate solatium. in septimum caput posterioris ad Corinthios. Et: Magna consolatio est patientis, si secũ habeat condolẽtem. ibidem. Item: Ecclesia post persecutiones mundi, & cursum præsentis uitę, ad iucunditatem perueniet paradisi. Matt. 14. Item: Boni angeli conueniunt ad spectaculum passionis nostræ, ut nos præsentia sua confortent, & cæteros ad exemplum nostri minis incitent, mali uerò, ut gaudeãt, cũ nos

ſuos aduerſarios cruciari uiderint, & cæteros à fide metu pœnarum deflectant. Boni homines, ut laudent: mali, ut inſultét. Boni, ut exemplo noſtro confortentur: mali, ut ex pœnis noſtris delectentur. In 4 cap. 1 ad Cor. Item: Qui in Eccleſia fideliter inter procellas tentationum permanſerunt, ueniente Chriſto ad iudicium, accedent gaudentes ad eum: & cùm ipſo regnum eius intrantes, adorabunt eum, ac perpetualiter laudantes, Filium Dei ueraciter hunc eſſe clamabunt. In Euang. enarrat.

Deus moderatur crucē. Anshelmus: Niſi miſericors Deus cum uiribus tentamenta modificet, nullus profectò eſt, qui malignorum ſpirituum tentationes non corruens portet. Qui ſi menſuram iudex tentationibus non præbet, eo ipſo protinus ſtantem deijcit, quo ultra uires onera imponit. Et idcirco pia diſpenſatione hoſtem noſtrum permittit & retinet, relaxat & refrenat, ut & tentemur ad profectum noſtrum, & non ſuperemur ad hoſtis deſiderium. Fidelis enim eſt, & ideo facit, ut aut citò ceſſet tentatio: aut ſi prolixa fuerit, det ipſe tolerandi uirtutem. In 10 cap. 1 ad Corinth. Item: Nulla uirtus humana tantum pondus afflictionis ſuſtinere poſſet cum uita, niſi humanæ fragilitati uires tribuiſſet diuina gratia. In 1 cap. 2 ad Corinth.

Deus compenſat. Anshelmus: Paruis laboribus magna merces acquiritur, ut pro humiliatione leuis tribulationis, ſupra modum ſublimitas æternæ gloriæ rependatur. Et ad comparationem æternitatis, omne quod in præſenti uita patimur, momentaneum eſt, licet diuturnū eſſe uideatur. Ideo ſupra modum tribulationis eſt magnitudo remunerationis: quia ſi rectè cenſeamus, æterna requies æterno labore fuerat emenda: ſed Deus miſericorditer pro breuiſsimo labore dat æternam requiem, pro breui deſpectione ſempiternam gloriam. In quartum caput 2 ad Corinth.

Non ſuccumbendum. Anshelmus: Humanum quidem eſt, in corde tentationem perpati: dæmoniacum uerò eſt, tentationis certamine & in operatione ſuperari. cap. 10 prior. ad Corinth.

In cruce orandum. Anshelmus: In Petro communis omnium noſtrûm conſideranda conditio eſt, ut ſi nos in aliquo tentationum uentus conatur ſubuertere, uel unda ſubmergere, clamemus ad Chriſtum: porriget ille manū, & eriget de profundo. In Euang. Enarrat.

DE TRADITIONIBVS HVmanis, & rebus medijs.

DE appellationibus harum rerum, inquit Anshelmus: Traditiones humanas, obſeruantias carnales uidetur appellare in 2 cap. ad Epheſ. & dicit, ijs animas non de morte ad uitam, ſed gratia duce peruenire.

Regula iſta in Bernone extat: In his rebus, de quibus nihil certi ſtatuit Scriptura diuina, mos populi Dei, uel inſtituta maiorum pro lege tenenda ſunt. Accedit etiam hoc, quòd ſine ratione in Eccleſiaſticis conſuetudinibus à ſanctis patribus conſtitutum reperitur, ſi cauſa diligéter inquiritur. In Dialogo de ieiunio quatuor temp.

Bona uota eſſe ſeruanda. Anshelmus: Qui iudicat leuitatem, uoto uelle ſe ligare ad faciendum quod bonum eſt, ut iam non ſit liber ad non faciendum: iudicet doctorem leuitatis illum qui dicit, uouete & redite. Nullatenus enim reprehendendus eſt, qui quod bonum eſt uouit, ſed qui non redit quod uouit. Certum quippe eſt, quia qui bene uouet, ipſo uoto Deo placet. Qui ergo boni aliquid uouit, nō pœniteat, quia fecit unde Deo placeat: ſed feſtinet reddere quod uouit, ut plus placeat. In epiſt. ad Heli. Attende, quòd diſertè dicat de bono uoto: hoc eſt, non pugnante cū uerbo Dei.

De libertate ciborum, inquit Anshelmus: Perfecta fides nullum cibum Iudaico ſenſu credit reſpuendum: quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abijciendum quod cū gratiarum actione percipitur. In decimumquartum caput ad Romanos.

Quòd liceat è monaſterio diſcedere. Anshelmus: Oculus noſter eſt uita contemplatiua. Si ergo illa ſcandalizat, in deſidiā mittēdo, ut plures monachos facere uidemus: deſeramus eam, & ad actiuam tranſeamus, & aliquem laborē faciamus, ut ſaluemur in eo potius, quàm ibi lugendo pereamus. In Matth. cap. 5.

DE SCANDALO.

DE ſcandalo, inquit Anshelmus: Scandalum quidem Græcè, nos offendiculum, uel ruinam, uel pedis impactionem poſſumus dicere. Vnde dicitur, Qui ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis: id eſt, q occaſionē dederit ruinæ. In Matth. cap. 15. Item: Plus eſt ſcandalum quàm offenſio, quia ſcandalū dicitur à Græco quod eſt σκανδαλίζω, & eſt propriè impactio pedū. ad Rom. cap. 9.

Quòd cauendum ſit, docet Anshelmus: Prouidendum eſt, ne ex bonis noſtris fiat hominibus ſcandalum, ſed bonum exemplum. Sunt enim nonnulli, qui non curant quicquid dicatur de eis, dummodo ipſi intentionem bonam habeant. Sed qui ſalutem proximi negligit, crudelis exiſtit. In 12 cap. ad Rom.

DE CON-

DE CONIVGIO.

De coniugio sic scribit Petrus Damianus: Vnusquisq; uxorem accipiat, & unaquæq; uirum suum habeat. Vir uxori debitum reddat, & uxor uiro. Et Paulò pòst: Volo omnes homines esse, sicut meipsũ. Alibi nolebat Apostolus, & aliud ꝓcipiebat. Volebat nos, sicut ipse erat, cœlibes esse propter excellens uidelicet uernãtis pudicitiæ meritũ: sed iubebat inire coniugium, quia fragilitati nostræ periculũ formidabat. Vouendo me esse sicut se, prouocat ut ascendã: offerendo copulam nuptialem, retinet suum: dicentãdo ne corruam. Ad illud gliscit ultro, deus, hoc concedit inuitus. Mauult enim esse quod est, quàm fieri quod non est. Elige tamẽ potius me uteũq; sibi manere uici nũ, quàm procul abesse ꝓrsus extraneũ. In epist. cuius initiũ, Sanctitatis uestrę literas. Qui matrimonio iungendi. Anshelmus: Fecit ab initio masculũ & fœminam.) Non dicit fœminas, sed fœminam, multiplicationem coniugij excludens. In Matth. cap. 9. Itẽ: Et erunt duo in carne una, nõ tres: Est in carnali copula. Itaq; quia unũ facit carnalis coniunctio, iã non sunt duo, sed una caro, quod facit cõiunctio carnalis. Ibid. Ex: Sicut in legitima copula duo per adhęsionẽ unũ corpus efficiũtur, & una caro, ita membra istius, per cõsensum & delectationẽ carnalẽ fiant illius: sic est etiã in illicita adhæsione. Qui meretrici adhæret, unũ cũ ea corpus est: sed qui adhæret Dño, unus spiritus est cũ eo. In 9 cap. 1 ad Corinth.

Mulier sit subiecta. Anshelmus: Duabꝰ de causis iubetur mulier esse subiecta: quia ex uiro est, & per ipsam intrauit peccatum. Nec enim taceat inter uiros, quæ cùm loquereꝰ uiro suo, suasit peccatum. In 14 ca. 1 ad Cor.

DE DIVORTIIS. Anshelmus: Præcipit scilicet Christus, non dimittere uxorem, nisi tantum excepta fornicationis causa. Si enim ipsa ruperit legem coniugij, potest etiam homo à se separare: ut commixtionem illam auferat sibi, quam uiolauit. Sed tamen sacramentum remanet coniugij, ut nõ aliam ducat: licitum est ei retinere, si uoluerit. In Matthæi caput quintum. Item: Cum propter infidelitatem coniunx dimitti possit, & iuxta Domini sententiam dimitti nequeat, nisi causa fornicationis: manifestum est, & infidelitatem esse fornicationem. Quia scilicet idololatria, quam sequuntur infideles, & ꝙlibet noxia superstitio, fornicatio est. Dominus autem permisit, causa fornicationis coniugem dimitti. Sed quia permisit, non iussit: dedit Apostolo locum monendi, ut qui non uoluerit, non dimittat infidelem, quia sic forsan fiet fidelis. Potest enim esse multorũ occasio lucrandorum, si fideles cõiuges in relinquendis infidelibus, permissa licentia non utantur. In 7 cap. 1 ad Corinth.

De casu nuptiali, sic scribit Iuo: Quæsiuit à me uestra prudentia, utrũ mulier, quę post completa sacramenta & officia nuptiarũ, infra duos aut tres mẽses peperisse cognoscitur, debeat ꝓpter fœdera nuptiarũ in cõiugio manere: aut propter patratũ ante nuptias flagitium, matrimonij dignitatem amittere, cum lex Moysi iubeat huiusmodi lapidari. Super qua re non meminì me inuenisse Canonicam sententiam. Dico tamen sine præiudicio sententiæ melioris: quia si ante celebrationem sacramenti coniugalis cognita fuisset turpitudo mulieris, secundum seueritatem legum, non esset honestanda matrimonio: sed asperis obiurgationibus, tanquam lapidum iactibus, seuera esset adhibenda correctio. Verùm postquam simpliciter præcedente consensu contracta sunt fœdera nuptiarum, postquã matrimoniales tabulæ datæ sunt, & cætera cõiugij sacramenta completa sunt, uir & mulier unum corpus per coniunctionem carnis facti sunt: non intelligo posse dissolui coniugium, nisi diuortij causa intercurrat adulterium. quamuis ex adulterio, docente Euangelio, possit marito mulier reconciliari: quanto magis simplici fornicatione, quæ patrata est, quando nondum alligata est lege matrimoniali, &c. epist. 69 ad Rudol. Remensem archiepisc.

DE MAGISTRATV.

Vnde sint. Anshelmus: Cuius iussu homines nascuntur, huius iussu reges constituuntur, apti his, qui eo tempore ab ipsis reguntur. Quidam enim illorum ad correptionẽ & utilitatẽ subiectorũ, & cõseruationem iusticiæ dãtur: quidam autem ad timorem, & pœnam, & increpationem: quidam uerò ad illusionem, & contumeliam, & superbiam. In 13 cap. Rom.

Quomodo regendum. Anshelmus: Tũc bene reges regnant, cum secundum Dei uoluntatem uiuunt, & seruiunt ei in timore: & cum super seipsos regnant, nec se uitijs subijciunt, sed illorum importunitatem constanti fortitudine superant. Non enim repugnant in rege, uirtutum constantia, & fortitudo regia. in epistola ad Heinric. regem Angl. Item: Ad hoc Deus in regali sublimitate uos cõstituit, ut uirga æquitatis subditos populos gubernetis: & quicquid in eis iusticiæ aduersatur, eadem uirga percutiatis & amoueatis. In epistola ad Muriardachum regem Hyberniæ.

Obtemperandum Magistratui. Anshelmus: Omnis anima potestatibus sit subdi-

ta.) Rectè admonet, ne quis ex eo quòd in libertatē uocatus est, factusq; Christianus, extollatur in superbiam, & non arbitretur in huius uitæ itinere seruandum esse ordinem suum: & potestatibus, quibus pro tēpore rerum temporalium gubernatio tradita est, non se putet esse subdendum. Cum enim constemus ex anima & corpore, & quamdiu in hac uita temporali sumus, etiā reb. temporalib. ad subsidium eiusdē uitæ utamur: oportet nos ex ea parte quę ad hāc uitam pertinet, subditos esse potestatibus: id est, res humanas cum aliquo honore administrantibus. ex illa uerò parte qua Deo credimus, & in regnum eius uocamur, non debemus subditi esse cuiquam homini, id ipsum in nobis euertere cupienti, qđ Deus ad uitā æternā donare dignatus est. Si quis ergo putat, quēadmodū Christianus est, nō sibi esse uectigal reddēdum, siue tributum, aut non esse honorē exhibendum debitum eis quę hæc curant potestatibus, in magno errore uersatur. Item si quis sic se putat esse subdendum, ut etiam in suam fidem habere potestatem arbitretur eum, qui temporalibus administrandis aliqua sublimitate præcellit, in maiorem errorem labitur. Sed modus iste seruandus est, quem Dominus ipse præcepit: ut reddamus Cæsari quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei. In decimumtertium cap. ad Rom. Item: Cui timorem, timorem: cui honorē, honorem.) Per hæc prēcepta ordinat Apostolus Ecclesiam Dei, ut nihil aduersus principes seculi gerens, per quietē & tranquillitatē uitæ opus iusticiæ & pietatis exerceat. Si enim ponamus (uerbi gratia) Credentes in Christo potestatib. seculi nō esse subiectos, tributa nō reddere, neq; uectigalia soluere, nulli timorem, nulli honorē deferre: non'ne per hoc regum & principum meritò in semetipsos arma conuerterēt, & persecutores quidem suos excusabiles, semetipsos uerò culpabiles facerent? Non enim fidei, sed contumaciæ causa impugnari uiderentur, & essent eis causa quidem mortis digna, meritum uerò mortis indignum. Sic namq; Iudæi perite meruerunt gladio Romanorum. Ibid. Itē: Nulli homini magis expedit quàm regi, se subdere legi Dei: & nullus periculosius se subtrahit à lege eius. Dicit enim sacra Scriptura, non ego: Potentes potēter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatus. quod Deus à uobis auertat. In epist. ad Henric. regem Ang.

De fine atque officio, inquit Petrus Damianus: Rex præcingitur gladio, ut hostibus Ecclesiæ munitus occurrat. Item sub lance iusticiæ, negotia debet terrena dirimere. Itē: Constitutus est, ut nocētes atq; scelestos legalium sanctionum censura coherceat. In epist. ad Cadolum. Item: Sacerdos orationū uacat excubijs, ut regi cū populo Dominum placabilem reddat. Itē Fluenta cœlestis eloquij debet sitientibus propinare. Item: Ordinatus est, ut per claues Ecclesiæ quas accepit, alios zelo canonici uigoris astringat, alios per mansuetudinem Ecclesiasticæ pietatis absoluat. Ibid.

Anshelmus ait: Principes propter coercendam uitam, & prohibenda aduersa cōmuno, sint cæteri homines. Qui non sunt tituuntur, Dei habentes imaginem, ut subbonos, sed ad malos puniēdos sunt institumori bene agentibus, sed malè: quia nō adti. Naturaliter enim omnes norūt, & innocentiā p̄mio, & malitiā supplicio dignā esse. Et princeps si est bonus, bene operantē nō punit, sed diligit. Si aūt malus est, nō uocet bono, sed purgat eū. Ideoq; nō est qđ time re debeat, q bene agit. Qui uerò mala operatur, debet timere: qa principes ad hoc sunt constituti, ut mala puniāt, ille timeat. In 13 cap. Rom. Itē: Si homo iudex, amore iusticiæ peccata subditorū punit: cōsiderandū est, qua animaduersione Deus iudex, qui sine peccato est, & purā iusticiā habet, peccata peruersorum puniet. Ideo princeps secundi est minister Dei, ut uice eius interim ultionem faciat, & iudicium eius præfiguret: quemadmodum fortia quæq; crimina, quę uindicari uult Deus, non per antistites & rectores Ecclesiarū, sed per mundanos iudices uoluit uindicare. Et hoc sciens Apostolus, rectè eum ministrum Dei nominat, & uindicem in eum qui malè agit. Ibid. Et Quanto illorū quib. terra cōmissa est, ad regendum præminet potentia: tanto magis, si à iusticia deuiant, non regunt nec adiuuant humanum genus, sed perturbant & grauant sua uiolentia. Talibus utique, terribilis illa comminatio intenditur: Potentes potēter tormenta patientur, & fortioribus fortior instat cruciatus. In epist. ad Henr. reg. Ang. Item: Cùm ea quæ religionis sunt, Christianę concordi uoluntate facitis, ueros uos esse filios Ecclesiæ sponsæ Dei, & fideles aduocatos ostenditis. Non enim debent principes, sponsam Dei matrē suā, si Christiani sunt, æstimare sibi datam in hęreditariam dominationem: sed à Deo sibi commendatam, ut eius cohæredes merentur esse, ad reuerentiā & defensionem. In epist. ad Clemēt. Rob. Cō. Flādriæ uxorē.

Pro regibus orandum. Petrus Damianus: Ad hoc pro te uniuersalis orat Ecclesia, ut & labor tuus ei quietem pariat, & orationibus illius gloria tibi uniuersalis atque triumphalis accrescat. In epist. ad Hen-

ricum regem.

DE

DE MORTE.

VNde sit mors, Berno indicat, dicens: Licet ob primi parentis culpam, assiduè carotum mortem cogamur deflere: cõgenitus tamen in illo consolari, qui est primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ. In epist. ad Albericum episc.

Petrus Damianus ait: Mortem Deus nõ fecit, cum ipse potius sit mors mortis. sicut per Oseam dicit: Ero mors tua ô mors. In epist. ad Nicolaum Pontificem.

Anshelmus inquit: Vehementer ab infirmis mentib. nomen mortis pertimescitur: somni autem uocabulum non timetur. Est autem de mortuis qui diliguntur, quædam tristicia quodãmodo naturalis. Mortẽ quippe horret non opinio, sed natura: nec mors homini accidet, nisi ex pœna, quàm præmeruerat culpa. In 4 cap. 1 Thess. Item: Per unũ hominẽ peccatũ intrauit in mundũ, & per peccatum mors: quia si homo non peccasset, nunquã moreretur. In 5 ca. ad Rom.

Quòd amara. Anshelmus: Quamuis à malis ad bona trãseamus, tamen ipse transitus aliquantulum amarus est, propter consortiũ quoddã animæ & corporis, & quandam in his duob. familiaritatem conglutinationis atq; cõpaginis. Et ideo mortis diẽ differre conãtur etiam illi, qui post mortem se beatius credunt esse uicturos. Tantam habet carnis & animę dulce consortiũ. Nemo enim unquã carnẽ suã odio habuit. & propterea nõ uult anima, uel ad tẽpus ab eius infirmitate discedere, quãuis eã se sine infirmitate in æternũ recepturũ esse confidat. Ad Corint. cap. 5 posterioris epistolæ.

Vbi sit mors. Anshelmus: Mors nostra nõ solum in carne, sed etiam in anima est. In anima, propter peccatum: in carne, propter pœnam peccati. In Matth. cap. 12.

Consolationem aduersus mortem, hanc ponit Berno: Non sit consolatio ab oculis nostris abscondita: quia ipse qui mortis uenas siccauit, & infernum inter fratres diuidentes confregit: Heinricum, ut speramus, de medio mortalium ideo eripuit, ut mortẽ uitam meliorem commutaret. Ideoque tristiciæ succedat lætitia, maximè cum (Salomone teste) melior sit dies mortis, die natiuitatis: quia nimirum cum peccator moritur, peccare iam desistit. Iustus uerò in memoria æterna erit, & ab auditione mala non timebit. Nunc igitur, mi præcordialis amor, omnigena te prece deprecor, ut quia nostri amoris mediastinum nõ tam perdidimus, quàm ante nos ad creatorem præmisimus, amodò in germanæ charitatis uinculo arctius ligemur, ut non iam duo, sed unũ semper uiuamus in Christo. Vale. Ad Burchardum abbatem.

Quomodo lugendum sit, Berno monet: Licet Apostolica autoritate, de charis in Christo dormientib. prohibeamur contristari: pietatis tamẽ affectus, ad doloré humanum excitat pectus. Sed congruus in utrisq; modus est habẽdus, quatenus de illata mortis conditione sic pietas cogat flere, ut de futuræ beatæ immortalitatis gloria spes conducat ad gaudere. In epist ad Burchard.

Anshelmus inquit: Quatuor homines in Euangelio Dñs ad uitam reuocauit: uidelicet filiũ reguli, puellã mortuã, iuuenẽ delatum extra portam, & Lazarũ quatriduanum ac fœtidum. In Euang. enarrat.

DE FINE MVNDI.

ANshelmus inquit: Finis seculi est, unicuique hora obitus sui: & qui mũdatus à peccatis omnibus in obitu suo repertus fuerit, impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi. Nam quadraginta diebus secundũ legem fiebat ista purgatio: & quadragenarius numerus, uel spacium quod est ad finem usque seculi, uel tẽpus uitæ uniuscuiusq; nostrum significat. In enarrat. Euang.

Quomodo. Anshelmus: Præterit figura mundi, non natura: ut in aliam speciẽ mundus uertatur, & de hoc ueteri cœlo ac terra fiat cœlum nouum, ac terra noua. Tunc enim figura mundi quotidiè senescentis perfectè præteribit, quando conflagratione mundana elementorum corruptibiliũ qualitates, quæ corporibus nostris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt, atq; ipsa mundi substantia qualitates habere incipiet, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant: ut scilicet mundus in melius innouatus, aptè accomodetur hominib. etiã carne in melius innouatis. In 7 cap. 1 ad Corinth.

Quando. Anshel. Sicut iussum est Abrahæ, ut octaua die circumcideretur homo, ex eius semine: sic in octaua post finẽ septẽ dierum seculi, auferetur omnis uetustas & corruptio ab electis Dei. In 4 cap. Rom.

Opinio est de Enoch, quòd Anshelmus ait: Deus posuit Enoch in aliqua secreta regione, ubi in magna carnis & spiritus quiete uiueret, donec circa finem mundi cũ Elia ueniat, reliquias Israel ad fidem conuertere. In 11 cap. ad Heb.

DE IVDICIO.

QVòd sit futurum iudicium. Anshelmus: Sicut hominibus post mortem nihil restat ex necessitate, nisi ut iudicetur: ita Christo post mortem nihil restat, nisi ut iudicet. In 9 cap. ad Heb.

Quis iudex. Anshelmus: Cum uenerit filius hominis.) Nota quòd dixit, Filius hominis. Valet enim aduersus hæreticos, qui

Christũ in assumpta forma seruti negant uenire, pro eo quod ait Apostolus: Etsi nouerамus Christum secundum carnẽ, sed nunc iam non nouimus. Veniet ergo filius hominis & filius Dei. Filius hominis alius secundum humanitatem: non tamen aliud, sed unus idemq; in utraq; natura, uerus & proprius filius Dei. In Matth. cap. 25.

Item Anshelmus inquit: Nos qui supra naturam nostram Dei auxilio seruauimus obedientiam, iudicabimus illos angelos, qui peccauerunt cõtra suam naturam: quia concordabimus iusticiæ Dei condemnantis illos, & ex comparatione nostra damnabiliores apparebunt. Cum enim ipsi qui sublimioris & dignioris naturæ erant, & quos nulla fragilitas ab illo summo & incommutabili bono retrahebat, per superbiam sponte sint lapsi: nos uerò imbecilles, quos carnis infirmitas ad peccatum trahebat, & ad inferiora deprimebat, per humilitatem & iusticiam omni nisu tetenderimus ad superna: meritò damnabuntur atrocius respectu nostri, & consolatio nostra ctuciabit illos durius. In 6 cap. 1 ad Cor.

Quale sit futurum iudicium, Bruno exponit: Christus silet nunc per patientiam, cum peccamus: tunc autem nõ silebit, cum sceleratis dicturus erit, Ite in ignem æternum. Psal. 49.

Quomodo. Anshelmus: Duo ordines erunt in iudicio, electorum & reproborum. Sed electorum alij iudicabunt, de quib. dicitur: Sedebitis super sedes, &c. alij iudicabuntur, quibus dicitur: Esuriui, & non dedistis mihi manducare. in 25 cap. Matth. Item: Iusti & nunc, cum prauorum uicinia premuntur, animo tamen toto ac mentis intentione, & operum executione separati sunt ab illis: & in futuro prorsus etiam corpore & loco segregabuntur ab eis, quando abscondet eos Dñs in abdito uultus sui, à conturbatione hominum, & proteget in tabernaculo suo. In Euang. enarrat. Item: Quomodo Deus saluãdos à dãnatis sit discreturus, ostẽdit Anshel. in li. de Similitud. ca. 46. Itẽ: Iudicãtis est, sedere: iudicando-rũ uerò ante iudicẽ stare. Omnes stabimus ante tribunal Christi. Qui ergo fratrẽ iudicat, tantũ crimẽ elatiõis incurrit, ut Christi tribunal sibi uideatur assumere, & eius iudiciũ pũenire. Cuius iudicij species, ut notior fieret hominibus iudicandi forma, ex his quæ inter homines geruntur, assumpta est, quatenus cognoscemus, quia sicut iudex terrenus celsior est, & quendam locum qui tribunal appellatur ascendit, ut ex eo altior & eminentior sit cęteris qui iudicandi sunt, ne conspectum eius lateant, uel supplicia reorum, uel allegationes innocentium: ita & iudex omniũ Christus, natura & maiesta te cunctis eminentior, introspicit corda & conscientias singulorum, ac manifestabit occulta, ut bonis laudem tribuat, & mali pœnam quã merentur accipiant. in 14 cap. Rom. Item: Eodem modo & eadem quantitate, qua gessit unusquisq; quodlibet opus, recitabit illud iudicandũ ante tribunal æterni iudicis. Vnusquisq; referet propria corporis: id est, quæ gessit uel cogitauit, dũ in corpore fuit. Neq; enim si quis maligna méte atq; impia cogitatiõe blasphemet, & id nullis mẽbris corporis opetur, ideo nõ erit reus, quia id nõ motu corporis gessit: cũ hoc per illud tempus gesserit, quo gessit & corpus. Prout gessit méte, lingua uel manu, dum esset in corpore, referet unusquisq;: etiã paruuli, qui nõ p seipsos, sed per alios gesserunt. Nam si in illa parua ætate moriuntur, utique iudicantur secundum propria gesta corporis: id est, secundum ea quæ gesserunt dum essent in corpore, quando per corda & ora gestantium crediderunt uel non crediderunt, quando baptizati uel non baptizati sunt, quando carnem Christi manducauerunt, uel non manducauerunt, quando eius sanguinem biberunt, uel non biberunt. Secundum hæc ergo secundũ ea quæ gesturi erant, si diu hic uiuerent. In quintum caput posterioris ad Corinthios. Item: Qualis quisq; præsentem uitam finierit, talis in die iudicij apparebit. Illi autem non sine querela esse apparebũt, de quibus iudex conqueretur, dicens: Esuriui, & nõ dedistis mihi manducare. In 3 ca. 1 ad Thess. Itẽ: Mulier pręgnãs quod in utero diu portauit cũ põdere, tandẽ eijcit cũ dolore: quia & reprobi malũ, quod diu latuit intra consciẽtiam ipsorum, & grauauit eam, in conspectu Iudicis cum graui tormẽto cũctis manifestabũt. Mulier cũ uoluptate pondus illud concipit, sed cum dolore eijcit: quia & reprobi culpam cum uoluptate libenter commiserunt, sed ante districtum iudicem hanc inuiti multa cum amaritudine manifestabunt. Ibid. Item: In iudicio uidebunt boni & mali formam serui, ac deinde cum mali in gehennam præcipitati fuerint, boni subleuabuntur ad uidendum claritatem diuinitatis eius: tunc pro ignorantia & inobedientia sua dabunt maligni pœnas æternas, proiecti à facie Domini. In primum cap. 2 ad Thess. Item: Non arbitrandum est, in die iudicij illos tantum à Dei filio denegandos, qui in martyrio Christum negauerunt: sed per omnia opera & sermones atq; cogitationes Christus uel negatus negat, uel confessus confitetur. In 1 cap. ad Tit.

Quomodo

Quomodo omnia transitura, Anshelmus inquit: Donec cœlum transeat.) Hæc non transibunt materialiter, sed secundum formam. Corruptibilia enim mutabuntur, ut terra, aër, in meliorem naturam: cœlestia uerò mutabuntur, quia clariora erunt, ut sol, luna, cœlum, nec amplius uolubilia. Iudicium fiet, antequã illa mutentur. Quo facto, erit finis omnium seculorum: & tũc mutabuntur. In Matth. cap. 5.

DE RESVRRECTIONE.

VNde sit. Anshelmus: Christus uere citer mortuus fuit, utpote uerus. Et si cæteri non resurgent, nec ipse resurrexit: quia sicut mortuus est, ut morte nostra destrueret: ita resurrexit, ut nos resuscitaret. Cum igitur incassum resurgere non poterit, si nos nõ resuscitat, nec ipse resurrexit. Si generalis mortuorũ resurrectio nõ est, neq; Christus resurrexit. Quisquis itaq; mortuos negat resurrecturos, Christũ quoque negat resurrexisse. in 15 ca. 1 ad Cor. Et: Sicut per Adam mors intrauit, quia ipse primus est mortuus: ita & per Christum resurrectio: qa primus ipse resurrexit. sicut ille forma morientium, sic iste est forma resurgentium. Ibid. Item: Dominus Iesus extra omnes alios surrexit, ut oblatione sua mundaret populum suũ ab omnibus peccatis, qđ nullus alius facere potuit. In 7 ca. Heb.

Quid resurrecturum sit. Anshelmus: Quòd homo cum corpore, in quo uiuit in hac uita, resurgat, docet Anshelmus lib. 2, Cur Deus homo, cap. 3. Item: Semen qđ in agricultura seminas, non uiuificatur, nisi prius moriatur: sic & humanum corpus non fit immortaliter uiuens, nisi prius moriatur, & in terram reuertatur, ut semen quod seritur. Si enim granum seminatum prius necessariò putrescit, & soluitur in terram, ut postea uiuificetur & crescat: tunc corpus humanum, postquam fuerit mortuum & putrefactum, simili ratione uiuificabitur. In 15 cap. 1 ad Cor. Et: Sicut triticũ regitur in agro, ut resurgat innouatũ: sic corpus defuncti in sepulchro ponitur, ut inde resurgat melioratum. Ibidem.

Quomodo futura. Anshelmus: Vnusquisq; resurgat in suo ordine, id est in suorum meritorum dignitate, ut etiam plerisque martyribus præferatur egregius Vincentius, & plerisque sacerdotibus magnificus Martinus. In 15 cap. 1 ad Corinthios. Itẽ: Quemadmodum ex una impensa diuersorum animantium una caro est, ita & unius carnis homines diuersi erunt ex dignitate, cum resurrexerint: ut talis unusquisque appareat, qualis meriti fuerit. Ibidem. Item: Sicut sol & luna uel stella, cũ sint unius naturæ, differunt tamen in claritate: ita & homines cùm sint unius generis, meritò dissimiles erunt in gloria. Nunc enim de solis electis sermo est, quos uirtutes, non peccata facient esse diuersos. Aliter enim ibi lucebit castitas coniugalis, aliter ibi lucebit sancta uiduitas. Diuersè lucebunt, sed omnes ibi erunt: splendor dispar, cœlum commune. Et si alius electorum est alio fortior, alius alio sapientior, alius alio iustior, alius alio sanctior, in domo patris mei mansiones multæ sunt, unusquisque mansionem pro suo accepturus est merito. Tanquam stellæ enim, sancti diuersas mansiones diuersæ claritatis tanquam in cœlo sortiuntur in regno: sed propter unum denarium, nullus separatur à regno. Atque ita Deus erit omnia in omnibus, ut quemadmodum Deus charitas est, per charitatem fiat, ut quicquid habent singuli, commune sit omnib. Sic enim quisq; etiã ipse habet, cũ amat in altero, quod ipse nõ habet. Non erit itaq; aliqua inuidia imparis charitatis, quoniã regnabit in omnib. unitas charitatis. Ibid. Et: Resurgent sanctorũ corpora sine ullo uitio, sine ulla deformitate, sine ulla corruptione, onere, difficultate. In quib. tanta facilitas, quãta felicitas erit. Propter quod & spiritalia dicta sunt, cum proculdubio corpora sint futura, non spiritus. sed sicut nũc corpus animale dicitur, quod tamen non animal est: ita tunc corpus spiritale erit, corpus tamen non spiritus erit. Ibidem. Item: Sicut animales fumus, quia pater noster carnalis Adam, factus est in animam uiuentem: sic erimus in resurrectione spiritales, quia pater noster spiritalis Christus, factus est in resurrectione sua in spiritum uiuificantem. Ibid. Item: Vtra dius oculorum tuorum non citius peruenit ad longinquiora, sed utraq; interualla parili celeritate coniungit: ita cum in ictu oculi fit resurrectio mortuorum, omnipotentię Dei & ineffabili nutui tam facile est quæq; recentia, quàm diuturno tempore dilapsa cadauera suscitare. Ibidem.

DE INFERNO.

QVis in inferno sit futurus, Algerus docet: Mali etiã in corpore uitã æternã habebunt, quam tamen magis mortem dixerim: quia Deo qui uerè uita est, non placebunt, & ideo sine diuina gratia misera erit æternitas, quia æterna miseria. lib. 2, ca. 6 de Euchar.

Qualis sit futurus, Anshelmus docet: Positi in pœnis, Deum nõ uidebunt, quamuis sit præsens. In Matth. cap. 8. Item: Sicut bonitas hominis boni, hominibus est ad lætitiæ incrementum: sic dæmonibus & hominibus damnantis erit ad detrimentum. Dæmonib. namq; & hominib. damnatis,

natis, sanctorum consummatio erit interminabilis luctus, & æterna dānatio. Nam cum isti obtinebunt corporis & animæ gaudium sempiternum, tunc similiter & illi ibunt in supplicium æternum. In lib. de Similitūd. cap. 45.

Infernus erit perpetuus. Berno: Infernus nullis miserorum ualet cruciatibus mitigari. In Serm. de resur. Dom.

Contra purgatorium interdum quædam dicit, licet illud adstruat, Anshelmus: Post mortē nulla potest inueniri medicina, quia in inferno nulla est redemptio. Quisquis enim semel æternæ damnationi traditus est, nunquam ulterius redemptionem cōsequi potest. In Euang. enarrat. Itē: Quisquis semel traditus irreuocabiliter fuerit crudelib. angelis, quorum officium est reprobos torquere, nunquam ulterius ualet debitū reddere: quia non potest per pœnitentiam & opera bona, quod malè gessit, emendare, & propterea semper cogitur pœnas sustinere. In Euang. enarrat.

DE VITA AETERNA.

VNde. Algerus: Nisi ipse sacerdos, qui cœlos penetrauit, fieret nobis uia ad seipsum, cœli ianua nobis clausa foret in æternum: quæ ideo post passionem Christi reserata est credentibus, quia idem qui est sacerdos, sacrificium factus unitur sibi commorientibus, ut dum unum fiunt cum ipso, ubi ipse est, ipsi sint in ipso. Vnde etiam in magnam spem iustis & peccatorib. in passione Christi, eadem die latro, eadem die iustus, eadem die cum Christo in paradisum est assumptus, præ omnibus iustis primus: ut non solum constaret, eadem die paradisi ianuam hominib. reseratam: sed & constaret, Dei gratiam non articulo tēporis astringi, non peccatorum quantitate uinci, cui ad æternæ uitæ præmia statim conferenda sufficit uix unius horæ spacium post tot flagitia. Quis ergo dubitat, Christi passionem uerè omnium peccatorū esse remediū, quæ tam serò, tam citò, quasi omnium peccatorum primitias iustificauit & saluauit sceleratissimum? lib. 2, cap. 3 de Euchar.

Anshelmus inquit: Cum tradiderit regnum Deo & patri.) id est, cum perduxerit iustos, in quibus nunc regnat ex fide uiuentibus, Dei mediator & hominū homo Christus, ad contemplationem Dei, qui eum secundum humanitatē creauit: & patris, qui eum secūdum diuinitatem generauit. In cap. 1 ad Corinth.

Qualis sit uita æterna, Berno declarat, in quiens: Redemptor noster resurgens à mortuis, iuxta quod caro eius non uidit corruptionem, trāsitum fecit de morte ad uitam, de pœna ad gloriam: & nos illum uelut mēbra caput suū sequendo, non modò de uitijs ad uirtutes, uerùm etiā de uirtute transeamus ad uirtutem, secundū quod de sanctis scriptum est: Ibunt de uirtute in uirtutem. ut sicut tunc discipuli in Galilæa, ita nos quoq; quādoq; eum uidere mereamur in æterna gloria, ipso de quo loquimur adiuuante, qui nos sanguinis sui pretio uoluit redimere, qui cū patre & spiritu unus Deus, uiuit & regnat in secula seculorū, Amen.

Algerus ait: Frustra oraremus, ut quod nunc specie geritur, uerum uarietate capiamus, si ibi etiam huius sacramenti haberemus umbram, ubi facie ad faciem sicut est, uidere speramus Christi gloriā. Quæ enim remuneratio esset nobis in alia uita, si umbra sacramenti contegente, ueritas gloriæ Christi nunquā nobis fieret manifesta? lib. 1, cap. 8 de Euchar.

Petrus Damianus ait: Hæc est uita æterna, ut cognoscant, &c.) Hoc fiet, cum uenient Dominus, & illuminauerit abscondita tenebrarum, cum tenebræ mortalitatis huius corruptionis q; transierint. De hac contemplatione intelligitur dictum, cum transtulerit regnum Deo & patri. id est, cum perduxerit iustos, in quibus nunc ex fide uiuentibus regnat mediator Dei & hominū, homo Christus Iesus, ad contemplationē Dei & patris. In epist. ad Desider. Cals. abbat.

Anshelmus inquit: Ipsa uita æterna pariter erit omnibus æqualis, & unus denarius omnibus attributus. Ibi tamen sunt multæ distinctiones, iuxta illud: In domo patris mei, &c. In Matth. cap. 20. Item: Qui hoc bono fruetur, quid illi erit? & quid illi nō erit? Certè quicquid uolet, erit: & quod nolet, non erit. Ibi quippe erunt bona corporis & animę, qualia nec oculus uidit, nec auris audiuit, nec cor hominis cogitauit. Cur ergo per multa uagaris homuncio, quę redo bona animæ tuæ, & corporis tui? Amā unū bonum, quo sunt omnia bona: & sufficit. Desidera simplex bonum, quod est omne bonum: & satis est. Quid enim amas caro mea, quid desideras anima? Ibi est, ibi est, quicquid amatis, quicquid desideratis. Si delectat pulchritudo, fulgebunt iusti sicut sol. Si uelocitas: aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obsistere possit, erūt similes angelis Dei: quia seminatur corpus animale, & surget corpus spirituale, potestate utiq;, nō natura. Si longa & salubris uita, ibi sana est æternitas, & æterna sanitas: quia iusti in perpetuū uiuent, & salus iustorum à Domino. Si satietas: satiabuntur, cū apparuerit gloria Dei. Si ebrietas: inebriabuntur ab ubertate domus Dei. Si melodia: ibi angelorum chori concinunt sine fine

sine Deo. Si quæ libet non immunda, sed munda uoluptas: torrente uoluptatis tuæ potabis eos Deus. Si sapientia: ipsa Dei sapientia ostendet eis seipsam. Si amicitia: diliget Deum plus quàm seipsos, & inuicem tanquam seipsos, & Deus illos plus quàm seipsos: quia illi illum & se, & inuicem per illum, & ille se & illos per seipsum. Si concordia, omnibus illis erit una uoluntas: quia nulla illis erit, nisi sola Dei uoluntas. Si potestas: omnipotentes erunt, suæ uoluntatis, ut Deus suæ. Nam sicut poterit Deus, quod uolet, per seipsum: ita poterunt illi, quod uolent, per illum: quia sicut illi non aliud uolent, quàm quod ille: ita ille uolet quicquid illi uolent, & quod ille uolet, non poterit nō esse. Si honor & diuitiæ, Deus seruos suos bonos & fideles supra multa cōstituet: imò filij Dei, & Dij uocabuntur: & ubi erit filius eius, ibi erunt illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Si uera securitas, certè ita certi erunt nunquam, ut nullatenus ista, uel potius istud bonum sibi defuturum sit: sicut certi erunt, se non sua spōte illud amissuros, nec dilectorem Deum illud dilectoribus suis inuitis ablaturum, nec aliquid Deo potentium uel inuitos Deum & illos separaturum. Gaudium uerò quale & quantum est, tale aut tantum bonum est. Cor humanum, cor indigēs, cor expertum ærumnas, imò obrutum ærūnis, quantum gauderes, si his omnibus abundares? interroga intima tua, si capere possint gaudium suum de tanta beatitudine sua. Sed certè quisquis alius quem omnino sicut te ipsum diligeres, eandem beatitudinem haberet, duplicaretur gaudium tuum: quia non minus gauderes pro eo, quàm pro teipso. Si uerò duo uel tres, uel multo plures id ipsum haberent, tantundem pro singulis, quantum pro teipso gauderes, si singulos sicut teipsum amares. Ergo in illa perfecta charitate in numerabilium angelorum beatorum & hominum, ubi nullus minus diliget alium quā seipsum, non aliter gaudebit quisq; pro singulis alijs, quàm pro seipso. Si ergo cor hominis de tanto suo bono uix capiet gaudiū suum, quomodo capax erit tot & tantorum gaudiorum? Et utiq;, quoniam quatū quisq; diligit aliquem, tātum de bono eius gaudet: sicut in illa perfecta felicitate unusquisq; plus amabit sine comparatione Deū, quàm se, & omnes alios secum: ita plus gaudebit absq; æstimatione de felicitate Dei, quàm de sua & aliorum. Sed si Deum sic diligent toto corde, tota mente, tota anima, ut tamen totū cor, tota mens, tota anima non sufficiat dignitati dilectionis: profectò sic gaudebunt toto corde, tota mente, tota anima, ut totum cor, tota mens, tota anima non sufficiat plenitudin gaudij. In Prosolog. cap. 25. Item: In angelorum conuersatione gaudium est securitatis tantæ, ut quisquis illuc ascenderit, nolit inde nūquam redire. In lib. de Similitudi. cap. 76. Item: Intelligendo & amādo Deum, per fidem & spem ad præsens sentimus. In futuro autem, iam nō per spem sentimus, quia uidebimus eum sicuti est: non tamen eum omnes æqualiter uidebunt, nec eius amore æqualiter omnes calebunt. ibidem cap. 164. Item: Sicut diuerso modo lignum & ferrum ignis ardore calent: sic cœlestes spiritus, uel beatorum animæ, inæqualiter Dei amore feruent. ibidem capite 165. Item: Aduertat inquam, aduertat, quæ gloria, uel quod gaudium, uel quæ iubilatio erit omnibus illis qui in regnum beatitudinis assumpti, Deum Dominumque rerum omnium, in suæ carnis substantia sibi similē uiderint: & cuncta quæ siue in cœlo, siue in terra, seu in inferno subsistunt, ad nutum illius pendere, eumq; fraterno affectu, imò ultra omnem fraterni amoris affectum, seipsos amare, uelle poterunt sine mora, sine contradictione, sine defectu sibi æternaliter ministrare. In lib. de excellen. beatæ Virgin. capite nono. Item: Regnum cœlorum tale est, ut eius beatitudinem & gloriam nec oculus hominis mortalis possit uidere, nec auris audire, nec cor cogitare. Vt tamen aliquo modo illud possis cogitare, quisquis ibi regnare meruerit, quicquid ipse uolet, hoc erit in cœlo & in terra: quicquid uerò nolet, non erit in cœlo & in terra. Tanta enim erit dilectio inter Deum & homines qui ibi erunt, & inter seipsos inuicem, ut omnes seipsum diligant sicut seipsos: sed plus ament omnes Deum quàm seipsos. Et propter hoc nullus ibi uolet, nisi quod Deus: & quod uolet unus, hoc uolent omnes: & quod unus uel omnes, hoc ipsum uolet Deus. in libro Epistolarum secundo. Item: Non quia Domini & sanctorum eius, æqualis possit esse claritas & gloria: sed quia nihil sole clarius uidere nouimus, non solum Domini, sed & sanctorum in resurrectione gloria, solis aspectui comparatur: quia clarius sole aliquid, unde exemplum daretur hominibus, minimè potuit inueniri. Possumus etiam per faciem eius intelligere præsentem & manifestam cognitionem humanitatis ipsius: resplenduit ergo, sicut sol, facies eius: quia in illo supernæ beatitudinis regno, sanctis omnibus ita resplendebit in unico ac singulari splendore clarissima etiā humanitatis eius cōtemplatio, sicut sol unica & singulari claritate superat omnia quæ corporeis oculis lucida uidētur. in enarrat. Euang. Item: Discessio Moysi & Heliæ à Christo, secundū illud intelligēda est, qd̄ ait Apost. quia cū uenerit quod perfectum est,

euacuabitur quod ex parte est. Recedet enim doctrina legis & Prophetarum, ubi manifestatio diuinæ uisionis sanctis apparuerit. Ibidem. Item: A die iudicij, quando iá corpora nostra fuerint reformata, tertium tempus erit, quod finem habere non poterit. Ibidem. Et: Salus ac uita æterna nulla esse alia potest, præter regnũ Dei, quò sola Christi societas introducit. In quintum caput ad Romanos. Item: Si quis pateretur omnes pœnarũ acerbitates, quæ in tempore præsentis uitæ sufferri possunt, non essent omnes illæ passiones dignum meritum ad consecutionem futuræ gloriæ, quæ ablato omni uelamine reuelabitur in nobis, quando percipimus illud quod oculus non uidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. In octauũ caput Romanor. Item: Et nunc & tunc dominatur Christus, & iudicat: atque sancti & nũc cum illo regnant, & tunc: quia & nunc conuersatio eorum in cœlis est, & ipsi postmodum in cœlis erunt. Neque piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ nunc etiam est regnum Christi: & cum eo nunc primùm regnat in uiuis ac mortuis. Ibidem capite decimoquarto. Item: Ea quę Deus in regno cœlorum præparauit his qui puro corde diligunt eum, tanta sũt, & tam præclara, atq; tam spiritualia, quòd oculus non uidit quanta uel qualia sint: nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Oculus non uidit, quia non est color: auris non audiuit, quia non est sonus: in cor hominis non ascendit, quia non est terrena cogitatio. Quod enim in cor hominis ascendit, infra cor hominis erat. Ideo in cor ascendit, quia supra illud est cor quò ascendit. Præmium uerò quod in cœlis seruatur electis, non ascendit in cor hominis. In secundum caput prioris ad Corinthios. Item: Corporis resurrectione facta, à cunctis passionibus liberati, æterna uita cum ineffabili claritate atq; stabilitate sine corruptione fruemur. In illa itaque cœlestis regni gloria, caro secundum naturam erit: quia deuicto mortis aculeo, in æterna incorruptione regnabit. Et ideo quisquis ad hanc desiderat incorruptionis gloriam peruenire, festinet nunc opera corruptionis deponere, & cœlestis hominis imaginem sanctè uiuẽdo portare. In decimumquintum caput prioris ad Corinthios. Ité: Quis intellectus capere sufficiat illa supernæ ciuitatis quanta sint gaudia: angelorum choris interesse, cum beatissimis spiritib. gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei uultum cernere, incircumscriptum lumen uidere, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuæ munere lætari? In 2 cap. ad Ephes. Ité: Omnes iusti cũ amicis suis, sine fine simul manebũt immortales atque beati in regno cœlesti. In 4 ca. 1 ad Thess. Et: Sicut sabbathũ in quo Deus requieuit, non legitur habuisse uesperã: sic requies iustorũ non habebit finẽ. Quia sicut Deus cessauit ab operib. sic illi cessabũt ppetualiter ab omni opere, liberi penitus ab omni laboris anxietate. In 4 cap. ad Hebr. Ité: Illa cœlestis inhabitatio rectè dicitur sancta sãctorũ, quia nihil ibi fit aut cogitatur, unde Deus offendatur: sed sola ibi, quæ Deo placent, aguntur. Tanta est enim illa beatitudo, ut nec possit nec uelit ibi quisquam peccare. Ibid. cap. nono.

Quomodo Deum uisuri. Anshelmus: Nunc autem uidemus eum in ænigmate, & quasi in pictura ea quæ dicimus, ueluti picturum solem aut mare uidemus. Solem quippe aut mare cùm depicta uidemus, non sicut est in ipsa re, ea habemus. Cùm uerò solem clarè lucentem perspicimus, aut mare turbulentum uel tranquillum cernimus, rẽ sicuti est, ueraciter intuemur: quamuis tam, quanta in se est, intueri nequeamus. Sic sancti Dei in gloria sua Deum uidebunt: sed magnitudinem diuinitatis eius, siue immensitatem potentiæ illius comprehendere nequibunt. Non enim immensus esset, si intellectu alicuius comprehendi potuisset. In lib. de Similitud. cap. 166.

DE PHILOSOPHIA.

DE philosophis inquit Anshelmus: Et si nonnulli philosophorum de diuinitate filij Dei multa rectè dixerunt: nihil tamen de incarnatione & morte eius, ac nomen de incarnatione & morte eius, ac nostra per eã redẽptione cognouerũt. Abscõdit enim Deus hoc à sapientib. & prudentib. & reuelauit ea paruulis. In 1 ca. ad Colossens. De philosophiæ abusu, inquit Anshelmus: Venenum aspidum tegitur sub labijs eorũ, q̃ blãda loquũtur, sed morsu uenenati uerbi fraudulenter animam audientis necant: sicut detractores, sicut poetæ, sicut quilibet seductores. Hostes enim sunt animarum, licet se fingant amicos: & idcirco per maliciam fraudis, eas ueneno suo inficiunt, ut interficiant. Item: Scribæ sunt, naturaliũ & moralium librorum authores, & artium sæcularium scriptores: id est, de ipsis artibus præcepta dantes. Inquisitores autem sæculi, qui constellationibus agi mundum credunt, & duodecim signis ortus & occasus fieri decernunt, nihil omnino sine horum motu putantes fieri posse: qui sapientia sua inquirunt & discutiunt, atque inuestigant de occultis rebus ac naturis singulorũ. Sapiẽs generale uocabulũ utriusq; est. Hos reprobatos & adnihilatos esse perhibet Apostolus, nõ quòd doctrinã eorũ ex toto im-

toro improbet, in multis enim concordant sacris Literis: sed quia quædam senserunt & scripserunt contraria Christianæ religioni, & maximè de cultura pluralitatis deorum. Talem non recipit Deus, sed stultos facit. In 1 cap. 1 ad Corinth. Item: Videte ne fortè lis sententia uestra, &c. Typicè uidetur Apostolus sub alijs uerbis dicere: Ne legas philosophos, poetas, oratores, nec in eorum lectione requiescas, ne tali modo fratrem infirmum perdas. In 8 cap. 1 ad Corinth.

De Platone, inquit Berno: Inter omnes philosophos, & maximè Socratis discipulos, non quidem immeritò excellentissima gloria claruit Plato, qui de diuinitate multa locutus est, ita ut in multis congruere ueritati nostræ religionis uideatur. In lib. de diuinat. dæm. contemnenda.

De ethnicis libris, Berno: Sed parum commodè scribit, se multis iam annis poetarum figmenta, & paganorum historias, secularium q; literarum studia uelut stercora respuisse, omnemq; mentis intentionem ad diuina perscrutanda conuertisse. In epist. ad Megifredum.

De abusu Dialectices, inquit Anshelmus: Commonendi sunt illi utiq; nostri temporis dialectici (imò Dialecticæ hæretici) qui quidem non nisi flatum uocis putãt esse uniuersales substantias, & qui colorem non aliud quærunt intelligere nisi corpus, nec sapienti am hominis aliud quàm animã: ij prorsus à spiritalium quæstionum disputatione sunt eduſilandi in lib. incar. uer. cap. 2. Item: Dialectici moderni nihil esse credunt, nisi quod imaginationibus comprehẽdere possunt: nec putant aliquid esse, in quo partes nullæ sunt. ibid. cap. 3. Item: Contentiones eorum deuita, qui per argumentationes artis dialecticæ nõ rationẽ, sed stomacho litigantium disputant, in hoc diebus & noctibus uacantes, ut uel interrogent, uel respondeant, uel dent propositionem, uel accipiant, assumant, confirment atq; concludant. si igitur illi hoc faciunt, quorum propriè ars contentio est: quid debet facere Christianus, nisi omnino fugere contentionẽ? in 3 cap. ad Tit.

DE MAGIA.

Contra præstigias dæmoniorum, & magiam, sedulò docuerunt huius ætatis doctores. Berno ait: Phytonici sunt uentriloqui, in quorum uentre diabolus habitans, dat per omnia hominum responsa, ut animas eorum decipiat, capiat, & secum in interitum ducat. in lib. de diuinat. dæm. contem. Idem Berno scripsit de Nigromantia, uel diuinatione dæmonum contemnenda, librum, in quo harum rerũ professorum opiniones refellit, & errores destruit, ut patet ex epistola ad Meginfredũ. probat Berno primũ authoritate Augustini, deinde testimonio ex Anthonij uita sumpto, diuinationem dæmonum contemnendam esse. Tertiò, de dæmonum natura & peruersa eorum efficacia, atq; arte magica, multa ex Augustini 8 libro de ciuitate Dei citat, quibus hanc propositionem confirmat. Item: Sathanam, iuxta Apostolum, se aliquando transfigurare in angelũ lucis, ut uel hoc modo decipiat hominum mentes: aliquando per magicas artes, occulto, sed non iusto Dei iudicio, uaria imaginationum genera & Iudificationum hominibus immittere, ut ipsi homines se putent esse quod non sunt. Ex lib 2 recognitionũ S. Clementis hoc probat Berno. Et: Hanc esse artem, designat etiam sacra Scriptura: sed uti ea prohibet. Nam & dæmones Scriptura designat, sed coli & adorari eos uetat. Rectè ergo magica arte uti prohibet, quia magorũ ministri sunt angeli, refugæ, & spiritus maligni, & dæmonia immunda. de diuinat. dæm. contem.

Algerus ait: Phantastica illusio magicis cõgruit & diabolicis fraudibus: ueritatis autem assertio, diuinis sanctioni bus. lib. 1, cap. 7 de Euchar. Et: Phantasticæ species rerũ in somnijs, uel magorum præstigijs uideri solent. Ibidem.

Anshelmus inquit: Incantatores fascinãt & deludunt homines, ut credant uerum esse quod falsum est. In 3 cap. ad Gal.

DE ASTROLOGIA.

Astrologiam oppugnat Berno, dicens: Est & alius error pessimus, quo miseri homines se inuoluunt, putãtes unumquẽq; sub constellationibus nasci, & singulis euenire quæ genesis dictat, non quod Deus conditor ordinat: tribuentes honorem diuinitatis insensibilibus astris, quæ Deus creauit ad hoc, ut cursus sui ordinem seruarent in cœlis. In lib. de diuinat. dæm. contemnenda. Item: Si quis plenius uult cognoscere de mathematicorum præstigijs, de horoscopis, de constellatione, de fatalibus signis, legat 5 librum sancti Augustini de ciuitate Dei: & liquidò inueniet, quàm miserè desipiant, qui huiusmodi rebus studium impendunt. ibidem.

DE LIBRIS.

De Septuaginta interpretibus, Anshelmus inquit: Patet Hebræos, qui Romæ crediderunt, habuisse in authoritate trãslationem septuaginta interpretũ, iuxta quã Apostolus eis profert testimonium. Non enim eis proferret testimonium ex Scriptura, quam non reciperent. in 12 cap. Rom.

DE EVANGELISTIS.

Anshelmus, in præfatione in Euangelistas, inquit: Horũ quatuor scriptorũ fuit unus Matthæus, qui primus scripsit Euãgelium

lium in Iudæa, Hebraico sermone. Quia cum in Iudæa Euangelium Christi cũ alijs Apostolis p̃dicasset, postea disponens trãsire ad gentes, sicut & alij Apostoli, uoluit Ecclesijs Iudææ, illud quod frequenter prę dicauerat uerbo, relinquere & scripto: timens, ne falsi p̃dicatores & Ecclesiarũ peruersores, aliquos errores in Christi Euangelio supseminarẽt. Ideo reliquit eis hoc memoriale, ut ueritas suæ prædicationis cõfirmaretur, & memoriæ cõmẽdaretur. Postea aũt sancti patres curauerũt, ut idẽ Euãgeliũ de Græco in Latinũ trãsferretur eloquium. Secundus fuit Marcus, qui discipulus Apostoli Petri, Iesum in carne non uidit: sed quę magistrum prædicantem audierat, sub Claudio Cæsare in Italia scripsit. Tertius fuit Lucas, qui dicitur unus de duobus fuisse discipulis, qui profecti sunt Emaus, & postea fuit socius Pauli in prædicationem gentium. Hic scripsit Euangelium Christi, rogatu Theophili, in Achaia & Bœotia. Vltimus scripsit Euangelium Ioannes, reuocatus Pathmo ab exilio, & ab omnibus episcopis Asiæ rogatus. Pullulabant enim in Asia multæ hæreses, scilicet Cerinthi & Ebionis, & aliorum hæreticorum. Præterea cum alij Euangelistæ multa de humanitate Christi dixissent, pauca tamen de diuinitate eius descripsissent: ideo incœpit Euangelium de diuinitate, ut quæ ab alijs prætermissa fuerant, suppleret, & altius de diuinitate eius scriberet. Fuerunt tamen & alij Euangeliorum scriptores, sicut Thomas & Bartholomæus, quorum tamẽ Euãgelia deciderunt, neq; in Eccclesia recepta sunt, diuino consilio prouidente. nõ quòd illa falsa essent: sed quia Dñs noluit numerum illum præfinitum in Prouidentia cassari, propter uirtutem sacramenti.

Item ibidem: Matthæus autem principaliter circa humanitatẽ Christi ostẽdendã immoratur, quamuis & alias tres proprietates secundariò exequatur. unde incipit à generatione humanitatis. Lucas uerò principaliter de resurrectione Christi agit, quamuis & cætera secundariò non fileat. unde incipit à sacerdotio Zachariæ prophetæ, patris Ioannis, ubi cognatio Mariæ & Elizabeth commemoratur: quæ Elizabeth fuit de tribu Aãron, & ideo Christus de genere sacerdotum fuisse comprobaretur. Propterea etiam Lucas officiũ Simeonis sacerdotis circa Christum ostendit: & in cõputatione generationis, per Nathan Christi genealogiã ducit, cũ Matthæus p̃ Salomonẽ, intentio uerò Marci circa regnũ Christi uersatur, unde inchoat Euangeliũ suum à uoce clamantis in deserto, ita dicens: Sicut scriptum est in Esaia propheta, Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui pręparabit uiam tuam ante te. Vox clamantis in deserto, &c. Quòd uerò Ioannes fuit uox leonis, id est Christi clamantis in deserto, per ipsum Ioannem, & quasi quodam rugitu bestialiter uiuentes perterrefacientis, Ioannes ipse ingenuè fatetur, Ioan. 1 cap. ubi à pharisæis interrogatus, quis nam esset? respondit dicens: Ego uox clamantis in deserto, dirigite uiã Domini, &c. Exponit etiam Marcus euidentius ordinem resurrectionis, quæ in leone notatur. Vnde in die resurrectionis, Euangeliũ illius in omnib. Ecclesijs recitatur. Nec tamen ideo Marcus cætera prætermittit intacta. Ioannes uerò principaliter diuinitatẽ exequitur, quod in initio Euangelij sui apparet, cum dicat, In principio erat uerbum: quamuis & alia secundariò tangat. Propter has ergo principales intẽtiones, sub quatuor prædictis figuris quatuor Euangelistæ in uisione Ioannis apparuerunt, Marcus in leone, Matthæus in homine, Lucas in uitulo, Ioannes in specie aquilæ. Sed quia singuli singulas uel principaliter, uel secundariò executi sunt: ideo Ezechieli prophetæ sub quatuor prædictis figuris apparuerunt.

DE LVCA.

ANshelmus: Lucas primò fuit medicus corporum: deinde conuersus ad Christum, factus est medicus animarũ. Inde est, q̃ plus quàm alij Euangelistæ, loquitur de misericordijs redemptoris, per quas languores peccatorum ab animabus pelluntur: & sacerdotis personam in Christo describit, interuenientis pro peccatis totius mundi. Ad Colos. cap. 4.

DE EPISTOLIS PAVLI.

ANshelmus, de epistolis Pauli inquit: Pauli Apostoli epistolę sunt quatuor decim, quas legit Ecclesia: qui tamẽ & decimã quintã ad Laodicẽses sine dubio scripsit. Et cũ in prima, quam habemus, ad Corinth. dicit, Scripsi uobis in epistola, ne commisceamini fornicarijs: uidetur significare, aliã epistolam se iam eis scripsisse. Cũ ergo plurimas epistolas scripserit, non sine certi mysterij ratione Patres uoluerunt, ut quatuordecim tantũ legerẽtur in Ecclesia: decẽ uidelicet ad Ecclesias missæ, quatuor aũt ad discipulos. In præfat. ad Rom.

Ad Romanos.

Anshel. ait: Epistola ad Romanos prima est, quia cùm fides prima uirtus sit & fundamentum aliarum uirtutum, & sine qua impossibile est placere Deo: dignum fuit, ut illa Epistola in capite aliarum locaretur, in qua de prima uirtute agitur, & in qua corriguntur, atque ad fidei perfectionem reuocantur, quicunque Romanis secundum fidei imperfectionẽ sunt similes. Illa uerò q̃ est ad Cor. iure huic supponitur: quoniam eos qui

os qui fidem iam acceperant, in bono opere instruit. Primò enim iaciendum est fundamẽtum, id est fides, & inde bona opera sunt superædificanda. propter quod in hac ad Romanos, facta est omnibus fidelibus instructio secundum fidem: in illa autem ad Corinthios, secundum operationem. sic & cæteræ deinceps congruo ordine sunt positæ. Fuerunt nonnulli tamen, qui dixerunt Epistolam ad Romanos ideò primam esse positam, quia Romani tam rudes erant, ut non Dei gratia, sed suis meritis crederent se esse saluatos. Sed hoc non ita declarat in omnibus textus ipsius Epistolæ, quæ omnibus sensu profundior est. Ideoq; magis credendũ est, quòd illi qui membra Epistolarum in uno corpore collegerunt, illam iudicauerunt sedere in capite, quæ ad urbem directa est, quæ in illo tempore caput totius extitit orbis, & quia usq; hodie Rom. Ecclesia omniũ Ecclesiarũ obtinet principatũ in præfat. Epist. ad Rom.

Ad Corinthios.

Anshelmus: Hæc epistola, post illam ad Romanos iure locata est, licet ante illam scripta sit: quia quisquis in fide iã instructus est, de qua cum Romanis agitur, debet conuenienter à subrepentibus uitijs corrigi, & in uirtutibus plenius informari, sicut nunc corrigũtur & instruuntur Corinthij. Ob hanc etiam posita est hæc post illam, quoniam in materia quãdam habet affinitatem cum illa. Vt enim de meritis suorum antecessorum gloriabantur, & suam saluationem non gratiæ deputabãt, sed quidam legis obseruationibus, quidam uerò facultati ingenij & liberi arbitrij: sic & isti de sanctitate suorum baptizatorum gloriantes, & quicquid boni habebant illis adscribentes, alij alijs præferre uolebant. in argumen. Epist. ad Cor. I. Notandum etiam, quia ex eo quòd dicũt, quoniam epistolæ graues sunt & fortes, nec dicunt, Epistola grauis est, & fortis: ostendunt se duas iam epistolas ab Apostolo accepisse, præter istam de qua nunc tractamus, quam nondum uiderant. in decimum caput posterioris ad Corinthios.

Ad Galatas.

Anshelmus. Post secundam ad Corinthios hæc congruè locata est: quoniam affinitatem quandam cum illa obtinuit in modo reprehensionis. In utraq; enim reprehenduntur, qui pseudoapostolos recipiebant: & eorum prædicationi, postposito ueritatis apostolo, acquiescebant. Et ob hoc etiam, quia in illa Corinthij reprehenduntur non solum ex receptione pseudoapostolorum, sed etiã, quia multis et uarijs uitijs erant irretiti. Galatæ non alia de causa redarguuntur in ista, nisi quia pseudoapostolorũ falsitati sine aliqua ratione animum implicabant. Ideo & ista sequitur post illam: quia cùm in illa niteretur Apostolus in carnalium obseruantiarum destructionẽ, in illa multis modis denotat pseudoapostolos, in ista anathematizat illos. in præfat. epist. ad Gal.

Ad Colossenses.

Anshelmus: Liquidò demõstratur, quòd hãc Epistolam à Roma de carcere Apostolus miserit, sicut illam ad Philemonem direxit. Nam eosdem salutatores in ista ponit, & in illa, quos secum esse declarat, & adiutores suos appellat: id est, Aristarchum, & Marcum, & Epaphram, & Lucam, & Demam. unde patet, utramq; Epistolam ex uno eodemq; loco missam, ubi uinctus tenebatur Apostolus. nã Onesimum in uinculis Christo gemuit. uincula autem eum in Epheso pertulisse, tacet liber omnino Actuum Apostolorum. Et ideo probatur, non habere ueritatem sententiam eorum, qui dicũt Apostolum Ephesi tantum in uinculis fuisse, & inde hãc Epistolam misisse. In 4. cap. ad Colos.

Ad Thessalonicenses.

Anshel. prima epistola ad Thessalonicens. Hanc epist. (nisi fallor) primã omniũ scripsit. nõ. n. ante istã inuenio illum aliquid scripsisse. in præf. 1 ad Thess. Et: De secũda Epist. ad Thessalonicẽses. Thessalonicẽses putabãt, q, in diebus eorum futura esset generalis resurrectio: quoniam Apostolus uerbo præsentis temporis dixerat, Nos qui uiuimus. Qua causa præcipuè coactus est, aliam illis epistolam scribere. in 4. cap. 1 ad Thess.

Ad Hebræos.

Anshelmus: Paulus in Italia positus, Hebræo sermone scripsit hanc epistolam: & misit Iudæis ad fidem Domini Iesu cõuersis, & in Iudæa post ueritatis agnitionem conuersantibus. in præfat. Epistol. ad Hebræos.

Itẽ: Quòd hæc epistola subscriptionem soli tam non habet, id est, Paulus Apostolus: ista ratio est, quia præiudicatum Hebræis erat de Pauli nomine, ne dicta eius susciperẽt: & idcirco prudenter declinauit, ne statim in principio Pauli nomine inspecto, eius lectio repudiaretur. Et quia à Domino omnipotẽte Paulus dicitur missus ad gẽtes præcipuè, non ad Hebræos: pro humilitate ergo Paulus, qui ad gẽtes fuerat destinatus, non scribit semetipsum Hebræis Apostolum. Ibidem.

De epistola ad Laodicenses.

Anshel. ponit exẽplar epistolæ Paulinæ ad Laodicẽses scriptę, estq; eiusmodi. Paulus Apostolus nõ ab hominibus, neq; p hominẽ, sed p Iesum Christũ, fratribus q estis Laodiceæ, Gratia uobis & pax à Deo patre nostro, & Dño Iesu Christo. Gratias ago Christo per omnẽ orationẽ meã, q, p manẽtes estis & pseuerãtes in operib. bonis, pmissionẽ expectãtes in die iudicij: neq; disturbẽt uos uaniloqa

insimulantium ueritatem, ut uos auertant à ueritate Euangelij, quod à me prędicatur. Et nunc faciet Deus, ut qui sunt ex me, ad perfectum ueritatis Euangelij sint deseruientes, & benignitatem operum facientes, quæ sunt salutis uitæ æternæ. Et nũc palàm sunt uincula mea, q̃ patior in Christo, in quibus lætor & gaudio: & hoc mihi est ad salutẽ perpetuã, quod factum est orationib. uestris, administrante Spiritu sancto. Siue per uitã, siue per mortẽ, est mihi uiuere uita in Christo, & mori gaudiũ. & ipse in uobis faciet misericordiã suã, ut eandem dilectionẽ habeatis, & sitis unanimes. Ergo dilectissimi, ut audistis præsentiã Dñi, ita sentite, & facite in timore, & erit uobis uita in æternum. Est enim Deus, qui operatur in uobis: & facite sine peccato, quæcunq; facitis. Et quod optimũ est, dilectissimi, gaudete in Dño Iesu Christo, & cauete omnes sordes in omni lucro. Omnes petitiões uestræ sint palàm apud Deum. Estote firmi in Iesu Christo: & quæ uera & integra, & pudica & casta, & iusta & amabilia sunt, facite. Et quæ audistis & accepistis, in corde retinete: & erit uobis pax. Salutate omnes fratres in osculo sancto. Salutant uos omnes sancti. Gratia Domini nostri Iesu Christi, cũ spiritu uestro: Amẽ. Hãc facite legite Colossensibus, & eam quæ est Colossensium uobis. Verùm neq; Spiritus, neq; contextus rerum & uerborum, ostendunt hanc epistolam esse Pauli germanam. Etsi enim conetur autor uerba Pauli æmulari ex alijs Epistolis, tamen Paulinis scriptis planè dissimilis est hæc collectio. Præterea aliena locutio à Paulo est, opera esse facienda ad salutem uitæ æternæ.

DE PASTORE.

Anshelmus ait: Puto quòd Hermas scriptor sit libelli illius, qui Pastoris appellatur. Anshelmus in 16 cap. ad Romanos.

INCLINATIO DOCTRInæ, complectens peculiares & incommodas opiniones, stipulas & errores doctorũ.

DE ANGELIS.

Anshelmus quasdam de angelis opiniones habet, quas ex ipsius uerbis Lector consideret. Annunciant Deo, inquit, angeli nostra opera cuncta, nec non & orationes, non ut ipse discat quæ nesciebat (nihil enim est quod ignoret:) sed quia necesse habet rationalis creatura, obtemperans Deo, temporales causas ad æternam ueritatem referre, siue petendo quid erga se uel erga nos fiat, siue consulẽdo quid faciat. Qui pius mẽtis affectus est, ut ipsa construatur, ut non Deus instruatur. In enarrat. Euangelica. Item: Angeli cuncta quę geri-mus, siue bona siue mala, renunciant Deo, ut sciant quid ipse de his omnibus fieri iubeat. Ibidem. Verùm ista in sacris Literis nõ sunt expressa, quòd omnium hominũ preces angeli ad Deum perferant. Nam ipse Deus est cordium scrutator, ac semet promittit, ipsum gemitum & clamorem paupe rum exauditurum esse.

Item: Habent & angeli, inquit, linguas, quibus maiores intimant minoribus, quod de Dei uoluntate senserunt, uel quibus ad homines missi utuntur. Nam primi angelorum suscipiunt ab ipso Deo illuminationes scientiarum, ac deinde tradunt eas subiectis spiritibus. Linguæ uerò quibus sic alij alijs loquũtur, intelliguntur aliqui nutus uel interiores motus, per quos intimãt sibi uicissim quod uoluerint. Neque enim minores sciunt omnia, quæ maioribus sunt nota: sed ea tantum, quæ sibi fuerint à superioribus intimata. In 13 cap. 1 ad Corinth. Hæc extra Scripturam Dei dicuntur.

DE DIABOLO.

Anshelmus: In passione etiam diuinum consilium patuit nobis, de redemptione humani generis, quod etiam ipsi diabolo antè absconditum fuit. Si enim cognouisset traditionem Iudæ, non intimasset. Postquam autem cognouit mortem Christi per uxorẽ Pilati, dissuadere uoluit. In p̃fat. in Matth. Item: Viso esurire, accesit tentator: quia non putabat Deum, quem fragilem uidebat. Viderat stellas, uiderat Magos: audierat Ioannem clamantem, Hic est agnus Dei. Audierat forsitan de cœlo uocem patris: sed putauit eum uocari filium adoptiuum, sicut & alios sanctos. Audierat prophetas, sciebat Christum uenturum: sed cũ omnia ista uidisset, non tamen credidit esse Deum. & hoc faciebat eius superbia. Credidit enim, quòd sicut ipse nunquam uoluit pati infirmitatẽ, sed uoluit etiam super omnia exaltari: sic non credidit Deum uelle ullam pati infirmitatem, iudicans eum ex animo suo: & ideo uisa infirmitate in Christo, eum esse Deum nullo modo credidit. In 4 cap. Matth. Item: Nunquam aliquis malignorum spirituum intellexit, quòd per passionem Christi redimẽdum esset genus humanũ. Inde apparet, quòd nõ cognouerunt: quia si cognouissent dæmones illam passionis eius sapientiam ualere ad redemptionem humani generis, nunquam crucifixissent: id est, nunquam crucifigi fecissent Dominum gloriæ: id est, nunquam suggessisset diabolus illum crucifigi, per quem ius suum perdiderat. In secundũ caput prioris ad Co-

ad Corinth. Sed hãc Anshelmi opinionem refutat historia Euangelica: ubi dæmones quos eijcit, fatentur Christum esse filiũ Dei.

DE LIBERO ARBITRIO.

Anshelmus inquit: Duę sunt uoluntates in Deo. Vna misericordiæ, quæ non est cogens, nec aliquid libero arbitrio aufert, qua omnes homines uult saluos fieri: quod tamen in libera uoluntate illorum positũ est. In Matthæi caput sextum. Item: Ad hoc cæcos interrogat Dominus, ut fides nostra orando remuneratior inueniatur: ut quæ ille paratus est comedere pergratiam præbenientem, nos quæramus per liberi arbitrij uoluntatem. In 9 caput Matth. Item: Non omnes capiunt uerbum istud.) id est, non omnes seruant uerbum istud, quod bonum sit continere. Non dixit, Non possunt capere: id est, seruare. Quia bene possent, si uellent uincere carnis imbecillitates. In 19 cap. Matthæi. Item: Quis ergo potest uoluntatem dicere non esse liberam ad seruandam rectitudinem, & liberam à tentatione & peccato, si nulla tentatio potest illam nisi uoluntatem auertere à rectitudine ad peccatum? id est, ad uolendum quod non debet? Cùm ergo uincitur, non aliena uincitur potestate, sed sua. In Dialog. de libero arbitrio, capite quinto. Et: Semper magis habeat rationalis homo liberum arbitrium: quia semper habet potestatem seruandi rectitudinem uoluntatis per ipsam rectitudinem, quamuis aliquando cum difficultate. Sed cùm libera uoluntas deserit rectitudinem per difficultatem seruandi, utique pòst seruat peccato per impossibilitatem per se recuperandi. Sic ergo fit spiritus cadens, & non rediens: quoniam qui facit peccatum, seruus est peccati. Ibidem, capite decimo. Item: Plura etiam & innumerabilia sunt, quæ uidentur liberum arbitrium ad bene operandum excitare, & quæ monita contemnit exprobrare. Quod authoritas diuina nequaquam faceret, si uoluntatis libertatem nullam in homine cognosceret. Sed nec ullo modo esset cur Deus bonis & malis, pro meritis singulorum iustè retribueret, si per liberum arbitrium nullus bonum uel malum faceret. De concord. grat. & libero arbitrio. Item: Cũ aliquid dicit sacra Scriptura pro gratia, non amouet omnino liberum arbitrium: neq; cum loquitur pro libero arbitrio, excludit gratiam, quasi sola gratia, aut liberũ arbitrium solum, sufficiat ad saluandum hominem: sicut uidetur illis qui hanc mouẽt quæstionem. Ita quippe intelligenda sunt dicta diuina, ut hoc excepto quod dixi de infantibus, nec sola gratia, nec solum liberum arbitrium salutem hominibus operetur. Quippe cum dicit Dominus, Sine me nihil potestis facere: non ait, nihil ualet uobis uestrum liberum arbitrium: sed, nihil potest sine mea gratia. Et cum legitur, Neque uolentis, neque currentis, sed miserantis est Dei: non negatur in uolente, neq; in currente, aliquid prodesse liberum arbitrium: sed significatur, non esse imputandum libero arbitrio, quod uult, sed gratiæ. Ibidem. Et: Sicut quamuis naturalis usus non procreat prolem sine patre, nec nisi per matrem, non tamen remouet ullus intellectus aut patrem, aut matrem à generatione prolis: ita gratia & liberum arbitrium non discordant, sed conueniunt ad iustificandum & saluandum hominem. Ibidem. Et: Non ex toto miser homo in perditionis abyssum redactus est: quoniam neque liberum amisit arbitrium, neque à rationis capacitate alienatus est. Perdidit ergo per seipsum magnum quid, reliquit autem ei misericordia conditoris parum quid. De lapsu hominis. Item: Præueniente gratia, & bona uoluntate subsequẽte, hoc quod Dei donum est, fit meritum nostrum. In decimumquintum caput prioris ad Corinthios. Et liberum arbitrium dedit nobis Dominus, ut arbitrio propriæ uolũtatis recedamus ab iniquitate, & simus exillis, quos ipse nouit suos esse: uel permaneamus in iniquitate, & simus ex illis, quos nouit ad se non pertinere. Nam & hoc est illud signaculum, quod fundamento nostræ fidei apparebit impressum, si propria sponte recesserimus ab iniquitate. Ab iniquis enim recedere non possumus, quia mista est palea tritico, donec area uentiletur. In secundum caput posterioris ad Timotheum. Ex hisce manifestum est, doctores huius seculi, semina pelagianismi, de synergia seu cooperatione naturalis seu Adamicæ uolũtatis, nondum renatæ, in rebus diuinis, retinuisse, philosophicis rationibus & receptа errantium sententia fascinati.

DE LEGE.

Anshelmus: Vetus, inquit, lex non punit nisi actualia peccata, non cordialia. In quintum caput Matthæi. Si hęc de diuina lege intelligenda sunt, falsa sunt. De humanis uerò legibus uerum est. nam cogitationis pœnam nemo patitur, ut uulgò dici solet.

DE IVSTIFICATIONE.

Fidem & opera in iustificationis articulo coniungit Anshelmus, contra mentem sacrosanctę Scripturæ. Si ad fidem, inquit, meam re curro, in fide Christiana, quæ per dilectionẽ operatur, spero me posse saluari:

& quia legimus, si iniustus conuersus fuerit ab iniusticia sua, & fecerit iusticiam, omnes iniusticias suas tradi obliuioni. lib. 1, Cur Deus homo, cap. 20. Item: Fides sine charitate nihil ualet ad salutem, quia & dæmones habent huiusmodi fidem. In 13 cap. 1 ad Corinth.

Dictum Pauli, Arbitramur hominem iustificari sine operibus, interpretatur Anshelmus de præcedentibus operib. in epist. ad Rom. cap. 3. Cum tamen Paulus citra temporis discretionem, de omnib. omniũ hominum operibus pronunciet.

DE BONIS OPERIBVS.

Operibus Anshelmus tribuit iusticiam, cõtrà honorem Christi, & consolationem omnium pauidarum conscientiarum. Nam ait: Multũ necesse est homini uolenti saluari, habere multo plura bona merita, quàm mala. In lib. Epist. epistola 5. Item: Fides tua te saluum fecit.) Credidit enim grates esse referendas, ut Deo, ei qui se mundauerat, & opere Deus innotuerat, & fidem quę per dilectionem operatur, habebat: ac per eam à prioribus malis saluus erat, in quib. antè perierat: quia non sine operib. fidem sibi solam sufficere, sicut illi nouem, æstimauit. In enar. Euangelior. Item: Siue circumcisus siue prępu tiatus sit quisq;, si mandata Dei custodierit, saluabitur: alioquin saluus esse non poterit. In 7 cap. 1 ad Corint. Et: Non ociosis datur salus, sed his qui merito bonorum operũ acquisierint eam. In 5 cap. 1 ad Thess. Paulus contrà Roman. 4. Ei autem qui NON OPERATVR, credenti autem in eũ qui iustificat IMPIVM, reputatur fides ad iusticiam.

DE POENITENTIA.

Anshelmus: Impossibile est, perfectos, si grauiter prolapsi fuerint, renouari ad pœnitentiam. In 6 cap. Hebr. Cõtrà Christus inquit septuagies septies annunciandã esse remissionẽ peccatorũ, agentib. pœnitẽtiam.

DE ORATIONE.

Anshelmus inquit: Deum inuocat, qui suis precibus nihil aliud ab eo, quàm ipsum Deum, quærit. Qui enim inuocat Deum ut diues fiat, Deum non inuocat, sed illud q d uult ad se uenire. Quid n. est inuocare, nisi in se uocare? Nam cũ dicis Deo, Da mihi diuitias: non uis ut Deus ipse in te ueniat, sed uis ut diuitiæ ueniãt, hoc inuocas. Si aũt Deũ inuocares, ipse ad te ueniret, ipsũ habe res diuitias. Ergo illi q propter secularia cõmoda, qui propter terrenam felicitatem inuocant Deum, non inuocant. Sed illi inuocant Deum, illi inuocant nomen Dñi, qui nihil ab eo quærunt nisi ipsum: qui hoc ab eo piè postulant, ut ipse dignetur in eos uenire, & in eis habitare, eosq; templum suæ gloriæ facere. In 1 cap. 1 ad Corinth. Hæc sunt contra orationem Dominicam, ubi Christus iubet expetere panem quotidianum. Salomon inquit, Benedictio Domini diuites facit: sed benedictiones Domini expetendæ sunt. Ergo & diuitiæ.

DE SANCTIS.

Intercessionem sanctorum, eorumque meritorum communicationem ad salutem, contra ipsius Iesu Christi proprium honorem, quidam docuerunt, ut Berno ait: Rectius tamen nunc ob diuini amoris augmentum uidetur huiusmodi sortita esse uocabulum, in qua sanctę Dei genitricis ac semper uirginis Mariæ, aliorumque sanctorum merita fideliter petentibus, uirtutum præstantur augmẽta. Inter quos post uirginem matrem ille meritò præcellit, qui spiritualis gratiæ priuilegium in Euãgelio Christi promeruit: sanctus uidelicet Marcus, Dei & Petri in baptismate filius. Sermone primo de Sancto Marco euangelista. Et: Per sancti Marci merita, quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet uobis: certũ tenentes, quia ad superius dictum reclinatorium, non solummodò martyres, uerùm etiam confessores utriusque sexus, iuuenes & uirgines, senes cum iunioribus, mares ac fœminæ, uiduæ & coniugatæ peruenient. Sermone secundo de Sancto Marco euangelista. Item: Hodiernæ festiuitatis diem in huius sancti ueneratione debita cum laude celebremus, qui mirabilia in sanctis suis operatur, Iesus Christus Dominus noster: qui cum patre & Spiritu sancto uiuit & regnat Deus, per omnia secula seculorum. Ibidem. Et: Vnde per has beatitudinem uestram literas nimium salutantes, solicitè curauimus admonere, quatenus bonum pacis, quod exterius in mundo necessariò agitis, circa domesticos quoque fidei, ob quietem seruorum & ancillarum Dei, interius exercere non negligatis: quò per ipsorum merita intercessionum, quandoq; peruenire ualeatis ad regna polorum. In epistolam ad Geronem episcopũ Magdeburgensem. Item: Si quid inter cœlestis aulæ milites distare potest, hi nimirum præstare uidentur, qui per ascensum purpureum, ad illud aureum nostri pacifici regis peruenire meruerunt reclinatorium. Hinc Apostolorum limina teruntur, hinc martyrum suffragia postulantur: populi conueniunt, uota uouent & soluunt, ut per uitulos labiorum, gratum Deo offerant sacrificium. Et quia illius ferculi inedia unde ad superius dictum reclinatoriũ ascenditur, charitate sunt castrata, meritò quisquis ad illud deuotè ac fideliter tendit, per alium spera-

sperare debet, quod per se consequi non ualet. Testatur hoc Apostolica authoritas, quæ sic præcipiendo ait: Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Et Iacob: Orate, inquit, pro inuicem, ut saluemini. Si huiusmodi saluatio per hos, quorum adhuc corpus corrumpitur & aggrauat animam, potest promereri: multo magis Deo autore ab his salus est speranda, quorum animæ iam cum Christo in cœlesti exultant gloria: ubi in iustorum tabernaculis resonat uox exultationis & salutis. In epist. ad Hug. Lausanens. episc.

Sic Berno petit, ut ueniam peccatorum patrocinijs sanctorum consequatur: Psalmo octuagesimonono. Sed Paulus adserit, unicum duntaxat esse mediatorem & pontificem, inter nos & patrem cœlestem constitutum, Iesum Christum. Hunc honorem à Christo in alios sanctos transferre, graue peccatum est.

DE MARIA.

Mediatoris officium, quod soli Domino Iesu Christo, ratione sacrificij præstiti, & iuxta uerbum Dei lucidissimum conuenit: quidam huius seculi doctores, cæcitate sui temporis oppressi, Mariæ matri Domini inconuenienter attribuunt. Nam Berno ait: Quàm in iniquitatibus sumus concepti, & in peccatis nos concepisset mater nostra: tamen si Mariæ intercessionis auxilium totamentis intentione quæramus, quæ de Spiritu sancto sine uirili semine concepit, & absque illa iniquitate filium suum unigenitum Dominum nostrum Iesum Christum peperit: possumus omnino à peccatorum nostrorum maculis purgari, palmaq; castitatis quandoque donari. In Serm. de nati. sanctæ Mariæ. Et: Tu tantum maternum ergà nos affectum ostendendo, pro nobis supplica Deo, quatenus sua sanctissima genetrice Maria semper uirgine interueniente, tuaque prece simul concurrente, non solum prima innocentiæ stola, quam perdidimus, reuestiat: sed & cœlesti pane, ne in uitæ huius uia deficiamus, reficiat illo ipso pane, qui de se dignatus est dicere: Ego sum panis uitæ. Quem panem angelorum ut manducare possit homo, Deus propter nos hodie factus est homo: qui cum patre & Spiritu sancto unus Deus, uiuit & regnat in secula seculorum. In Sermone de natiuitate Domini. Item: Ne diffidas de misericordia Dei, quia qui preces paupertatis suæ orationes pro te exaudit. Vestigijs eiusdem S. genetricis Dei prouolutus, iugiter adsiste, preces lachrymabiliter effunde, totum corde contrito & humiliato: pro certo sciens, quia si ei supplex assiduus fueris, citius ab omni angustia liberaberis. Petri nomen tenes: in ea petra quæ Christus est, mentē tuam consolida, ne portæ inferi præualeant aduersum te: sed clauigero Petro tibi aperiente, quādoq; ianuam cœlestis aulæ merearis introire. In epistolam ad Petrum regem Vngariæ. Berno, in sermone de natiuitate sanctæ Mariæ docet, nos omnino à peccatorum nostrorum maculis, Mariæ intercessionis auxilio, posse purgari, licet in iniquitatibus simus concepti.

Anshelmus ait: Inuocato autem nomine matris, etsi merita inuocantis non merentur ut exaudiatur: merita tamen matris intercedunt, ut exaudiatur. In lib. de excel. B. uirg. Mariæ, capite 6. Item: Christus est, ut ait Apostolus, Dei uirtus, & Dei sapientia, & in eo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi. Christus autem in Maria. Ergo Dei uirtus, & Dei sapientia, & omnes thesauri sapientiæ & scientiæ in Maria. In Homilia.

Iuo inquit: Non infructuosam credimus futuram largitionem uestram, quia quod nostris uiribus non ualemus, meritis beatæ & perpetuæ uirginis, cui Deo autore famulamur, indubitanter obtineri posse credimus. epist. 119.

Contra uerbum Dei est, quòd Maria sua sanctitate meruerit fieri mater Domini. Anshelmus: Pura sanctitas & sanctissima puritas pijssimi pectoris Mariæ, omnem omnis creaturæ puritatē siue sanctitatem transcendens, in corporali sublimitate hoc promeruit, ut reparatrix perditi orbis dignissimè fieret. in lib. de excel. B. uirg. Mar. cap. 9.

De Ascensione Marię inquit Anshelmus. Cæteri Apostoli iam per orbē erant ad prædicandum dispersi, unde quia Ioannes ibi deerat, credimus matrem Domini iam in cœlum tunc assumptam fuisse, cuius sepulchrum ostenditur in ualle Iosaphat. In 1 ca. ad Gal. Item: Tota Christianitas Mariam super omnes cœlos exaltatam, & angelicis choris prælatam, certissimè credit. De excellent. uirg. Mariæ, cap. 4. Item: Exaltata est Maria super choros angelorū, repletū est in bonis desideriū suū, uidet Deū facie ad faciē, sicuti est, gaudet cū filio in æternum. Hæc est pars optima, quæ non auferetur ab ea, cuius & nos participes sumus, & meritis & precibus eius. In Homilia.

Esse cœli dominam. Anshelmus dicit, Mariam iure materno cœlo terręq; cum eodem suo filio præsidere: eamq; dominam, summam ac unicam dominatricem cœli & terræ factam, esse reginam angelorum. In lib. de excel. Ma. uirg. cap. 9.

Quòd sit saluatrix. Anshelmus: Sicut

Deus ſua potentia parando cũcta, pater eſt & Deus omniũ: ita beata Dei genetrix Maria, ſuis meritis cuncta reparando mater eſt, & domina rerũ. In lib. de excel. Mar. uirg. capite undecimo. Hęc omnia contra Scripturam, cõtraq; honorem & officiũ Chriſti dicũtur. Tantum ualuit uulgata perſuaſio, & ſuperſtitio.

DE BAPTISMO IOANNIS.

Anshelmus inquit: Baptiſmus Ioannis non conferebat remiſsionem peccatorum, quia nondum effuſus erat ſanguis Chriſti: ſed tamen homines lauari conſueſcebant. In Matth. cap. 3. Item: Oportebat ergo eoſdẽ rebaptizari in baptiſmate Chriſti. unde quidam inueniuntur in actibus Apoſtolorum, baptizati in baptiſmate Ioannis, rebaptizati à Paulo in baptiſmum Chriſti. Sicut ergo Ioannes fuit præcurſor prædicationis, ita & baptiſmatis. Ibid. Verùm textus Euangelij inquit, Ioannem baptizaſſe in remiſsionẽ peccatorũ. Itaq; remiſsio peccatorũ, baptiſmo Ioannis non eſt ſubtrahẽda.

DE MISSA.

Idololatria miſſatica omnes doctores huius quidem ſeculi faſcinauit. Algerus ait: Sacerdos uitæ Chriſti, corpus Dominicum in terreno altari conficiens, nec tantum quod ſuis meritis, ſed totum diuinæ potentiæ & gratiæ attribuens, orat in canone Deũ patrem, dicens: Iube hęc oblata per manus & uirtutem filij tui, angeli tui, qui eſt angelus magni conſilij, non in hoc humile & uiſibile altare, ubi modò eſt: ſed in ſublime altare tuum, id eſt, tuum filium, quem uſque ad dexteram tuam in conſpectu maieſtatis tuæ ſublimaſti, deferri, ut fiat nobis corpus & ſanguis dilecti filij tui: oſtendens ipſum filium, iuſsione patris in cœlis eſſe, offerentem & hoſtiam, & id ſuper quod offertur: quia omnino fidei & gratiæ eius innitimur, q, terrena corpora noſtra in Chriſtum conuerti, ipſumq; in cœleſtib. ad dexteram patris ſedẽtem, pro nobis interpellare, & in ſacramento altaris conſecrari & eſſe credimus. libro primo, capite decimoquarto. Item: Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Chriſtus ſemel paſſus ſit: quia quotidie peccamus, peccatis, quibus mortalis infirmitas carere nõ poteſt. Et ideo quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus immolatur pro nobis. lib. 1, cap. 16. Itẽ: Quòd immolatio Chriſti in altari, non dicitur quòd iterum occidatur, ſed quòd uera eius immolatio repræſentata, idem in altari nunc quod tunc in cruce operetur, probat Algerus authoritate Ambroſij, Auguſtini, Gregorij, Bedæ, Euſebij Emiſeni, & alijs, lib. 1, cap. 16 de Euchar.

Anshelmus inquit; Sicut unus eſt Chriſtus, qui ſeipſum obtulit pro nobis: ita una eſt oblatio, & una eſt hoſtia in pane & uino, quam offerimus. De diuerſit. Sacra. Item: Etſi nos quotidie offerimus, recordatio mortis eius eſt: & una hæc hoſtia eſt, non multę: quia ſemel tantum oblata eſt. Nec à multis hominibus multi Chriſti offerantur, ſed unus ubique ſemper plenus, ubique unum corpus. Semel oblatus non conſumitur. Quod nos agimus, recordatio ſacrificij eſt: nec cauſa infirmitatis ſuæ repetitur, quia perficit hominem: ſed noſtræ, qui quotidie peccamus. In 10 cap. ad Heb. Verùm Chriſtus inquit: Accipite, comedite, nõ inquit, ſacrificate, offerte Deo. Et Paulus ait, unica oblatione conſummatos eſſe ſanctos.

DE TRANSVBSTANTIATIONE.

Lanfrancus ait: Panem in ueram Chriſti carnem, & uinum in uerum Chriſti ſanguinem conuerti credimus. De Euchar. Sacr. Et conuerſionẽ corporis & ſanguinis Chriſti in pane & uino, probat exemplis Ambroſij, mutatione uirgæ Moſis in ſerpentẽ, &c. Ibidem. Item poſtea inquit commutari, Item: Quo'nam modo panis efficiatur caro, uinumq; conuertatur in ſanguinem, utriuſq; eſſẽtialiter mutata natura, iuſtus qui ex fide uiuit, ſcrutari argumentis, & concipere ratione non quærit. Ibid. Ideo utitur hac phraſi, Species panis, Species uini. Item: Credimus itaque terrenas ſubſtantias, quæ in menſa Dominica per ſacerdotale myſterium diuinitus ſanctificantur ineffabiliter, incomprehenſibiliter, mirabiliter, operante ſuperna potentia, conuerti in eſſentiam Dominici corporis, reſeruatis ipſarum rerum ſpeciebus, & quibuſdam aliis qualitatibus, ne percipientes cruda & cruenta abhorrerent, & ut credentes fidei pręmia ampliora perciperent, ipſo tamen Domini corpore exiſtente in cœleſtibus ad dexteram patris immortali, inuiolato, integro, incontaminato, illæſo: ut uerè dici poſſit, & ipſum corpus quod de uirgine ſumptum eſt, nos ſumere: & tamen non ipſum, ipſum quidem, quantum ad eſſentiam, uerę naturæ proprietatem, atque uirtutẽ: non ipſum autem, ſi ſpectes panis uinique ſpeciem, cæteraq; ſuperius comprehenſa. Ibid. Hæc pugnant cum Chriſti uerbis, qui de nulla mutatione elementorũ in ſuo Teſtamento dicit.

DE ANTICHRISTO.

Anshelmus: Notandum, quia poſt mortem Antichriſti, quadraginta quinque dies concedẽtur ad emendationem, his qui ad uitam prędeſtinati ſunt, & in Antichriſti perſecutione offenderunt. Sed qui ad uitã præordinati non ſunt, nec morte principis ſui corri-

corrigentur: sed toto corde mũdanis inhærentes gaudebunt, & uxores ducent, atq; conuiuia facient, & domos ædificabunt, dicentes, Pax est nobis & securitas, licet princeps noster sit mortuus: & dum ita pacatos & securos se putauerint, subitò iudex apparebit, omnesq; tales condemnabit. In quinto caput prioris ad Thess. Hæc extra Scripturam dicuntur.

De primatu Romano.

Lanfrancus inquit: Tu es Petrus, &c. Quæ tametsi de pastoribus sanctæ Ecclesiæ dicta esse credantur, & à quibusdam Catholicis exponantur: præcipuè tamen de Romana Ecclesia intelligenda esse, sacri canones & pontificum decreta testantur. De Eucharistiæ Sacramento. Item: Hæreticum esse omnem hominem, qui à Romana & uniuersali Ecclesia in fidei doctrina discordet. Ibidem.

Anshelmus: Quorum remiseritis peccata.) Eam potestatem ideo quasi uni Petro concesit specialiter, ut ad unitatem nos in uitaret. ideo enim eum principem Apostolorum instituit, ut Ecclesia quasi unum principalem uicarium Christi haberet, ad quem diuersa Ecclesiæ membra recurrerent, si forte in se dissentirent: quoniam si diuersa essent capita in Ecclesia, unitatis uincula rũperentur per diuersa schismata. In Matthæi caput decimumsextum. Sic scilicet oportuit Antichristi regnũ euehi ac stabiliri, contra doctrinam Christi: Reges gentium dominantur, uos autem non sic.

DE DIVORTIIS.

Anshelmus: Si pari consensu uoluerint abstinere, possũt separari, ut iste monachus, illa monialis fiat: & nunc non separat eos homo, sed Deus. In quintum caput Matthæi. Sed nullius Scripturæ sanctæ autoritate hæc affirmãtur.

Item: Mulier obligata est legi.) Hæc obligatio non soluitur, etiamsi per repudium adultera coniunx, à casto coniuge separetur: nec habet licentiam ut alteri nubat, quamdiu siue castus siue mœchus uir eius uiuit. In 7 cap. prioris ad Corinth.

DE COELIBATV.

Petrus Damianus ait: Presbyteris, diaconis & subdiaconis tam districtè, tam rigide, regula castitatis indicitur, ut omni catholicorum patrum concurrente iudicio, à contrahendis nuptijs funditus abscindantur. Et certè satis est ratiõe plenissimum, ut per episcopos, in his q; tribus gradibus, niueus pudicitiæ candor efflореat, qui nimirũ sanctis mysterijs familiarius appropinquant. Nam quia Dominicum corpus in uirginalis uteri templo coaluit, nunc etiam à ministris suis continentis pudicitiæ mundiciem requirit. Planè sicut concipienti Deificæ uirgini, non uirili semine influxit, sed uirtus sancti Spiritus obumbrauit: ita nunc in altari positum Sacramentum, eadem Spiritus sancti uirtus est, quæ uiuificat, & necesse est ut hoc pudica manus & impolluta contingat. In epist. ad Petrum Lateranẽsem archipresbyt.

Anshelmus inquit: Melchisedech sine Genealogia est. quia noui Testamenti sacerdotes, & ministri altaris, uxores habere non possunt. Quas si habere uoluerint, profiteantur se esse sacerdotes Iudaicæ institutionis, non Christianæ. In septimum caput ad Hebræos. Contra Paulum: Episcopus sit unius uxoris maritus.

DE MONACHATV.

Anshelmus: Multi dicunt, Grauius irascitur Deus peccanti monacho, quàm alij: quia de proposito altiori cadit. Hoc uerum est, quamdiu cadit in peccata. Sed certè benigniùs & familiariùs suscepit Deum monachum pœnitentem, si ad suum propositum redit: quàm non monachum, qui ad idem propositum non redit. Epistola tertia. Item: Certus esse debes, quia cum teipsum Deo tuo uouisti, & reddidisti per monachicam professionem, soluisti omnia minora uota quarumlibet actionum, quæ prius sine iureiurando & fidei alligatione promisisti. Epistola undecima. Item: Vouentibus uirginitatem uel uiduitatem, non solum nubere, sed etiam uelle nubere est damnabile: ideo uidelicet habent damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, tamen uolendo. in quintum cap. 1 ad Timoth. De monastica uita Christus fert sententiam: Nolite ire in eremum, in cellas, Matth. 24.

DE PVRGATORIO.

Anshelmus facit discrimen eorum qui in spe, & qui in re habẽt regnum cœlorum. ut: qui terrena abdicant, eorum iam est regnũ cœlorum in spe. etsi in purgatorio igne quidam horum ad horam purgantur, tamen non ambigunt se recepturos regnum cœlorum. Qui autem patiuntur persecutionem, habent regnum cœlorum non tantum in spe, sed etiam in re. Qui enim moriuntur pro Christo, statim ascendunt in cœlum. In Matthæi caput quintum. Item: Tale etiam aliquid post hanc uitam fieri, incredibile non est: nonnullos scilicet infideles, per ignem quendam purgatorium, quanto magis minus'ue bona temporalia dilexerunt, tanto citius saluari. Nam de quibus-

dam leuibus culpis, esse ante corporum resurrectionem purgatorius ignis credendus est, pro eo, quod ueritas dicit: Quia si quis in Spiritum sanctum blasphemiam dixerit, neque in hoc seculo remittetur ei, neque in futuro. In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam autem in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. In tertium caput prioris ad Corinthios. Item: Qui abdicant terrena, eorum est iam regnũ cœlorum in spe. Etsi in purgatorio igne quidam horum ad horam purgantur, non tamen ambigunt se repetituros regnũ cœlorũ. In 5 cap. Matth. Ité: Qui dixerit in Spiritum sanctũ, non remittetur ei neq; in præsenti neq; in futuro. Confirmatur etiam ex hac autoritate purgatorius ignis esse. Dicit enim Gregorius: Datur ex hoc intelligi, quasdã culpas in hoc seculo, quasdã in futuro relaxari. In Matth. ca. 12. Sed quia Scriptura id nõ affirmat disertè cũ sit res maximi momẽti: ideo cõstat, illas consequẽtias falsò affingi, & nullius esse ponderis.

DE LYMBO.

Anshelmus: Tunc fuit magnum gaudiũ factum in lymbo, quando anima Christi in ipsum descendit, & patres inde liberauit, & lymbum destruxit: ita quòd nullus Christianus illuc uenire poterit, nisi proprio suo arbitrio: nec aliquis eorum qui intus sunt, ante diem iudicij exire poterit. Tribus autem uectibus infernum obstruxit. Et hæc est ratio, quia ante mortem suam, nullam habuerunt contritionem, confessionem, uel satisfactionem: quæ nullus ante passionẽ Christi habere potuit, scilicet contritionem, confessionem, satisfactionem. In dial. de passiõe Domini. Ité: Christus exploratis principatus & potestates dæmonum, auferẽdo illis animas iustorum, quas in inferno propter culpam primi parentis detinebant. Et traduxit: id est, trans infernum duxit ad regna cœlorum, ipsas ab inferis ereptas sanctorum animas, & hoc confidenter, id est, cum magna fiducia fecit, nõ timens dæmones: utpote qui nullum habet peccatum. In 2 cap. ad Colos. Hæc sine & cõtra Scripturam dicuntur.

DE MORTVORVM APPARITIONE.

Petrus Damianus ait: Benedicta diuinæ clementiæ dispensatio, quæ per mortuos etiam instruit uiuos. Et dum alios uerberat, alios qualiter à uerberib. eripiantur, informat. In epist. ad fratrem quendam. Sed Scriptura sancta prohibet, à mortuis ueritatem expiscari: ac negat Christus, defunctos reuerti in hanc uitam.

CAPVT V.

DE HAERESIBVS.

HOc seculo potissimùm Berengarij de Cœna sacra disputationes Ecclesiam turbarunt: licet ipsi quoq; eius impugnatores, transsubstantiationem nimis rigide & intemperanter urgerent, & sic in alterum extremum inciderent. De hæresibus aũt in genere Algerus inquit: Cum filius hominis apud hæreticos non inueniat ubi caput reclinet, nec ipse Christus, nec Spiritus sanctus apud eos est per gratiã: qui tamen apud omnes est, & nusquã deest per maiestatis suæ p̃sentiã. li. 3, ca. 9, de Euchar.

GRAECORVM ERROR.

ECclesia Græcorum, licet à uiris eruditis non solũ exteris, sed suę etiã gentis, accuratè & neruosè de processione Spiritus sancti doceretur: tamen ad pristinum errorẽ relapsa est. Anno enim Domini 1028, palsima hæc doctrina sonuit: Spiritum sanctum non procedere à filio simul, sed à patre dũtaxat. Querũtur porrò Romani scriptores, Græcos Romanam ecclesiam excõmunicasse, quia in forma baptismi & missæ secum non conueniret. Verùm non satis hanc partem explicant. Nam prophanationem tetrami sacramentorum, quæ indies incrementa sumebat in Romana ecclesia, conspicientes, fortè non iniuria seuerius remedium adhibendum esse censuerunt: ut extarent testimonia illustria contra superstitiones & idolomanias multiplices, quibus iuxta Antichristi characteres hæc sacramenta Domini horribiliter deprauabantur. Sed quia certa narratione fidelium historicorũ destituimur, in obscuro medio ista relinquimus. Herman. Gygas.

TRANSSVBSTANTIATORES.

GRauissimus error est, elementa panis & uini, recitatis uerbis Testamenti, penitus euanescere in altari, ac transmutari, seu transubstantiari in merum corpus & sanguinem Domini, speciebus solummodo panis & uini residuis. Hic error partim ex falsa interpretatione textus Testamenti Dominici exoritur, partim ex phrasibus patrum non dextrè acceptis. Sicut enim Berengariani tantum insistunt uerbis illis in Testamẽto Domini, Accepit panem, accepit calicem: & hinc euestigiò inferunt, nihil aliud cõtinuò sequẽtib. & quidẽ coherẽtib. uerbis dici, Hoc est corpus meũ, hic est sanguis meus, nisi q̃ ista elemẽta sint momẽta & signa q̃dã corporis & sanguinis Christi: ita ex aduerso isti, tãtũ hisce uerbis, Hoc

Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, adnexi, ea quæ præcedunt & cohærent in uni cuilla testamenti sanctione, non satis cõsidetant, ac tantum ibi corpus & sanguinem Domini, elementis immutatis atq; transformatis relinqui asserunt. Admittitur igitur falla tio compositionis & diuisionis ab utraq; parte. Nam singula Testamenti Domini uerba retinenda, & coniuncta coniungenda erant, ut de prima cœnæ sacræ parte ista uerba coherent: Accepit panem, & dixit, Hoc est corpus meum, &c. Hîc de pane, & de corpore, diuersis uerbis, Christus pronunciat. Sic & in altera parte fit. Nec recens erat iste error. Iam enim dominium acceperat longè lateq; in Ecclesia Romana, ut nemo de hoc dogma se ambigeret. Nam ualde tempestiuè Missæ dignitas, & quæstuosa utilitas, hac sententia cœpit suffulciri & ornari.

Fuerũt autem pontifices Romani, & episcopi plerique, ipsiq; adeò impugnatores Berẽgarij, Lanfrancus, Algerus, Albericus, alijq; plurimi hoc errore impliciti, autoritate Cęlestinorum pontificum Romanorum fascinati. Erat enim prorsus capitale, ab isto pantocratore dissentire.

Etsi autem aliqui semper reperti sunt, qui hanc falsam sententiam improbarunt: tamen ipsorum libri & conatus, reliquorum Cæsarum pontificum fulminibus, execrationibus & gladio politico, quem nefariè inuaserunt, potenter & crudeliter oppressi sunt. Nec dubium est, hac etiam ætate ab eruditis multa de Missa esse disputata, atque utiliter monita: sed Missæ neruos præsul Romanus cum suis manipularibus, omni ratione conseruandos esse censuit, ne fulcra, quibus sium regnum nitebatur, subtraherentur. Non igitur passus est, se ab inferioribus (uti uulgo reputantur rectius sentientes) reformari. Verùm ista quę commemorauimus, ex concilijs, ex scriptis Lanfranci, Algeri, aliorumque patent.

EXSVBSTANTIATORES.

BERENGARIANA HAERESIS.

TEmpore Leonis noni, circà annũ Domini 1049, Berengarius Andegauensis ecclesiæ diaconus, de cœna Domini publicè mouet controuersiam.

Occasio erat, quòd Ecclesiæ Romanæ patroni, ingenti fastu defenderent transsubstantiationem illam in cœna Domini, quòd nimirum elementa panis & uini, post cõsecrationem euanescãt penitus, sola specie ac umbra panis & uini retenta, eaq; ratione in corpus ac sanguinem Christi conuertantur. Erat autem in cõspectu, quàm tetræ Idolomaniæ quamq; impij cultus inde nascerentur. Hoc igitur dogma Berengarius imprimis, uerbo Dei, & autoritate patrum refellere conabatur. Intra hosce autem terminos si sese continuisset, causam quidem non malam egisset. Verùm feruore disputationis longius proiectus, & impatientius suos aduersarios ulciscì uolés, in alterum extremũ impingit. Vereque ei accidit, quod illi inquit:

Dum uitant stulti uitia, in contraria currunt.

HYPOTHESES
De cœna Domini ex Lanfranco.

1.

Panem & uinum in mensa Dominica, etiam post consecrationem, tantùm esse panem & uinum.

2.

Panem & uinum in mensa Domini, non esse uerum corpus & uerum sanguinem Domini, sed eorum figuras duntaxat. Idem Sigebertus habet.

3.

Non comedi in mensa Domini uerũ corpus & sanguinem Domini.

4.

Christi carnem & sanguinẽ propterea uocari, quia in memoriam crucifixæ carnis, & de latere effusi sanguinis, in Ecclesia hæc cœna sacra celebretur. Istæ hypotheses Berengarij, in Lanfranci scripto alsignantur.

5.

Guimundus ait, eum de baptismo infantium, & de coniugio non rectè docuisse.

¶Hoc incendio excitato, mox plurium disputationes (ut fieri solet) nouis opinionibus, quasi pomo Eridos, in medium proiectis exortę sunt, & non paucos philosophica & plausibilia illa argumẽta Berengarij in suam illam sententiam pellexerunt.

Rationes autem habet Berengarius istas: ex Augustino, Psalmo 98.

Durus est hic sermo. Ipsi erant duri, non sermo. Et paucis intermissis: Spiritualiter, inquit, intelligite, quod locutus sum. Nõ hoc corpus quod uidetis, manducaturi estis: & bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent.

Ergo non suminus in hoc sacramento uerã carnem, uerumq; sanguinem Christi.

2.

Quòd uerũ Christi corpus asseris esse in sacris Literis, appellatur species, similitudo, figura, signum, mysterium, sacramentum.

Hæc autem uocabula ad aliquid sunt. Nulla uerò quę ad aliquid referũtur, possunt esse id quod sunt ea ad quæ referuntur.

Non est igitur corpus Christi.

3.

Ex Ambrosio, qui in libro de Sacramentis sic ait: Sicut enim mortis similitudinem sumpsisti, ita etiam similitudinem pretiosi sanguinis bibis.

Negari autem non potest, quin Ambrosius sacramento baptismi, sacramentū comparauerit altaris.

Non est autem uera Christi mors in baptismo.

Ergo nec uerus eius sanguis in hoc sacramento.

4.

Si panis est uera caro Christi, aut panis in cœlum sustollitur, ut illic in Christi carnem transferatur: aut caro Christi in terram defertur, ut hîc pani iungatur.

Atqui nec panis sustollitur, nec caro defertur.

Ergo panis nō est uerum corpus Christi.

5.

Corpus Christi post resurrectionem, est incorruptibile.

Ergo nulla ratione, nullo miraculo, panis frangi in Christi corpore potest.

6.

Corpus Christi usq; in tēpora restitutionis omnium, cœlo manet indeuocabile.

Ergò panis non est uerum corpus Christi, nec uera Christi caro in cœna Domini comeditur.

Hæc argumenta ex libris Berengarij Lan francus excerpsit, quæ quidem tali modo dissoluit.

¶ Ad primum respondit: Calumniosa obiectio est. Nam Augustinus superius testatus est, quòd carnem, quam de matre uirgine sumpsit, & in qua in terris ambulauit, ad manducandum nobis salubriter tribuit: quomodo huic tam præclaræ sententiæ alia contraria sententia potuit obuiare? Item Augustinus homilia 11 super Ioannem ait: In populo enim Iudæorum figuratus est populus Christianorum. Ibi figura, hîc ueritas: ibi umbra, hîc corpus. Item in sermone ad Neophytos: Hoc accipite in pane, quod pependit in cruce: & hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere.

Ad secundum respondet: Iis uocabulis in nullo præscribitur fidei, qua credimus: & ueritati, quam defendimus. Species nāque & similitudo illarum rerum uocabula sunt, quæ antè fuerunt, ex quibus corpus Christi, sanguisq; conficitur: panem dico, ac uinum. Veritas enim, pro manifestatione in sacris sæpè Literis reperitur. Item: Est quidem etiam peccatoribus & indignè sumentibus uera Christi caro, uerusque sanguis: sed essentia, non salubri efficientia. Huius rei testis est beatus Augustinus, in quinto libro de Baptismo dicēs: Sicut enim Iudas, cui buccellam tradidit Dominus, non malum accipiendo, sed malè accipiendo, locum in se diabolo præbuit: sic indignè quisq; sumens Dominicum sacramentum, non efficit, ut quia ipse malus est, malum sit: aut quia non ad salutem accipit, nihil acceperit. Corpus enim Domini & sanguis Domini, nihilominus erat etiam illis, quibus dicebat Apostolus: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Item: Inuenitur etiam species, similitudo, figura pro ueritate. Vnde Dominus in Euangelio secundum Ioannem: Neque uocem eius unquam audiuistis, neque speciem eius uidistis. Apostolus ad Corinthios: Per fidem enim ambulamus, & non per speciem. Item: Signum, mysterium, sacramentum, & si quid huiusmodi est, Dominicæ passionis designatiua nomina sunt: si tamen sacramentum ea significatione accipiatur, qua sacrum esse signum: in libro de Ciuitate Dei à beato Augustino definitur.

Ad tertium respondet: Pace tua dictum sit, multum falleris in hac uerborum intelligentia. Neque enim Similitudinis aduersa identitatem, seu æqualitatem, ubique posita significant. In Euangelio namque Saluator dicit: Estote misericordes, sicut & pater uester misericos est. Non tamen eadem, seu æqualis misericordia potest inesse Deo & hominibus. Et in Euangelio secundum Ioannem: Et ego, inquit, claritatem quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Et alibi: Dilexisti eos, sicut & me dilexisti. Vnde & beatus Augustinus in expositione eiusdem Euangelij ait: Neque enim semper æqualitatem significat, qui dicit: Sicut illud, ita & illud. sed aliquando tantum, quia est illud, est & illud: aut, quia est illud, ut sit & illud.

Ad quartum respondet: Hoc uos colligitis secundum humanam sapientiam, non secundum diuinam. Humana autem sapientia perquiri diuina opera prohibet Apostolus ad Romanos, dicens: Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem. Et ad Corinthios: Sermo meus, & prædicatio mea, nō in persuasibilibus humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostēsione spiritus & uirtutis: ut fides uestra non sit in sapientia hominum, sed in uirtute Dei. Et ad Colossenses: Videte ne quis uos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi. Et beatus Gregorius in Homilia Paschali: Sciendum, inquit, nobis est, quòd diuina operatio, si ratione comprehenditur, non est admirabilis: nec fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.

Ad quin-

Ad quintum & sextum opponit doctrinam perpetuam & consentientem Ecclesiæ Dei. Hæc in libro Lanfranci de Sacramento Eucharistiæ extant fusius exposita. Hermannus Scheddel annotat, Lanfrancum cognomento Berengarium librum scripsisse, qui Scintillaris sit dictus.

Porrò ex Algeri de Eucharistia libris, facile animaduerti potest, quomodo Berengari sententiæ sectatores, uarias induerint formas, ita quidem, ut non tantum rationibus inter se pugnarint: sed etiam collectis ab sordis, hoc est falsis criminationibus, ueræ sententiæ de cœna Domini conati sint inuidiam conflare. In præfatione libri sui, hæc Algerus loco occasionis recitat: Non solum de ueritate corporis Christi, sed & de Sacramento ipsius uarij errores, uariæq; prouenunt hæreses. Alij enim panem & uinum non mutatũ, sed solum sacramentum: sicut aquam baptismatis, uel oleum chrismatis, corpus Christi non uerè, sed figuraliter uocari dicunt. sicut cum dicitur: Accipiunt Christi. nec tamen ipsam, sed ab ipsa significatam. Alij autem dicunt panem non solum sacramentum, sed in pane Christum quasi impanatum, sicut Deum in carne personaliter incarnatum. Alij autem, panem & uinum in carnem & sanguinem mutari, sed non Christi, uerùm cuiuslibet filij hominis sancti & Deo accepti, ut compleatur quod Christus dixit: Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, non habebitis uitam in uobis. Alij autem gratiæ Dei detrahentes, dicunt, sacerdotum malis meritis, ut eorum indigna consecratione non debeat panis in Christi carnem conuerti. Alij uerò, mutari quidem in carnem Christi: sed malis meritis sumentium non permanere carnem Christi, sed iterum reuerti in priorem sacramentum panis & uini. Alij, quod est detetius, dicunt, per comestionem in sordæ digestionis conuerti corruptionem. Algerus in prologo libri primi de Eucharistia. Modestè autem ista commemorat, tanquam alij alias opiniones protulissent. Sed uero simile est, eum Berengarianorum criminationes hoc modo & recensere, & postea in suo scripto refutare uoluisse.

Contra criminationẽ autem illam, quòd ueram ac realem corporis & sanguinis Christi præsentiam in cœna asserentes, non aliter personaliter Christum in pane impanẽ, quàm in carne humana personaliter incarnatus sit Deus, respondet Algerus: errorem esse sic sentire, eaque ratione uerecundè à se atque alijs abstergit eam maculam, quòd id nequaquam affirmet: sed si qui ita sentiant, se contrarium asserere ostendit. Ait autem, nulla sanctorum patrum authoritate hunc errorem confirmari. Deinde calumniam ex eo apparêre, quia similitudines non rectè accipiant illi præstigiatores: & quę distinctè ponuntur, pro eodem accipiant. Verbum, inquit, fit caro: & panis est eadem caro, sed longè diuerso modo. Libro primo, capite sexto.

Quòd non de quolibet filio hominis, sed de ipso Christo intelligendum sit illud dictum, Nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis uitam in uobis: ut quædam hæresis tempore Celestini papæ & Cyrilli Alexandrini episcopi nata, uoluit: probat Algerus primùm ex actis Ephesinæ Synodi, deinde authoritate Augustini, Leonis papæ, & denique Eusebij Emiseni. Libro primo, capite decimo, de Eucharistia.

Calumniam de indignorum manducatione, sic exponit: Aliqui errãtes, Christum à Sacramento suo separari autumant, ita ut malos purum sacramentum, & nõ corpus Christi sumere astruant: & ipsum Iudam proditorem, quibusdam sanctorum contendant in cœna Domini communioni corporis Christi non interfuisse, quasi corpus Christi non possit nisi incorporatus Christo uerè sumere. Algerus libro primo, capite uigesimoprimo, de Eucharistia.

ARGVMENTA HVIVS HAERESEOS.

1. *Sumptum ex Augustini libro Sententiarum Prosperi.*

Escam uitæ accipit, æternitatis poculum bibit, qui in Christo manet, & cuius habitator est Christus. Nã qui discordat à Christo, nec carnẽ Christi manducat, nec sanguinẽ bibit, etiãsi tantæ rei sacramentũ ad iudicium suæ præsumptionis quotidie indifferenter accipiat.

2. *Ex expositione B. Hilarij Pictauiensis, super Matthæum.*

Post quę Iudas proditor indicatur, sine quo pascha accepto pane & fracto conficitur. Dignus enim æternorum sacramentorum communione non fuerat. Nam discessisse statim hinc intelligitur, quòd cum turbis reuersus ostenditur. Neq; sanè cum eo bibere poterat in mysterio, qui non erat bibiturus in regno, cũ uniuersos tunc bibẽtes, ex uitis istius fructu bibituros secũ postea polliceretur. ibidẽ.

Refutat autem tali modo: Verba, inquit, beati Hilarij concorditer cum alijs sanctis exponãtur. Sine Iuda enim pascha, id est translatum ad uitam confici dicit, quia spiritualiter eius particeps non fuit. Vnde etiam subiecit: Dignus enim ęternorum sacramentorũ cõmunione nõ fuerat, quia ęternę uitę indignus. Quod ex effectu opis approbat: quia statim post buccellã, ad ꝓditionẽ exiuit. Quod se non

se non secundum corporalem & temporalem communionem dixisse, sed secundum spiritualem & æternam, cuius tantum boni participes sunt, ostendit, cum subiungit: Neq; sanè cum eo bibere poterat, qui non erat bibiturus in regno. Quomodo enim corporaliter corporale cum eo bibere sacramentum non posset, qui eatenus ab ordine Apostolico & suo consortio remotus non fuerat, cum (teste Apostolo) malos quotidie uideamus sumere indifferenter corpus Domini, non ad salutem, sed ad iudicium? Nisi ergo Iudæ illa impossibilitas sumẽdi corpus Domini spiritualiter ascribatur, cũ cæteri mali illud corporaliter sumere possint, & consueuerint: ipsum solum non potuisse, quod cæteri possunt, procedere non uidetur. Item Augustinus in sermone 62 super Ioannem: Non, ut putant quidam negligenter legentes, tunc Iudas corpus Christi accepit. Intelligendum est enim, quòd iam omnibus eis distribuerat Dominus sacramentum corporis & sanguinis sui, ubi & ipse Iudas erat, sicut sanctus Lucas euidentissimè narrat: ac deinde ad hoc uentum est, ubi secundum narrationem Ioannis, apertissimè Dominus per buccellam intinctam atque porrectam, suum exprimit traditorem. Ibidem.

Criminationem Berengariorum de secessu comestorum, sic recitat: Exuisibili & corporali comestione, quæ sacramentotenus fit, nascitur hæresis fœdissima Stercoranistarum. Dicunt enim, tantum sacramentũ sicut corporali comestioni, sic & secessui esse obnoxium.

His primùm illud B. Hilarij opponimus, qui non humano aut seculi sensu in Dei rebus monet loquendum. Deinde illud ipsius sapientiæ elogium, Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus. Quo'nam enim modo panis efficiatur caro, uinum uertatur in sanguinẽ Christi, utriusq; essentiæ mutata natura, uel utrum uadant in secessum more ciborum cõmunium, istius qui ex fide uiuit, scrutari & ratione concipere non quærit, &c. Vbi & plures refutationes adducit ex Eusebio, Emiseno, Ambrosio, & alijs. Ac prolixius quidem refutat Stercoranistas libro secundo, capite primo.

Criminati quoque sunt Berengariani usum azymi panis in sacra cœna. Respondet autem Algerus: Vtrum ex azymo, an ex fermentato pane corpus Christi confici debeat, inter Latinos & Græcos magna concertatio est, in tantum, ut illi istos Azymitas, isti illos Fermentarios, quasi cuiuslibet hæresis notent uocabulo: cum tamen, ut in multis bonis catholicis uidetur, non sit cõtra fidem Christianam, seu azymum seu fermentatum sacrificetur: cùm quia utrumq; panis est, & sicut utrumque uitam transitoriam, sic corpus Christi dat æternam: tum quia etiam, quamuis Christus de azymo pane corpus suum fecerit, forsitan non quia res quæ fiebat hoc exigebat, sed quia cœna in qua hoc factum est, panem alium non exhibebat, panem tamen fermentatum nõ prohibuit. Quamuis enim in ueteri lege præceptum est, azymum panem in Pascha comedi, ut per eũ figuraretur Christus syncerus & mundus fore: & nos etiã qui manducaturi eramus corpus eius, similiter moneremur purgari ab omni fermento malitię & nequitiæ: figura tamen tali in pane illo non indigemus, de quo carnem Christi cõficimus: quia de figura ueteri ad ueritatem transiuimus, azymam & puram carnem Christi in quocunque pane consecrato sumimus.

MANICHAEI.

GOslariæ quidam, falso sanctitatis prę textu, Manichæorum quendam errorẽ conati sunt stabilire: anno Domini 1052.

Dogma.

Esum animalium quorumcunq;, asserebant esse peccatum.

Horum furorem Heinricus Quartus, natalem Domini Goslariæ celebrans, consensu aliorum ita repressit, ut autores istius phanatismi iusserit è patibulis suspendi: ut hac pœnæ seueritate credulũ uulgus ab ista hęresi deterreretur. Hermãnus Contractus.

SIMONIACI.

SImoniacos horum temporum Scriptores uocant, qui gradus aut functiones Ecclesiasticas, pecunia uendebant, aut emebant: qui quidem si omnes pro hæreticis fuissent damnandi, & ex Ecclesia excommunicandi, nulli penè huius ætatis pontifices aut episcopi Romani, pro membris Ecclesiæ haberi debuissent. Narrat Marianus, Carolum quendam, ab Heinrico Imperatore dignitatem episcopatus Constantiensis mercatum esse: qui in Synodo Moguntinà ab episcopis & abbatib. sit depositus. In simili casu Herrandus episcopus Halberstadensis, Valtramum Simoniacum redarguit: ac regem quoq; ipsum eo nomine excommunicauit. Argumentum autem tale contextum est in epistola, quam Ludouici comitis nomine scripsit:

Omnis qui dignitates spirituales uendit, hæreticus est.

Dominus autem Heinricus, quem regẽ dicũt, episcopatus & abbatias uendidit. etenim Constantiensem, Bãbergensem, Moguntí-

guntinensem, Augustẽsem, Strasburgensem, pro gladio: abbatiam Fuldensem, pro adulterio: Monasterienſem episcopatum (quod dicere & audire nefas est, pro Sodomitica immundicia uendidit. Quæ si impudenter negare uolueris, teste cœlo, teste terra, omnes etiam à furno redeuntes, scioli, concludent. Ergo Dominus Heinricus hæreticus est. Dodechinus.

BOGOMILI.

TEmporibus Alexij Comneni, secta Bogomilorum in Oriente grassata est: cuius quidẽ fuit patronus Basilius quidã, habitu monachus, professione uerò medicus. Narrat Zonaras, quindecim annos eum prædos docuisse, peneque totum orbem sua pestilenti doctrina infecisse. Tandem & Cõstantinopolim uenisse, ubi cum Imperator ipsius uirulẽta dogmata expiscatus esset: tandem omniũ consensu, impostorẽ in equestri theatro cõbustum esse. Quæ uerò ipsius fuerint deliria, quibus fascinauit homines, non additur à Zonara, tomo 3.

PAVLICIANA HAERESIS.

DVrabat huius Alexij ætate, & hæc Manichæorum secta, quæ Pauliciana uel à loca trãslata. Cũ autẽ doctrina & ingenij acumine excelleret Impator, in Philippopolitani cum sua aula ueris & æstatis maxima parte uersabatur, disputationem cum ipsis iniit, ac multos ab errore reuocauit, ut refert Zonaras tomo 3.

CAPVT VI.

DE CEREMONIIS ET *ritibus Ecclesiæ.*

DOctrina de fidei articulis horribiliter obscurata, in immensum cultus ab hominibus excogitati creuerunt, & in hominum mentibus altissimas egerunt radices. Misera enim plebecula, salutari Ecclesiæ ministris destituta, quæuis etiã ineptissima sacrificulorum iussa, nec non & somnia, loco uerbi diuini amplexata est.

DE CONGRESSIBVS PVBLICIS.

PVblicos quidem illos congressus in frequenti usu mansisse, uel inde colligi potest, quòd hoc etiam seculo templorum numerus creuit: quæ breuiter hîc recẽsebimus. Eaq; condita leguntur.

In honorẽ Trinitatis. Henricus enim Secundus, & uxor eius Chunegundis, in colle quodam Florentiæ extra mœnia condiderunt templũ S. Trinitatis. Krantz. lib. 4, cap. 3 Saxoniæ.

Christi. Anno 1071, Rabado episcopus, templum Christi Gandauense dedicauit, teste Iacobo Meyer. Athenulphus prẽsul Cassinẽsis, Saluatoris ædem à Berthario inchoatam perfecit. Chron. Cass. lib. 2, cap. 32.

Angelorum. Euerhardus & Albertus ab Eisenburg, in agro Tridentino ædem D. Michaeli condiderunt. Auentinus lib. 5.

Mariæ. Templum Summuntoriani cœnobij, anno 1074 fundatum & consecratum est B. Marię, & S. Petro: ut Bruschius de Monasterijs refert. Romanus Argyropolus sumptibus, quos in ædem, in honorẽ matris Dei extruendam fecit, fiscum regiũ exhausit: ut Zonaras tomo 3 testis est. Guntherus episcopus Bambergensis, in honorem Mariæ & Gangolphi, in loco Trierstad, extruxit fanũ. historia Bambergensis.

Apostolorum. Rex Vngariæ Stephanus, Budæ cũ cœnobio ædẽ ædificari iussit, eãq; Petro & Paulo dicauit: ut Bonfinius libro 1 Decad. 2 refert. Robertus Frisius, cùm fugatis ex fratre nepotibus, & Philippo Frãcorum rege, Flandriam solus belli iure teneret, siue principi Apostolorũ eam uictoriam ferens acceptã, siue à Romano põtifice iussus, ut expiaret cædem nepotis, multa templa in honorẽ D. Petri erexit: & quæ sæuitia barbarorũ olim destructa fuerãt, reparauit: ut Brugis, Hypræ, Hulsti, Bergæ, Orscãpi, Ostẽdæ, Thileti, Marlebeccæ, Maldegheimij, Zuinardæ, & alibi. Frisingæ ædes D. Andreæ dicatur. Auentinus lib. 5. Hermannus pontifex Bambergensis, in Occidentali suburbio delubrũ D. Iacobo extruxit. historia Bãberg.

Fundamenta templi S. Ioannis in monte suburbano Magdeburgensi, iecit Sigfridus abbas, anno 1002. Et Hunfridus episcopus. sacellum D. Petri condidit Magdeburgi: Chronicon Magdeburgense.

Martyrum masculorum. Imperator enim Henricus, ecclesiam collegiatã Bambergensem D. Stephano condidit. historia Bãberg. Guido Beluacẽsis episcopus, prẽsentia Quintini martyris, in cuius ecclesia Virdunẽsi decanus custos q; olim fuerat, se priuatũ dolens, in honorẽ & memoriã eius extruxit sacellũ haud procul à mœnibus Belloacę urbis.

Et episcoporũ. nam Henricus rex Frãciæ, uictoriã de Eudone Cãpanię comite, & Balduino Flandrensi, anno 1034 reportatã, Deo tribuens, templum D. Martini, quod Camporum appellãt, Lutetiæ extruxit, & sacerdotibus secularibus inhabitandum cõcessit. Robertus etiam rex, D. Reguli ædem Siluanecti & D. Amãdni Aureliæ cõdidit. Gãguinus lib. 5. Veneti ecclesiã S. Nicolai splẽdidissimã erexerũt. Chrõ. Cass. li. 3, cap. 67. Nouũ tẽplũ D. Bauonis, anno 1067. Gandaui dicatũ est. Iacob Meyer, Theobaldus abbas Casinẽsis, sacellum

sacellũ in honorẽ S. Seueri ædificauit. Chrõ. Cass. lib. 2, cap. 53. Imperator Henricus in honorem S. Vdalrici, quem plurimum uenerabatur, basilicam Augustæ constructuit: ut in historia Bambergensi scribitur. Hunfridus Magdeburgẽsis præsul, fanum D. Nicolao fecit. Chron. Magdeb.

Fœminarum. Monachi enim Casinenses Ecclesiam S. Scholasticæ ædificarũt Caietæ. Chron. Cass. lib. 2, cap. 42. Isaacius Comnenus ædem S. Teclæ erexit in regia Constãtinopolitana: quòd eo die, quo memoria illius celebratur, periculum quercus corruentis, patrocinio Teclæ effugisset. Zonaras. Balduinus Barbatus Furnis templũ D. Vualpurgis condidit, anno 1030. Iacob Meyer.

Haraldus ecclesiam S. Crucis in Vualthano pago erexit, in qua sepultus est. Malmesb. lib. 3, cap. 20.

Templa quædam uel uetustate, uel alia quacũq; calamitate collapsa, instaurarunt, & deformia ac angusta reddiderunt splendidiora & latiora. Sic Desiderius abbas Casinensis ecclesiam S. Martini, quæ sola fermè de ueterib. ædificijs monasterij reliqua erat, reparaturus, præstantissimos quosq; artifices auro, argento, ære, ferro, uitro, ebore, ligno, gypso, lapideq; sculpendo ac præparando peritissimos Constantinopoli euocauit, & euerso ueteri templo, nouam cœpit fabricam ad 43 cubitos longam, 28 latam, 24 altam. Cass. lib. 3, cap. 32. Et Richerius eiusdem cœnobij abbas, S. Benedicti Ecclesiam plumbeis texit tabulis: & atrij arcus, ad ingressum templi deambulatorios columnis lapideis suffulciuit. Ibid. lib. 2, cap. 93.

In Bauaria passim templa Vngarorum irruptione uastata, ab Henrico Secundo Imperatore restituta scribit Auentinus libro 5 Annalium. Quod pietatis exẽplum reliqui Bauarorum proceres, studiosè imitati sunt. Idem Imperator ecclesiam Basilienſem instaurauit: ut Franciscus Irenius lib. 12 refert. Aldenburgẽses ligneũ fanũ D. Petri, ruinosum, lapidibus oppidi sui olim euersi, reædificarunt, anno 1056. Iacob Meyer. Prodelubro Hirsaugiensi ligneo, Albertus comes Calbensis fecit lapideum. Chron. Hirsaug.

DE DONARIIS, ECCLESIJS SANCTORUM OBLATIS.

AGneta Imperatrix S. Benedicto, quẽ Casinenses colebant monachi, aureas purpureasq; uestes donauit: ac præterea librum Euangeliorum, cuius tabulæ argenteæ, auro obductæ erant: duoq; argentea pocula: ut in Chron. Cass. lib. 3, cap. 30 scribitur. Et Henricus Quartus Imperator, ad Bremensis Ecclesiæ restitutionem, quæ incendio conflagrarat, misit centum ferè pallia, calices argenteos tres, libbrarum decem argenteum uasculum, quo Chrisma seruatur: scutum argenteum deauratum, librum Psalmorum aureis literis depictorum, thuribula & candelabra argentea, dorsalia nouem, casulas 35, Cappas 30, Dalmaticas (ut uocant) tredecim, & unum plenarium, cuius tabula nouem auribras habuit: ut ex Annalibus Bremensium Krantzius in Metropoli lib. 4, cap. 40 refert. Ex præda Giulæ deuicti, qui Stephanum ex sorore nepotem religionis ergò bello laceſsiuerat, magnificum Albę templum constructum est: quod cum sæpius igni conflagraret, publica enata est opinio, ideo id fieri, quòd ex præda quam Giulas per fas nefasq; corraſerat, esset paratum: ut Bonfinius lib. 1 Decad. 2 testatur. Idem rex paulo pòst deuictis Bulgarorum copijs, amplissima spolia templis distribuit. Tertiam quoque prædę partem quam idem deuicto Cupa adeptus est, postib. templi affixit. Ibid. Chunigundis Imperatrix ædem D. Stephani Bambergensem uarijs muneribus & ornamentis adornauit. Hist. Bamb. Imperator Henricus Secundus templo Quedlinburgensi montano, cuius consecrationi intererat, obtulit libram auri. Chron. Magdeburg.

RITVS CONSECRATIONIS & DEDICATIONIS.

RECẽs facta templa ijsdem ritib. quos superiori libro ex ueteri quadam Agẽda annotauimus, hoc seculo consecrata esse, Iuo in sermone de Sacramentis indicat. Bambergensem quidem Ecclesiam præsentibus quadraginta sex episcopis, sacris initiatam esse anno 1011, Marianus Scotus auctor est. Et Bardo pontifex ecclesiam S. Martini Moguntinam, Conrado Imperatore, episcopis & abbatibus plurimis præsentib. dedicauit, anno 1037. Chron. Hirsaug. Dedicationi nouæ Casinensis ædis, præter Alexandrum Romanum pontificem, & Hildebrandum archidiaconum eius, archiepiscopi decẽ, episcopi uerò quadraginta tres, duces, cõites ac nobiles quàm plurimi interfuêre. Plebis uerò tanta confluxit multitudo, ut numerari non potuerit: anno 1071, ipsis Kalẽdis Octobris: ut in Chronico Cass. lib. 3, cap. 28 scribitur.

A Brunone templum S. Laurentij collegiatum VVirtzburgæ, præsentibus Henrico Secundo, Chunigundæ Imperatrice, archiepiscopo Magdeburgensi, alijsq; episcopis & abbatibus, dedicatu est. Chron. Mersburgen-

burgense libro secũdo, capite octauo. Consecrationem basilicæ Ascędunæ, rex Canutus, ac proceres Daniæ & Angliæ, non tantum præsentia sua, sed amplissimis quoque muneribus ornarunt: ut Malmesburgensis libro secundo, cap. 69 testatur. Rex VVilhelmus mandauit omnibus ferè Angliæ episcopis, ut Idibus Maij ad dedicationẽ facti, à Remigio Dorcestrensi præsule recens conditi, conuenirent. Ranulphus libro septimo, capite sexto, in Polychronico.

Adhibebantur etiam ossa sanctorum. Cum enim uetustum templum Hasnonien se, à Baldeuino Montensi reparatum dedicaretur ab episcopis Cameracensi, Nouiomagensi & Aurelianensi, anno 1079: interfuere corpora sancti Marcelli, Piatonis, Saluij, Amati, Donatiani, Vedasti, Amandi, Audomari, Gisleni, Vincẽtij, Bertini, VVinnoci, Bauonis, Euerhardi, Landelini, Hugonis, VVandregisili, Aychadri, Eusebiæ, Rictrudis, Adelgundis, Ragenfridis, Regitrudis, VValdetrudis, &c. ut Iacobus Meyer refert.

Habebatur autem concio in dedicatione. Sic enim Berno scripsit orationem de dedicatione Ecclesiæ. Iuo, ritus dedicationis oratione quadam allegoricôs exponit.

Solebant etiam altaria consecrari. Athelphus enim Cassinensis cœnobij gubernator, in medio Campanarij, in honorem S. Crucis altare quoddam construxit: & ad utrumque latus portæ maioris templi, alterum Trinitati, alterum uerò D. Bartholomæo sacrum posuit. Et in ædicula quadam Stephani sancto Alberto aram condidit. In dedicatione noui templi apud eosdem, Romanus pontifex altaria sancti Benedicti & Ioannis, proprijs manibus cõsecrauit. Beatæ uerò Mariæ, Tusculanus episcopus: sancto Gregorio, Sabinensis: D. Nicolao, Seguinus, sua consecrarunt altaria. Chron. Cassinense, libro tertio, capite uicesimooctauo. Aribo archiepiscopus Moguntinus altare sancto Martino, Piligrinus Coloniẽsis aliud sancto Petro dedicauit Bambergæ: anno 1021. Chronicon Hedionis. Balduinus Saliburgensis episcopus altare maius in Nonnenbergensi cœnobio sacris initiauit, anno 1041: ut Bruschius de monasteriis refert. Iuo in epistolis: Altaria portabilia non aliter consecramus, nisi uel in tatorio compacta, & firmiter sint affixa: unde licet de loco ad locum moueantur, non tamen de loco in quo consecrata sunt, mouentur: à quo si auulsa fuerint, sicut cætera altaria iterum consecrantur. VVezelo archimysta Magdeburbensis, aram suæ eccle siæ cathedralis summam consecrauit, anno milleſimo ſeptuageſimo ſeptimo. Chronicon Magdeb.

Altari moto, tota Ecclesia iterum consecrabatur: motis uerò parietibus, tantum sale & aqua exorcizabatur. Iuo in epistola ad VVilhelmum Fiscannensem abbatem, ex collectionibus Burchardi VVormaciensis episcopi.

Et cryptæ. Sic Hunfridus præsul Magdeburgẽsis, anno 1049, cryptam S. Kiliano dedicauit. Et Hirsfeldensem cryptam dedicatam, ait Schafnaburgensis.

Templa cædibus & alijs sceleribus contaminata, expiabantur. Sic templum Moguntinum, in quo ciues & Fuldenses mutuis cædibus sæuierant, Missarum sacris repurgatum est. Nauclerus uolumine 2. generat. 36. Ecclesia S. Gertrudis Mingelensis, quæ ante aliquot annos, propter negligentiam & iniuriam effusi sanguinis Dominici, combusta putabatur, anno 1046 reparata consecratur, præsente Imperatore Henrico Tertio. Sigebertus.

QVAE CONTENTA *in templis.*

IN templis uerò habuerunt imagines & statuas. Sic enim Cassinẽsis Desiderius, super trabem tredecim quadratas iconas paris põderis & staturæ collocauit, & quinque teretes de eadem suspendit. Chron. Cass. lib. 3, cap. 31.

Christi. In fano diui Miniatis, cum Ioannes Gualbertus Florentinus, fratris sui interfector ueniam supplex petenti ignosceret, imago Christi de cruce pendentis, capitis nutu comprobare eam reconciliationem uisa est: ut Polydorus libro septimo, capite secundo de Inuent. rerum testatur. Cassimi duæ argenteæ cruces tricenarum librarum, in marmoreis stipitibus steterunt. Chronicon Cassinense libro tertio, capite 31. Turris VVinchelumbensis cœnobij fulmine deiecta in templum, crucifixi caput cum dextra tibia, & imaginem Mariæ perdidit. Malmesbur. lib. 4, cap. 19.

Mariæ: ut idem autor est.

Apostolorum. In absida templi Cassinẽsis, sub pedibus sanctorum Ioannis baptistæ & Ioannis euangelistæ, uersus quidam depicti fuerunt. Chronicon Cassinense, libro tertio, cap. uicesimoseptimo. Petrus Damianus in epistola ad Alexandrum papam testatur, in prouincijs Romę finitimis, Paulum pingi ad dextram Christi, & Petrũ ad sinistram: qua pictura olim proculdubio priuatum pontificis Romani reprehenderunt.

¶ Parietes ipsos picturis & carminibus ornabant. Nam abbas Cassinensis absidam

maiorem auro, uarijsq; coloribus pingendam dedit. Et in templi Casinensis mursiuo uirentia quæq;, & effigies quasi animatæ, uernantesq; flores in marmorib. apparent. Desiderius in circuitu maioris arcus, aureis literis hos uersus inscribi iussit:

Vt duce te patria iustis potiatur adepta,
Hinc Desiderius pater hanc tibi condidit aulam.

Et sub Baptistæ & Ioannis euangelistæ pedibus, hos parieti curauit inscribi uersiculos:

Hæc domus est similis Sinai sacra iura ferentis,
Vt lex demonstrat hic quæ fuit edita quondam:
Lex hinc exiuit, mentes quæ ducit ab imis.
Et uulgata dedit lumen per climata secli.

Parietes quoq; omnes pulchra colorum uarietate uestiuit. In uestibulo uersus Marci poetæ aureis literis scripsit: & trib. atrij partibus uarias ueteris & noui Testamenti historias, intus & foris appinxit. Chron. Casinense, lib. 3, cap. 27. In templo Treuirensi aureis literis nomina, tempus & dies passiõis Sanctorum complurium, quorum ossa in crypta ibidem reperiebantur, in pariete signata erant. Sigebertus.

Neq; tantum in templis, sed etiam in alijs locis imagines & statuæ collocatæ sunt. Sic fulmine tacta est facies Richerij abbatis, in tabula Capituli depicta. Chrõ. Casinẽse, lib. 3, cap. 21.

¶ Habebant & altaria, ut ex superioribus patet: eaq; picturis erant ornata. Desiderius Casini rector, aureã in altaris facie tabulam cum gemmis & opere uario Constantinopoli confici: & in ea miracula quædam Christi, & in primis Benedicti, sculpi curauit. Chron. Cas. lib. 3, ca. 31. Tres maioris altaris facies, argento & librarum sculpto & illito uestiuit: aliorum uerò altariũ latera tabulis ornata sunt. ibid. Theobaldus eiusdem cœnobij abbas, altare S. Gregorij argẽtea tabula pulcherrimi operis ornauit. lib. 2, cap. 53.

Et uelaminibus decorata. Albis uelaminibus altaria cooperta, tradit Iuo in sermone de Sacramentis dedicationis.

Et in eis ciboria. In ciborio cuiusdam altaris Casinensis, dicitur suspensa fuisse imago deaurata. Chron. Cas. libro tertio, capite 31.

Ac illic erant reorum asyla. Tornicius enim ab omnibus desertus, cum Bataze coniurationis socio, in templum quoddã, cùm alia euadendi spes ei non esset relicta, profugit: ut Zonaras tomo tertio scribit.

Habebant & columnas. Desiderius enim argenteam columnam librarum uigintiquinque, ex parte deauratam, in modum magni candelabri, sex cubitorum altitudinis, supra basin porphyreticam statuit. Chron. Casinense, libro tertio, capite trigesimoprimo.

Thuribula. Theobaldus Casinensium monachorum pater, duo magna thuribula librarum argenti decem, pulcherrimo opere, & ex una parte deaurato, & aliud quodam argenteum, obtulit Ecclesiæ S. Saluatoris. Chron. Cas. libro secundo, capite quinquagesimosecundo.

Et cancellos. Desiderius lapideis cancellis sancti Martini aram munijt, æreos uerò inter chorum & aditum hinc inde statuendos fecit. Chron. Cas. libro tertio, capite trigesimoprimo.

Candelas & lampades. Idem etiam trabem ex ære fusilem, cum quinquaginta candelabris fieri curauit, in quibus totidem cerei in præcipuis festiuitatibus collocarentur, & ex eadem triginta lampades ęreis uncis dependebant. Alij columnæ magnum cereum, Paschali sabbato benedicendum, imposuit.

Præterea sex candelabra magna, tres cubitos alta, ex argenteis laminis senarum librarum fecit: in quibus, summis festis maximi cerei ad altare accenderentur, ibidem.

Solebant ad imagines candelas collocare, & thymianiata accendere. Nã Romæ ante altare S. Petri, lampas pependit ardens, ad quam alendam sumptus ex Babylonia conferebantur: ut indicat Petrus Damian. in inuectiua in Cadaloum. Desiderius Casinensis coronam argenteam librarum circiter centum, per gyrum uiginti cubitorum, cum duodecim extrinsecus prominẽtibus turribus: triginta sex lampadibus ex eis dependentibus, fecit: eamq; extra chorum ante maiorem crucem catena ferrea, septẽ deauratis malis distincta, suspendit. Chronicon. Cas. libro tertio, capite trigesimoprimo.

Gerhardus episcopus Chanadiensis, ante altare Mariæ argẽteum thuribulum cum perpetuo thymiamate collocauit. Petrus de Natalibus libro tertio, capite centesimo quadragesimoquinto.

Tabulas. Rotingus Fuldensis abbas, ex hac uita excessurus, tabulam gemmatam recens inchoatam petijt perfici: quod successor Egebertus etiã fecit. Valentinus Muntzerus. Henricus Claudus tabulam gemmis auroq; Vngarico ornatissimam, Ecclesię Mersburgensi donauit. Chron. Mersburgense, libro secundo, capite quinto. Imperator Græcorum auream tabulam, opere & pondere insignem, misit Henrico Quarto, qui monasterio Spirensi eãdem donauit: ut in uita eius scribitur. Desiderius Cas. in argentea tabula deaurata, quadraginta quatuor libras habente, omnes Matthæi

thæi euangeliſtæ hiſtorias, & D. Martini a-
cta pulcherrimè ſculpenda dedit. Chro-
nicon Caſs. libro tertio, capite trigeſimo-
ſecundo.

Coronas. Atenulphus abbas Caſsinen-
ſis, in Eccleſia S. Benedicti coronam ar-
genteam uigintiquatuor librarum fecit. i-
bidem.

Veſtes ſacras. Prędislai Boemorum du-
cis milites, expugnata Gneſna urbe Polo-
norum, templum ingrediuntur: aurum &
argentum omne, ueſtes ſacras, & omnem
Eccleſiæ ſupellectilem ampliſsimam au-
ferunt: anno 1038. ut Chromerus lib. 4 de
rebus Polonorum indicat.

Cratères & phialas. Nemitzi Byzantio
occupato, templa ornatu ſpoliarunt, & ſa-
troſanctos crateres & phialas diripuerunt.
Zonaras tomo 3.

Magnus ornamentorum haud uulgari-
um catalogus, quæ Deſiderius Caſsinen-
ſis abbas, poſtea Romanus factus pontifex,
bictorq; dictus, ſuo monaſterio hinc inde ac
quiſiuit. in hiſtoria Caſs. libro tertio, capite
ſeptuageſimotertio texitur. Vnde luxum
magis monachorum, quàm paupertatem,
licet eam tumentibus buccis profiteantur,
animaduertas.

Suggeſtus & pulpita. Deſiderius præſul
Caſsinenſis, pulpitum ligneum extra cho-
rum (inſtar umbonis) pulcherrimum extru
xit, in quo nocte lectiones & epiſtolæ ac
Euangelia ad miſſas præcipuarum feſtiuita
tum legerentur: quod paulo pòſt multò au
ro ſplendidius, & ſubiectis ſex gradibus e-
minentius reddidit. Chron. Caſs. libro ter
tio, cap. 19. Epiſcopi de electione papæ cer
tiorem facturi populum, aſcendunt ambo-
nem. Chron. Caſſ. libro quarto, capite ſe-
cundo. Gregorius Septimus, ubi Cæſarem
excõmunicaſſet, de ſede fortiſsimis lignis
recens compacta ſurrexit. Benno. Ioannes
portuẽſis epiſcopus aſcendit in ambonem,
& inter cætera dixit, &c. Item: Gregorius
Septimus poſt lectum Euangelium, in am-
bonem aſcendit pontificalibus indumen-
tis ornatus. Idem. Hymnus trium puerõ-
rum in pulpito quater in anno decantatur.
Bernо de concordia officiorum. Maiorem
eccleſiam ingreſsi pulpitum aſcendimus.
Damianus in actis Mediolanenſibus.

Sacriſtia. Epiſcopus Treuirenſis Euerhar
dus, in ſacriſtia expirat. Catalogus Treui-
renſis.

Chorus. Robertus rex Franciæ, cum mo
nachis in choro cantauit. Bergomenſis. V-
ta Confugienſis abbatiſſa in choro erat ul-
tima. Hiſtoria Bambergenſis. Eberhardus
quidam chorum templi S. Mariæ & Gan-
golphi extruẽdũ dedit. Hiſtoria Bãbergẽſis.

Sedilia. In circuitu chori Caſsinenſis
cœnobij lignea ſedilia extructa eſſe, libro
tertio, capite nono Hiſtoriæ Caſsinenſium
ſcribitur.

Cryptę. Herueldenſis cœnobij meminit
Lambertus monachus. Et in crypta Bam-
bergenſi Hartuuicus antiſtes humatus eſt.
Hiſtoria Bambergenſis. In Treuirenſi cry-
pta multorum oſſa ſanctorum reperta le-
guntur apud Sigebertum, anno milleſimo
ſeptuageſimoprimo.

In templis etiam ſanctorum reliquiæ aſ-
ſeruabantur, præſertim uerò ea altaribus in
cluſa erant: ut ex libro tertio, capite uigeſi-
mooctauo, & libro quarto, capite octauo.
Caſsinenſis Chronici uidere eſt, ubi multa
putridorum oſsium plauſtra, altaribus in-
cluſa narrantur.

Et Bibliothecas habebant. nam Bremæ
cum fano D. Petri, theſaurum, libros & ue
ſtes ſacras combuſtas ait Krantzius lib. 4,
cap. 27.

Ad conuentum campanis uocabantur.
Theobaldus. Caſsini duas companas ma-
gnas & pulchras fieri iuſsit. Chron. Caſſ.
libro ſecundo, capite 53. Benedictus Vr-
bano pontifici nocte dixit: Cum primùm
nocturnale officium pulſatum fuerit, dolo-
re lateris non amplius laborabis. in priuile-
gio Vrbani Caſsinenſibus dato.

Fuêre autem & diurni & nocturni con-
greſſus in uſu. nam Richardus Normannus
etiam ſolus matutinis monachorum preci-
bus intereſſe ſolitus eſt. Malmesb. lib. 2,
cap. 66. VVilhelmus Conquæſtor matuti-
nos & ueſpertinos plerunque hymnos au-
diuit. Idem lib. 3, cap. 40. Rex Vngarorum
Salomon, ad cœnobium Saxardiæ, ad ue-
ſpertina ſacra diuertit. Bonfinius lib. 3 Dec.
2. Margareta uxor Malcolmi regis Scoto-
rum, in Quadrageſima noctu templum in-
greſſa eſt, atque tribus matutinis officijs de
Trinitate, de Cruce, & de S. Maria, conti-
nuò interfuit. Malmesburgenſ. libro quar-
to, capite ſeptimo.

QVAE IN CONGRESSV *facta ſunt.*

BErno inquit: Eccleſia in præſenti tem
pore habet corporale & uiſibile tem-
plum, uarijsq; ædificijs cõſtructum, in quo
populus fidelis ad audiẽdum Dei uerbum
ſolet conuenire in unum, ut ſit locus oratio
nis, in quo uota perſoluat, ac Chriſti ſacra-
menta percipiat. In ſermone de Dedicatiõ
ne eccleſiæ.

De cantionibus.

Romani uſque ad tempora Henrici Im-
peratoris, nullo modo cecinerunt ſymbo-

lum Apostolicum post Euangelium: sed ab eodem uiro interrogatos, cur ita agerent, me coràm adsistente, audiui huiusmodi responsum reddere: uid. licet quòd Romana ecclesia non fuisset aliquando ulla hæresis fece infecta: sed secundum S. Petri doctrinam, in soliditate fidei Catholicæ permaneret inconcussa. & ideo his magis necessarium esse, illud Symbolum sæpius cantando frequentare, qui aliquando ulla hæresi potuerint maculari. Ac Dominus Imperator non prius desijt, quàm omnium consensu id domino Benedicto apostolico persuasit, ut ad publicam Missam illud decantarét. Sed utrum hanc consuetudinem seruét adhuc, affirmare non possumus, quia certum non tenemus. Berno.

Cantum nocturnalem de Gregorio Magno à Leone Nono cõpositum, Aäron Coloniésis in has terras detulit. Chrõ. Hirsaug.

Sequétiæ meminit Malmesburgensis li. 2, cap. 78. Alleluia & Gloria in excelsis, Anshelmus in 2 cap. Matthæi.

Rationem canendi iuxta tonorum proprietates & differentias, præscribit Berno peculiari libello. Idem de concordia officiorum, recitat has officiorum (ut uocant) cãtiones: Antiphonas, introitus, gradualia, offertoria, communiones. Et in libello de tonis, facit mentionem Alleluia, hymnorũ, responsoriorũ, laudũ matutinarũ, præfationũ, collectarũ: ité, Officij de S. Vdalrico.

Robertus rex Franciæ festa in monasterijs agere solebat: & non modò unà cantare, sed etiam serica cappa indutus, chorũ regere. Itaq; cum incepisset alta uoce, Agnus Dei, mœnia cuiusdam castri, quod ipsius obsidebant milites, ceciderunt. Idem autor esse perhibetur cantilenæ, Sancti Spiritus adsit nobis gratia. Martinus Polonus. Christiani Antiochiæ quotidie cecinerunt: Congregati sunt inimici nostri, & gloriantur in uirtute sua: Contere fortitudinem illorum Domine, & disperge illos, ut cognoscant quòd non est alius qui pugnet pro nobis nisi tu Deus noster: Disperge illos in uirtute tua, & depone eos protector noster Domine. Vincent. lib. 25, cap. 100. Stephanus Nonus, Ambrosianum cantum in ecclesia Cassinési cãtari omnino interdixit. Chron. Cass. lib. 2, cap. 92.

De precationibus.

Dilectione proximi non inconuenienter fiũt in Ecclesia orationes à Sãctis, pro schismaticis & hæreticis, Iudæis quoq; & gentibus. Anshelmus in libro de Voluntate Dei.

Aaron Cracouiensis episcopus, diœcesim psalmodijs & precationib. ijs quæ uulgò Graduum dicuntur, onerauit. Chromerus lib. 4. Dagon pontifex Magdeburgensis, in choro ad gradus etebrò orare solebat. Chron. Magd.

Preces Missarum, cum lectionibus Euangeliorum & epistolarum plerunq; congruebãt. Berno de Concordia officiorum. Gregorius Septimus uitæ Henrici Quarti, in oratorio quodam preces recitanti s, inlidiatur. Benno.

De lectionibus.

Monachus iuuenis ad Missam Lanfranci legit Euangelium. Antoninus. In feria quarta duæ lectiones leguntur, in sexta tantum una. Berno, de ieiunio quatuor temporũ. Fortassis primis temporibus solius Pauli epistolæ legebantur: postmodum aliæ inter mixtæ lectiones sunt, non tantum de nouo, uerùm etiam de ueteri, prout solennitatum ordo poscebat, Testamento. Idem in libro de Concordia officiorum. Ac lectiones Euangeliorum, epistolarũq; eo ordine, quo nunc proponuntur Ecclesiæ, in usu fuisse, constat ex eodem cap. 5 de Concordia officiorum. Lector uim accentuum sciat, distinctè legat, ne confusione pronunciationis intellectum auditoribus auferat. Iuo de Excellentia sacrorum ordinum.

Erat autẽ diuersa apud Romanos & Germanos lectionũ ratio, ut Crantzius indicat. Cum enim, inquit, Romanus pontifex Leo apud Imperatorẽ Heinricum Tertium manens, natale Domini perageret Vuormaciæ, Missarum celebratione in sancta die peracta, ut oportuit, Apostolico ritu, in sequenti Luitpoldum Moguntinæ sedis archiepiscopum, utpote in sua prouincia potissimũ surrogauit officio. Cumq; peracta processione, & dicta oratione, pontifex in sua sede de more consisteret, subdiaconus lectionem sacram peregit: quam cum non ex ritu Apostolico, sed pro consuetudine suæ Ecclesiæ pronũciaret, admonitus à suis Romanus pontifex, lectorem curauit admoneri, ut Romano ritu, præsente summo pontifice pronunciaret. quod cum ille contemneret, & iterum admonitus perstaret, papa expleta lectione, uocatum ab omni officio degradauit. Verùm urgente archiepiscopo, suæ dignitati restituitur. lib. 4, cap. 45 Saxon.

Constantinopoli Græcę & Latinę fiebãt lectiones, ut & Græci & Latini intelligerẽt: teste Bernone de Ieiunio quatuor tẽporũ.

De concionibus.

Secunda feria Paschæ, Gregorius Septimus Romæ habuit concionẽ. Benno. Leo Nonus, in natali Lucæ concionatus est Bãbergæ. Hist. Bambergensis. Tanta aũt fuit negligentia concionatorum, ut Sathanas & omne inferorum satellitium, literas de tartaro emiserint ad uniuersum Ecclesiasticũ cœtũ, in quib. gratias egerunt, quòd non modò

modò ipsis uoluptatib. indulgerent, uerùm etiam prædicationis iniuria tantũ sibi subiectarũ animarũ numerũ ad inferos descendere facerent, quantũ superiora secula nũquam uiderunt. Malmesb. lib. 3, cap. 9.

De oblationibus, Martinus Polonus inquit, peregrini Romam ituri spoliabantur, & peruenientium oblationes uiolenter distrahebantur. Diuersi generis oblationes in Missa à populo fieri, testatur Iuo de Concordia ueteris & noui sacerdotij.

Modestiam autem non solum in publicis congressibus præstandam, sed loca etiam ipsa sacris destinata, reuerenter colenda esse, Canon nonus in Synodo Salegunstadiensi conditus monet: Statuit sancta Synodus, ut mala consuetudo, quę apud omnes pene iam inoleuit, omnino prohibeatur: hoc est, quòd colloquia sua in atrio alicuius Ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ipsa maximè exercent in Ecclesia, ubi orationes & diuina tantum fieri æquum est officia. Decretum etiam in eodem concilio est, ut nemo gladium in Ecclesiã portet, regali tantum excepto: cap. 8, tomo 2 Conciliorum.

Nudis & lotis pedibus Christiani adiebant semper templum Hierosolymitanum. Hedio in Chronicis.

Solebant etiam in templis Synodi celebrari. In Goslarien si templo, ubi frequens principum, episcoporum & abbatum erat conuentus, armis de loco disceptatum est inter Fuldensem abbatem & Hildesiensem episcopum, ut Lampertus indicat.

Et iuramenta, & homagia. Sic enim archiepiscopus Mediolanensis hæreseos crimine se purgans, iurauit ad altare sanctum. Damianus in actis Mediolanensibus.

DE RITIBVS CIRCA *baptismum.*

BAptismum administrabant episcopi & sacerdotes. Henricus enim Henrici Tertij filius, anno 1051 Coloniæ ab archiepiscopo Hermãno baptizatur. Contractus. Albertus Pragensis episcopus, Vngarorum regem baptismate tinxit. Gigas. Ezo episcopus Aldenburgensis, filium Imperatoris baptizauit Hirsfeldię, anno 1074. Schafnaburg. Sacerdotes uocantur dispensatores sacramentorum ab Iuone, in sermone de Sacramentis neophytorum.

Ab excommunicatis uerò etiam infantem unius diei, urgente necessitate baptizari, nõ permittebatur: ut Berno in Vita Hildebrandi annotat.

Quòd uerò laicis etiam & paganis baptizare permittatur, Algerus libro tertio, capite 6 probat, testimonijs Gelasij & Isidori.

Tempus quodlibet licet commune & liberum fuerit, tamen plerunq; ad paraseuen paschæ distulerunt. Iuo enim de sacramentis neophytorum ait: Quarta hebdomada quadragesimalis obseruãtiæ, & quarta eiusdem hebdomadæ feria, catechisandi & exorcizandi deferuntur ad Ecclesiam, ibi audiendi & instruendi, qualiter contra spirituales nequitias sint pugnaturi: sed tamẽ usque in sabbatum paschale, baptismus eorum differtur.

Nec tantum adultos, uerùm & infantes baptizarunt: hosque infirmos, statim ubi in lucem editi sunt. Sic filius Imperatricis tertio natiuitatis die, propter imbecillitatem & metum mortis baptizatus est. Schafnaburgensis. Anshelmus in sextum caput ad Romanos: Profectò & paruuli, qui baptizãtur in Christo, peccato moriũtur, quia in morte ipsius baptizãtur. Nullo enim excepto dictum est, Quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Anno 1071, regina Moguntiæ peperit filium, qui baptizatus statim obijt, & Hartisburgi sepultus est. Schafnaburgẽsis. Postquã Ecclesia dilatata est, & congregata in gentibus, nec inter fideles repertus aliquis adultæ fidei, nisi fidelis, ne paruuli eorum de hac uita ante rationabiles annos exeuntes, alieni remaneant à consortio Christi, prouisa est illis & medicina salutis, ut in sacramento fidei baptizarentur, & per alterius fidem reconciliarentur Domino, sicut per alterius peccatum abalienati erant à Domino. Institutum itaque est ad hoc, nouum quoddam sacramentorũ genus, ad catechizandos paruulos initiãdos, & demum baptizandos, in quibus pro paruulo audit Ecclesia, & ad interrogata respondet, & spondet, donec paruulus ad intelligibiles annos perueniat, & sacramenta fidei, charitatis & spei sibi imposita per se intelligat. Iuo de Sacramentorum dedicat.

Adultos prius in doctrina Christiana instrui oportebat. Anshelmus in tertium caput Matthæi: Beatus Clemens, & quidam alij sancti uiri, illis qui turpiter uixerant, & conuersi baptizari uolebant, septem dies abstinẽtiæ, uel etiam plures ad præparationem iniungebant, unde adhuc in Catechumenis aliquod spacium ante baptisma præstituitur. Item, sacerdotibus & exorcistis ad catechizandum estis oblati. Iuo de Sacram. dedicat. Nouæ uitæ auditorib. symbolum Apostolicum tradi, Iuo de Sacramẽtis neophytorum testatur. Eamq; publicè ante baptismum profiteri solebant, ut Meginhardus de fide scribit.

Patrini adhibebantur pij & honesti, qui infantum loco respõdebant: ut idem in lib. de Fide testis est. Ita & abbas alijq; monachi Hirsfeldenses, filium Imperatoris de sacro fonte susceperunt: cum alij non adessent, qui eo munere digni uiderẽtur. Schafnab. Manibus patrinorum, inquit Iuo, ad Ecclesiam fuistis allati. De sacramentis dedicationis.

Renunciare diabolo, operibus ac pompis eius, solebant. Anshelmus enim in epistola ad Henricum regem Angliæ inquit: In baptismo promisi me seruaturum legem Dei. Et: In catechisatione uestri ipsa fidei professio, & prauorum morum renunciatio à uobis exigebatur. Iuo de Sacramentis dedicationis. Item: Paruulus ad baptismũ oblatus, interrogatur à sacerdote, Abrenuncias sathanæ & omnibus operibus eius, & omnibus pompis eius? & respondet per ora gestantium, Abrenuncio. Post renunciationem uerò, ungitur catechumenus oleo sacro in pectore & inter scapulas. hinc quæritur ab eo, Vtrum credat in Deum patrem omnipotentem, & in Iesum Christum filium eius uerum, Dominum nostrum, & in Spiritum sanctum, unum Deum in Trinitate & unitate, & an confiteatur unam esse sanctam catholicam Ecclesiam? & si credat remissionem peccatorum, & uitam æternam. Idem de sacramentis neophytorum.

Ac cruce signatur baptizandus in fronte, pectore, oculis, auribus, naribus, ore. nam crucis uirtute diabolus est uictus, & Christus exaltatus. Iuo de sacrã. neophyt. Sal benedictum inseritur ori baptizandi, & exufflatur, ac exorcizatur ante baptizationem, postea tanguntur ei nares & aures cum saliua, ut idem habet. Berno ait: In die secundæ natiuitatis nostræ per aquam regenerationis nos lauit, suæq; sapientiæ sale condiuit. In sermone de Assumptione Marię.

Ac nomina eis imponebantur. Filius enim Henrici Quarti, inter baptizandum nomine proaui sui Conradus uocatus est. Schafnaburgensis.

Fons baptismi benedici solebat, teste Iuone de sacramẽt. neophytorũ. Sacerdos ubi saliua tetigit nares & aures baptizandi, confert se ad fontem baptismi, quem consecrat in nomine patris & filij & Spiritus sancti. Euerhardus Treuirensis, ubi baptisma consecrasset, dolore expirauit. Catalogus Treuirensium.

Ad lauacrum adultos nudari oportebat. Inquit enim Anshelmus in tertium caput Matthæi: Dominus uult suo exemplo docere, quid alios oporteat facere, ne ab infe-

riori dedignetur baptizari, uel in conspectu hominum denudari nullus posteum erubescat. Et Berno in epistola ad VVerinherum inclusum: Nudi nascimur, nudos nos suscipit sancta mater Ecclesia in sacro baptismate.

Vtebantur aqua frigida. Humbertus in responsione ad libellum Nicetæ Pectorati inquit: Si aqua illa (de latere mortui Christi lancea aperto manans) caluit, quare & aqua baptismatis non calefit?

Baptizandi ter aquę immergebãtur. Terna immersionem triduanæ sepulturæ imaginem esse, asserit Anshelmus in secundum caput ad Colossenses. Et in sextum caput ad Romanos: Quemadmodum ipse fuit sepultus corpore, sic peccatum nostrum lateat, & sepeliatur sepulchro aquæ. Sicut ipse tribus diebus in sepulchro iacuit, sic nos tribus uicibus sepulchro baptismatis immergimur. Nam quòd tertiò mergimur, triduanæ sepulturę sacramenta signamus: & dum tertiò ab aquis educimur, resurrectio triduani temporis exprimitur. Iuo etiam de sacrament. dedicationis, meminit trinæ immersionis. Item de sacramentis neophytorum inquit: Sub responsione igitur trinæ interrogationis, trina immersione catechumenus à sordibus uetustatis abluitur, & nouum hominem induit.

Albis uestibus baptizati induebantur. Iuo de sacramentis dedicationis: Post baptismum & unctionem olei, data est adultimum uobis uestis candida, caput & membra cooperiens. Et de sacramentis neophytorum idem ait: Exinde traditur Christiano uestis candida, ut qui primæ natiuitatis decorem uetustatis pannis obfuscauerat, habitu regenerationis gloriæ præfert indumentum. Item: Tegitur post sacram unctionẽ caput eius sacro uelamine, ut intelligat se diademate regni & sacerdotali dignitate potiri. Ibidem.

Postremò datur cereus accensus in manum baptisati, ut admoneatur, quòd debeat lucere coram hominibus. Idem.

Cùm ad intelligibiles peruenerit annos baptisatus, admonendus est à presbyteris, & ab his per quorum uocem abrenũciauit, & fidei symbolum accepit, ut quod per alio rum ora promisit, tum studeat corde credere, proprio ore profiteri & imitari. Et rursus: Baptizatus suum susceptorem ut parentem diligat. Iuo de sacramentis neophytorum.

Baptismum iterare fas non erat. Anshelmus enim in 10 caput ad Hebræos ait: Christus iterum immolandus non est pro peccatis, quod semel factum est, & secundo opus nõ est: sed

est: sed magis nos oportet in fide & bonis operibus manete: Non excludo pœnitentiã, sed secundum baptismũ, &c. quia rebaptiza rinChristi morte non possumus. Qui enim iterat baptismum, iterat rursus morte Christi, ut ex ea iterata, fiat iterata remissio: sed hoc impossibile est.

DE CONFIRMATIONE *& chrismate.*

BAptisatos uel tum statim, si erant adulti, uel annis aliquot pòst, si infantes fuerant, impositione manuum & chrismatis in fronte consignatione confirmare in more habebant, ut ex Iuone de sacramentis dedicationis uidere est: post baptismum, inquit, oleo sancto uncti fuistis in capite, in pectore, & in dextro humero. Item: Sancta Ecclesia prius aqua mũdatur in fonte baptismatis, & sic unctione insignitur. Ibid. Cũ baptizatus de fonte ascenderit, sacro chrismate ungitur in ceruice. Iuo de sacramentis neophytorum. Et: Populi baptizati quasi pœnis oblationis liniuntur, cum per manus impositionem sacro chrismate, ad agonem fortiter tolerandum, contra spirituales nequitias confirmantur. Idem in tractatu de conuenientia ueteris & noui sacerdotij. Ideo chrismate uncti sumus, quia luctatores sumus effecti. Anshelmus in nonum caput prioris ad Corinthios epistolæ. Oleum quia athletis est congruum, incendio & lumini obnoxium, ut contra spirituales nequitias humana fragilitas fortius muniatur, oleo chrismatis in baptismate & confirmatione perungitur: ut sicut datus spiritus geminæ dilectionis, animam fide illuminet, dilectione inflammet, spe cœlesti muniat & roboret. Algerus libro tertio, capite quarto, de Eucharistia.

Ac fiebat confirmatio ab episcopo in cœrũ hominum. Spiritus sancti gratiam, primò in sacro fonte baptismatis, deinde per impositionem manuum episcoporũ plenius percipimus. Berno in sermone de Pentecoste.

Casus circa baptismum.

Cum Gregorius septimus uxoratos sacerdotes mouisset à diuino officio, laici quidã sordido aurium humore pro sacro oleo & chrismate utentes, unxerunt infantes. Sigebertus, sub annum 1074.

Græci rebaptizabant apud Latinos in nomine S. Trinitatis, & paruulos moribundos ante octauum à natiuitate diem: & mulieres paganas partu uel menstruo laborantes, baptizari prohibebant. Sigebertus sub anno millesimo quingentesimo quarto.

RITVS CIRCA CLAVES.

De claue ligante.

VTebantur autem claue ligante contra obstinatos, notoriè impios, & manifestè facinorosos. Iuo Guidonem Puteacensem clericalis militiæ desertorem, sacrilegum oppressorem uiduarum & pupillorum, indebitarum angariarum (uti loquuntur) exactorem, cum suis sequacibus sathanæ tradidit: & à Pascali papa excommunicationem nõ solum ratam haberi impetrauit, sed insuper Senonum, Aurelianensi & Parisiensi episcopis idem pontifex iniunxit, ut eodem feriant anathemate Guidonem: ut ex Iuonis epistolis ad eosdem scriptis uidere est. Leo nonus Godfridum Baldeuinum, & Theodoricum, declaratos hostes & proscriptos, quòd Cæsari non seruassent fidem, diris deuouit. Auentinus.

Ac tales arcebant à communione, licet nondum solenniter essent indicati Ecclesiæ. Vuilhelmus enim pontifex Roschildensis, rem diuinam pro more acturus, Suenonem regem, qui læsæ maiestatis delatos proceres occìdi in templo sanctę Trinitatis orantes iusserat, consueta occurrendi uenerationem non modò non excepit, sed etiam ingressu sacrarij prohibuit: quòd aditu sacri loci, quem ciuili sanguine polluisset, indignus esset: & aculeo uirgæ pastoralis pectori regis infixo, iusit eum parricidij pœnitentiam agere: nec non communicationis sententiam statim in eum prę sentem protulit. Saxo Grammatic. libro 11.

¶ Abusi tamen sunt interdum ea potestate contra orthodoxos. Sic Hildebrandus & episcopus Mogũtinus omnibus festis clericos uxoratos & cõiugium sacerdotum tuentes, excommunicauit. Hedio historię Ecclesiasticę libro nono, capite decimoquinto & decimosexto: Auentinus libro quinto.

Et innocentes. Hildebrandus Imperatorem Henricum absentem & insontem, diris execrationibus aliquoties deuouit (Bennone & Platina testibus) quòd non omnia ad suam uoluntatem ageret, & ius maiorum in eligendo Romano pontifice tueretur. Auentinus.

Et ad inquirendam ueritatem. Humbertus sub districti anathematis præcepto, authores tumultus in Cassinensi cœnobio inter monachos agnoscit. Chronic. Cass. libro secundo, capite nonagesimosexto. Henricum Secundum suos ad expeditionem Polonicam sub comminatione excommunicationis exciuisse, in Chronico Magdeburgensi scribitur id, quod de politica proscriptione intelligendum est.

Et ad iuramenta politica, & fidem magi-

ſtratui debitam diſſoluendam. Gregorius Septimus proceres, populum, ſacratos, prophanos, ſacramento ſoluit, qui Cæſari fidem frangant, principi ſuo rebellent, Rudolpho adhæreant: eosque ab inferis in cœlum transfert, incendia, cædes, & quæ bello deſignari ſolent ſcelera indulget, alijs omnibus Cæſari fidem ſeruantibus diras imprecatur. Auentinus. Vrbanus decreto ſanxit, excommunicato non eſſe ſeruandum iuramentum, ne à ſubditis quidem. Deo enim magis obediẽdum quàm hominibus. decimaquinta quæſtion. 6. C. Iuratos. Obſerua mihi lupos Romanos quouſque procedant.

Præcedebant autem, præſertim in peccatis nondum notorijs, admonitiones ad pœnitentiam: quibus ſpretis, ſequebatur excommunicatio. Stanislaus enim Cracouienſis epiſcopus, præmiſſa admonitione iuxta normam Eccleſiaſticæ diſciplinæ, primùm Bolislao regni excidium, niſi conuertatur, propter iuiuſticiam & tyrannidem comminatur: qua quidem oratione ſpreta, eum anathemate percutit, & Eccleſiæ introitum prohibet. Crantzius lib. 3, cap. 13. Vandal. Iuo Carnotenſis, VVilhelmus Pariſienſis, Gualterus Meldenſis, & Humbaldus Altiſiodorenſis, obiurgant Philippum Trecaſsinũ epiſcopum, quòd ad Stampenſe concilium non uenerit: monentq; ut ad Metropolitanum dicto die accedat, & de obiectis criminibus ſe purget, niſi excommunicationis ſententiam incurrere uelit. Iuo in Epiſtolis. Epiſcopus Moguntinus ſingulis diebus feſtis, inter ſacra Miſſarum ſolennia, eos qui Synodum Erphurdienſem, ubi de cœlibatu clericorum tractatum fuerat, turbarant, ſub epiſcopali banno ad pœnitentiam reuocauit. Schafnaburgenſis.

Excommunicatis porrò non licebat intereſſe ſacris. Sic Anshelmus in epiſtola ad Guilhelmum abbatem ſcribit: Comes ueſter, qui excommunicatus uobis diuina celebrantibus ſe miſcet, mihi uidetur humiliter admonendus, ne contemnendo ſententiã eorũ quib. Deus affirmat ſe audiri cũ audiuntur, & ſperni cũ ſpernũtur, ſe ligare cũ ligant, & ſoluere cũ ſoluunt, aggrauet ſuper ſe iudicium Dei, à quo nuſquam homo fugere poteſt. Præterea Sanctio Puteacenſibus interdixit celebrationes Miſſarũ, mortuos ſepelire, & chriſmate uti: ut ex Iuonis epiſtola ad Sanctionem uidere eſt. Ruperto Augienſi Gregorius Septimus interdixit omni eccleſiaſtici ordinis executione, præter pſalmodiã: eo quòd Romam uocatus, de obiectis criminibus ſe non purgaſſet. Chron. Hirſaugienſe.

Cum excommunicatis non licebat familiariter conuerſari, neque cibum capere, neq; eos ſalutare, multo minus in rebus ſaeris participare: ut ex Hildebrandi hiſtoria patebit, qui cunctos Henrici familiares anathemate percutit. Et Vrbanus ſtatuit: Neque cũ hominib. ab epiſcopo excommunicatis, neq; cum ijs quibus epiſcopus non communicat, eſſe habendam conſuetudinem. 11. q. C. quibus epiſcopi. Epiſcopus Colonienſis quendam excommunicauit, qui cum moniali ex cœnobio abducta, matrimonium contraxerat, ut nemo cum illo colloqui aut conuiuari auderet. Malmeſburg. lib. 2, cap. 63.

Excommunicationis formulas hac ætate uſitatas, Lector in capite de Schiſmatib. & concilijs inueniet.

De claue ſoluente.

Excommunicati, aut notorijs peccatis contaminati, agentes pœnitentiam recipiebantur, ſi peccata confiterentur, & pro ijs diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſatisfacerent. Sic Hugonem Puteacéſem timore Dei tactum, & corde compunctum, atq; eccleſiæ Carnotenſi ablata reſtituentem, Iuo epiſcopus recipit: atque ut Lambertus Senonum archiepiſcopus eundem anathemate liberet, rogat. Iuo in epiſtolis. Sueno rex Daniæ excommunicatus, regiæ maieſtatis inſigni bus depoſitis, pœnitentiæ ſagulum induit: & nudis pedib. in templi atrium ingreſſus, in eius aditu ſe proſtrauit, ac terræ olculo ſixo dolorem uerecundia compreſsit. Deinde hinc pontifici per ſatellites ſignificat, ſe adeſſe foris. Epiſcopus autem clero conticere iuſſo, regem adit, & quid ita ſe gerat, interrogat? tum ille confeſsione criminis facta, religioni ſe ſatisfacturum promittit, ueniamq; poſtulat. Mox epiſcopus execratione remiſſa, iacentem amplexus, abſterſis lachrymis, depoſitisque doloris inſignibus, & cultum & animum regium reſumere iubet: Non licere, inquiens, priuatum mœrorem publicis intereſſe tripudijs. Deinde imperatis pœnitentiæ rebus, cantores ad recipiendum eum obuiam procedere ſimul præcipit: qui uenerabiliter exceptum, ad aram uſque perduxêre. Poſt hæc, omiſſa altaris ſacra perficiuntur. Rex biduum quietè egit, tertio demum die regio ornatus ueſtitu, inter ipſa Miſſæ ſacra, excelſam ædis partem conſcendit: & ſilentio per præconem modeſtè indicto, coram omnibus ſuum facinus religionisque profanationem faſſus eſt. Præſul pro conſtantia muneris gratias agit: & ad expiationem criminis, dimidum Stefnicæ prouinciæ, aris conferri mandat. Saxo Grammaticus libro 11.

Pœniteſſa-

Pœnitentes quoque certis signis tristiciæ petebant absolutionem. Archiepiscopus enim Colonien sis celebrata Missarum solennitate apud S. Georgium, eos qui pontificem sede propria expulissent, Ecclesiam homicidio polluissent, templum sancti Petri hostiliter impetissent, cæteraque religionis iura ausu nefario temerassent, episcopali banno ad satisfactionem uocauit. Protinus autem illi omnes nudis pedibus, laneis ad carnem induti processerunt. Schafnaburg. Item, episcopi & laici, quos papa excommunicauerat, quosque Heinricus Imperator huius rei gratia à latere suo extrema necessitate compulsus amouerat, à pontifice Romano Canusij, ueniam rebellionis & liberationem ab excommunicatione nudis pedibus, & laneis ad carnem induti, suppliciter postulabant. De Imperatore postea audiemus.

Marchio quidam Bernhardus à Gerone quòd in urbem Magdeburgẽsem impetu facto equitem auratum cepisset anathemate percussus, nudis pedibus accedens cilicioq; indutus, sese liberari petijt. Nam & canes ab eo tempore excommunicationis panem recipere detrectabant: ut in Magdeburgen si Chronico scribitur.

Oportebat aũt tum excõmunicatos, tum etiam alios confitentes, sua peccata sacerdoti enumerare. Sic Michael Polensis heremum ingressus, ad Petrum Damianum confessionis gratia uenit, & præteritæ uitæ suæ ordinem: ut ipse Petrus in epistola ad Paulum monachum testatur. Et Sueno Danorum regem, cum ab anathematis uinculo soluendus esset, publicè in templo exeminẽtiori loco suum facinus professum esse, paulò antè diximus.

In primis autem Romani põtifices, in eos qui sibi aduersabantur, plus iusto crudeles erant: dum in pœna Ecclesiastica infligẽda, non tam delinquentis saluti consulebãt, quàm suę libidini & insatiabili uindictæ cupiditati indulgebant. Nam Germanorum tum episcopis, tũ laicis, qui Heinrico Quarto fauebant, ultrò profitentibus se peccasse, & simul quidquid pœnitentiæ loco sibi imponeretur, æquissimo se laturos animo promittentibus, Hildebrandus pontifex tamen nihil motus, episcopos omnes à se inuicem separatos, præcepit singulis cellis solitarios includi, nec ullum cum aliquo habere colloquium: ad uesperam autem cibi & potus mediocri mensura refici. Laicis quoq;, pro ætatis & uirium consideratione, congruẽtem singulis pœnitentiam indixit. Ita per aliquot dies excarnificatos tandem ad se uocauit: & leniter pro admissis obiurgatos, & ne deinceps simile quid admitterent cõmonitos, ex communicatione absoluit: abeuntibusque id ante omnia repetẽs iterum iterumq; præcepit, ne regi Heinrico, donec sedi Apostolicæ post factam iniuriã satisfeciisset, aliquatenus communicarent: aut ei ad euertendum statum reipublicę, turbandamq; pacem Ecclesiasticam, in ulla re operam suam præstarent. Erga Imperatorem igitur pontifex, reuera diaboli uicarius, hominẽ prorsus exuit: licet Mathilda socrus Imperatoris, Azo quidam Marchio, & Cluniacensis abbas, alijque non pauci numero primarij Italiæ uiri, pro ipso intercederent, ac ut anathematis solum uinculo solueretur obnixè peterent, ac pollicerentur: ipsum Imperatorem de cæteris quocunque die & loco pro pontificis arbitrio responsurum. Vix tandem igitur admissum, depositis omnibus ornamentis, & tradito se omninò in potestatem papæ, inaudiis conditionibus extortis, absoluit. qua de re infrà in capite de Schismatibus, plura Lector cognoscet.

Romanorũ autem carnificinam & immanitatem, eorum mancipia episcopos pleroſq; sedulò æmulatos esse, Petrus Damianus in epistola ad Paulum cerebrosum testatur. Ait enim præcepisse, ut ad pœnitentiam uenientes prius in oculis suis uerberarẽtur. & alios quidem coactos uicenas, alios tricenas, nonnullos quinquagenas, sexagenas, centenas, ducentenas, trecentenas plagas (ô carnifices episcopos) pro delicti ratione sustinere, alios loricata uti ueste, alios ferreis uinculis membra constringere, alios palmas & caput sæpius terræ allidere. Gerardo Flandriæ episcopo, qui Scachtorum (ut uocant) ludo præfuerat, pœnitentiam hanc iniunxit ipse Petrus Damianus, ut ter Psalterium meditando (scilicet) percurreret, quia sponte sua non lecturus uideretur: ac duodecim pauperum pedes lauaret, cum totidem numismatum erogatione: nam manibus potisimum peccarat: seu precium quod lucratus fuerat lusu, hoc est, rapinam, uolebat in holocaustum conferri. ibidem.

Et in alia quadam epistola idem ait: Canonica uetat authoritas, ne pœnitenti sacerdos unius diei ieiunium relaxet, nisi ad præsens digni precij per eleemosynam taxatione compensetur. Ibidem hortatur monachum, ne pro alterius fratris satisfacere promittat peccatis, ne morte præuentus, in purgatorio satisfacere cogatur.

Mediolanensibus clericis, qui data pecunia ad ordines sacros peruenerant, & in ijs coniuges uixerant, imposita est pœnitentia, ut quinque annorum pœnitentiam susciperent, hoc modo: ut omni tempore, æstate simul & hyeme, duos dies: duabus uerò

anni

anni quadrageſimis, Natalem uidelicet & ſanctum Paſcha præcedentib. tres dies per hebdomadam ieiunarent in pane & aqua. Alijs uerò pro qualitate delictorum, hac in parte, longior pœnitentia eſt impoſita. Qui autem ieiunare facile non poterat, habebat licentiam, unum ex his diebus per omnem hebdomadam redimere, ita quidem, ut unum pſalterium meditaretur, aut unũ pauperem paſceret, & lotis pedibus nummum porrigeret. Hoc inſuper domino archiepiſcopo promittere ſunt coacti, quòd ſi omnes orationis cauſa procul eſſet ablegaturus, ſiue uidelicet Romam, ſiue Turonum, non grauatim uellent parêre. Ipſe autem archiepiſcopus, profecturum ſe ad beati Iacobi uenerabilem tumulum qui eſt in Hiſpania, recipiebat. His itaque tali modo reconciliatis decretum eſt, ut mox impoſitione manuum redderetur officium illis pręcipuè, qui & literis eruditi, & caſti & morum grauitate uiderentur excellere. Reliqui cogebantur eſſe contenti, quòd in Eccleſiã erãt recepti, à qua fuerãt excluſi. Acta ſynodi Mediolanenſ. apud Petrũ Damian. Euerhardus Treuirenſis archiepiſcopus Conrado Lutzenbergio, à quo fuerat captus, iniunxit traſmarinam peregrinationem, ad expianda peccata. Catalogus Treuirenſis.

¶ Proprio quoque arbitrio homines peccatorum conſcientia puncti, pœnitentias ſibi iniungebant. Godfridus enim Lotharingus cremati templi Viridunenſis tantam egit pœnitentiam, ut publicè ſe uerberari pateretur: & capillos ſuos, ne tonderentur, multa pecunia redimeret: ſumptus ampliſsimos ad reædificandam Eccleſiã daret: & in opę cęmẽtario p ſeipſum plerunq;, uilis mancipij miniſterio functus, deſeruiret. Schafnab. Albertus Bremenſis, pœnitẽs de uerbis, q̃ incautè, ptulerat, omnib. anteceſſoribus ſe inferiorem profeſſus eſt: ac ſtatuit, ſe deinceps per ſingulos anteceſſorum ſuorum anniuerſarios, de cur te Bramſtede conuiuia fratribus atque pauperibus lautiſsima atque ampliſsima adornaturum. Sic ſcilicet etiam inter ſpumantia pocula, cùm uino corda in caluêre, pœnitentia agitur. Reliquit & hoc ſignum pœnitentiæ ſuæ mirabilis, quòd poſt diem expulſionis ſuæ nunquam balneis uſus eſt, nunquam hilaris uiſus, rarò proceſsit in publicum, uel ad conuiuium, niſi quando in curiam, aut die feſto in templum eundum fuit. Metropolis Krantzij libro quinto, capite nono. Ericus Daniæ rex, ut cædem quatuor militum expiaret, uouit profectionem in palæſtinam. Saxo Gram. libro duodecimo. De uera enim cognitione peccatorum ex Decalogo, & de fide in Chriſtum ex Euangelio, qua ſe conſternata pectora erigere debebant, neque ipſi paſtores, neque oues quicquam habebant cogniti.

Salomon Vngarorum rex, homo ferax & arrogans, & multis facinoribus celebris, ſpontaneam ſubiens pœnitentiam, in ſolitudinem procul ueluti urſus confugit, ibique in opaco antro iacebat in frondibus ſicis, famem agreſtibus pomis & herbis ſpontè naſcentibus, ſitim aqua frigida ſedabat, ſomnum uigilia & labore conciliabat, & in antro quandoque hymnos cantabat. Bonfin. Decad. 2 lib. 4.

¶ Hæreticos porrò uel ab ijſdem ſeductos, acta publicè pœnitentia, impoſitione manus ſacerdotalis recipiebant. Si quis à fundamento fidei remotus fuerit, per manus impoſitionem Chriſti corpori, quod eſt Eccleſia, reconciliandus eſt, inquit Iuo in epiſtolis. Roſcelinum, qui diſputationib. ſuis quoſdam in Gallia ſeduxerat, Iuo literis monet, ut palinodiam cantet: & ueſtem Domini publicè ſciſſam, etiam publicè reſarciat, ſitque alijs exemplum correctionis. Item: Nemo ab hęreſi reuertens, Eccleſiaſticæ cõmunionis particeps eſſe permittitur, niſi peruerſum dogma uinculo anathematis damnauerit, inquit Lanfrancus de ſacramento Euchariſtiæ.

Cautiones ſatisfactionum hoc ſeculo plures conditi ſunt. ut in concilio Saleguſtadienſi, tale decretum eſt: Quia multi tanta mentis ſuæ falluntur ſtulticia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à ſacerdotibus accipere nolint, in hoc maximè confiſi, ut Romam euntibus, Apoſtolicus omnia ſibi dimittat peccata: ſancto uiſum eſt concilio, ut talis indulgentia illis non proſit: ſed prius iuxta modum delicti, pœnitentiam ſibi datam à ſuis ſacerdotib. adimpleant: & tunc Romam ire ſi uelint, ab epiſcopo proprio licentiam, & literas ad Apoſtolicum ex ijſdem rebus deferendas accipiant. cap. 18.

Abuſi ſunt etiam claue ſoluente, cum impœnitentes abſoluerunt, uel ad communionem admiſerunt. Adulterum enim Simonem de Melfa, Iuo Carnotenſis excommunicauit: quem tamen precibus amicorum, cum literis ſeriem rei continentibus Romam miſit, ut papæ de eo cognoſceret ſententiam. ibi quidam ſub uelamine Apoſtolicæ ſedis, eum ueræ cordis conuerſionis expertẽ, & in adulterio permanentem abſoluerunt, Iuo in epiſtola ad Rogerium, Romanum legatum.

Caſus.

Excommunicatũ quendã ob inceſtuoſas nuptias, fulmine in lecto extinctum,

Petrus

Petrus Damianus ad Gerardum Florentiæ episcopum scribit.

RITVS CIRCA COENAM.

COenam Domini administrabãt episcopi, sacerdotes, presbyteri & monachi. Anshelmus in 10 caput prioris ad Corinth. Calici, inquit, nos sacerdotes in missa benedicimus, & panem in altari frangimus. Et Algerus: Cum sacramentum accipimus à sacerdotibus, &c. libro primo, capite octauo de Eucharistia.

In templis uerò, & super altaribus id factum est. Nam Anshelmus in 3 cap. prior. ad Timotheum, inquit: Verè corpus Christi fit panis, qui in altari consecratur. Algerus libro primo, cap. octauo de Eucharistia: Quo modo eandem redemptionem, quam semel fecit in cruce, operari potuerit in altari quotidie? Idem cap. 14, Sacerdos uice Christi corpus Dominicum in terreno altari cõficiens. Et Berno in sermone de purificatione Mariæ: Carnis Christi alimento de mensa altari reficimur.

In uasis metallicis exhibuerũt. nam Henricus Secundus auri purissimi calicem decẽ & octo marcarum, seu 1645 aureorum & 15 grossorum, ad communionis usum donauit Ecclesiæ Mersburgensi: ut libro 2, capite 5 Chron. Mersburg. narratur.

De tẽpore quo cœna usi sunt, inquit Anshelmus: Carnem quam Christus de Maria uirgine assumpsit, quotidie in missarum celebrationibus sumit Ecclesia. In 5 cap. ad Ephesios. Et de Hirsaugẽsis cœnobij monachis scribit Trithemius, quòd singulis diebus, quatuordecim: die Dominica festisq; præterea maioribus, & singuli communicãtes corpus Domini nostri Iesu Christi cũ magna reuerentia & deuotione sumpserunt. Et Humbertus in responsione ad Nicetam monachum testatur, quotidie Hierosolymis sacram cœnam administrari, eo quòd ex diuersis prouincijs illic cõueniant Christiani, qui propter fidem & amorem filij Dei communi caritate ibidem desiderant: quia locus uenerabilior & sanctior uideretur omnibus locis in terra, propter Domini sepulchrum.

Vtebantur autem pane azymo, & uino aqua mixto. Anshelmus ait: Aqua mista est sanguine, quia ex latere Christi non solum sanguis, sed aqua etiam exiuit. Vnde & mos est, aquam in sancto calice misceri uino, quod in missa consecrandum est. in nonum caput ad Hebreos. De azymo & fermentato inter ecclesias Romanam & Cõstantinopolitanam, hac ætate certamina fuerunt acerrima, circiter annum Domini 1054. Sigebertus. Anshelmus in uigesimum lextum caput Matthæi: Vinum, inquit, Dominici calicis aqua miscetur. attestante enim Ioanne, aquæ populi sunt: & neque aquam solam, neque uinum solum, sicut nec granum solum frumenti, sine aquę cõmixtione & confessione in pane cuiquam licet offerre, ne talis oblatio, quasi caput à membris secernendum esse significet, & ibi Christum sine nostræ redemptionis admixtione mortem pati potuisse: uel nos sine illius passione saluari, ac patri offerri posse, confingat. Et Algerus libro 1, cap. 19, uini aqua miscendi meminit. Græci aquam calidam miscuerunt uino cœnæ, eo quòd aqua calida cũ sanguine fluxisset de latere Christi. Humbertus in respõsione ad Nicetæ librum.

Particulæ panis distribuendæ, lineo tantum panno in sacra actione inuoluebantur, cuius rei Anshelmus hanc rationem reddit: In sepulchro, inquit, Domini fuit linteamen purum & mundum. hinc Ecclesia consueuit, ut sacrificium altaris non in serico pãno, nec tincto, sed in lino terreno celebretur. in uigesimum septimum caput Matthæi. Sic inuentionum humanarum lõginquę rationes sunt adducendæ.

In consecratione non tantum uerba Institutionis recitabant, sed alijs etiam precationibus & cantionibus usi sunt, ut ex Anshelmo apparet, qui à Paulo priori Timoth. 2, obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarumactiones fieri iubente, ordinem missæ præscribi ait, ut obsecrationes sint, quas facimus in celebratione sacramentorum, commemoratiõe sacrorum, antequam illud quod est in Domini nostri mensa, incipiat benedicit: orationes uerò, cum benedicitur & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur, postulationes autem, cum populus ab episcopo benedicitur: postulationes enim quasi ex debito petiuit, uelut cum quadam fiducia uel adnisu. Sic postulatio ibi fit cum fiducia, ut quod hîc geritur, in æterna uita perficiatur. Quibus peractis, & participato toto sacramento, gratiarumactio cuncta concludit. Et in epistola de diuersitate Sacramentorum, aliarum meminit precum. & in Missa Lanfranci fit mentio orationis Dominicæ apud Antoninum, cap. 10, parte 2.

Panem in altari in multas partes diuidebant sacerdotes, teste Anshelmo in decimum caput prioris ad Corinthios epistolæ. Gregorius septimus, dum hostiam sacrificij in æde Mariæ maiori intermissæ solẽnia minuit, capitur Platina.

Administratores cœnę induti erant sacris uestibus. Presbyter Neopolitanus post celebratam Missam inflatus accedit montem Vesuniũ. Petrus Damianus in epist. ad Nicolaũ papam, Corbeiẽsis monachus, Meinuuerco Pader-

Paderbornẽsi põtifici sacra tractaturo, recusat promere sacras uestes. Crantzius libro 4, cap. 4 Metropoleos. Benedictus Nonus præcepit, ut omnes equites Polonici in festis solennibus inter sacra, fasciam lineam candidam instar stolę, qua sacerdotes & diaconi inter sacra utũtur, de collo suspensam gerant. Cromerus lib. 4.

Neque mutilam, sed integram cœnam, tam laicis quàm clericis distribuebãt: teste Anshelmo in decimo capite prioris ad Corinthios: Omnes inquit qui de uno pane & de uno calice Domini sumimus, unũ corpus efficimur. Et Lanfrancus in libro de Eucharistia inquit: Domini frãgitur hostia, dũ sanguis de calice in ora fidelium infunditur. Algerus libro secundo, capite septimo de Eucharistia: Simul corpus & sanguis sumitur à fidelibus, ut sumpto corpore & anima Christi, toto Christo totus homo, in anima & corpore conuiuificetur. Berno in sermone de purificatione Mariæ: Christi nõ solũ pane nos quoq;, licet indigni, quotidie uescimur, cùm carnis eius alimẽto de mẽsa altaris reficimur, sed & sanguine potamur. unde nobis ꝑmittit dicẽs: Qui mãducat carnẽ meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Damianus in Apologia ad Nicolaum papam: Qua putamus molestia tolerat Deus, cum peruersus aliquis ad percipiẽdum corpus eius & sanguinem, sacris altarib. appropinquat. Gotfrido Lotharingorum duci uenenatum calicem porrigere uoluisse diaconum quendam Romanum, Lambertus scribit, sub annum 1054. Ieiuni accedebant. Anshelmus in 26 caput Matthæi: Dominus inquit, post cœnam suum corpus tradidit: quia necesse erat prius pascha typicum consummari, & sic ueri & noui paschatis sacramentum substitui. Nos uerò pro reuerentia tanti sacramenti, prius reficimur Dominicis sacramentis, quàm corporalibus escis. Idem in undecimum caput prioris ad Corinthios. Sacra Eucharistia à ieiunis est accipienda, quãuis Apostoli primò non ieiuni eam perceperint. Placuit enim Spiritui sancto, ut in honorem tanti sacramenti, in os Christiani prius Dominicum corpus intraret, quàm cæteri cibi. Nam ideo per uniuersum orbẽ mos iste seruatur. Neque quia post cibos dedit illud Dominus, propterea pransi uel cœnati fratres ad illud percipiendum conuenire debent, aut sicut faciebant quos nũc Apostolus arguit. etenim dat mensis suis hoc miscere. Namque Saluator, quo uehementius commendaret mysterij illius altitudinem, ultimum hoc uoluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad passionem mox digressurus erat: & ideo non præcepit, quod deinceps ordine sumeretur, ut Apostolis per quos Ecclesiam dispositurus erat, seruaret hunc locum. Item: Ecclesia ob reuerentiam Sacramenti decernit, ut ieiuno corpore, dum sobrietas uiget, homo prius reficiatur. Algerus lib. 2, cap. 1 de Euchar. Apparet ex Anshelmo, quòd etiam in infantibus data sit Eucharistia. Ait enim: Paruuli, si in ista parua ætate moriuntur, iudicantur secundum propria gesta corporis: & quando carnem Christi manducauerunt, uel non manducauerunt, quando eius sanguinem biberunt, uel non biberũt. In 5 cap. posterioris ad Corinth. Paruulos baptizatos, & manus impositiõe ac Chrismate connutritos, Eucharistiæ ministerijs admittendos, monet Meginhardus de fide.

DE MISSA.

FLoruit hoc seculo in frequenti usu Antichristi Missa, cuius quidem ritus cum allegorica expositione, Iuo de conuenientia ueteris & noui sacerdotij, hoc ordine recenset.

Primò, Introitus Missæ (ut uocant) de Psalmis, uel de alijs propheticis scripturis desumptus, cum sanctæ Trinitatis glorificatione cantatur: hinc Letaniam, deuotam eorum expectationem qui aduentum Christi toto corde desiderarunt, repręsentãtem, chorus concinit: & interea sacerdos personam Mediatoris gerens, ad dextram altaris partem procedit. Postea sequitur hymnus angelicus, temporali Christi natiuitati testimonium perhibens. Deinde à sacerdote recitatur oratio. Hinc lectio prophetica uel Apostolica sequitur, cui chorus concinendo respondet, ostendens se sacræ lectioni auditum & affectum adhibuisse. itaq; subijcitur Alleluia. His peractis, Leuita uel sacerdos transit ad sinistram altaris partem, lecturus Euangelium. nam Iudæis respuentibus Euangelium, Apostoli conuersi sunt ad gentes. Post Euangelium, profitetur Ecclesia fidem suam, cantando Symbolum Apostolicum: ut ostendat, quantum profecerit per Euangelium. Salutato deinde populo, dum sacerdos accipit à ministris, & diuersi generis oblationes à populis, Offertorium cantatur à clericis. offertur autem principaliter à ministris panis & uinum, in corpus Christi sacerdotali benedictione cõmutanda. Et hæc omnibus audientib. peraguntur. Post Offertorium, sacerdos recitat preces, in quibus panem & uinum, quæ in corpus & sanguinem Christi Dominicis uerbis commutanda sunt, hostias, oblationes & sacrificia nominat, & orat, ut in confessione sanctæ Trinitatis laudes nostrę laudibus iungantur angelorum.

Hinc

Hinc rogat Deum patrem, ut per eum benedicantur oblata mysteria: quæ tractare orsa Dei Ecclesia, & pro his qui in sublimitate sunt. Fit autem simul mentio Apostolorum & Martyrum quorundam. Hinc orat, ut Deus oblationem altari impositam faciat benedictam, ascriptam, ratam & rationabilem. Deinde petit specialiter, ut illæ corporeæ materiæ fiant nobis corpus & sanguis Christi: & ad orientem conuersus eadem, quoties proprijs uel typicis nominibus appellat, cruce signat. Hinc orationem ad Deum patrem conuertit, inquiens: Memores, Domine, nos serui tui, sed & plebs tua sancta eiusdem Christi filij tui, resurrectionis & ascensionis, offerimus Maiestati tuæ per hæc dona tua uisibilia, hostiam puram, sanctam & immaculatam. Et hanc commemorationem postulat ita gratam esse Deo patri, ut olim fuêre munera Abel, Abraham & Melchisedech. Itẽ ait: Iube hæc præferri per manus sancti angeli tui, in sublime altare tuum. Sequuntur orationes, in quibus Apostolorum & Martyrum fit mentio, & subiungit sacerdos: Vt sanctorum meritis consequamur, quæ nostris meritis non ualemus, per Dominum nostrum Iesum Christum: per quem hæc omnia creas, sanctificas, uiuificas: per ipsum est tibi omnis honor & gloria, per secula seculorum. Respondetque populus: Amen. Post hæc sacerdos hortatur populum, ad dicendam secum orationem Dominicam, qua & sacramentorum consecratio perficiatur: & populus ad percipienda ea sacramenta oranti. Quo præparetur, quarũ prima significat substantiuum Christi corpus quiescens in sepulchro: altera, quæ cum priori in patinã collocatur, designat eam partem Ecclesiæ, quæ iam cum Christo est: tertia, in calicem missa, significat Ecclesiam militantem. Hinc communicat sacerdos, & ministri, & certis sedibus fideles Christi. In distributione autem sacramenti, ter canitur à choro, Agnus Dei. Tum redit ad dextram partem altaris sacerdos, ibique officium Missæ consummat. Post contrectata autem sacramenta, primùm lauat manus, & aqua in sacrum locum defluit. Sequuntur deinde orationes, in quibus fit perceptorum beneficiorum commemoratio, & gratiarum actio. Quibus omnibus completis, dicit sacerdos uelleuita: Ite, missa est: hoc est, mediatio & intercessio, quam insumpseram, consummata est. Hæc ille. Concionis ad populum ratio nulla, ut uides, habita est.

Benedictus papa, ubi Bambergam ad nouam Ecclesiam consecrãdam uenit, Missarum solennia celebrauit, cooperantibus duodecim episcopis. In festo autem resurrectionis, primam lectionem Aquileiensis patriarcha recitauit, secundam archiepiscopus Rauennas, tertiam ipse pontifex Romanus. Historia Bambergensis.

Lanfrancus de sacramento Eucharistiæ: In fine cuiusdã Missæ oratur & dicitur: Perficiant in nobis, Domine quæsumus, tua sacramenta, quod continẽt, ut quæ specie gerimus, rerum ueritate capiamus. Idem habet Algerus libro primo, capite quinto & 17, de Eucharistia.

In canone Missæ sacerdos orat, ut hæc oblata nobis corpus & sanguis fiant dilectissimi filij tui Domini nostri Iesu Christi. Lanfrancus. Idem Algerus libro primo capite decimoquarto, de Eucharistia. Berno in libro de Concordia officiorum, capite primo ait: Quis Offertorium, & Antiphonam quæ post communionem dicitur, adiecerit, apertè non legimus. Veraciter itaque credi potest, priores sanctos silentio obtuliſſe & communicasse: quod etiam hactenus in sabbato sancti Paschæ solemus obseruare.

¶ Singulis ferè diebus Dominicis, & Festis, peculiarem Missæ rationem esse, Berno de Concordia officiorum innuere uidetur.

Ne ab uxoratis sacerdotib. Missas audiãt, laicis in Synodo Gregorium Pontificẽ inter dixisse anno millesimo, septuagesimoquarto, Sigebertus refert: quod decretũ & Anshelmus epistola octaua probat.

Pro suo etiam arbitrio Romani pontifices maiorum ritus nonnunquam immutarunt. Sic Berno de Concordia officiorum quærit, cum Telesphorus & Symmachus ac Toletanum Concilium iusserint omni die Dominico, & natalibus Sanctorum, canere hymnum Angelicum, Gloria in excelsis Deo: cur id nunc Romana Ecclesia non obseruet? Ibidem indicat, libros Missales Gallicos & uetustos Germanicos, discrepare à Missalibus Romanis. Ac ipsum canonem, inquit, non unus solus tantum composuit, sed per tempora aliud alius interposuit, uel adiecit.

Ad Missarum solennia peragenda miserunt Romani pontifices pallia. Sic Leo Nonus, Hartuuico Bambergensi mittit pallium, quo inter Missarum sacra utatur in die resurrectionis Christi, in natali Apostolorum Petri & Pauli, & in solennitate Dionysij: ut historia Bambergensis habet.

A se uerò dissentientes, miris modis exagitare non sunt ueriti. Nam Humbertus, Romani Antichristi mancipium, in sua responsione quam Nicetæ monacho Constantinopolitano, Romanam Ecclesiam ob

quosdam abusus infestãti, opponit, eorum Missam reijcit, quòd quemuis panẽ ex publicis negociatorum tabernis emptum usurpent, qui quinq; substantiarum sit particeps: fermenti nimirum, farinæ, salis, aquæ & ignis: & quòd eundem in formam coronulæ incidant, & ferro inter sacrificandum eleuent. Particulas panis ferrea lancea in crucis formam incidant, easq; in calice intinctas iterum cochleari eximant: & deniq; quòd ultra oblationem, cum ipsa sancta patina sanctam amphoram extollant. Cæterùm si quid supersit, non incendant, nec in foueam mittant, sed pixidi mundæ includant, & sequenti die ex ea populo communicanti distribuant.

Stabant missificantes. Sic VVilhelmum Hirsaugiensem, ad unum monasterij altare Missam celebrantem, monachi manibus utrinq; sustentarunt: quòd præ languore solus stare haud ualeret. Chronicon Hirsaugiense.

Nec alibi quàm in dedicato loco, Missas celebrare fas erat. Berno inquit: Christi carnes extra domũ Ecclesiæ prohibemur comedere, ne tale sacramentum hæreticorum uel paganorum turbis uelimus committere. in sermone de Pass.

Inter Missarum sacra, pro suis amicis & fautoribus orabant missificantes sacerdotes. Berno Augiensis petit ab Hiltirado Prunensi abbate, cum quo ipsi peruetus amicitiæ usus intercesserat, ut sui peregrè ꝓfecti, inter Missarum solennia mentionem faciat. Berno in epistolis. Cùm Stephanus Vngarorum rex liberalitatem & humilitatem suam declarasset erga duos monachos Augienses, Berno pro eius & uxoris Giselæ salute Missarum solẽnia celebrauit, & utriusq; nomen in librũ uitæ retulit. Berno in epistola ad eundem.

Romani præterea pontifices, sub ijsdem sacris inaugurare reges solebant. Henricus enim Tertius cum uxore Agneta, die natali Domini, Imperiali nomine & honore donatus est à Clemente Secundo, anno millesimo quadragesimo septimo. Schafnaburg. Peractis q; Missarum solennijs, cum Papa se ad Lateranense contulit palatium. Contractus. Archiepiscopus Turonensis, die natali coronam imposuit regi. Iuo in epistola ad Hugonem Lugdunensem.

Viuorum & mortuorum faciebant mentionem in Missa. Ioannes Apulus, cum ad eum Canonis locum peruenisset, ubi uiuorum recensentur nomina, uxorem Lucensis ciuis, quæ triduo ut mortua iacuerat, Deo cum deuotiõe & specialiter ac nominatim commendat. Chron. Cass. lib. 2, cap. 94. Augiẽses monachi pro animâ cuiusdã Henrici nuper defuncti, triginta diebus Missam cum totidem psalmis & uigilijs celebrarũt. Berno in epistola ad Augienses fratres.

Seleseienses monachi Missarum solẽnia Deo & Osualdo regi, cuius intercessione liberati erãt peste, cecinerunt. Malmesbur. lib. 2, cap. 95.

¶ Missæ & Anshelmus patrocinatus est. Quotidie panem & uinum Deo sacerdotes offerunt, pro salute fidelium: atq; panis iste & uinum fiunt corpus & sanguis Christi. In 7 cap. ad Hebr.

Casus circa cœnam.

I

Leo Nonus calicem, cui subdiaconus sus uenenũ miscuerat, de altari tollere haud potuit: à Domino causam facti inquisiturus, cum populo ad orationem prosternitur, statimq; toxicator à dæmone arripitur. Ita igitur causa manifestata, Papa calicẽ cũ sanguine Dominico cuidam altari iussit includi, & pro reliquijs in perpetuum conseruari. Schafnaberg. Victor tertius, Hildebrandi successor, ueneno calici primæ Missę mixto perijt. Malmesb. lib. 3, cap. 39.

II

Cum pastor VVeddingensis Missam celebraret sub Henrico Quarto, uinũ calicis cõuersum est in sanguinem: cuius hãustum ille abominans, detulit Magdeburgum, ibique in æde summa reclusum est. Chron. Saxonicum.

III

Normanni inituri prælium cum Anglis & Danis, nocte peccata confessi, manè Dominico corpore communicarũt. Malmesb. lib. 3, cap. 15.

IIII

Henrici Secundi exercitus antequam iniret prælium, Eucharistia plerunque se munijt. Bonfinius libro primo, Decadis secundæ.

V

Laici in extremo uitę uiaticum Dominicum à presbyteris coniugatis accipere parui duxerunt. Nonnulli corpus Domini ab eis consecratum pedibus conculcauerunt, & sanguinem Domini uoluntariè effuderunt. Sigebertus sub annum 1074.

VI

Presbyter quidem Neopolitanus, post Missarum solennia infulatus, quasi armatus (sacris enim uestib. singularem aliquã uim inesse credebat) ad locum unde infernalis flamma eructans, alios homines arcebat, accessit, certius aliquid exploraturus: uerùm non redijt, nec redibit. Antoninus tit. 16, capite 18.

VII

Mulierculæ audierunt missas certas pro diuina-

tione id prohibetur cap. 10 Synodi Salegunſtadienſis.

VIII

In concilio Salegunſtadienſi, cap. 6. ſcribitur: Conqueſtum eſt etiam in concilio ſancto de quibuſdam presbyteris ſtultiſsimis, ut quando incendiũ uident, corporale Domũ incendium temeraria præſumptione in ignem proijciant, ideoq; decretũ eſt, ſub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

Ritus circa orationes.

CErtis temporibus & horis, publicas & priuatas recitabant preces. Vrbanus enim Secũdus in Claremõtana Synodo præcepit, ut horæ Canonicæ de B. Maria quotidie exoluerentur. Stella. Monachis Caſinenſibus primæ horæ ſolennia agentibus, templum fulmine tactum eſt. Chron. Caſſ. lib. 3, cap. 21.

¶ Certis etiam locis orarunt: uel ad aras. Stephanus enim rex quotannis conſueuit basilicas & cœnobia, quæ condiderat, adire, & ad aras omnes fundere preces. Bonfin. li. 1, Decad. 2. Hildebrandus legatione fungens, urbanum quoddam ſacellum ingreſſus, ante aram ſe proſtrauit, & oratione diu protraxit hypocrita. Malmesb. lib. 3, cap. 37. Ad aram Stephani regis, ſtatim ab humatione, homines uota nuncupant. Bonfinius lib. 1, Decad. 2. Vel ad remotiora loca ſuperſtitioſè profecti ſunt oratum, ut infrà dicemus, de Peregrinationibus ad loca ſancta.

Oraturi interdum in locum ſecretiorem templi ſeſe abdiderunt. Sic Imperator Henricus Quartus quotidie oratorium S. Marię in Auentino monte ſitum, introibat, & in eo locum orationi familiarem, ubi tanto intentius, quanto ſecretius orationi uacaret. Benno, in uita Hildebrandi: autor uitę Henrici.

Preces publicas lingua Romana recitabant ſacerdotes. Sic VVilhelmus quidam Noruegicus, ex quæſtura ad ſacerdotium translatus, cum ſalutem regis inter ſacra, uotis libello expreſsis, ſolenni uerborum precatione expeteret, pro famulo, corrupta ab æmulis pagella, multũ legit. Saxo Grammaticus, lib. 11.

¶ Suis etiam peculiaribus geſtibus utebãtur inter precandum: ut geniculatione. Anshelmus inquit: Ad hæc ſolent in oratione flecti genua, ut humilitas interior denotetur. Anshelmus in 3 cap. ad Epheſios. Richardus Normanniæ dux noctu templa ingreſſus, ſolebat genuflexionibus ad lucem incumbere. Malmesb. lib. 2, cap. 66. Filia quædam VVilhelmi Conquæſtoris, quæ ante initum cum Alphonſo Galliciæ rege matrimonium, cui deſponſata fuerat, obijt, orationibus adeò crebris uacarat, ut callũ genua obduxerint. Malmesb. li. 2, cap. 49.

Statione. Anshel. in 4 cap. ad Coloſſenſes: Cum ſtamus ad orationem.

Extenſione palmarum. Petrus Hoſtienſis hortatur Ioannem priorem heremi, ad extenſionem brachiorum in orationib. idq; ſe facere teſtatur.

Decubitu in terram. Imperator Henricus in oratorio D. Mariæ ſtans uel proſtratus orabat. Benno. Latini milites ad primum Hieroſolymorum conſpectum procubuêre, numenq; uenerantes, terræ oſculum fixerunt. Aemylius lib. 4. Chriſtiani capta Hieroſolyma ad ſepulchrũ Domini cernui, uel potius repentes contendunt, & gaudio flentes Deo gratias concinunt. Idem.

Tunſione pectoris. Mortuo reſidẽte, monachi abiectis ueſtibus corpora ſcopis cædunt, pugnis pectora tundunt, pſalmodiæ & omnib. precũ generib. incumbunt. Damianus in epiſtola ad Nicolaum Papam.

Signis triſticiæ: ut ſacco, cinere, nudis pedibus. Sic Elphegus epiſcopus nudis pedibus, & ſimplici ueſte indutus, egreſſus cubili in alium locum, orationi totam hybernam noctem uacabat. Vincent. lib. 25, cap. 3. Item Stephanus Grandimontenſium pater ad ſuos ait: Nudatis pedibus eamus in oratorium. Ibid. cap. 48. Imperator Henricus uictoria Vngarica potitus, & fuſis hoſtibus in caſtra redijt: ac ut meritas Deo gratias ageret, depoſito paludamento, ſumptoque cilicio, item nudis pedibus, porrectoque humi pectore, ac profuſis coram legionibus lachrymis, ante ſacroſanctum & ſalutare crucis ſignum procidit, immortalem diuinæ benignitati gloriam retulit. Bonfinius lib. 2, Decad. 2. Stephanus Vngarorum rex ſæpe in cinere & cilicio, humi proſtratus preces fudit. Idem, lib. 1, Decad. 2.

Meminerunt & formularum orationis autores: ut Stephanus rex moribundus baſilicas & uniuerſa collegia ſacerdotum, itẽ regnum animamq; ſuam cum uniuerſa fidelium multitudine, profuſis lachrymis, & elatis in cœlum manibus, Mariæ uirgini, unicæ Vngarorum dominæ deæq; (magna ſuperſtitione) inſtãtiſsimè cõmendauit. Bonfinius li. 1, Decad. 2. Anshel. glorioſam uirginem exorabat, ut ei dilecti filij ſui paſsionem dignaretur perfectius reuelare. In dialogo de paſsione Domini. Cõtra illud: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Berno in epiſtola ad Odilonem Cluniacenſem ait: Vbi exaltatus fueris ſuper altitudinẽ terræ, me quæſo ſic ad te clamantem exaudi: Trahe me quatenus in odore

unguentorum tuorũ me currente, illa hæreditate tecũ merear participari, quã Dominus dignatus est tibi polliceri: Et dabo tibi, inqt, hæreditatẽ Iacob patris tui. Henricus sanctus initurus præliũ dixit: Beate Laurenti, martyr Christi, si tuo interuentu has Barbaras nationes, cõtra quas pergo, Romano Imperio & Christianæ religioni subiugauero, hunc locum (Mersburg) tuo dicatum nomini, & nunc desolatũ, diuina fauente gratia, in pristinæ dignitatis statũ instaurabo. Histor. Bambergenſis.

Meminerunt scriptores & Litaniarum. Cum Pandulphus Normannorum copijs stipatus, agrũ Casinensem inuasurus, & sibi subiecturus esset, abbas Richerius omni humana ope destitutus, mandat fratribus, ut diuinum implorent auxilium, & discalceati cũ litanijs per omnes Ecclesias pergerent. Chrõ. Cass. lib. 2, cap. 76.

Supplicationum. Rabedo episcopus religiosam supplicationem Tornaci anno 1092 instituit, die exaltationis S. Crucis, ad placandam Dei iram, quæ igni sacro multos mortales absumpsit. Iacob Meier. Henricus Tertius ꝓfligato Ouone, & Petro restituto, Ratisbonę supplicationẽ decreuit in omnibus tẽplis faciẽdã, in qua ipse Deo sacrificat passim, & sacerdotes, monachi, uirgines et populus frequens salutatum sanctos abijt. Auẽtinus.

Et Processionũ. Leo Nonus trib. diebus cuiusuis septimanæ, quãdiu Romæ cõmoratus est, à Lateranẽsi ad S. Petri fanum priuato habitu, nudisq; pedibus cũ duobus aut tribus clericis noctu psallẽdo & orando processit. Chrõ. Cass. lib. 2, cap. 88. Volbaldus Traiectẽsis episcopus, ꝓcessiones diebus solẽnibus ab Ecclesijs secũdarijs ad maiorem fieri sanxit. Catalogus Tungrẽsis. Theobaldus abbas Casinẽsis, crucẽ argenteam ad procedendum diebus Dominicis fecit. Chrõ. Cass. lib. 2, cap. 53. Idem die festo S. Benedicti, omnibus ad ꝓcessionẽ apparatis, Odiloni baculũ pastoralẽ obtulit: uerũ hic renuit eũ gestare, ꝓsente uicario S. Benedicti. Chrõ. Cass. lib. 2, cap. 54. Processionis solẽnia papa, Cęsar, episcopi, ꝓceres, & totus populus, Bambergæ peregerunt. Historia Bambergenſis.

RITVS CIRCA VOCATIONEM & ordinationem.

IVs eligendi & uocandi episcopos, sacerdotes & alios ministros Ecclesiæ, erat penes totam Ecclesiam, scilicet clericos & laicos. Iuo enim Cartonẽsis, de significatione indumentorũ sacerdotalium ait: Requiritur præsentia populi in eligendo sacerdote, ut sciant omnes, qa qui doctior ex omni populo, qui omni uirtute præstantior, hic eligi debet in sacerdotiũ: & hoc cõsensu Ecclesiæ, ne qua postea retractatione quis scrupulus remaneat, sed omnium testimonio commendetur: secundum Apostolum, Oportet episcopum bonum testimoniũ habere. Petrus Damianus in inuectiua in Cadaloum: Electio per episcoporũ Cardinalium fieri debet principale iudicium: secundo loco ut iure præbeat clerus assensum: tertiò popularis fauor at tollat applausum. Sicq; suspẽdenda est causa, usq; dum Regiæ celsitudinis consulatur authoritas: nisi fortasis periculũ immineat, quod rem accelerari cõpellat. Iuo in epistola ad Falconem Beluacensem petit, ut à tota cõgregatione S. Quintini, uel à parte saniori electum, sibi surroget.

In episcoporum tamen metropolitanorũ & archiepiscoporũ designatione & uocatione, Magistratus summus plerunq; pro sua autoritate decernere uolebat. Constantinopoli sacerdotũ unlgus Alexij patriarchæ electionem, ut solius Imperatoris autoritate factã, minimè probauit, ut Zonaras testatur.

Mersburgensis Ecclesia ab Imperatoribus hoc seculo, suos accepit episcopos, ut in Chronico Merburgensi lib. 2, cap. 3 scribitur.

Batauiæ quoque Hermannum Ludolphi Carinthiorũ ducis filium, Saltzburgi Berchtoldum Mosburgẽsem principem, Meginhardum literis & facũdia insignem Vuürtzburgi, Brunonẽ Alberti Sueui filium Metis epiſcopum Henricus secũdus fecit: ut Auentinus libro 5 testatur.

Econtrà Romani pontifices sibi suprema potestatem in electione & ordinatione confirmãda, multo conamine per fas nefasq; uindicare contenderunt. Hinc tot factiones, iurgia, tot cædes & lanienæ inter pontifices & Imperatores extitẽre, ut suo loco dicetur. Otto quoq; Cluniacensis monachus & Ostiensis episcopus, uerùm Romani præsulis mancipium & adulator strenuus, in Saxonia commorans, Constantiæ Gebhardum, Bambergæ Heinricum, Mindæ Reginardum, Augustæ Vuigoldum, superstitibus adhuc ueris illarum ecclesiarum pastoribus, qui imperatori fauebant, nouos authoritate pontificia designat episcopos. Verùm ille cum suis affeclis, à superioribus archiepiscopis impiorum catalogo adscribitur, ut Auentinus lib. 5 Annalium refert.

Romani pontificia electionem à solo Imperatore fieri debere, decreto quodam sanxit Heinricus Tertius Imperator, Clemente Secundo suffragante: id quod Romani interposito iuramento amplexi sunt. Verùm Imperatore abeunte, ipsi contra fidem datã priſtinos induerunt mores. Ac quò quis uel magia, uel largitionibus, uel factionibus, & nescimus quibus nõ sceleribus excelluit, eo facilior ad tantũ fastigium conscendendi fuit occasio, ut ex uitis eorum patebit.

Per or-

Per ordinem autem graduum solebat fieri promotio. Sic Stephanus Nonus Alphanum Salernitanæ sedis electum in ieiunijs Martij, primò presbyterum, & sequēti Dominica archiepiscopum cōsecrauit. Chron. Cass. lib. 2, cap. 99. Anshel. inquit: Non sit neophytus, hoc est nouiter ad fidem conuersus, qui ordinatur episcopus, ne in superbiam elatus, id est præ cæteris digniorem se putās, quasi eo indigeat Christiana religio, incidat in iudicium diaboli: id est, damnetur propter superbiam, ut diabolus, qui se cunctis meliorem iudicauit, & factus est omnibus posterior. Nec nuper baptizatus, nec nuper à secularibus negotijs, uel à malitia separatus, fieri debet episcopus, quia unusquisq; est talis neophytus. Nec congruit, ut heri catechumenus, hodie sit pontifex: heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia: uespere in circo, manè in altari: dudum fautor histrionum, nūc consecrator uirginum. Ignorat momentaneus sacerdos humilitatem & mansuetudinem, nescit seipsum contemnere. De dignitate transfertur ad dignitatem. Non ieiunauit, non fleuit, non mores suos sæpè reprehēdit, & assidua meditatione correxit, non substantiam pauperibus erogauit. Iudicium autem diaboli & ruina, arrogantia est. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, iam magistri sunt. In 3 cap. prioris ad Timotheum.

Infames ad sacerdotium non admittebantur. Iuo enim in epistola ad Hugonem Cluniacensem ostendit, honestæ famæ uiris clericatū patere: deinde etiam lapsis, si uerā egerint pœnitentiam. Itaq; petit ad sacros ordines admitti quēdam stupratorem mulieris. Idem autem Stephanū de Guardendi, à Beluacensibus in gratiam regis electum, nequaquam consecrandum monet per literas legatos Romanos, quòd sit aleator & leno, ac propter publicum adulterium olim à legato Romano Ecclesia electus.

Ordinatio fiebat uel à pōtifice Romano. Sic Benedictus papa ordinat Aaronem Cracouiensem his uerbis: pro reuerentia principis Apostolorum, sub cuius uelamine tegis uestri, coniugisq; Mariæ, amborumque filij Boliſtai, totiusq; regni, stabilimus, benedicimus in perpetuum, archiepiscopatum apud ciuitatem Cracouiensem, qui hactenus erat episcopatus. Cui etiam subijcimus omnium episcopatuum parochias, quæ in omni regno sunt Polonię, ut archiepiscopali more tu frater omnibus præsideas. Tibi quoq; archiepiscope concedimus pallium, diebus solēnibus deferendum. Crantzius lib. 2, cap. 27 Vandaliæ.

Vel ab aliquo archiepiscopo, præsentib. etiam uicinarum sedium episcopis, quos suffraganeos uocant, & Imperatorib. Sic Bezelinus ordinatus est à suffraganeis, & alijs septem Saxoniæ episcopis Hamburgi, cum ingenti gloria. Albertus uerò Aquisgrani, præsente Cæsare & principibus, astantibus duodecim episcopis, eiq; imponentibus manus. Crantzius in Metropoli. Dithmarus episcopus Mersburgensis, à Dagone Magdeburgico ordinatus est. Chron. Mersburg. lib. 2, cap. 7. VVigbertus ab eodem consecratus est, præsente Imperatore, & uxore Chunigūde. ibidem, capite sexto. Harduicus Magdeburgensis consecratur à VVezelone Moguntino, Seguino Colonien si, & alijs principibus adstantibus. Auentinus. Arnoldus Halberstadiensis, Dagoni Magdeburgensi commendat Ecclesiam, atque in sedem episcopi collocat. Chron. Magdeburg. Episcopus Misnensis, Arnoldus Halberstadiensis, & quatuor alij suffraganei, consecrant VValdradum Magdeburgensem pontificem. Huius successorem Geronem itidem quatuor suffraganei consecrarunt. Ibidem. Dainbertus Senonensis archiepiscopus, ad consecrationem Manassę Meldensis electi Iuonem Carnotensem uocat: ut ex epistolis Iuonis uidere est.

Temporis obseruati passim etiā fit mentio. Mense Martio, die uerò Dominica, Alfanus Salernitanæ sedis episcopus, Romæ à pontifice consecratur. Chronicon Casinense, lib. 2, cap. 99. Poppo in mense Iunio ordinatur. Acta Treuirensium. Dominica proxima ante natalem Domini, futuram consecrationem Niuernensis episcopi, Iuo in epistola ad Trecasinum episcopum scribit.

Promittebat autem ordinandus, doctrinæ puritatem, uitæ integritatem, & obedientiam suis superioribus in negotijs iustis. Anshelmus in epistolis ad Henricum regem: Neq; in baptismo, neq; in aliqua ordinatione mea promisi me seruaturum legem, uel consuetudinem patris uestri, aut Lanfranci episcopi: sed legem Dei, & omnium ordinum quos suscepi.

Impositę sunt eis manus. Alberto enim Hamburgensi archiepiscopo, duodecim episcopi imposuêre manus. Crantzius lib. 4, cap. 31 Metropol.

Vnctio quoq; adhibita fuit. Episcopi manus & caput unguntur: ut Iuo de significatione indumentorum sacerdotaliū testatur.

¶ Romanorum pontificum inauguratio solennior fuit. Vrbanus enim Secundus electus, lanea exuitur uestę, purpureaq; induitur cappa, & cum acclamatione & inuocatione Spiritus sancti ad altare beati a-

postoli Petri trahitur, & in pontificiali solio collocatur. Post hæc ipse Missam solenniter celebrat. Chron. Cass. lib. 4, cap. 2. Idq; tũ, ut superiorib. seculis, nomina sua, ut certũ uideli cet apostasiæ argumentũ & Antichristi character esset, mutarunt: ut exuitis eorum uidere est.

Ordines gratis conferebant. Nam Gregorius Septimus damnauit Symoniam, ut honestum nomen auaricię ptexeret: & hoc, quod se gratis dare iactaret, sub charitatis pallio uederet. Sigebertus, sub annum mil lesimũ septuagesimũ quartũ.

RITVS ORDINANDI PRESBYteros, diaconos, subdiaconos, lectores et exorcistas, &c.

DE tempore quo clerici ordinãdi, Leo Nonus constituit: Vt illi, facta prius diligenti de eruditione ipsorum inquisitione, in ieiunijs quatuor temporum, ab episcopo ieiuno, & psonaliter celebrãte Missam consecrarentur: teste Gigante. Marianus Scotus, anno 1059, media quadragesima, 3 idus Martij consecratus est presbyter: ut ipse de se testatur. Et in ieiunio mẽsis Iunij, Metensis episcopus plures sacris initiauit clericos.

Res uerò hoc ordine pagebatur: Episcopo presbyteris ordinãdis benedicẽte, & manũ super capita eorum tenente, omnes presbyteri qui præsentes sunt, simul manus suas iuxta manum episcopi super capita eorum leuant, & Spiritum sanctum pro ijs inuocãt. Post hęc stola induuntur. Accipiunt & calicem cum uino, & pateram cum hostijs de manu episcopi: quibus potestatem placabiles Deo hostias offerendi sibi dari indicatur. Præterea in coronam tõdentur, in summitate capitis, ut Iuo testatur, in tractatu de Excellentia sacrorum ordinum. Vngebantur ijsdem & manus. Idem de Significatione indumentorum sacerdotalium.

Diaconis uerò, si post examen idonei iudicati fuerint, solus episcopus capiti manum (quia ad ministerium, & non ad sacerdotium applicantur) & orarium sinistro eorum humero imponit, traditque textum Euangeliorum. Iuo de Excellentia sacrorum ordinum.

Subdiaconi cum ordinantur, de manu episcopi patinam uacuam, & calicẽ uacuum: de manu uerò archidiaconi urceolum cum aqua, manile & manu tergium accipiunt, quibus sacerdoti & Leuitæ Dominica sacramenta tractantib. ministrare pro officio iubentur. ibidem.

Acolythis, ab episcopo prius de suo munere ritè edoctis, in ordinatione archidiaconus candelabrum cum cereo, & urceolum uacuum tradit.

Exorcistæ, cum ordinantur, librũ de manu episcopi accipiunt, & dicitur eis: Accipite & habete potestatẽ ponẽdi manus super energumenum, siue catechumenum.

Lectoribus, spectãte populo traditur codex diuinarum lectionum, his uerbis: Accipite, & estote uerbi Dei relatores: habituri, si fideliter & utiliter impleueritis officium, partem cum his qui bene administrauerint.

Ostiarijs, cum ordinantur, claues Ecclesiæ ab episcopo traduntur, & dicitur eis: Sic agite, tanquam rationem Deo reddituri pro rebus, quæ his clauibus recluduntur. Iuo de Excellentia sacrorum ordinum.

RITVS DEPOSITIONIS.

PEtrus Casinensis antistes, præsentibus fratribus Ecclesiam ingressus, uirgã altari impositã, officium & monasterium deseruit. Chron. Cass. libro secundo, cap. 96. Petrus Damianus in epistola ad Nicolaum pontificem inquit: Cedo iure episcopatus, & per hũc annulum (uirgam enim tulistis) desperata deinceps omni recipiendi quere la renuncio, idq; suum factum trigintatrib. illustrium uirorũ exemplis defendit. Gaufridus Carnotensis episcopus, cùm se de obiectis criminibus purgare haud posset, uirgam pastoralem & annulum reddidit. Iuo in epistola ad Reicherium Suesionensem.

EXORCIZATIO OBsessorum.

QVosdam obsessos legimus hac ætate sanatos oratione, & crucis signatione. Ad Petrum enim abbatẽ Casinensem perducta est mulier à dæmone obsessa. is cum rogaretur, ut pro ea Dominum oraret, congregatis fratribus oratorium ingressus est. Vbi cum aliquandiu preces fecissent, lachrymis tandem eius annuit diuina miseratio: excusso q; dæmone, mulierem incolumem abire permisit. Chron. Cass. lib. 2, ca. 94. In eodem cœnobio dæmoniacus quidam factus est obuiam Alexandro papæ, habitationem abbatis fortè ingredienti. Eo uiso, pontifex orationem fundens ad Dominum, dixit ad dæmonem: Præcipio tibi immunde spiritus, ut exeas ab hoc homine, & uadas in illum locum, ubi nec auis uolat, nec uox hominũ resonat, & sis ibi usq; ad diem iudicij. Dęmon mox ad pontificis imperium exijt. Ibidem, libro tertio, capite trigesimoquinto. Episcopus quidam præsente Leone pontifice, spiritum nequitiæ ex dæmoniaco iussit excedere. ille autem præcipienti illusit, donec pernomẽ Christi terribi-

terribiliter adiuratus reniti diutius nō poſſet. Cum autem caput hominis huc atque illuc concuteret,& os aperire conaretur tanquam uomiturus,epiſcopus ſtatim adiecit: Nequaquā per os egredieris,ſed per poſteriora ut exeas mādo. Immundus enim ſpiritus eiitaq; fœdis ueſtigijs inſiſte. Eueſtigiò igitur uētris fluxu eiectus eſt. Damianus in epiſtola ad Gerardum Florentiæ epiſcopum. Bruno Vuiirtzburgenſis ſpectrum,à quo ipſi interitus prædicebatur, ſigno crucis,ſacriſq; carminibus adiuuat, & abire iubet. Auentinus.

RITVS CIRCA *ieiunia.*

STatis tēporibus ieiunia obſeruabant, ut in quadrageſima. Anshelmus in quartum caput prioris ad Timotheum epiſtolæ: Et nunc (inquit) fideles,non quia cibos putent immundos, ſed edomandi corporis cauſa, propter animam in orationibus amplius humiliandum, non ſolum à carnibus,ſed à quibuſdā terræ fructibus abſtinent: uel ſemper, ſicut pauci: uel certis diebus atque temporibus, ſicut per quadrageſimam ferè omnes. Humbertus in reſponſione ad libellum Nicetæ: Excepta (inquit) Dominica nullus dies Quadrageſimę ſoluit ieiunium ſemel ſuſceptum. Aba rex Vngariæ ieiunium quadrageſimæ egit Chiazzini. Bonfinius.

Feria quarta & ſexta. Sic Petrus Damianus in cœnobio Caſinenſi, ab omni congregatione obtinuit, ut feria ſexta per totum annum pane & aqua contenti, diſciplinam ſinguli facta confeſsione perciperent: inſuper & triduanum ieiunium, in capite Quadrageſimæ quotannis agerent. Chron. Caſinenſe, libro tertio, capite uigeſimo primo. Feriæ quartæ & ſextæ ieiunijs perāgendæ, meminit Humbertus in libro contra Nicetam.

Sabbato. Leo Nonus conatus eſt Eccleſijs orientalibus obtrudere, omnium ſabbatorum totius anni, etiam Quadrageſimalium, ieiunium: inquit enim Humbertus, in reſponſione ad Nicetam: Excepta grauiſsima infirmitate, cuncti ſollicitè ieiunamus diebus Quadrageſimæ, adeò ut interdum decennes pueros eam faciamus ieiunare: nec ſoluimus per ſabbata quadrageſimalem abſtinentiam, quia Dominus noſter non ſoluit in quadrageſima ieiunij ſui diebus. Nicetas uerò ait: Vnum tantum ſabbatum cuſtodiendum eſt in toto anno, ſepultura Domini: ſed ieiunare oportet. Gregorius Septimus ſanxit, ut diebus ſabbatorum Chriſtiani carnibus abſtinerent, de Conſ. diſt. 5. c. quia dies ſabbati.

Dominica ſeptuageſima,abdicato carnium eſu, Henricus Secūdus ſuſcepit ieiuniū. Chron. Magdeburg.

De ieiunio quorundam dierum obſeruando, eiuſmodi Canon in Salegunſtadienſi concilio conditus eſt: Vt quatuordecim dies omnes Chriſtiani, ante feſtiuitatem ſancti Ioannis baptiſtæ, in abſtinentia ſint carnis & ſanguinis, niſi infirmitate impediente: aut alicuius feſti ſolennitate,quæ in illo epiſcopio celebris habetur, intercedente. Ante natiuitatem Domini ſimiliter,& in uigilia Epiphaniæ, in omnium uigilijs Apoſtolorum, in uigilia Aſſumptionis ſanctæ Mariæ, & in uigilia ſancti Laurentij, & in uigilia omnium Sanctorum: adijcientes prædictis uigilijs unam horam refectionis, excepta infirmitate, & niſi aliquis ſit, qui proprio uoto maiori abſtinentia uti uelit. Secundo tomo Conciliorum, in concil. Salegunſt. cap. 1.

Ieiunium quatuor (ut uocant) temporum, ſollicitè quidem obſeruatum eſt, ſed de diebus certis non conſtitit inter ipſos, ut apparet ex dialogo Bernonis & Gerungi Augienſis monachi, ubi hic ex Bernone illius diuerſitatis rationem expetit. Cùm una, inquit, fides ſanctæ catholicæ matris Eccleſiæ unitatem commendet, quare ipſe in filijs ſuis quibuſdā conſuetudinum diuerſitate aliquādo diſcordat, ut de ieiunijs quatuor temporum,in quorū obſeruatione non nulli uidentur diſcordare? Illa autem diuerſitas,in concilio Salegunſtadienſi certo canone ſublata eſt.

Ieiunia etiam orationis gratia, in publicis calamitatib. indixerunt. Deſiderius enim Caſinenſis abbas, poſtquam templum cœnobij ſui, & in eo monachi aliquot fulmine eſſent tacti, ad placandam Dei iram ſtatuit, ſingulis menſibus primam & ſextam feriam communiter ab omnibus in abſtinentia peragi: & quotidie ad Miſſam publicam & ſpiritales Pſalmos, orationem pro fulgure dici. Chronicon Caſinenſe,libro tertio, capite uigeſimoprimo. Saxonibus ab Imperatore in tantas anguſtias redactis, ut nulla uſquam humani præſidij ſpes affulgeret, per totam Saxoniam,Thringiamque publicō edicto iubetur, ut cuncti poſitis cultioribus ueſtimentis, ſacco & laneis induantur, cibo & potu ſtatutis diebus abſtineant, ſumptuſque in pauperes pro ſua quiſque re familiari conferant: & per Eccleſias nudis pedibus diſcurrentes, Deum communi lamentatione precētur, ut manū ſuam, quæ humano ubique ceſſante adiutorio, ſola iam

posſit opitulari, undique concluſis, ad ereptionem eorum extendat: ut Schafnaburgenſis teſtatur. Et in Seledenſi cœnobio, propter peſtis ſæuitiam ieiunium indictum fuit. Vincentius lib. 25, cap. 32.

DE FESTIS.

FEſta ſuperiorib. ſeculis recepta, adhuc in uſu fuiſſe, ex autoribus patet. Die enim Dominico in tantum operib. prophanis abſtinuerũt, ut ſcrobes ſcindere, putaretur eſſe peccatum: teſte Crantzio lib. 4, ca. 8 Metropolis.

Aduentus. Leo Nonus Dominicam ante Aduẽtus Domini egit Augię, anno 1050.

Contractus. Porrò de numero & ordine Dominicarum Aduentus, orta eſt hac tempeſtate inter nonnullos diſceptatio. Quidam enim, ſi Natalis Domini in ſecundam incideret feriam, quinque numerabant: alij uerò quatuor, & hi tutabantur ſe autoritate Gregorij, qui in libro ſacramentorum ſeu Miſſali, tantùm quatuor Dominicarum Aduentus mentionem facit. ille uerò nitebatur lectionario Hieronymi presbyteri, ubi quinque recenſentur Dominicæ Aduentus: & ea quæ Gregorio eſt quarta, nuncupatur prima. Berno autem in epiſtola ad Aribonem archiepiſcopum, Gregorij ſententiam retinendam teſtimonijs patrum & ratiocinationibus quibuſdam oſtendit.

Natalis Domini, Contractus & Schafnaburgenſis ſæpius meminerunt. Gregorius Septimus media nocte natalis Domini, in æde Mariæ ad præſepe ſacra tractans capitur. Platina, in uita eius. Ruſtici Colbicani, paſtorem ſuum nocte natalis Domini, ſtrepitu & uociferatione impediunt, ne Miſſam canat. Crantzius libro quarto, capite rrigeſimotertio. De natali Domini extat Bernonis ſermo.

Epiphaniarum die. Fulbertus Carnotenſis animam agens, ad circumſtantes dixit: Hodie apparebit, in die apparitionis ſuæ, mihi Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Malmesburgenſis libro tertio, capite quinquageſimonono. Anshelmus in quartum caput Matthæi, feſti Theophaniæ mentionem facit: ac miraculum de conuerſione aquæ in uinum in nuptijs, eodem die, quo & baptizatus eſt Chriſtus, anno reuoluto ab Eccleſia uniuerſali cani & prædicari aſſerit.

Quadrageſimæ. Imperator circa tẽpus Quadrageſimale, anni 1049, Friſinga in Saxoniam receſsit. Contractus.

Palmarum. Henricus Tertius Dominicam Palmarum Bambergæ celebrat. Suentinus lib. 5.

Cœnæ Dominicæ. Linteum, quo Dominus in ultima cœna Apoſtolorum exterſit pedes, die cœnæ Dominicæ quotannis oſtenditur Caſsini. Chron. Caſſ. li. 2, ca. 34.

Paraſceues. In Paraſceue Chriſtiani abſtinuerunt à geniculationibus, & figendis oſculis: ne Iudæos illudẽtes Chriſto, & Iudam proditorem imitari uideretur. Berno, de ieiunio quatuor temporum.

Paſchatis. Henricus Tertius, anno 1043 Mantuæ: Quartus, 1046 Padelburnæ ſanctum Paſcha celebrarunt, teſte Schafnaburgenſi. Secunda feria Paſchæ Gregorius Septimus pro concione prædixit, Henricũ Quartum ante feſtum Petri mortem obiturum: ut Benno Cardinalis indicat. Accenſas eſſe in hoc feſto lampades, teſtatur Petrus Damianus in epiſtola ad Geberhardũ Florentiæ epiſcopum. Ait enim, à Madelmo in ſacroſancto paſchali ſabbato, Dominicam reſurrectionem præcedẽte quatuordecim lampades in templo adornatas. Lectum eſſe textum ex Marco, oſtendit Anshelmus in præfatione in Matthæum, ubi ait: Marcus euidentius exponit ordinem reſurrectionis, quæ in Leone notatur. unde in die Reſurrectionis, Euãgelium eius in omnibus Eccleſijs recitatur. De Grẽcis ait Zonaras: Michael Ducæ filius in Studij monaſterium detruſus eſt eo ſabbato, quo Eccleſia more à maiorib. accepto, Domini ſeruatoris noſtri mirabilem ex mortuis reſurrectionem celebrare ſolet. De Paſchate & Domini reſurrectione, Bernonis habentur ſermones.

Dominicæ poſt Albas, ſit mentio apud Contractum ſub annum 1049.

Aſcenſionis Domini, Lampertus & Cõtractus ſæpius mentionem faciunt.

Pentecoſtes ſolennia, ab Imperatore anno milleſimoquadrageſimoſeptimo Spiræ acta eſſe, Contractus ait. De Aſcenſione Domini, & Pentecoſte, Berno ſermones ſcripſit.

Purificationis Marię feſtum in uſu fuiſſe, ex Schafnaburgenſi liquet. Cereos autem tum oblatos, & proceſsionem purgationis obſeruatam, Anshelmus in enarratione Euangeliorum teſtatur.

Sanctæ Annũciationis meminit Nicetas, in libro contra Romanos.

Extat ſermo Bernonis, in natiuitate Mariæ dictus. Ab Imperatore idem feſtum Goslarię celebratũ anno 1046, refert Schafnaburgenſis.

De Aſſumptione Mariæ concionem etiã ſcripſit Berno. Eiuſdem feſti meminit concilium Salegunſtadienſe capite primo.

Vrbanus Secũdus in ſynodo Claromontana ſanxit, ut officium Mariæ diebus Sabbathinis

bathinis solenniter celebraretur. Ioannes Stellat.

Michaeli archangelo diem sacrum Ratisbonę Heinricus Tertius, anno 1041 peregit: iuxta Schafnaburgensem.

Fuerunt & Apostolis, alijsq; sanctis sui dies, quibus eorum repetebatur memoria: ut S. Ioanni baptistæ. Bucco eidem Halberstadiensis, naui per Danubium in Vngariam in perpetuũ carcerem abducendus, die natalis Ioannis baptistæ petijt nautis, ut sacratissimo die liceret fanum ipsæ uicinum ingredi. Schafnaburg.

Petro & Paulo. Ad horum enim natalem, Imperator anno millesimo quinquagesimoseptimo conuentum regni indixit Mersburgi. Schafnaburgensis. Leo Nonus episcopo Bambergensi dedit pallium, quo in festiuitate Petri & Pauli apostolorum quotannis inter sacra uteretur: ut refert Hermannus Gigas. In festo Petri ad uincula, Gebhardus prior Hirsaugiensis capillos S. Petri Cluniaco allatos, tradit fratribus. Chron. Hirsaugiense.

Matthiæ. De natali S. Matthiæ concionem edidit Berno Augiensis. Reiuuardum Mindensium episcopum, anno millesimo octuagesimonono postridie Matthiæ apostoli mortuum, asserit. Crantzius libro quinto, capite 25 Metropolis.

Iacobo. Rex natalem S. Iacobi VVormaciæ celebrauit, anno millesimo septuagesimotertio. Schafnaburg.

Simoni & Iudæ. Horum festiuitatem nuper celebratam ait Petrus Damianus, in epistola ad Alexandrum papam.

Andreæ. Eadmundus rex Angliæ, in festo D. Andreæ mortuus est. Malmesb. li. 2.

Marco. Solẽnitas Paschalis, anno 1014, die S. Marci, iuxta calculi supputationem peracta est. Chrõ. Cass. li. 2, cap. 46. Extãt de festiuitate S. Marci euangelistæ, tres sermones Bernonis.

Stephano. Nocte D. Stephani, VValdardus episcopus Magdeburgensis incidit in morbum. Chron. Magd.

Fabio & Damiano. Horum enim anniuersaria festiuitate, Salomon rex Vngariæ cum patruelibus suis Geysa & Ladislao, circiter annum Domini 1063 fœdus ferit. Bonfinius lib. 3 Decad. 2.

Geruasio & Prothasio: ut ex Vincentij lib. 25, cap. 61 uidere est.

Laurentio. Huius uigilia destinata est Iunio, in concilio Salegunstadiensi.

Cosmæ & Damiano. Horum solenni die coronatus est VVilhelmus Ruffus rex Angliæ. Malmesb. lib. 4, cap. 1.

Amando. Robertus rex Francorũ, propter festum S. Amandi soluit obsidionem, ut Aureliæ cum monachis eo die horas Canonicas boaret. Martinus Polonus in supputationibus.

Gregorio. In hoc festo usum pallij à Leone papa accepit pontifex Bambergensis: ut refert Gigas. Etheldredus rex Angliæ die S. Gregorij obijt. Malmesbur. libro secundo, cap. 67.

Protho & Hyacintho. Duo iuuenes Adamo monacho Casinensi obuiam facti sunt, qui de nomine & itinere suo quæsiti responderunt: Prothus & Hyacinthus appellamur, & uenimus ad uisitandos fratres, qui nostrum natalem hymnis & Psalmis deuotè honorant. Chron. Cass. lib. 2, cap. 49. Contra Scripturam, quæ negat à mortuis ueritatem sciscitari.

Martino. Rex natalem S. Martini, anno 1075 VVormacię celebrẽ egit. Schafnaburg.

Clementi. Leo Romanus pontifex festum S. Clementis egit Augiæ, anno 1050. Contractus.

Nicolao. Terræ motu multa ædificia Constãtinopoli corruerunt eo die, quo memoria D. Nicolai propter miracula eius celebris agitur. Zonaras in uita Alexij.

Episcoporũ Vdalrici, VVillibrordi & Gereonis festa celebrata apparet ex Responsorijs, antiphonis & hymnis, in eorum gratiã compositis, quę apud Bernonem leguntur.

Puerorum innocentium dies anniuersarius, fuit celebris. Anshelmus enim in secundum caput Matthæi inquit: Hi martyres ad inferos descenderunt, quia nondum passus erat Christus, & ideo in solennitate eorum tacentur uoces gaudij: hoc est, Alleluia, & Gloria in excelsis.

Mariæ Magdalenæ dicatus fuit dies. Nam in uigilia festiuitatis Mariæ Magdalenæ, inter regem & se, de quibusdam conuenisse, ait Anshelmus in epistola ad Ernulfum & alios.

Casini celebrarunt festum S. Benedicti. Chron. Cass. lib. 2, cap. 54.

Dies omnium Sanctorum fuit solennis. Hildebrãdinis decernitur securitas agendi suam causam, usq; ad festum omnium Sanctorum.

Exaltationis Crucis, fit mẽtio apud Meierum in Chronico Flandriæ sub annum millesimũnonagesimũsecundũ.

En cœnia, licet in ueteri Testamento instituta, celebramus. Algerus de Sacramento Euchariſtiæ lib. 5, cap. 10.

Memoriã S. Teclę martyris in Gręcia cultã, tradit Zonaras in uita Isaacij Comnemi.

Anniuersarium dedicationis templi alicuius diem solennem fuisse, constat ex Bernone, cuius sermo eo die in Ecclesia habitus extat.

Noua

Noua insuper quædam festa, à superstitiosis hypocritis instituta sunt. Gregorius enim Septimus sanxit, ut omnium Romanorum pontificum, qui martyres fuerunt, festa solenniter celebrarentur: ut Hermannus Gygas indicat. Idem, festum Liberij hæretici instituit: testis est Bēno. Leo Nonus pro sua autoritate diem S. Dionysij, per totum episcopatū Bambergensem, Clementi Secundo dicatum esse iussit. Historia Bambergensis, ex epistola Leonis ad Harduuicum Episcopum.

Casus.

1. Olaus rex Suecię animum alijs rebus occupatum habens, cultello baculum fortè in sarmēta conscindit. Cum autem ab astante de uiolatione diei Dominici admoneretur, scrobes istas studiosè collectas, manuiq; suæ impositas incendi iussit: ut in se ulciscereturꝙ quod contra diuinum præceptū incautus admiserat. O stoliditatē superstitiosam. Crantzius libro quarto, capite 8 Metrop.

2 Stephanus promulgauit edictū, ut omnibus Vngaris dies assumptionis Mariæ esset in primis solennis, eumq; Dominæ diem appellarēt: cęteraq; eius festa ieiunijs & singulari deuotione transigerent. Bonfinius lib. 1, Decad. 2.

DE NVPTIIS.

SPonsalia præcedebant nuptias. Sic Imperator filiam suam paruulam despondit Salomoni filiolo Andreæ regis Vngarorum. Schafnaburgensis, sub annum 1061. Bela Vngarus VVilhelmo marchioni Thuringorum in pugna capto, ob preces filij sui Ioiadæ, despondet filiam. Ibidem. Henricus Tertius, Brunonem episcopū VVirtzburgensem cum uiris & mulierib. ad VVilhelmum Pictauorū principē misit, eiusq; filiam Hagnā uxorē petijt. Auentinus lib. 5.

Sponsam peregrinam cum magna pompa adducebant. VVilhelmus marchio in Vngariam redire, & sponsam suam cum magna opum ostētatione adducere parat. Sed tertio itineris die extinguitur, anno 1062. Schafnaburgēsis.

Sponsum & sponsam sacerdos solenni ritu iungebat. Sic sacerdotum quidam ἱερο-τελεσίαν τὴν γαμικὴν (quam patriarcha ob tertias nuptias fugiebat) Constātini monachi & Zoës Imperatricis peregit. Zonaras tomo 3. Iuo in epistola ad Galterium Bibliothecarium testatur, à presbytero quodam uerba coniugalis benedictionis mutata esse. Episcopus Remensis autoritate Romani pontificis, & antiqua consuetudine, regiarum nuptiarum solet esse consecrator. Idem.

Instituebant nuptialia conuiuia. Henricus Quartus cum Bertha Ottonis marchionis Italorū filia, Triburię regio apparatu nuptias celebrauit, anno 1069. Schafnaburg.

Modum autem seruabant in sumptibus nuptiarum. Sic Henricus Tertius, in nuptijs suis Ingelheim actis prohibuit, tibicinibus, mimis & scurris, quorum ingens caterua confluxerat, cibos, uestes, & pecuniam aut alia munera dari: sed ciborum reliquias pauperibus distribui iussit. Chron. Magdeburgense.

De tempore nuptiarum extat hæc constitutio in cōcilio Salegunstadiensi, cap. 3. De legitimis aūt coniugijs ita uisum est, quòd nullus Christianus uxorem ducere debeat ab Aduētu Domini usq; in octauas Epiphaniæ, & à Septuagesima usq; in octauas Paschæ: nec in diebus quatuordecim ante festum natiuitatis Ioannis Baptistæ, neq; in prędictis ieiuniorum diebus, siue in omniū solennium dierum præcedentibus noctib. Sic scilicet traditiones humanæ regnabant.

Spiritualis cognatio, quę per baptismum facta erat, matrimonium impediebat: ut monet Iuo in concione de sacramentis neophytorum. Docendus (inquit) est omnis Christianus, ut eum qui de sacro fonte suscepit, ita diligat ut patrem: nec filius cum filia, nec filia cum filio patris sui spiritualis coniugium ineat: quod non esset dicendū coniugium, sed potius incestum contubernium. Vbi uerò hoc Scriptura prohibet?

CASVS CIRCA NVPTIAS.

1 Imperator Henricus Secundus, cum uxore Chunegunde perpetuam seruauit castitatem. Crantzius lib. 3, cap. 32 Saxoniæ. Gygas. Et Conradus Henrici Quarti filius, Italiæ gubernator, uirginitatis tantus fuit amator, ut uix adduci potuerit, ut filiam Rogerij Siculi duceret: quam tamē uix attigisse putatur, ut Hedio refert.

2 Vdalricus Bohemiæ quidem princeps, ex uenatione domum rediēs, incidit in uirginem rusticam, cui Bocenæ nomen fuit, fortè lauantem uestimenta: eamq; ob formæ uenustatem, & colloquij suauitatem, ac mores probatissimos, ita deperire cœpit, ut eam inuitis consiliarijs duceret uxorem. Bonfinius libro secundo, Decadis secundæ.

3 Malcolmus rex Scotiæ, instinctu uxoris Margretæ, castissimæ fœminæ, legecauit, ne nobiles deinceps elocādas uirgines stuprarent (hunc enim morem ex paganismo retinuerant, ad hanc usque ætatem) sed ut nuptura aureo numo pudicitiam

etiam à domino loci redimeret. Polydorus libro 10.

4 Guelphus filius Azzonis marchionis Itaborum, uxorem suam, quam secundò sibi iuramento iunxerat, socero Ottoni Bauarię dimittit: eumq; cum Cæsare prosequitur, & ducatu in se trãslato exuit. Schafnaburg. sub annum 1071.

5 Egbertus marchio, cum uxore sua repudium facere, contra omnes leges ac statuta canonum, & uiduam Ottonis marchionis ducere decreuerat: quòd hęc forma uenustior. Sed mors nefarios conatus interceperit, anno millesimo sexagesimo octauo. Schafnaburg.

6 Robertus cognomento Frisius, primo duxit priuignam Philippi regis Francorum, ex qua Ludouicum procreauit. Ea uerò postea, ob corporis obæsitatem repudiata, filiam Andegauensis comitis sibi matrimonio coniunxit. Malmesb. libro tertio, capite sexagesimo.

7 Mulier Iudaica baptisata, elocata est uiro Christiano: postea uerò ad Iudaismũ reuersa, cum suæ gentis uiro matrimonium iniit: ipse etiam Christianus aliam duxit uxorem. Quorum utrumq; perpetrasse adulterium, Ivo in epistola ad Hilgrium Parisiensem archidiaconum censet: sed malè.

8 Haraldus Danus Vuilhelmo Normanno filiam impuberem despondit, quæ ante nuptias obijt. Malmesb. libro tertio, capite decimo.

9 Iuo episcopus Carnotensis, licet inuitus, interesse noluit nuptijs Philippi Francorum regis & Bertreidæ: quòd rex cũ priore coniuge nondum legitimũ fecerat diuortium, eosque à Remensi præsule salua conscientia consecrandos negat: ut ex Epistolis eius uidere est.

10 Mathildis cum Azzone Estensi, quem priori suo uiro sanguine iunctum reseiuerat, iussu Hildebrandi Romani pontificis fecit diuortium. Crantius libro quarto, capite octauo.

11 Iuo ad Gualterium Meldensium episcopum in epistola quadam innuit, disputatum esse hoc seculo, utrum liceat eam qua quis antea pellice est usus, ducere uxorem? Contrarias autem Patrum de hac quæstione recitat sententias, in quibus ait, eam esse dissentiam, quæ est inter misericordiam & iudicium: quæ quoties in unum negotiũ conueniunt, in discretione rectorum ita constituunt, ut habita ratione salutis animarum, pro qualitate personarum, pro opportunitate locorum & temporũ, nunc seueritas Canonum possit exerceri: nunc indulgentia, quibus oportebit impendi.

RITVS VISITANDI *ægrotos.*

MVnus uisitandi infirmos, fuit commune episcopis, presbyteris, diaconis, & alijs etiam Christianis. Baruuardus Hildesheimensis, & quatuor suffraganei, Vuoldardum Magdeburgensem ægrotum inuisunt: ut in Magdeburgẽsi scribitur Chronico. Et ad Fulbertum Carnotẽsem decumbentem tanta caterua confluxit, ut ædes eam uix caperent. Malmesbur. libro tertio, capite quinquagesimonono.

Edebant ægroti suas confessiones, & hortabantur superstites ad pietatem. Leononus ingraueścente morbo cunctis benedicens, & admonitis ualedicens, S. Petro sua confitetur peccata: atque deuotè se illi commendans, 16 Calendas Maij expirat, anno 1054. Contractus. Albertus Bremensis episcopus, horam mortis imminere sibi sentiscens, crebris iterauit suspirijs: Heu me infelicem & miserũ, qui tantas largitiones in uanum effudi. Potuissem esse beatus, si in usum pauperum ea conuertissem, quæ pro seculi gloria me distraxisse nunc nimium doleo. Nunc autem illum adhibeo testem, cuius oculus intuetur abysi profunda, quòd intentio cordis mei tota fuit super exaltatione Ecclesię meę, quę licet mea culpa exigente, uel odio inimicorum superante, extenuata nimis uideatur: sunt tamẽ amplius quàm duo millia mansi, quos ex hæreditate mea, uel labore meo gratulor adiectos Ecclesiæ. O' miseram consolationem, non in mediatore Christo, sed suis operibus fundatam. Crantius libro quinto, capite undecimo Metropolis. Vuelpho Carinthius acri morbo tactus, legatum in Italiam ad Imperatorem mittit, & coniurationis socios, qui Conrado proscripto regnum tradere conabantur, ac publicè scelus suum detegit. Auentinus. Vuilhelmus abbas Hirsaugiensis, moribundus conuocatos fratres hortatus est ad uitæ emendationem, timorem Dei, mutuam dilectionem, monasticæ uitæ feruorem, & hospitalitatem solicitè exercẽdam. Chronicon Hirsaug.

Extat inter Anshelmi epistolas manuscripta, forma quædam ægrotos compellandi, quàm huc adscribere placuit. Lætaris, quòd in fide Christiana moreris? Respondeat: Etiam. Gaudes, quia moreris in habitu monachico? Respondeat: Etiam. Fateris te tam malè uixisse, ut meritis tuis pœna æterna debeatur? Respondeat: Etiam. Pœnitet te horum? Respõdeat: Etiam. Habes uoluntatem emendandi, si haberes spacium? Respondeat: Etiam. Credis quòd pro te est mortuus Dominus Iesus Christus? Respon-

Reſpondeat: Etiã. Agis ei gratias? Reſpondeat: Etiam. Credis te non poſſe niſi per ipſius mortem ſaluari? Etiam. Age ergo, dum ſupereſt in te anima, in hac ſola morte totam fiduciam tuam conſtitue, in nulla alia re habeas fiduciam, huic morti te totum committe, hac ſola te totum contege, hac morte te totum inuolue. Et ſi Dominus Deus te uoluerit iudicare, dic: Domine mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti obijcio inter me & tuum iudicium, aliter tecum non contendo. Et ſi tibi dixerit, quia peccatores: dic, Domine mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti pono inter me & mea peccata. Si dixerit tibi, quòd meruiſti damnationem: Domine mortem Domini noſtri Ieſu Chriſti obtendo inter me & mala merita mea: ipſiusq; meritum offero pro merito, quod ego debuiſſem habere, nec habeo. Si dixerit, quòd tibi eſt iratus: dic, Domine mortẽ Domini noſtri Ieſu oppono inter me & iram tuam. Quo expleto, dicat infirmus ter: In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Vtebantur cœna ſacra infirmi. Vt VVilhelmus abbas Hirſaugienſis in oratorium B. Mariæ delatus, peractaq; coram eo miſſa, corpus & ſanguinem Chriſti de manu ſacerdotis cum deuotione accepit. Chron. Hirſaug. VVilhelmus Conquæſtor, cognito à medicis, quòd uitæ prorogatio non eſſet expectanda, confeſsione & uiatico ſe ad iter præparauit. Malmesburg. lib. 3, cap. 55.

Sanctorum quoq; reliquię ad eoſdem allatæ ſunt. Alexius gubernator ſtudij monaſterij, decumbenti Baſilio attulit caput Ioannis baptiſtæ. Zonaras.

Vngebantur oleo. VVilhelmus Hirſaugiẽſis præſul morti uicinus, oleo ſacro inunctus dicitur in Chronico Hirſaugienſi. Epiſcopus Catalaunenſis iam moriens & inunctus, conceſsit Drogoni ſedem. Iuo in epiſtola ad Paſchalem papam. Epiſcopi qui VVoldardum Magdeburgẽſem uiſendi gratia acceſſerant, diligenter pro eo orabant: Titmarus uerò epiſcopus Mersburgẽſis, eum oleo ungebat: ægrotus ſe ſignabat cruce. Cum morte autem luctantem, ex lecto in terram tapetis ſtratam deponunt, ciliciũ ei ſubſternunt, crucemq; pectori adhibent, cinere manum replent, ac candelam ei ſuccẽdunt: ut habet Chronicon Magdeburgenſe.

Caſus.

Siuardus nobilis dux Northumbriæ, dyſenteria laborans, antequam obiret, armis indutus, erectusq; ſedens dixit: Sic decet militem defungi, & non ut bouem accubantem eneruari. Ranulphus lib. ſexto, capite 25. Polychron.

Ritus ſepulturæ.

MOrtuos deflebãt. Mortuo Boleslao, uniuerſa Polonia annum in luctu egit, ut nec conuiuia agitaret, nec choreas duceret, nec mundioribus ueſtibus quiſquam nobilium uteretur. Cromerus libro tertio. Hugonem Hetruriæ gubernatorem Hetruſci, non minus ac parentem ſuum, Piſtorij defunctum luxerunt. Platina in uita Ioãnis Deciminoni. VVilhelmus Cõquæſtor uxorem Mathildam multis dieb. defleuit. Malmesburgenſis libro tertio, capite 46. Monomachus Imperator uxorem Zoen ſeptuagenariam muliebriter luxit. Zonaras. Cum nuper uenerandæ memoriæ matrem ueſtrã Giſelam, more humano terræ commendare debuiſſetis, abiecta regali purpura aſſumpto q; lugubri pœnitentiæ habitu, nudis pedibus, expanſis in modum crucis manibus, coram omni populo in terram corruiſtis, lachrymas pauimentum rigaſtis, publicá pœnitentiam egiſtis, omnesq; qui aderant ad lachrymas commouiſtis Sic flendo, ſic pœnitendo, Domini ſacerdotibus, qui pro uobis rationem reddituri ſunt, ſatisfeciſtis, & miſericordiam diuinam placaſtis. Bernoldus in epiſtola ad Henricum Tertium. Chunegundis funus, ex Confugio ad urbem Bambergenſem, largis cum lachrymis comitantur proceres regni, nobiles, uicinorum populorum & pauperũ multitudo quàm maxima. Hſtoria Bambergenſis.

Cadauera antequam ſepulturæ traderentur, lotione & aromatibus curabantur. Alexium Imperatorem ab omnibus ferè miniſtris adeò deſertum eſſe, Zonaras ſcribit, ut penè nulli fuerint, qui cadauer ipſius poſtremis lauacris purgarint.

Et in feretris ad ſepulchra portabantur. VVilhelmus Roſchildenſis epiſcopus, funeri Suenonis regis occurrens, duas proceras arbores in uia decîdi, atq; in uſum lecti funebris ſibi aptari præcipit ſe enim unà cum rege condendum tumulo: moxq; præter omnium opinionem expirans, epiſcopus ſe retro à ſuis imponitur, & ante regem defertur. Saxo Gram. lib. 11.

¶ Fiebant cantilenæ lugubres. Mortuum monachum in feretro iacentem, pſallentes fratres circumſteterunt, atque Miſſam celebrarunt. Petrus Damianus in epiſtola ad Nicolaum papam. Corpora defunctorum Magdeburgi prima nocte ferebantur in templum Ioannis, & ſequenti die in fanum D. Mauritij. Chron. Magdeb. Duo epiſcopi, quinq; abbates, clerici, & idiotæ multi, qui conuenerant, diebus quinq; exequias VVilhelmi abbatis Hirſaugienſis inhumati celebrarunt. Chronicõ Hirſaugienſe. Ca-

se. Canonici flentes, preces suas recitarunt super funere Dagonis episcopi. Chrō. Magdeburgense.

¶Locus sepulturę, erant Cęmiteria. Circa annum Domini 1060 tantus honos habitus est cæmiterio D. uirginis Aldenburgi, utrin eo tantum nobiles sepelirentur: ob cuius uerò ad D. Petrum humarentur. Iacob. Meyer.

Aut templa. Stephanus Vngarorum rex Albam delatus, in medio templi sepelitur: ut Bonfinius testatur. VVigebertus episcopus Mersburgensis, in templo Cathedrali sepultus est, anno 1012. Chron. Mersburgense libro secundo, cap. 6. Dago Magdeburgensis archiepiscopus, in choro summæ ædis, ubi sæpè orare solitus erat, humatur, anno 1012. Chron. Sax. Sueno rex Danię, Suddatorpij in Iutia defunctus, Roschildam perfertur, atq; in æde S. Trinitatis sepelitur. Saxo Grammaticus libro undecimo. Agneta Imperatrix Romæ uitam finiit, atque in templo D. Petronellæ sepulta est. Auentinus.

Aut monasteria. Cadauer Richerij abbatis Casinensis, qui peregrè obierat, monachi comites ad monasterium S. Liberatoris reportant: ibique exequijs celebratis, in antecessoris sepulchrum reponunt, anno 1055. Chron. Casinense lib. 2, cap. 92. Andreas rex Vngarorum, sepultus est in cœnobio Tychonensi. Bonfinius. Bela rex in D. Saluatoris cœnobio, quod ipse ædificarat, humatus est. Idem. Siuardus nobilis dux Northumbriæ, in monasterio Galmanho, ab ipso constructo, terræ mandatus est. Rudolphus lib. 6, cap. 25. Bēno dux Saxonię, in crypta Lunenburgēsi, ante altare Mariæ sepultus est, anno 1009. Chron. Saxon. Godfridus rex Hierosolomytanus, in ru pe Golgatana sepultus est. Malmesb. lib. 4, cap. 70.

Ditiorum monumenta splendidiora erant. Bruno enim episcopus Mindensis, apud Insulam quam fundauit, lapideo sepulchro precioso illatus est. Crantzius lib. 4, cap. 21 Metropolis. Cadauer Stephani regis Vngarorum, marmoreo sepulchrō mandatum est. Bonfinius lib. 1 Dec. 2. VVilhelmus Conquęstor Egditæ reginæ funus maximis sumptibus curauit: & in VVestmonasterio prope cōiugem Edouardum, tumbæ auro & argento ornatissimæ mandauit. Malmesburgensis lib. 3, cap. 46.

Epitaphia composuerunt, & erexerunt. Sic Rudolphi regis Romani, in ipsius tumulo cælatum Mersburgi, anno 1080 tale extat:

Rex hoc Rudolphus, patria pro lege peremptus,
Plorandus meritò, conditur in tumulo,
Quauicêre sui, iacet hîc sacra uictima belli:
Mors sibi uita fuit, Ecclesiæ cecidit.
Rex illi similis si regnet, tempore pacis,
Consilio, gladio non fuit à Carolo.

Memorias defunctorum anniuersaria die cantionibus & orationibus repetebant. In solennitate S. Dionysij dies anniuersarius Clementis Secundi celebratur. Leo in epistola ad Harduuicum episcopum Bambergensem.

Pro animabus mortuorum orabant Pontificij. Sic cum diabolus Maionem monachum abstulisset, Oderisius abbas Casinēsis constituit, ut quot fratres obijssent, tot etiam pauperes usque ad trigesimum diem alerentur. Omnique tempore cum fratres à capitulo surgerent, pro defunctis psalmos quatuor canerent: ac per singulos nouiter defunctos, singuli etiam psalmi de canticis graduum, usque ad trigesimum diem addē rentur. Sexta insuper feria per totum annum expleta missa pro defunctis, continuò canentes psalmos, ad cæmiterium pergerent: ibique facta oratione, postmodum Capitulum soluerent. Chron. Cass. lib. 4, capite quarto. Berno in epistola ad Augienses fratres, iubet pro anima Henrici recens mortui, psalmos triginta diebus decātari: & primo die centum, tertio ducentos, septimo trecentos, & trigesimo quadringētos pauperes ali: ut millenatiæ perfectionis summa, fiat ibi remissio plena, ubi melior est dies una in atrijs Domini super mille. Deinde ipsis monachis & clericis, ijsdem quatuor diebus conuiuia instrui, & sic anima, scilicet monachorum, potu largiter recreata est. Idem in epistola ad Burchardum abbatem: Preces pro requie Henrici ad Dominum fundantur assiduæ. Canonici Bambergenses, triduanas exequias pro felici transitu Chunegundis mortuæ peregerunt. Historia Bambergensis.

Oblationes fiebant pro mortuis. Sic Reginbodo, qui in templo Goslariensi occubuerat, equum maximi precij fratribus Fuldensibus, ob recordationem animæ suę derat. Schafnaburgensis. Anshelmus inquit: Beneficia pro commendandis defunctis agimus, quia hoc meritum sibi quisque, dum in corpore uiueret, comparauit, ut ei possint ista prodesse. Non enim omnib. prosunt propter differentiam uitæ quam quisque gesit in corpore. in quintum cap. secundæ ad Corinthios. In Tremoniensi conuentu decretum est, ut Ecclesiastici triginta Missas celebrarent pro quouis defuncto fratre. Crantzius libro quarto, capite septimo Metropolis. Et in Chronico Magdeburgensi additur, iniunctum præterea diaconis & subdiaconis, ut blaterarent decem psalteria. Item, ut rex & regina quinquagenos

genos distribuerent nummos, & quinquagenos pauperes in mensa alerent: episcopi uerò trigenos nummos & trecētos mendicos, ac trigenas candelas ardentes: Principes uerò, 500 pauperes pascerēt, ac quindenos nummos pro anima defuncti erogarent.

CASVS CIRCA DEFVNCTORVM *sepulchra.*

1 Vuilhelmus Conquæstor rex Angliæ, templum extruxerat aliena in area, nec persoluerat precium Domino: qui tum egens, pompam funebrem cœtumque procerum nihil ueritus, in mediam prosequentium regium funus celebritatem, mirantib. cunctis satis'ne esset sanus, se intulit, ita clamitans: Qui regna oppressit armis, me quoq; metu mortis hactenus oppressit. Ego iniuriæ superstes, pacem mortuo non dabo. In quē effertis istum hominem, locum, meus est. In alienum solum inferendi mortui ius neminiesse, defendo. Si extincto tandem indignitatis autore, uiuit adhuc ius, Rhollonem conditorem parentemq; gētis appello, qui legibus ab se datis, quàm cuiusquā iniuria, plus unus potest, polletq;. Simul incendium, incertum fortè an fraude humana ortū, latè domos propinquas ędesq; sacras depascit. Vndiq; ad extinguendam sæuientem flammam concursus fit, circaq; regium cadauer solitudo facta est ibi: uelut manifesta numinis ira territus Henricus regis mortui filius, qui solus procerum diuelli à feretro non potuit, controuersiam præsenti pecunia fundi Domino data tollit. Paulus Æmilius.

2 Corpus Abæ regis Vngarorū, non multis à morte annis effossum est, cuius sudarium & paludamentum tum fuēre incorrupta, & uulnera obducta cicatrice curata: ideoque ex æde rustica ad cœnobium Saranense, ab eo extructum, translatum est cadauer. Bonfinius lib. 2 Dec. 2.

3 Monomachus uxorē suam Zoën mortuam angelis comparauit, cùm ob loci humiditatem ex eius monumento enatus esset fungus. Hunc enim signum esse dixit diuinæ prouidentiæ, ne ignoraretur, Imperatricem in cœtum intelligentium potestatū esse receptam. Zonaras.

4 Robertus Cestrēsis episcopus moriturus, parui pendens statuta canonum, quib. pontifices in suis sedibus sepeliri iubentur, non in Cestria, sed in Conuentria, quod ui sibi subiecerat, se tumulari p̄cepit. Malmesburgensis lib. 4, cap. 36 de rebus Anglorū.

5 Karcuntus ab Alphrico Eboracēsi præsule & alijs instigatus, cadauer Haroldi regis effossum tumulo VVestmonasteriēsi, capite trūcari, & in piscinā proijci iussit: quod piscator postea sagena sua extractū, Domis dedit, qui id Lādoricæ in cœmiterio humarunt. Idem lib. 2, cap. 74.

6 Richardus Normanniæ dux, superstitionibus supra modum deditus, in agone mortis præcepit, suum corpus ad ostiū templi humari, ubi & pedibus hominum assiduè cōculcaretur, & stillicidijs ex tecto alto delabentib. infestaretur. Idem lib. 2, ca. 66.

7 Piaculum duxêre, eos qui sacra non usi fuerāt cœna, locis sacris humare. Ita nō defuêre qui suspicarentur, diuino iudicio turrim VVintonienſem collapsam, quòd in ambitu sepultus esset VVilhelmus Rufus, qui tota uita in fide lubricus, nec ante mortem Christiano usus esset uiatico. Idem libro 4, cap. 29.

8 Christiani cadauera hostium, in expugnatione Hierosolymorum interempta, igne combusserunt, ne aër contagio inficeretur. Idem lib. 4, cap. 66.

9 Monachus quidam quater aufugerat ex cœnobio Vindocinensi, tandē uerò receptus, & in communi fratrum loco sepultus erat. Quia autem monasterio pro re quadam furto surrepta non satisfecerat, monet Iuo Ganfridum abbatem, ut sepultura eum priuet. Iuo in Epistolis.

10 Iuo in epistola ad Petrum p̄positum Suessionensem docet, iniustè priuari Ecclesiastica sepultura eum, cui moribundo denegata est communio. Quod si autem hoc iniquè factum demonstretur, reliquias tantum Ecclesiasticè humandos esse.

DE RELIQVIIS SANctorum *earumq; translatione.*

EThnica consuetudo sanctos mortuos, eorumq; ossa colligendi, emendi, eleuandi, transferendi & colendi, hoc seculo usitatissima fuit: quemadmodum historiæ ostendunt. Cadauer enim Gerardi Vngarorum pontificis in saxis Danubij, quò ex rupe deiectum erat, septennium iacuit: donec à sacerdotibus lectæ reliquiæ, in sacellum Chanadini reconderentur, lapisq; in altaris superficie in testimonium rei collocaretur. Bonfinius lib. 2 Decad. 2.

De inuentione & leuatione. Leo pontifex VVolfgangum Ratisbonensem episcopum de tumulo leuauit. Vrspergensis, & Crantzius libro 4, capite trigesimoquinto Metropolis. Idem cum aliquando ad Hirsaugiense monasterium, quod iam in solitudinem penè redactum fuerat, ueniisset, corpus S. Aurelij sibi monstrari petijt, cui clericorum quidam respondit, se à maioribus olim audiuisse, Aurelij reliquias eo tēpore, quo Normanni Gallias uastarūt, ab abbate in terram

in terram abſconditas eſſe, neq; locum dein ceps cuiquam cognitum fuiſſe. Accitis ergo foſſoribus, Leo ad fundendas preces in terram proſtratus, iubet in diuerſis Eccleſię locis fodere, & de tanto theſauro inquirere. Sed labor fuit inanis, donec Venetus quidam repercuſsione malleorum deprehendit, terram ſubtus excauatam. Effoſſa itaq; humo, inuenerunt fornicem ſubterraneum, in quo ſarcophagus apparuit admodum ornatè compoſitus, quem cum pōtifex uidiſſet, gaudio exiliens præcepit, ut omnes ad orationem genua flecterent, & Deum pro confeſſoris ſui deſiderata inuētione collaudarent. Oratione finita, Papa accedēs propius iuſsit aperire ſepulchrum: ex eoq; ſuauiſsimus odor exhalauit, oſſa autem ſericis pannis inuoluta debito collocata ordine in uenerunt, & ad caput eius plumbeā tabulam cum hac inſcriptione: Corpus Sancti Aurelij Epiſcopi, tempore Arnulfi regis repoſitum, Herderado abbate, 8 Calendas Septembris. Quibus lectis, Papa ingemuit: Væillis, inquiens, qui locum tanti præſulis meritis & præſentia ſacrum uaſtarunt, & ſarcophago recluſo, ne reliquiæ diſtraherētur, cum comite ad caſtrum redijt. Chron. Hirſaug. Anno 1090, corpus S. Clementis primi epiſcopi ab Apoſtolis Metenſibus ordinati, ibidem inuentum leuatur. Sigebertus. Ladislaus accepto pontificis diploma te, ut corpora eorū qui in Vngaria fidei prima fundamenta ieciſſent, ſolenni celebratione oſtentarentur, eorūq; ἀποθέωσις confirmaretur, corpus Stephani regis, quod annis 45 quieuerat, tumulo eductum, acclamantibus multis, per baſilicam circumduxit. Bonfinius libro primo & quarto, Decad. 2. Bouo abbas, Anno 1052 corpus D. Bertini, cōditoris & rectoris primi cœnobij Sithiu, leuauit. Anno 1067, oſſa D. Machārij archiepiſcopi, corā Philippo rege Frācorū, Balduino comite Flādrię, & alijs proceribus leuata ſunt Gādaui. Anno 1084, 3 calēd. Auguſti, leuatū eſt corpus D. Godelephæ, à Rodobone epiſcopo Caſtellæ: ut in Flandriæ Chronico Meyerus ſcribit. Treueris, apud S. Paulum, tredecim corpora ſanctorū Thebææ, ut putatur, legiones reperta ſunt: Palmatius, Tyrſus, Maxentius, Conſtantius, Creſcentius, Iuſtinus, Leander, Alexander, Soter, Hormiſta, Papyrius, Conſtans, Iouianus. Dumque ex crypta, ubi ſancti quieſcebant, terra portaretur, os quoddam incautè proiectum, ſanguinem fudit non modicum, & uſq; hodie permanet ſanguinolentum. De paſsione eorum hæc ad nos, ab ipſis Treuerenſibus ſcripta, perlata ſunt. Rictionarus Maximiani Imperatoris præfectus, legionem Thebæam iuſſu ipſius circumquaque perſecutus, Treuerim propter ipſos 4 Non. Octobris eſt ingreſſus: & eadem die occîdit ibi ducem eiuſdem legionis Tyrſum, cum omnibus comitantibus ſuis. Sequenti autem die Palmatium, Treuericæ ciuitatis conſulem & patricium, cum omnibus eiuſdem ciuitatis principibus interfecit. Tertia uerò die, cædem exercuit in plebe ſexus utriuſque. Horum autem martyrum corpora innumerabilia, in ſancti Pauli archiepiſcopi iacēt Eccleſia. Schafnaburgenſis.

De translatione. In cryptam Hirsfeldenſem conſecratam, reconditæ ſunt reliquiæ confeſſorum VVigberti & Lulli, anno 1040: iuxta Schafnaburgenſem. Henricus Tertius, corpus VVidonis miraculis inſigne, Parma magno honore tranſtulit Spiram, anno 1047: teſte Hermanno Contracto. Reliquiæ S. Zenonis martyris, anno 1052 à VValthario Veronenſi epiſcopo in uillā Alemaniæ Vlmam allatę, miraculis claruerunt: ut idem refert. Anno 1071, monachi Manderenſes oſſa D. Remachi leuant, & Leodium deferunt. Schafnaburg. Eodem die quo Victor Tertius inauguratus eſt pontifex, corpus S. Nicolai Myra, ubi ſeptingentis annis ferè quieuerat, translatum eſt Venetias: quamuis alij Barum à mercatorib. deuectum contendant. Chronicon Caſſ. li. 3, cap. 64. Platina. Dodechinus, ſub annū 1087 refert. Rex Cnuto corpus Alphegij Lōdonicæ ad S. Paulum humatum, ſuis manibus leuauit, & Cantuariam remiſſum uenerat eſt. Malmesbur. lib. 2, cap. 69. Vincētius in Speculo hiſtoriali lib. 25, cap. 15, id tribuit Achelnoto archiepiſcopo Cētuariēſi. Henricus Secundus multas reliquias detulit Baſileam. Irenicus lib. 12 Exegeſeos. Athela, Balduini pij uxor, corpus Sidronij martyris Roma Parthenonē attulit. Eremboldus abbas Gandenſis, corpora S. Leuini & Brixij ab Holthem, tranſtulit in ſuum cœnobium, anno 1008. Baldninus Barbatus Flandriæ comes, Tronchinianis iuxta Gandanum monachis dentem Ioannis Baptiſtæ donauit. Corpus D. Leuini, & particulæ quædam S. Pancratij & Barbarę, trāslatę ſunt Gandaui à Robodone epiſcopo & VVichmanno abbate, Anno milleſimo octuageſimonono. Reliquiæ S. VValburgis in eccleſia Farnenſi ex ueteri ſcrinio in nouum repoſitæ ſunt, præſentibus Gertrudæ Roberti comitis tum Ieroſolymis commorantis uxore, Herberto Furnenſi, & Bernoldo VVatritenſi, eorumq; canonicis. Brachium D. Georgij, ab Alexio Conſtantinopolitano Imperatore acceptum, Robertus Flandriæ comes tradidit Aymerico abbati Aquicinctenſi. Balduinus

princeps ossa D. VVinnoci, in ædem ei sacram recens constructam, ex Martiano fano transtulit, ut Iacobus Meyerus in Flandriæ annotat Chronico. Poppo Treuirensis, corpus S. Materni ex fano S. Matthię cũ suffraganeis transtulit, & cum donis ab Helena missis suo altari inclusit. Catalogus Treuirensium. Henricus Quartus Aquisgrani sanctum Speum confessorem, & brachium iusti Simeonis (cuius mẽtio est in Euangelio) & caput Anastasij monachi & martyris, aliorumq; Sanctorũ reliquias accepit, atq; in Hartelspurg misit. Schafnaburgensis. Monachi quidam peregrinatores Hierosolymis attulerunt particulam lintei, quo Saluator discipulis detersit post lotionem in ultima cœna pedes, & propter loci sanctitatẽ reliquerunt Cassini. Chron. Cass. libro 2, capite 34. Malfitanus quidam nobilis, in Cassinẽsium monachorum album adoptari cupiens, haud exiguam ligni, cui Dominus affixus fuit, partem auro & lapidibus preciosis ornatam, secũ attulit ex palatio Constantinopolitano, unde propter seditionem eiectus erat. Chron. Cass. lib. 3, cap. 54. Benedictus Papa, ob amorẽ & reuerentiam S. Benedicti, de sacrario Lateranẽsis palatij Cassinũ anno 1023 misit has reliquias: De ligno Domini, de sanguine Domini, de uestimẽtis Domini, de lapide S. sepulchri, de uelo sanctæ Dei genetricis Mariæ: eôdemq; reliquias etiam apostolorum Petri & Pauli, Andreæ, Ioannis, Iacobi, Thomæ, Bartholomæi, Matthæi, Simeonis, Iudæ & Matthiæ: spongia cum sanguine sancti protomartyris Stephani, Laurentij, Stephani papæ, Pelagij papæ: Martini episcopi, Prudẽtij, Iuliani, Augustini, Christophori, Aemiliani, Nicandri & Marciani, Alexij, Anastasiæ, Eugeniæ, Ioannis & Pauli, quadraginta martyrum & aliorum multorũ locatæ sunt. In altari S. Ioannis habetur spongia, quæ fuit Christo porrecta cũ aceto: ex oleo de candela sancti Sepulchri, quæ per singulos annos modo ualde mirabili, die sancti Sabbati paschalis, uidentibus cunctis accenditur: de manna sepulchri sancti Ioannis euangelistæ: de aqua Iordanis ex eo loco ubi baptizatus est Dominus: S. Laurẽtij, Sebastiani, aliorumq; multorum. In altari S. Marię habetur de sepulchro ipsius: & de reliquijs martyrũ Dionysij episcopi, Cęsarij diaconi, Stephani papæ, Primi & Feliciani. In altari S. Gregorij, habetur de uestimento S. Mariæ, de uestibus apostolorũ Petri & Pauli, & de reliquijs sanctorũ quadraginta martyrũ, Pancratij, Valentini, Hilarij, Martini episcopi: & de dalmatica sancti Ambrosij. In turri argẽtea, quæ est in arcu maiore, reliquiæ istę sunt positę: De capite Ioannis baptistæ, de uestimentis Ioannis euangelistæ, Andreæ apostoli, Sebastiani, quadraginta martyrum: de uelo sanctæ Agathæ, de uestimẽtis sanctæ Susannæ. In apsida sancti Ioannis, in corona Saluatoris lignum Domini, de lapide sancti Sepulchri. In singularum columnarum ipsius Ecclesię capitellis inclusæ sunt reliquiæ sanctorum Philippi & Iacobi, Ioannis & Pauli, Nicandri & Martiani, Cornelij & Cypriani, Cryspini, Maximi, Sebastiani, Phocæ, Eutychij, quadraginta martyrũ: de capillis S. Remigij episcopi. In altari S. Nicolai hę habẽtur reliquæ: Sãctorũ martyrũ Cornelij & Cypriani, Sebastiani, Nicãdri & Marciani, Cyrini & Maximi, Focę episcopi, Eutychij, & de capillis S. Remigij episcopi. In quatuor angulis Cãpanarij hæ sunt reliquæ: de lapide S. sepulchri, de uestimẽtis S. Marię, de lapide sepulchri eius, sanctorũ apostolorũ Iacobi, Philippi, Bartholomęi, Martini episcopi. In cruce Campanarij, lignum Domini, de capite S. Baptistæ, Bartholomæi apostoli, Cyriaci diaconi. In frontispicio Ecclesiæ, in cruce ænea, lignum Domini, de lapide sancti Sepulchri, Mauri abbatis, & sanctorũ martyrũ Ioannis & Pauli. Chron. Cass. lib. 3, cap. 38. Quid habent reliqua templa tã multa passim, si isti monachi soli tantum particularũ, de sanctis possident? Verùm ô miseros sanctos, si in tot frusta, per illos crudeles homines discerpuntur, atq; ad superstitionem & quæstũ adhibentur. Constantinopolitanus Imperator, Erico Danorum regi in Palæstinam profecturo cùm alias reliquias Sancto rum, tum partẽ ligni Dominici dedit: quæ quidem omnia hic statim in patriam misit. Crãtzius lib. 5, cap. 5 Daniæ. Capta à Grę cis & Normãnis Syracusana urbe, senex quidam mausolum S. Luciæ prodidit. Itaque Maniates dux, corpus eius thecæ argenteæ impositum, misit cum honore Cõstantinopolin. Chron. Cass. lib. 2, cap. 48.

De ueneratione, cultu & adoratione earundem. Ad particulam lintei Dominici solent duo accendi candelæ: & expleto mandato acolythi, singulis ea ordine datur flexis genib. deuotè adoranda, & reuerenter osculanda. Chron. Cass. Cunto inquit: Deo omnipotẽti gratias ago, quòd mihi concessit in uita beatos apostolos Petrum & Paulum, & omne sanctuarium quod intra & extra Romam est, addiscere, & secundum desiderium meum præsentialiter uenerari & adorare. in epistola ad Anglos, apud Malmesb. lib. 2, cap. 71. Odfridus in cœnobij sui Casletensis æde, memoriã & ueneratio nem D. Richarij, cui antè dicata erat, abolere, & D. Nicolai nomen & adorationem in eam reducere in animo habuit: sed obstitit ei con-

ei consuetudo Menapiensium, qui eò ad sacra S. Richarij statò anni die conuenire nõ cessabant. Iacob Meyer. Hugo Cluniacen sis, ob preces Theobaldi abbatis, os integrum brachij S. Mauri, capsulæ argenteæ in star turrium artificiosè erectæ decenter inclusum, per sex sui monasterij fratres misit Cassinum. Qua re diuulgata, ex tota proxima deuotione præcipua: totus etiã monasterij conuentus inæstimabili iucunditate lætatus est: omnesq; solennibus induti, sacrisq; uestibus, cum cereis ac thymiamatibus plurimis ad portam ueterem, aliquanto extra monasterij ambitum procedentes, obuiam cum deuotione summa hospiti tanto iuerunt: & quasi uiuentem in carne conspicerent, omnes in terrã pariter procidentes adorauerunt: surgentesq;, secundum illum locũ deuotissimè ac reuerenter mixtis gaudio lachrymis osculati sunt, & cũ hymnis ac laudibus honorificè nimis prosequẽtes, in monasterium introduxerunt, eumq; supra magistri sui Benedicti uenerabili alta ri impositum. In promptu causa est, quia debebat esse ueluti noctua ad alliciẽdas aliculas: id est, stultos homines, ut munuscula auari fratres tanquam periti aucupes acciperent. Nam reliquię Sanctorum in plerisque locis fuerunt quæstuosissima aucupia pecuniarum. Chron. Cass. lib. 2, cap. 34. Gebhardus Hirsaugiensis monachus, capillos S. Petri Cluniaco allatos, cuidam fideli presbytero seruandos dedit, donec opportuno tempore cum honore congruo inferrentur monasterio. Die igitur festo S. Petri ad uincula, conuocatis uicinis abbatibus & alijs religiosis uiris plurimis, reliquię ad cœnobium Hirsaugiense deductæ, cum ingenti lætitia exceptæ sunt. Et primò sepulchro abbatis VVilhelmi, cui missæ erant potissimùm, impositæ: deinde singulis ordine osculandæ traditæ sunt, ut Dominum in suis donis celebrarent. Postremò cum maxima reuerentia, in scriniolum in hunc usum decenter paratũ, depositę sunt. Chronicon Hirsaugiense.

Anno millesimo trigesimo, frequẽti Flandriæ procerum conuentui, corpora Gerulphi, VVandregisili, Ansberti, Vulframi, Baronis, Amandi, Parahildis, Donatiani, Amelbergæ, Vualburgis, Landoaldi, Vincianæ, Vedasti, Bertini, VVinnoci, aliaque Flandriæ numina interfuêre: ubi D. Gerulpho, quòd Flandrici esset sanguinis, primus dignitatis honos est habitus, eiusque feretrum semper tenuit primas. Iacob Meyer in Chronico Flandriæ.

Aureis & argenteis inclusæ seruabantur reliquiæ arculis. Anglię enim episcopi & abbates, cum decies mille marcas Roberto ad sacrum bellum, iussu regis numerare non possent, aurea & argentea scrinia, reliquiarum receptacula promere iubentur: ut Malmesburgensis libro quarto, capite decimoquarto scribit. Et Theobaldus Cassinensis abbas argenteam capsulam, cui crucis Dominicæ portiuncula erat includẽda, parari fecit. Chronicon Casinense libro secundo, capite quinquagesimotertio. Et Magdeburgensium episcopus VVolbardus argenteam cudi fecit arcam, cui Sanctorum reliquias includeret: ut in Magdeburgensi historia annotatum est.

De ostensione solenni, in Casinensi Chronico scribitur: Linteum, quo Dominus in ultima cœna discipulorum tersit pedes, quotannis monstratur eo die Casini. lib. 2, cap. 34.

Exercitibus in armis stantibus, reliquiæ interdum prę ferebantur. Cyrus ciuis Hierosolymitanus partem ligni Dominici, auita successione domi seruatam, dedit Christianis: qui eam exercitui, cum Aegyptijs ad Ascalonem dimicaturo, prætulerunt. Malmesbur. libro quarto, cap. 68. Henricus Secundus mouens exercitum in barbaros, VVarbergi, quà exercitũ fortè ducebat, gladio S. Adriani, diu ibi pro reliquijs habito, accingitur: Domine, inquiens, iudica nocentes mihi, expugna expugnantes me, apprehende arma & scutum, & exurge in adiutorium mihi. Historia Bambergensis.

Emerunt reliquias: ut Achelnotus Cantuariensis, brachium S. Augustini, Papiæ uno talento auri & cẽtum argenti emptum, misit Venturiam: ut Vincentius lib. 25, cap. 15 nugatur.

Casus circa reliquias.

Episcopus Metensis, uice Popponis Treuirensis in Palæstinam profecti, perficiens ordinationem clericorum, clauum Dominico similimum altari imposuit, uerumq; in sinum abdidit: quem tamen manantem sanguine restituit, terrãq; cũ sanguine abrasã crystallo inclusit. Catalogus Treuirensis.

Leo pontifex maximus, prę sente Imperatore & legatis Henrici regis Francię, litemque de sacris D. Dionysij inter Parisios & Boios fuerat per annos cẽtum atq; sexaginta, uelut arbiter dirimit: ac D. Dionysium è Parisianorũ suburbano oppido furto sublatum, Reginoburgi in Boiaria, in templo D. Haimerani conditum seruandum esse, pronunciat.

Anno millesimo septuagesimoquinto, Imperator decreuerat cùm alia loca Saxonię, tum ditionem Magdeburgensem igni ferroque perdere. Eo cognito, sacerdos quidam suasit, caput S. Sebastiani pro loci

tutela circumferre. Cæsar igitur in uicinis quidem regionibus sæuit, sed à depopulatione Magdeburgensium agri diuinitus absterretur, ut Chronici Magdeburgensis autor narrat. Vide igitur quid faciat superstitio.

DE PEREGRINATIONE *ad loca sancta.*

HAc etiam in parte præsens seculum, superioribus non inferius fuit superstitione.

Sigfridus Moguntinus, Guntherus Babenbergensis, Otto Ratisbonensis, VVilhelmus Traiectensis, episcopi, & alij proceres Galliarum septem millibus hominũ stipati abierunt precandi gratia Hierosolymam: id quod tamen domi suæ melius potuissent peragere, si sapuissent: anno 1064. Hi autem dum opes & magnificentiam suam magis quàm pietatem in itinere ostentarent, ab Arabibus ad Romulum obsidentur, multisque uulneribus afficiuntur: ut Schafnaburgensis & Marianus Scotus commemorant. Poppo Treuirensis sub Conrado Secundo, profectus est Hierosolymam religionis ergò. Catal. Treuirensis. Sigefridus Moguntinus, orationis causa ad S. Iacobum perrexit, circa annum millesimũ septuagesimũsecundũ. Marianus Scotus. Theodoricus ad expiandam cædem Treuirensis episcopi, Hierosolymitanam suscepit peregrinationem, in qua obijt anno 1064. Marianus Scotus. Henricus Nordouicensis episcopus, ad eluenda peccata, quibus in iuuentute se contaminarat, Romam profectus est: id quod sacra Scriptura nusquam præcipit: sed iubet scindere corda, uera cognitione peccatorum: & credere in Christum, ac petere remissionem peccatorum ex misericordia, & desinere à peccato, ac benefacere. Polydorus lib. 10. Robertus princeps Normannię, nudipes & lachrymãs sepulchrum Domini ueneratus est. Malmesbur. lib. 2, cap. 66. Circa annũ Domini 1072, magno numero concurrerũt homines ad S. Sebaldum Norinbergam, & ad S. Hemeradum Hesegunũ, ut Schafnaburgensis testatur. Ericus Quartus rex Daniæ, ex uoto abijt Hierosolymam. Crantzius lib. 5 Daniæ. Cnuto rex Angliæ, uouit profectionem Romanam. Malmesbur. li. 2, ca. 71. Robertus Normãniæ dux, pœnitẽs quòd fratrẽ ueneno necasset, uoti soluendi causa Hierosolymam profectus est. Polydorus lib. 8. Ab Imperatore, Papa & rege Radulpho, rex Angliæ & Daniæ Cnuto, impetrauit suis subditis siue precum siue negociationum gratia iter facientibus, ut sine omni angaria clausurarũm & uectigalium solutione, securè Romam ire redireque ipsis liceat. Malmesburg. lib. 2, cap. septuagesimoprimo. Stephanus rex Vngariæ, Gallos, Germanos & alios, perregnũ eius peregrinantes Hierosolymam, & ad alia loca Sanctorum, liberaliter iuuit: ut ex Bernonis epistola ad eundẽ apparet. Godfridus in expugnatione Romæ, largo hanstu uini febrem contraxit: qua non continuè, sed per interualla laborauit, donec aucta expeditionis Hierosolymitanæ fama, uouit se eius comitem fore, si sanitatem reciperet. Quo uoto emisso, statim uires eius recuperauit, ut Malmesburg. libro quarto, capite 70 scribit. VVerinharius Augiensis monachus, frater Hermanni Contracti, cum Luithario monacho, uitæ perfectionis studio flagrans, peregrinationem pro Christo clàm fuscepit, literas q; ab abbate, & postea testatem perficiendi propositum impetrat. Nec multo pòst Richardus Rinougiensis, & Henricus Augiensis abbates, omnibus relictis peregrinationi se accingunt: ut Contractus refert. Imperator Henricus Secundus, post acceptam coronam, Cluniacum deuotionis gratia adijt. Historia Bambergensis.

Ad Palæstinam proficiscentes anserem prætulisse, quem Spiritum sanctum esse prædicarint, Auentinus libro quinto testatur. O homines anseribus multo stoliores.

Obsessi quoque & ægroti ad loca sacra, & Sanctorum tumulos magno labore adducti sunt. Ad D. Benedicti enim tumulum, rusticus qui à diabolo agitabatur, adductus curatur. Chronicon Casinense lib. tertio, capite trigesimoseptimo. In eodem cœnobio frater quidam tanto laborabat tormicis uitio, ut rupto peritonio & membranis, intestina inter carnem & cutem prolaberentur: qui cum ad tumulum Ioannis monachi paulo antè defuncti se prosternens, rogaret ut eius intercessione ruptura à Deo sanaretur, statim sanitatem recepit. ibidem, capite 42. Et sic idololatria confirmata est. Circa annum Domini 1072, Sebaldus Norinbergæ, & Hemerad Hasenguni, miracula edere cœperunt: ad quos frequentes homines conuenerunt, qui à diuersis malis liberati sunt. Schafnaburgensis. Causa huius rei fuit, quia Spirituales uiderunt talia aucupia quæstuosa supra modum esse. Ac diabolus, cuius sunt regna huius mundi, facilè quædam miraculorum spectra obijcere potuit, ad homines fascinandos. Erant enim tempora caliginosa, & uerbum Dei erat carum. Hac uerò nostra ætate, ubi lux Euangelij refulgere cœpit, atque Iesu Christo

Christo suus honos est restitutus, Sebaldus & cæteræ laruæ, non amplius miracula ulla facere possunt, sed iacent ibi ut trunci.

DE MONACHATV.

Monachorum ordines, qui hoc seculo instituti sunt, isti ab authoribus recensentur.

ORDO VALLIS umbrosæ.

IOannes Gualbertus Florentinus, circa annum 1040, die quadam manu armatorum cinctus, in mõtibus prope monasterium D. Miniati in authorem necis fraternæ incidit, cum quo acerrimas exercebat inimicitias: sed misero pedibus suis prouoluto, & per Christum crucifixum sibi ignosci manibus ad pectus transuersim ductis peteti, ueniam dedit: indeq; simul procedentes ad templũ D. Miniati, ad effigiem Christi crucifixi, omnem litem transegerunt, quam eorũ conciliationem imago illa motu capitis quasi comprobare uisa est. Hoc portentu motus Ioannes, animum ad professionem religionis adiecit: & in eam Apennini partem, cui Vallis umbrosa nomen est, secessit: ubi templo erecto, nouæ religionis author extitit, cuius assectas cœrulea indui uestes sanxit, circa Salutis annũ millesimũ sexagesimũ: ut Polydorus libro 7 de Inuentione rerum indicat. A' loco igitur sectæ nomẽ inditum fuit, ut Schedelius refert. A' Gregorio autem Septimo, hoc monachorum genus probatum, & in catalogũ religiosorum relatum esse, Volaterranus libro uigesimo primo indicat.

ORDO GRANDIMONTENSIS.

Stephanus Auernia oriundus peragratis multis locis, propè Lemonicas Aquitaniæ, in Mureto monte syluis denso, circiter annum Domini 1076 substitit: suisque assectis quos Regulares uel Augustinianos uocant, & Heremitarum, superstitiosis ritibus contaminatam, proposuit. Ipse autem lorica super nudum corpus indutus erat. Ex eo autem domicilio Petrus successor eius à monachis Augustinianis expulsus, petijt sibi diuinitus commodum exercendæ pietatis locum offendi. Dum autẽ in Missa ter caneretur Agnus Dei, ex aere uox audita est: In Grandimonte, in Grandi monte, in Grandi monte, qui locus Mureto uicinus erat. (Hæc autem uox ipsius Christi non fuit: quia is uetat exire in heremum, aut in cellas, religionis ergò. Non angeli boni, quia hi nihil loquuntur contra ipsius Christi doctrinam. Ergo necesse fuit satanicam hanc fuisse uocem, qui est aduersarius Christi.) Eò itaque, cum corpore Stephani authoris sui, sese superstitiosi illi contulerunt, seq; Grandimontenses dici uoluêre, teste Volaterrano libro 21. & Schedelio.

CARTHVSIANI.

Circa annum Domini 1080, Parisijs professorum quidam, cuius eruditio, uitæ integritas, religioq; apud optimos maximã merebatur & admirationem & laudem, suum obijt diem: qui inter solennes exequias, quæ ei tum in templo de more fiebant, in pheretro se erigens, tristi querela exclamauit: Iusto Dei iudicio accusatus sum. Ad hanc uocem omnes qui aderant consternati, humationem eius in sequentem diem differendã esse censuerunt. Secundo die, mortuus e recto corpore in pheretro residens, eandem lamentationem repetit. Tertio deinde die, cùm tota ferè ciuitas in templum confluxisset, iterum sese erigens cadauer, horrendum uociferatur: Iusto Dei iudicio condemnatus sum. Omnibus tum metu exanimatis, Bruno patria Colonien sis, eiusdemq; Scholæ professor, rei tam stupendæ spectator: Videtis (inquit ad circumstantes) quàm miserabilis sit exitus uiri celeberrimi, & omnium nostrũm opinione sanctissimi. Num'ne & nos sic perire uolumus? Profectò non est locus salutis, nisi mũdum relinquamus. Hisq; dictis, cum quatuor eruditis, & duobus idiotis, petijt heremum. In Gratianopolitanam autem diœcesin delati, ab Hugone episcopo, locum quendam cui hodie Carthusiæ nomen est, impetrarunt: ut Schedelius & Volaterranus indicant. Eò igitur loci Bruno ad res diuinas intentus, primum cœnobiũ fundat. Intima autẽ ueste utuntur cilicina, summo pallio nigro, subter candida toga, tegimine neque capitis cucullo, carnibus nunquam uescuntur: sexto plurimùm hebdomadæ die pane & aqua ieiunium agunt, in cubiculis, quæ ueluti sacella habent, soli edunt: certis tamen festis diebus unà prandent. Silentium eis penè perpetuum, nulli fas est cœnobio exire, excepto præfecto & procuratore, idque tantùm ad negotia eius loci curanda. Mulieribus ad eorũ etiam tẽpla aditus interdictus. Polydorus de Rerum inuẽtione lib. 7, cap 3. Eũ qui semel ab ipsorũ cõsortio desciuerit, nunquam recipiunt Carthusiani, ut testatur Ranulphus lib. 7, cap. 4.

Monasteriorum autem numerus, qui iam sanè erat maximus, amplius etiam per uniuersum orbem creuit. Romanus enim Diogenes Imperator, in editiori loco Protæ insulæ, nouum monasterium cõdidit: teste Zonara tertio Annalium. Constantinus Monomachus monasterium Manganorum, in gratiam Sclerenæ pellicis extruere cœpit: ut eam tum in domo uenatoria

habitantem, prætextu contemplandæ structuræ, crebrius inuisere liceret: ut idem ait. O sanctitatem meretriciam. In Samnitib. Imperator Henricus Secundus cœnobium condidit, omniq; ornamẽtorum decore exornauit. Historia Bambergensis. Henricus Quartus Spirense cœnobiũ extruxit, & mira mole & sculptili opere compleuit, in uita eius scribitur. Bartholdus episcopus Tullensis, in saltu Vosago monasterium in honorẽ Saluatoris constituxit. Catalogus Tull. Fundamenta Lacensis monasterij, Treuirensis diœcesis, anno millesimo sexagesimo Henricus Palatinus cum uxore Adelheide iecit. Irenicus libro duodecimo Exeg. Arnulphus Suessionum episcopus, templum Aldenburgense miraculis insigne, conuertit in cœnobium Benedictinum. Iacobus Meyer. Anno 1090, Eustachius comes Bononiæ, & Ida uxor eius, monasteriũ Merkense iuxta Calixtum condiderunt. Idem. Anno millesimo nonagesimoprimo incœptum est monasterium Euershamense, iuxta Stanelam, in agro Furnensi, ad Isarã fluuium. Idem. Thomas presbyter Loensis, falso zelo sanctus, Ecclesiam suam uertit in monasterium Canonicorum regularium, circiter annum millesimũ quinquagesimũ, quod Philippus comes Loanus, anno millesimo nonagesimotertio, attributione suæ ditionis plurimum auxit. Et Robertus princeps, cellam in honorem D. Andreæ à se circa annum 1100 extructam, iuxta Brugas cõmendauit abbati Affligimensi, ea conditione, ut ex suo cœtu eò mitteret monachos. Quercetum, regularis disciplinæ cœnobium, in Brugensi suburbio, condi cœpit anno 1050. Robertus Flandriæ comes, uxori suę Clementiæ per literas ex terra Sancta missas, anno 1098 mandauit, ut in honorẽ D. Andreæ cœnobium construeret: quòd is sanctus sacram lanceam, quæ iam multis seculis humo defossa iacuerat, demonstrasset peregrinatoribus. Clementia aũt iussis parens, à Baldrico episcopo & Lãberto archidiacono locũ quendã in Bertferkerck iuxta Brugas impetrauit, ibiq; monasteriũ sectæ Benedictinæ extruere cœpit. Iacobus Meyer. Circa annũ Domini 1060, Euerhardus comes extruxit cœnobium Sueuiæ Schafhausanum, ut in Chronico Hirsaugiensi Trithemius scribit. Bantum cœnobium diœcesis VVürtzburgensis, Alberadis comitissa de Banth extruxit anno millesimo septuagesimoprimo: ut memoria mariti sui Hermanni marchionis Voburgensis, qui in certamine equestri lancea confossus perierat, in arce, quæ maiorum sedes fuerat, extaret. Bruschius de Monasterijs. Albam Augiam Brigantinam, Vdalricus Rhetorum & Bregantię comes fundauit, ad ostium lacus Acronij, quo Brigantinus amnis se exonerat: & Benedictinis monachis ac Nonnis, anno millesimo nonagesimooctauo attribuit. Idẽ. Alba Augia Norici, ad Schuuabachium fluuium in diœcesi Bambergẽsi extructa est à Gebhardo comite Hirsbergio, seu Calonio, circa annum Christi 1053. Burrhonium, à uicino amne Blauo dictum, ab Anshelmo patre, ac Henrico & Hugone filijs illius, Palatinis Tubingẽsibus, & comitibus de Rugka, constructum est anno 1095. Bruschius de Episcopis. Byblingum diœcesis Constantiensis, extrui cœptum est anno 1096, ab Ottone & Hartmanno fratribus, comitibus de Kirchberg: & ab alluente fluuio Byblingo denominarunt. Idem, de Monasterijs. Ilsiense cœnobium anno millesimo nonagesimosexto, in honorem Iacobi & Georgij fundatum est à Mangoldo patre, & VValthero ac VVolfrado filijs, comitibus Veringensibus, & Benedictinis fratribus traditum. Ibidem. Neresheimi um, ab Hartmanno Dillingensi comite, circa annum Domini millesimũ nonagesimũ quintũ: Zuuifaltum in Sueuiæ alpibus, ab Achalmensibus, anno 1088: Schirum circa idem ferè tempus, ab eiusdem loci Dominis condita esse, ibidem annotatur. Sex milites, concione Gederici monachi à sceleribus abstracti, & à Colonensi archimysta absoluti, in solitudine Brabantiæ cellam construxerunt, & Benedicti regulas obseruarunt. hocque est initium Affligemensis cœnobij. Iacob Meyer. In media urbe Babenberga Imperator Henricus Secundus cœnobium S. Stephani, & in Septentriona li suburbio monasterium S. Michaelis Benedictinis extruxit. Hedio in Chronicis. Cõradus quidam comes, confecto itinere Hierosolymitano, extra suam urbem fundauit cœnobium Benedictinũ D. Virgini sacrum, anno millesimo octuagesimo. Bruschius de Monasterijs. Bruno secundus episcopus Osnaburgensis, in altera parte urbis, in loco amœno & conspicuo Orientali monasterium Benedictinum erexit. Crantzius libro quinto, capite uigesimosexto Metropolis. Bruno Mindensis monasterium S. Mauritij quem primarium suum patronum esse uoluit, fundauit anno 1042. Idem libro quarto, capite uigesimoprimo Metropolis. Sub Conrado Imperatore, in singulis urbibus VVandalię cœnobia aut instaurabantur, aut noua à fundamentis erigebantur. Idem libro 3, cap. 1 VVandaliæ. Boleslaus monasterium Stecechouiense supra Fistulam fluuium, in tractu Sendomirien si, Benedictinis sodalibus

sodalibus constructit, conferente patrimonijsui partem Strececho Palatino Cracouien si,& magistro equitum Poloniæ, unde postea locus nomen accepit. Et aliud in monte Lysecio,ob preces Emerici Vngari. Crome rus libro tertio. Boleslaus Secundus construxit & ditauit Mogilnense cœnobium, atque eò Benedictinos collocauit.ibidem. Andreas rex Vngarię,in insula Tychonia cœnobium magnum cum basilica D. Amano sacra fundauit. Bonfinius. Baldericus Leodiensis episcopus, in quadam suę diœcesi eos insula monasterium sancti Iacobi erexit monachis Benedictinis, anno millesimo decimoquarto. Sigebertus, Hirsaugiense Chronicon. Ezelinus comes Palatinus, frater Chunegundis Imperatricis, diuitijs abundans,in honorem sancti Nicolai archiepiscopi Myræorum construxit cœnobium Bruuiler Coloniæ Agrippinæ uicinum, & ditatum Benedicti sequacibus tradidit: ut Chronicon Hirsaugiense habet. Luitpoldus archiepiscopus Moguntinus, monasterium Benedictinæ professionis ad mœnia urbis Moguntinensis fundauit in monte perpulchro, & multis prædijs & ornamentis dotauit. Ibidem. Richenbach, Nigræ syllæ olim prædium & nemus, Berno quidam ingenuus dedit Vuilhelmo abbati Hirsaugiensi, ut ibi monasterium erigeret. Qui diutius ab Ernesto quodam, se suaque omnia sancto Aurelio tradente, cœpit ibi erigere cœnobium, Anno millesimo octuagesimosecundo,quod intra trienniũ perfectum est. Cœnobium sancti Michaelis Hildesheimense, suis impensis cõdidit Baruardus eius loci episcopus. Godhardus eiusdem ecclesiæ præsul, in monte suburbano monasterium sancti Mauritij: & in oppositã urbis parte, in honorem Bartholomæi aliud quod ad Salinas uulgo uocatur: item Halthausen Benedictinis extruxit. Bruschius de Episcopis. Monasterium sancti Petri Mersburgense, fundauit Vuernherus episcopus, Anno millesimo nonagesimoprimo: ut in Chronico Mersburgensi libro secundo, capite decimoseptimo scribitur.

Atha præfectus prætorij Vngarici, in agro Zelyze D.Iacobo cœnobium cum æde ædificauit. Bonfinius libro tertio Decad. secundæ. Conradus Imperator secundus, in castello suo Lymburgo, cœnobium Benedictinæ professionis extructum, prædijs, ornamentis, priuilegijs multis donauit. Vrspergensis, & Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Sub Benedicto pontifice Romano octauo, ædificatum est monasterium Ermemari Benedictinũ, extra mœnia Suessæ, à Ioanne quodam sacerdote & monacho; cui abbas Casinensis de suis bona quædam, certis reditibus possidenda, attribuit. Chron. Cass. libro 2, cap. 27. Anno 1079, incœptum est monasterium S. Saluatoris, in insula quæ Aquincinctus dicitur, à Sichero & Gualtero uiris illustribus. Sigebertus. Conradus Secundus Cæsar, ad mœnia Goslariana fundauit cœnobium, cui Georgij arx nomen est. Crantzius libro quarto, capite 36 Saxoniæ. Reinhausen monasterium Saxoniæ, uicinum Gottingæ, anno 1096 condi cœptum & cumulatè ditatũ, Benedictinis refertum est. Chron. Hirsaug. Richardus abbas cœnobia duo, Neobergense sancti Andreæ, apud Fuldenses, & Amerbachium extruit. Valentinus Muntzerus.

Balneum monasterium, Ephegus Cantuarien sis præsul fundauit sub Imperatore Henrico Secundo. Epitome mundi. Cnutus rex Angliæ & Daniæ, in Nortzfolgia intra paludes condidit monasterium, cui diui Benedicti nomen inditum est. Polydorus libro septimo. Vuilhelmus Conquęstor erexit, & amplissimis reditibus ac bonis dotauit, duo cœnobia in Anglia: alterum propè Londinum à sancto Saluatore denominatum: alterum uerò S. Martino dedicatum, ab Hastyngo uico maritimo quinq; passuum millia distans, cui belli nomen indidit, pro expiatione animarum eorum militum, qui pugna aduersus Haraldum ibi ceciderant. Polydorus libro nono. Egbertus marchio Saxoniæ, in honorem sancti Iacobi auspicatus est extructionem cœnobij Pegouiensis. Franciscus Irenicus libro duodecimo Exeges. Monasterium sancti Fidei Fredericus dux Sueuiæ anno millesimo octuagesimoseptimo, Lestadij condidit. Irenicus libro duodecimo Exeges. Henricus Quartus Imperator, Ranshofen Brunduno urbi uicinum, flaminibus Augustinianis consecrauit. Ad Vilsum amnem, Allersbach eiusdem professionis monachis, Bernhardus & filij eius Rupertus & Calochus tradiderunt. Suben in ora Oeni fluminis, Tuta uxor Engelberti Carinthiæ tetrarchæ: Gebhardus à Plaien, in Reicherspergi: Chuno à Medling, Garis & Auu: uxor huius Irmogarda, in agro Salisburgensi, in Berchtoldsgaden: filia Alheidis cum marito Berengerio à Sultzbach, in Painburg, ad confluentem Trani & Alisi, collegia flaminum Augustinianorum instituerunt. Auentinus libro quinto. Erebertus Colonien sis, castrum episcopale Tuicienſe uertit in cœnobium sanctę Mariæ sacrum. ita enim inter Imperatorem & ipsum conuenerat, uter saluus ex Italia in Germaniam rediret, religiosum conuentum in honorem Mariæ institueret. Catalogus Coloniẽsis. Gebhardus primus Ratisbonẽsis episcopus, Prulã in agro

agro Ratisbonensi, & Thierhaupten apud Lycatios, Benedictina cœnobia consecrauit. Adalbero & Vdalscalcus fratres, apud Bauaros longè ditissimi & clarissimi, Kuēpachium ad Barum amnem erexêre. Auentinus libro quinto. Guntherus, nobilissima familia apud Turogos procreatus, in Noreta sylua Rinichnacum D. Benedicti monachis ædificauit, atque Altaichio inferiori subiecit. ibidem. Aribo, Bauariæ quidam uir nobilis, Burgilum castellum suum, in templum D. Lamberti uertit, tradiditq; symmystis Benedictinis. Vulgò autem uocant Soïn, seu Soëum. Elispagum ad Roram amnē situm, Dithmarus comes de Leonsperg monachis condidit: quod postea ad bis mille ferè passus inde translatum, à Vito cognominatum est. Geysenfelt, monialium contubernium, fundatum est anno 1037, ab Eberhardo comite Ebersperg io. Ab Almanno Batauiæ episcopo, Agneta Augusta, & Henrico Neoburgensi, Ketuueinseu Ketuueihe cœnobium Benedictinorū fundatum est. Hamma uxor VVilhelmi, duobus filijs amissis, Agmūdum in ualle Anassi construxit monachis. Aeid, Rod & Varnpach, cœnobia Bauariæ, sub Henrico Quarto condita sunt. In Vindelia, Otto Schiringensis cum uxore & filijs, Vischpachau in faucibus Peninnarum Alpium, cœnobium Benedictinum condidit. Ortulphus comes ab Hohenuuarth, uirginib. uestalibus contubernium extruxit Hohenuuarti: ut Auentinus libro quinto Annalium refert. Chunegundis cœnobium monialium Benedictinarum, in honorem Saluatoris & S. Crucis erexit, in loco qui Confugia appellatur. Historia Bambergensis. Ethelnoldus duo cœnobia fundauit, alterum VVintoniæ uirginibus, alterum Petri Burgum uulgò dictum in Northantonensi comitatu, monachis repletum. Polydorus libro septimo. VVilhelmus abbas Hirsaugiensis, autor est cœnobiorum aliquorum: ut Cellæ S. Georgij, in sylua Nigra: Erphordię, Petro & Paulo dicati: VVilheimensis & Lauensis, in Carinthia. Chronicon Hirsaugiense. Monasterium S. Blasij in Hercinio, erectum est anno millesimo octuagesimoquarto. Irenicus libro undecimo, ex annalibus Argentinensium. Henricus comes Northeimiæ & Gertrudis uxor, cœnobium Bursueldense in honorem Thomæ & Nicolai condiderunt Benedicti asseclis, circa annum Domini millesimū nonagesimūnonū. Chronicon Hirsaugiense. Sigfridus Moguntinus, in Thuringia Hassungen Benedictinæ regulæ fundauit. Chronicon Hirsaugiense. Anno millesimo duodecimo, cœnobium Benedicti-

norum Vlricanum Augustæ cœptum est cōdi, ut in Germanico Chronico annotatum est. Anno millesimo octuagesimoquarto, Balduinus comes Ghisnensis, & Engerramus Lilarensis, ex Hispania, quò ad supplicandum Iacobo abierant, reuersi, monachis ex Carofensi monasterio pictonum secum adductis, permissu Gerardi Morinorum archimystæ, cœnobia construxerunt: ille quidem Andriense, hic uerò Hamnense. Iacobus Meyer. Henricus rex Franciæ, ædem Luteciæ suburbanam, & cœnobium D. Martino sacrum struxit. Paulus Aemylius libro tertio. Herleuuinus miles, relicta militia, Beccum monasterium Normaniæ ædificauit. Ranulphus libro sexto, capite uigesimotertio. Balduinus Einhamense cœnobium construxit anno millesimo sexagesimotertio. Iacobus Meyer. Athemo sexagesimotertio. Iacobus Meyer. Athela, Balduini Pij uxor, Parthenonem Benedictinarum uirginum cœnobium condidit, anno millesimo sexagesimosecūdo. Iacob. Meyer. Canutus, rex Angliæ & Danię, cœnobiū quoddam in Nouergia ædificauit. Polydorus libro septimo. Theodoricus comes montis Piligardi, monasterium S. VValburgis construere cœpit tempore Gregorij Septimi, anno 1030. Leostelre Gregorij Septimi, anno 1030. Leostelnenses cœnobium Logēthalense, quod Elsenbachium nuncupatum est, erexerunt. Bruno dux & Reinhardus episcopus, anno 1025 fundarunt cœnobiū S. Laurentij Leodinense. Irenicus. Summitorium, seu Alta spelunca, Germanicè *Hohenuuart*, à Rapotone comite de Tauris ex arce conuersum est in monasticum oratorium, circa annum 1070, quod nunc monachæ Benedictinæ incolūt. Bruschius de Monasterijs. Fredericus Colonienſis archiepiscopus, in insula Rheni Rolandina, Bonnæ uicina, monasterium monialium Benedictinarum construxit, anno 1099. Chron. Hirsaug.

Præterea monachorum hypocrisis in tanta apud huius seculi homines admiratione fuit, ut plurima Canonicorum collegia & templa, in monasticæ professionis exami-na mutata legantur: quorum exempla aliquot subijcimus. Archiepiscopus Colonienſis Salueldium, Canonicis anno 1071 in de eiectis, monachis ex Sigeberto & Panthaleone accersitis tradidit. Schafnabur. Arnulphus Suessionēsis pōtifex, ex fano S. Petri Aldēburgēsi, quod apud Flādros miraculis clarū habebatur, cœnobiū monachorū fecit. Sigebertus, sub annum 1087. Lucius heremita Salernitanus, basilicam S. Mariæ, quam in Albaneta erexerat paruam, ope Guaimarij principis auctam, cum triginta monachis incolere cœpit. Chronicon Casinense libro secundo, capite 30. Odfridus canoni-

canonicorum regularium apud VVatanas antiſtes: ædiculam D. Richario ſacram ab Alfunino presbytero acceptam auxit, uertitq; in monaſterium, quod monti ad amnem Eſt, anno milleſimo ſeptuageſimoſecundo. Et Balduinus princeps, canonicos D. Martini & Vuinnoci, quorum ſegnitiem turpeſque mores coràm cognorat, ad unum omnes expulit, & in nouum D. Vuinnoco extructum monaſterium, Bertinicos monachos deduxit. Collegium quoque canonicorum Hoſnonienſium in Oſtrouandia, à Balduino Montenſi conuerſum eſt in monaſterium Benedictinum, circa annum milleſimũ ſeptuageſimum: ut in Chronico Flandriæ Iacobus Meyer annotat. Et Angelbertus Friſingenſis pontifex, ædem ſancti Stephani ſuburbanam, ſacerdotibus inde ad ſacellum D. Viti migrare iuſſis, Benedictinis creaturis dedit. Adelberto quoque comes Eberſpergius, & uxor eius Radem childis, liberis orbati, ædem Eberſpergenſem tradiderunt monachis Benedictinis. Vueſſeſprunnam uerò, reiectis populariibus ſacerdotibus, Imperator Hericus Quartus dedit Benedictinis monachis: Altaichinum inferius, popularibus myſtis eiectis eiuſdem profeſsionis uiris tradidit: ut Auentinus libro quinto annaliũ Boiorũ teſtatur.

Quædam collapſa etiam reparata ſunt. Sic anno milleſimo quinquageſimonono, Adelbertus comes, iuſſu pontificis Romani, & inſtantia uxoris Vuiltrudis, cœnobium Hirſaugienſe, quod annis quinquaginta ſeptem uacauerat, inſtaurat: & deiectis ædificijs uetuſtis, noua ſplendidiora reponit. Chronicõ Hirſaugienſe. Azo præpoſitus monaſterij Benedictini in pago Marſorum, permiſſu Athenulphi abbatis Caſinenſis, cœnobium Barragenſe à Sarracenis deuaſtatum, triennio inſtaurauit. Chronicon Caſinenſe libro ſecũdo, capite trigeſimoquinto. Henricus Tertius, Buchaugiam in cineres redactã, anno milleſimo quadrageſimotertio reparauit. Bruſchius de Monaſterijs. Neuburgenſe cœnobium, Auguſtanæ diœceſis, Benedictinorum olim domicilium, monialibus reparatum & attributum ferunt anno milleſimoſeptimo, ad præces Hylarij epiſcopi cuiuſdam Pannonici, & cancellarij Imperatorij: qui miraculis claruit, in medio eius cœnobij templo humatus dicitur. Bruſchius de Monaſterijs. Imperator Henricus Secundus, monaſterium ſanctæ Virginis Benedictinum, in diœceſi Argentinenſi, quod ab alluente fluuio Schutteren dicitur, maximis impenſis reparauit. Chronicõ Hirſaugienſe. Cnuto monaſterijs Angliæ, ſuis & patris incurſionibus fœda ta, aut euerſa reſtituit. Malmesburgenſis libro 2, cap. 69.

Monaſteria recens extructa, uel inſtaurata, conſecrari ſolebant. Cum enim Deſiderius abbas Caſinenſis cœnobij pleraque renouaſſet, Alexandrum pontificem, Hildebrandum archidiaconum, cæteroſque cardinales, epiſcopos, cleroſque Romanos: & ex nobilibus plurimos, omnes præterea epiſcopos Campaniæ, Apuliæ atque Calabriæ, ſuis literis ad ſolennem eius dedicationem inuitauit. Fama huius rei longè lateque diffuſa, innumerabilis totius ferè Italiæ epiſcoporum, abbatum, monachorum, clericorum, magnatum, nobilium, mediocrium, diuerſæ conditionis, pariter uirorum & mulierum, ad conductum diem Kalendas nimirum Octobris multitudo confluxit. Apparatus autem per tres illos præcedentes dies, ac ſubſequentes, eandem ſolennitatem, panis, uini, carnium diuerſarum, ac piſcium, adeò copioſus appoſitus eſt, ut nullus ex tanta multitudine fuerit, qui ſe non lautiſsimè acceptum eſſe confeſſus ſit. Interfuerunt huic tantæ celebritati archiepiſcopi decem, Capuanus, Salernitanus, Neapolitanus, Surrentinus, Amalfitanus, Sypontinus, Trandiſis, Acetentinus, Hydruntinus, Orietanus: epiſcopi uerò quadraginta tres, Portuenſis, Tuſculanus, Sabinenſis, Segnius, Anagnius, Verulanus, Terracinenſis, Caietanus, Aquenſis, Soranus, Marũcanus, Valuenſis, Pennenſis, Teanenſis, Caienenſis, Roſellanus, Auerſanus, Nolanus, Auellinenſis, Peſtanus, Troianus, Florentinus, Melfitanus, Nucerinus, Draconarienſis, Ciuitatenſis, Termulenſis, Guardienſis, Larinenſis, Arianenſis, Sernienſis, Boianenſis, Salpitanus, Camenſis, Rubeſſanus, Venuſinus, Monorbinenſis, Vigilenſis, Melfitenſis, Iuuenzanenſis, Monopolitanus, Stunenſis, Tarentinus, Peruſinus, & Caſtellanus electus, qui in epiſcopum altero poſt cœnobij dedicationem die ſacratus eſt. De magnatibus uerò: princeps Capuanus Richardus, cum Iordane filio, & fratre Rainulfo: Giſulfus Salernitanus princeps, cùm fratribus ſuis: Landulfus Beneuentanus princeps, & Sergius dux Neapolitanus: Sergius dux Surrẽtinus. Robertus enim eo tempore Panormum oppugnabat, ideoq; tãtę ſolẽnitati intereſſe nõ potuit. Marſorum quoq; ac Baluentium comitum, filiorumq; Borelli ingens frequentia. Cęterorũ nobiliũ tam noſtratium quàm Normãnorum, omnium circumquaque regionum nomina recenſeri non poſſunt. Horum igitur omniũ ſumma deuotione, ingentiq; lęticia dedicata eſt Benedicti baſilica: cũ quinq; altaribus ſuis, ipſo die Kalẽdarũ Octobris,

bris, Anno incarnationis diuinę MLXXI, indictione nona, die sabbati. Et altaria quidem media, scilicet S. Benedicti, & S. Ioannis, manu propria prædictus Apostolicus benedixit. Altare uerò in australi parte situm ad honorem S. Dei genetricis Mariæ, Ioannes episcopus Tusculanus: quod autem in honorem S. Gregorij est ab Aquilone, Humbaldus Sabinensis episcopus: sancti uerò Nicolai, Herasmus Seguinus episcopus, solenniter dedicarunt. Chronicō Casinense libro tertio, capite uigesimo octauo. Adalbero VVürtzburgēsis episcopus monasteriū Suuarzachense dedicauit in honorem S. Dei genetricis Mariæ, & S. Fœlicitatis martyris, anno millesimo septuagesimoquarto. Vrspergens. Bruno Mindensis episcopus, cœnobium Remmenadense consecrauit anno 1048. Crantzius in Metrop. libro quarto, capite uigesimoprimo. Conradus ex castro suo Limpurgo, inter Nemetem & Vangiones sito, monasterium fecit, idque in honorem S. Crucis & Ioannis Euangelistæ dedicari iussit, anno 1035: ut Contractus habet.

Ex autoritate autem Romanorum pontificum confirmari solebant. Sic Adelheidis comitissa de Entzenburg, ad Vrbanum Secundum profecta, confirmationem monasterij Burrhonij, à coniuge suo Henrico Palatino Tubingensi extructi, impetrauit. Bruschius de Monasterijs, ex diplomate fundationis. Sic instauratum monasterium Hirsaugiense, priuilegijs idem ornat: ut Trithemius in Chronico scribit.

Vel Imperatorum, & Regum. Immò Fabarienſis rector, priuilegia consecutus est ab Henrico Quarto, anno Salutis 1060. Bruschius de Episcopis. Scotos Ratisbonæ agentes, cum prædijs templo & uectigalib. immunitate donauit Imperator, anno 1088. Auentinus lib. 5. Et priuilegij exemplar, Hirsaugiensi monachorum cōuentui ab Imperatore Henrico, anno 1075, & Gregorio Septimo concessi, apud Trithemium extat.

In quibusdam locis cœnobia uirginum & monachorū erāt uicina. Byblingi enim, cœnobij Benedictini templo contiguum est delubrum D. uirginis, in quo moniales olim habitasse ferunt. Bruschius de Monasterijs, ex Martyrologio Byblingēsi.

Monasteria porrò habebant certos reditus. Cazimirus enim rex Poloniæ, monachis Cluniaco accersitis, alijs Tineciam arcem cum centum amplius pagis, alijs uerò Lubensum oppidum cum compluribus pagis & prouentibus attribuit. Cromerus libro quarto. Idem rex parta regni tranquillitate, & uictoria de hostibus, Cluniacum, ubi antè monasticen professus fuerat, oratores mittit, cum amplis muneribus, & suos que sodalitio illi commendat. Ibidem. Oderisius abbas Casinensis, Alexium Imperatorem Constantinopolitanum, à quo uestes deauratas dono acceperat plurimas, omnium bonorum quæ in suo monasterio gererentur, participē perpetuò esse constituit. Chronicō Casinense libro quarto, capite decimoseptimo. Henricus Secundus, Cluniacensi cœnobio coronam auro gemmisque rigentem, & prædia quædam Alsatiæ donat, atque fraternitatem cum monachis init. Historia Bambergensis. Cœnobium S. Benedicti in pago Marsorum, adeò erat opulentum, ut plusquam quinquies mille modios frumentorum annuatim ex reditibus perciperet. Chronicon Casinense libro secundo, capite trigesimoquinto. Balduinus Einhamensibus monachis attribuit Einham castellum, eadem qua ipse ab Hermanno Montensi comite acceperat libertate, permanente solum eius loci patrocinio apud comites Flandros. Et Balduinus Barbatus, anno millesimooctauo Gandensibus cœnobitis, quæcunque in sua ditione in bello amiserant, reddidit. Balduinus quoque Insulanus, ijsdem monachis ampliſsimas assignauit possessiones, anno millesimo trigesimoquarto: ut Iacobus Meyer in Flandriæ Chronico annotauit.

Vasa sacrata, libros, pecora, & alia bona possederunt. Henricus Quartus ornamentum ex auro, argento, lapidibus preciosis, & uestibus sericis, cœnobio Spirensi, uerè dignum rege munus, contulit: ut in uita eius legitur. Bartoldus Tulensis episcopus, Ecclesiasticis ornamentis cœnobium Saluatoris dotauit: & in monasterio S. Deodati altare summum impensè adornauit, auri & gemmarum fulgore, uasa preciosissima & pulcherrima dedit plurima. Catalogus Tullensium. Chunegundis sacras uestes, casulas, dalmaticas albas, gemmis & auro distinxit, easq; monasterijs consecrauit. Constantinopolitanum autem cœtui, cui & ipsa uiro orbata se adiunxit, imaginem auro & argento exornatam, calices aureos, argēteos urceolos, pallas, casulas, cortinas, cappas preciosissimas, & alia sacri ministerij uasa & utensilia maximis sumptibus comparata, liberalissimè contulit: ut in historia Bambergensi scribitur.

Erant autem monasteria quasi scholæ, in quibus artes dicendi, Philosophia & Theologia tradebantur. Monachi enim quidam ex Scotia Ratisbonam delati, docendo, scribendo, & sacras interpretando Litetas, uictum & domicilia sibi acquisiuerunt: ut Auentinus libro quinto Annalium testatur. Et Lanfrancus Beccensium egesta-

egestati artium & sacrarum Literarum profes-
sione succurrit. Ranulphus lib. septimo, capite sexto.

Ex monachis quidam, ad gubernandas Ecclesias uocabantur. Hildebrandus enim, Victor Tertius, Vrbanus Secundus pontifices Romani, monachi fuêre. Alexander Papa, ex Casinensium cœtu Todinum sum Leuitam, Aldemarium Cardinalẽ, Ambrosium Terracinensem & Gerhardum Sypontinæ ecclesiæ episcopos fecit: ut in Casinensi Chronico annotatur. Iuo in epistolis meminit Gismũdi & Roberti monachorum, quorum alter ad episcopatum Auernẽsem peruenit. Henricus Secundus Hunfridum ex monasterio VVürtzburgensi accersiuit, ad episcopatum Magdeburgẽsem. Chron. Magdeburg.

In monasterijs etiam presbyteri, diaconi, & subdiaconi ordinabantur, atq; altaria consecrabantur, & chrisma conficiebatur, sed à uicino aliquo episcopo ad eam rem aduocato: ut in Vrbani priuilegio Hirsaugiensibus dato uidere est: Consecrationes (inquit) altarium siue basilicarum, ordinationes quoq; clericorum, oleum sanctum, & cætera ad episcopale officium pertinentia, ab episcopo Spirensi, in cuius estis diœcesi, accipietis, si tamen catholicus fuerit, & communionem Apostolicæ sedis habuerit, & si ea gratis & sine Simoniaca pravitate impendere uoluerit. Aliàs uerò liceat uobis catholicum, quem uolueritis, adire episcopum, & ab eo consecrationum sacramenta accipere, qui Apostolica fultus autoritate, quæ postulatur, indulgeat. Itẽ: De cæteris fratrib. ordinandis ad quẽlibet ordinem huius generis, ut est presbyterium, uel diaconatus, fiat quod magis fuerit opportunum, ut uel in ipso monasterio ordinentur, uel ad episcopum absentem, & ordines alibi facientem dirigantur. Chron. Hirsaug. Et in Chron. Casinensi lib. 3, ca. trigesimoprimo, fit mentio sacerdotis hebdomodarij.

Monasterijs prẽerant abbates. Exempla plurima commemorantur infrà, in personalibus Doctorum.

Interdum unus abbas pluribus cœnobijs præerat. Sic Richerius præsul Casinensis, Leonensi quoque monachorum ædi præfuit. Auentinus lib. 5 Annaliũ. Plures ecclesias & monasteria ferè infinita eidem abbati paruisse, in Chronico Casinensi libro tertio, capite decimo octauo uidere est.

¶Habebant etiam decanos & præpositos. Colonienſis enim antistes monachus existens, etiã decanis suis subditus dictoq; audiens erat in cœnobio. Schafnaburg. Iannes quidam Apulus, multos annos decanum apud Casinenses egit: ut ex Chronico Casinensi lib. 2, cap. 94 constat.

Prouisores, Vdalricus, Augiensis cœnobij prouisor fuit, anno 1049. Contractus.

Monialib. abbatissæ dominabantur. Sophia enim abbatissa Gandersheimensis fuit. Crantzius libro quarto, cap. 34 Saxoniç. Chunegundis regina consensu monialium Vtam præfecit Confugio. Hist. Bambergensis. Filiæ Ezelini comitis Palatini ad Rhenum, hoc tempore præfectæ sunt monasterijs, Adelheidis Niuellæ, Theophanæ Essendiæ, Heluuigis Nusiæ, Mathildis Didikirchio, VVillichalda cœnobio S. Mariæ Capitolinę Coloniẽsi. Chron. Hirsaugiẽse.

Interdum una duobus monasterijs præfuit. Sic Iuota nobilis, prudens & religiosa uidua, Lindaaugensi & Buochaugiensi cœnobijs, quorum abbatissæ ijsdem penè diebus obierant, ab Imperatore simul pręficitur anno 1052. Contractus. Sophia, filia Ezelini comitis Palatini, Gandersheimense, ac quoddam monasterium Mariæ Mogunti simul rexit. Chronicon Hirsaugiense.

Abbates autem à monachis eligebantur. Henricus enim Quartus Imperator, in priuilegio Hirsaugiensi cœtui concesso, sic inquit: Quandocunq; patre suo spirituali orbati fuerint, ipsi habeant liberã potestatem secundũ regulã S. Benedicti inter se, uel un decunq;, ubi opus fuerit, abbatem sibi non solum eligendi, sed etiam cõstituendi. Quẽ cum fratres regulariter elegerint, dehinc ut solet, ad constituendum in chorũ monasterij conueniant, & unà clero aduocato, populoq; in sanctuario præsentibus, decanus uel quicũq; prior sit loci ipsius, accipiat uirgã regiminis de altari factã Aurelij, & absq; omni prorsus cõtradictiõe, tradat in manũ ipsius, quẽ tota fratrũ cõgregatio sibi elegerat. Chron. Hirsaugiense. Vrbanus de eodẽ: Quotiescunq; contigerit ut abbas sit ordinandus, ad eius electionem nolumus, & omnino interdicimus, ullam personam interesse præter monachos, & eos solum qui ad titulum monasterij obedientiam sunt professi. Quem ipsi elegerint, accipiat uirgam pastoralem ab aliquo de primoribus fratrum, nec ulla potestas ad hoc Ecclesiastica uel secularis expetatur, postquã habuerit inuestituram officij, mittatur ex parte congregationis ad quemcunque potissimùm uideatur episcoporum, ut pro charitate ueniat, & (ut moris est) abbatem benedicat. Chronicon Hirsaugiense. Monachi Hirsaugienses duos ex suo numero cum legatione Adelberti comitis, mittunt Ratisbonam ad monasterium Hemerani,

& petunt sibi mitti abbatem VVilhelmum: qui à seniore compulsus, functionem susce-pit. Chron. Hirsaugiense.

Vel ab episcopis constituebantur, ut in eodem habetur priuilegio: Visum est non semel euenisse, quòd qui Christi uidebatur antistes, per hanc solam occasionem qua abbas benedicendus erat ab eo, congregationi fratrum abbatis electionem ex toto præriperet: nec alium ordinaret, quàm quem ipse præcipuè uoluit, uoluntate fratrum omnino postposita. Chronicon Hirsaugiense.

Vel à Regibus & Imperatoribus. Sigfridum enim Henricus Quartus substituit Epponi Fuldensi abbati, Hirsfeldensibus Ruthardum, VVentzolaum Altaichio inferiori præfecit: ut Auentinus lib. 5 Annalium testatur. Berno in epistola ad Henricum Imperatorem ait, se ab eo de stercore paupertatis erectum, & cum principibus collocatum esse in quadam dignitatis sede. Oderisius abbas Cassinensis, Georgium monachum cum literis ad Imperatorem Henricum misit, quibus se Desiderio successisse, & in ipsius fide & obsequio perseuerare significat: petijtéq; eius autoritate restitui oblatas in Liguria possessiones, idq; impetrauit. Chron. Cassinense lib. 4, cap. 19.

Ambitiosum monachorum pecus, aures Principum pro abbatijs importunè obsundere, & largitionibus ad dignitates aspirare, Schafnaburgensis prodidit.

¶ Munus abbatum erat, ea quæ contra regulam fiebant, emendare, & delinquentes castigare. Sic Gaufridum Vindocinensis cœnobij abbatem, qui adeò in Danielem quendam monachum & uerbis & uerberibus animaduerterat, ut è monasterio fugerit: monet Iuo, ut in plectēdis delinquētibus modum seruet. In epistola ad eundem. Anno Colonienſis archiepiscopus inter monachos conuersans, consuetudines monasteriorum ita sollicitè & attentè obseruabat, ac si pro excessibus ipsi quotidie in Capitulo causa dicenda, & sententia perferenda esset. Schafnaburg. Detestaris ne illas, quæ in Capitulo ex more fiunt, disciplinas? Damianus, in epistola ad Paulum Cerebrosum.

Curam librorum gerere. Theobaldus & Desyderius rectores Cassinenses commendantur, quòd bibliothecas optimis libris impleuerint: in Chronico Cass. lib. 2, cap. 35. & lib. 3, cap. 62. Idem encomion tribuitur VVilhelmo Hirsaugiensi, à Trithemio in Chronicis.

Recipiendos in monachorum consortiū prius probare, ut Anshelmus in libro de Similitudinibus cap. 79 inquit: Nouitij autē probandi sunt, utrum uelint esse humiles, obedientes, patientes, & obseruare omnia quæ ordo requirit. Vnumquenq; ergo illorum is qui magister est deputatus, probat & arguendo & increpando. Plerunq; etiam flagellando tentat, an aptus ad susciendum in congregatiōe aliorū existat. Quem si uiderit cuncta patienter sustinere, & aliorum consortio per omnia dignum esse, uenit ad abbatem, annuncians ei coram omni congregatione: Domine, inquit, nouitius ille quem mihi commendastis, ita perfectè se habet omnibus modis, quòd iam est diguus inter nos esse, si iubetis. Quibus audi tis, abbas aut eum recipit communi consilio fratrum, aut adhuc dimittit ad exemplū aliorum nouitiorum. Sicq; de isto nouitio agitur condignè, qui seruorum Dei consortio iam dignus habetur. Illum aūt nouitium quem magister suus uiderit inobedientem, impatientem, superbum, susceptione indignum, postquam eum diu tolerauit, multisque modis emendare tentauit, tandem si nihil proficere potest, uenit ad abbatem, & talia ei refert: Domine, inquit, nouitius ille quem habebam in custodia, ut eum docerem, quomodo posset esse dignus conuersatione nostra, ita peruersè se habet in omnibus quæ agit, ut nec interreliquos nouitios dignus sit conuersari. Proinde ita q; nobis conuenit, quid potius de eo faciendum sit. Ad hoc ille respondēs, magistrum hortatur, ut eum adhuc omnib. modis emendare conetur, dicens, melius esse illum inter reliquos tolerare, quàm ad seculum reuerti dimittere. Sicq; nouitius ista nec in congregationē recipitur, necà cella nouitiorum expellitur.

Monachis præceptores præficere, ut eodem libro, cap. 79 scribitur: Monachos, qui interius sunt in congregatione fratrum, abbas omnia docuit, quæ uult eos obseruare: nouitijs uerò q interius in cella adhuc sunt, magistros ex illis (perfectis) præponit, qui hos doceant, quid debeant custodire.

Legationibus etiam principum nomine fungebantur abbates & monachi. Giselfridus enim abbas Byblingensis, sæpè legatus ad Romanum pontificem à Germaniæ principibus missus est, quòd ingenio & facundia esset insignis. Bruschius de Monasterijs. Haraldus monachum VVilhelmi Anglorū regis legatum, toruo uultu reiecit inquiens: Deus inter me & VVilhelmū iudicet. Malmesburgensis libro tertio, cap. 3.

Erat quorundam monasticorū cœtuum certus numerus, qui aliàs maior, aliàs minor pro redituum ratione fuit. Carthusianorum clerici ultra duodecim non cohabitant, nisi insignis quidam addatur: laicos uerò,

uerò, usque uiginti recipiunt. Ranulphus libro septimo, capite quarto. Fama Desiderij abbatis, & cœnobij longè pulcherrimi, ex diuersis terrarum partibus monachi eò confluxêre, ut numerus intra biennium ad ducentos excresceret. Chronicon Casinense libro tertio, capite uigesimo nono.

De ætate inuestiendorum, ait Vrbanus: Decreuerunt pro antiqua patrum disciplina Christo militare, ita ut nullum patiantur habere commilitonem ætatis inferioris, quàm à uicesimo anno, & suprà. Chronicon Hirsaugiense. Leo papa constituit, ne quis fiat monachus nisi legitima ætate, & spontanea uoluntate. Chronicon Aeditui.

Ex acie Monastica fugere quidem non licebat: attamen Romani pontifices pro sua autoritate, sed non nisi pecunia (quæ nihil non in curia Romana potest) mediante, aliquos absoluisse leguntur. Oratoribus Polonicis Cazimirus Cluniacensis diaconus, qui regio sanguine apud Polonos ortus, & regno iectus, monachum agebat, cum ad auitum reuocaretur regnum, respondet: Alienti iam se iuris factum esse: datam semel Deo, atque ijs quorum se potestati ultrò subiecisset, fidem fallere non posse. Mœstis hoc responso legati, ac de spe propemodum deiecti, omnia tamen tentanda esse existimant. Abbatem monasterij adeunt, eadem orant, munerib. eius animum mollire conantur. Ab eo ad Pontificem maximum reijciuntur. Ne eum quidem itineris laborem & molestiam defugerunt. Romam è Gallijs profecti, magna diligentia importunisque precibus tandem à Pontifice maximo Benedicto, eius nominis nono, uel à Clemente secundo (ut alij uolunt) impetrant, ut Cazimirus monachus & diaconus professionis & sacramenti religione solutus, ad regnum maiorum suorum redeat, uxorem ducat, liberos procreet. Pro hoc Polonis, quo beneficium sedis Apostolicæ agnoscant, iniunctum: primùm, ut de singulis capitibus, exceptis nobilibus siue equitibus, & qui sacris addicti sunt, quotannis obolus unus, in lucernam perpetuò in æde D. Petri Romæ arsuram pendatur: qui etiamnum sancti Petri numus dicitur. Deinde præsumptum est, ut omnes Poloni rotunda, in morem monachorum, tonsura capillorum utantur, nec infra auriculas ritu barbarico quisquam omnino comam promittat. Festis solennibus, dum sacra peraguntur, ut singuli equites fasciam lineam candidam in modum stolæ, qua in sacris utuntur sacerdotes atq; diaconi, è collo suspensam ferant. Suscipiunt non gratuatim præcepta & leges, Pontificis, oratores, & Poloniam omnem ad seruanda hæc obstringunt. Cromerus libro septimo de rebus Polonorum. Vides autem pie Lector, quid hic præsul Romanus quæsierit: nempe, dominationem mundanam: deinde pecuniam. Vtrumque autem Christus suis Apostolis prohibuit.

Erant monasteria episcopis subiecta: à quibus etiam uisitari & corrigi solebant, si quid minus rectè agebatur. Sic Bruno Osnaburgenses moniales, extra regulæ metas euagantes, retrusit ad obseruantiam. Crantzius libro quinto, capite uigesimosexto Metropolis. Balduinus Morinorum episcopus, in cœnobio D. Bertini reformationem instituit, anno millesimo uigesimoprimo. Iacobus Meyer. Iuo in epistola ad Philippum regem ait, se iurgia quædam inter Beccenses monachos & Molismenses componendo, rectè fecisse: quòd episcopalis officij sit, Ecclesiasticas institutiones subditis seruandas imponere, & transgressores earum paterna seueritate ad debitum ordinem reuocare. Et Henricus Tertius, episcopò Bambergensi subijcit cœnobia quædam in priuilegio: ut est in Historia Bambergensi. Hinc Berno Augiensis abbas, petijt à Vuerinhario Argentinensi episcopo, ut se contra cuiusdam Vuolfradi, prædiis cœnobij insidiantis, uim tueatur. Berno in Epistolis. Robertus abbas Cisterciensis, à Valterio Cabilonensi episcopo curam uirgamque suscepit pastoralem. Sigebertus.

Magistratus etiam politicus in contumaciores & præfractos interdum animaduertit. Henricus Secundus monachos Fuldenses, qui uitæ turpissimæ emendationem planè respuebant, omnibus exuit bonis, eosque huc illuc fugere compulit, anno millesimo decimotertio. Chronicon Saxoniæ, & Trithemius in Hirsaugiensi Chronico. Auentinus libro quinto, idem ab Imperatore etiam alibi factum ait, relictis modò ijs qui ad Regulæ obseruationē sese obstringerent.

Erant etiam monasteria quasi carceres, & exiliorum loca, ac denique commune receptaculum sceleratorum & facinorosorum, quos terra uix ferre dignabatur. Sic Bertulphus apud Gestellanos dives & nobilissimus, impulsu matris uxorem Godelepham à seruis strangulari curauit, anno millesimo septuagesimo: cuius facinoris pœnitentiam reliquo uitæ tempore egit in cœnobio D. Vuinnoci Bergensis. Iacob Meyer. Gerbodo uir nobilis, Arnulphum comitem equo fortè deiectum interemit:

cuius sceleris graui pœnitentia ductus, Romam adijt, & à Pontifice absolutionem petijt: qui eum iussit in Cluniacensi monasterio per totam uitam pœnitere. Idem, ex Gilberto, de rebus Hannoniæ. Cæsar Constantinopolit. Ioannes, metuens ne ob affectatum Imperium, à Michaele Ducæ filio afficeretur supplicio, raso capillitio monasticam lacernam induit. Zonaras. Michael Paphlagon despecto Imperio, relictaque regia, in monasterium suburbanum, quod antea cõstruxerat, secessit: ibique Imperij insignibus abiectis, raso capite initiatur. Zonaras. Hilgotus Suessionensis episcopus, ad uitanda pericula quę à prælatis ipsi imminebant, renunciauit episcopatui, & tanquam naufragus ad portum monasterij confugit. Iuo in epistola ad Paschalem.

In monasteria etiam episcopi ab officio suo recedentes quietis gratia, & quasi pœnitentiam suorum relictorum acturi, sese abdiderunt. Angelricus Dunelmensis præsul, sponte relicto episcopatu, ad monasterium de Burgo, ubi educatus erat, se contulit, & in eo annos duodecim quietè uixit. Ranulphus libro sexto, capite uigesimosexto. Humbertus & Gerardus episcopi, à Taruannensibus urbe expulsi, in cœnobia secedunt, ille quidem in Bertinicum, hic uerò in monachum Eligij Atrebatensis. Iacob Meyer. Heribertus Altisidorienſis antistes, relicto officio ad cœnobium S. Saluatoris in agro Senonensi se contulit, atque monachum sub Benedicti regula multis annis egit. Chronicon Hirsaugiense.

Statuta multa & uaria fuerunt. Cisterciensium nemini, horis diuinis aut completorio abesse licet, præter infirmis. Cellarius & hospitarius, post auditum completorium, hospitibus seruiunt diligenter, & summo studio seruantes silentium: alij nusquam, nisi cum Priore uel Abbate, colloquuntur. Malmesburgensis libro quarto, capite trigesimosecundo. Carthusianis obseruanda proposuit Bruno, eius sectæ autor, prolixa ieiunia, carnum perpetuam abstinentiam, etiam ægrotis: feria sexta tantum pane uesci, & aquam bibere, cilicio ad cutem induit, cœnobio nunquam egredi, exceptis Priore & Procuratore: in cellis manere quemque solum sine omni strepitu & clamore, Vigilijs magnam noctis partem tribuere propter officij prolixitatem. Schedelius. Valde commendat Trithemius Vuilhelmi Hirsaugiensis abbatis, totiusque cœtus studium, præscriptam sibi uitæ normam seruandi, cum inquit: Ad nocturnas uigilias omnes, ex abbatis mandato, cum summa festinatione & reuerentia in Ecclesiam conuenire, suas orationes deuotissimè dicere, omniaque cum silentio agere singulis noctibus solebant. Et quia diuinis laboribus operibusque deputati fuerunt, ne grauarentur supra uires nimia prolixitate uigiliarum, breuiter eis matutinæ cantabantur: quibus expletis, licebat ad stratum redire, uolentibus: aut si maluissent, in Ecclesia re manere, quousque nocturnæ complerentur à monachis in choro. Manè singulis diebus summo Missam omnes audiebant, qua finita conueniebant ad Capitulum cui parum, ubi pro commissis negligentijs se proclamantes, pœnitentiam à magistro condignam accipiebant. Deinde si cui placebat, confitebatur culpas suas sacerdoti, ut diem feruentiori Dei in amore alacritate perficeret. Post hæc unusquisque ad opus sibi pergebat iniunctum, laborabantque omnes, cum incredibili feruore charitatis, non secus quàm si omnibus necessaria prouidere suis laboribus singuli tenerentur. Habebant enim singuli intra uel extra monasterium iniuncta sibi officia, quæ tam fideliter, diligenter & honestè administrabant, ac si diuinitùs præcepta extitissent. Summa inter eos feruebat mētis in Deum deuotio: tantaq; charitate inter se, & amore fraterno in unitate spiritus erant cõiuncti, ut nulla turbatio, nullaque displicentia pacem & tranquillitatem eorum unquam infirmauerit. In communi uiuebant omnes, abdicationem omnis proprietatis tam strictè inuiolabiliterque custodientes, ut nihil penitus uel se uel mundum sentire putaretur. Ad obedientiam seniorum erant promptissimi, alacres semper & uoluntarij ad omnia quæcunque illi mandare uoluissent, non solum in leuibus & quotidianis actionibus, sed etiã in grauioribus, & in his quæ secundum ęstimationem humanam impossibilia uiderentur. Inter quos non solum contentiones & iurgia nulla erant, sed nec uerbum ociosum quidem aut risum prouocans ab aliquo eorum poterat audiri. Singulis quatuordecim diebus in Dominica, festis quoque maioribus, & in uiam dirigendi, qui ante Dominicam non reuerterentur, singuli communicantes corpus Domini nostri Iesu Christi cum maxima reuerentia & deuotione sumpserunt. Ad Completorium singulis diebus conuersi, omnes unà cũ monachis uniuersis ad Ecclesiam conuenerunt: quo finito, cum summo silentio, iuxta præceptum Regulæ, ad cellas suas euntes, parumperque compunctioni uacãtes, ad lectos dormitum se reponebãt, quo statutis

statutis horis ad nocturnos possent consurgere. In omnibus denique exercitijs spiritualibus, quæ hominem claustralem perficiunt, & ad amorem cœlestis patriæ incendunt, tam studiosè, tam deuotè, tamq; feruentes uitam suam instituerũt, ut solo tempore quidem posteriores, moribus autem & disciplinæ regularis obseruãtia antiquissimis illis in eremo Aegypti monachis parentur omnino coram Deo & hominibus habentur. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Idem abbas sui cœtus monachos Cluniacum sæpius misit, qui omnia eius cõgregationis secreta perdiscerent, & literis mandata adferrent. Eas autem consuetudines pro sui loci, aëris & regionis ratione, Vuilhelmus duobus libris complexus est, ac fratribus seruandas proposuit. Ibidem.

Regulam obedientiæ abbati præstandæ, hanc ponit Anshelmus in quintum caput Matthæi: Si abbas meus me ad contraria opera mitteret, & ibi non possem me saluare, excusare me debeo. Si autem sæpius me coëgerit, nec aliter euadere possum, potius aufugere debeo. Fuisse tamen aliquos monachos adeò superstitiosos in abbatum exequendis iussis, ut rectè etiam prius prolata, paulo pòst eodem iubente damnarint, ex Vincentio libro uigesimoquinto, capite trigesimosexto constat.

Quidã ex monachis libros describebãt. Haymo enim, prior cœnobij Hirsaugiensis, in colligendis & describendis libris monastico cœtui necessarios, magnam adhibuit diligentiam: ut in Chronico Hirsaugiensi Trithemius annotat.

Non licebat monachis suscipere peregrinationem longinquam, sine consensu abbatis. Schafnaburgensis enim, hunc animi scrupulum, quòd inconsulto abbate fuisset profectus, in itinere suo Hierosolymitano se sensisse, testatur in sua Historia.

Vigilijs, ieiunijs, alijsq; superstitiosis operibus se affligebant, quibus se æternæ uitæ præmia falsò consequi posse somniabãt: ut Anshelmus testatur in lib. de Similitudinibus, capite septuagesimo septimo. Ordinis difficultas monachorum, cogit uigilare eum, dum uellet dormire: esurire, dum uellet edere: sitire, dum uellet bibere: tacere, dum uellet loqui: legere uel cantare, cum uellet quiescere: sedere, cũ uellet stare uel ambulare: aut stare uel ambulare, cum uellet sedere: iniurias sustinere multas, pro priam uoluntatem ex toto deserere. Me miserum, inquit, hunc habitum quare suscepi? antea malè agebam, sed modò peius ago: quia tot & tanta quæ mihi iubentur, adimplere non ualeo, & uix nisi inuitus aliquid boni perficere ualeo. Quid igitur? uæ mihi, uæ mihi, ut quid his credidi, qui mihi hoc consuluerunt? putabam quòd isti homines omnes essent sancti. Hæc & similia nouitius dicit, dum ordo in primis illi uidetur grauis. Sed postquam sentit, & secum considerat, quia hæc unanimiter patiendo, sic omnia sua posse aboleri peccata, sicque sanitatem animæ citius recuperare: totum quod antea graue uidebatur, paulatim leue efficitur: & quasi iam nihil malè habẽs, lætari incipit: Deo gratias agit, quia monachatum suscipere meruerit: & omnibus qui tale sibi consiliũ dederunt, benedixit, &c. Richardus monachus Beccensis, nec præcepto abbatis sui, nec monitioni Anshelmi ac quiescens, famam & inanem gloriam affectans, abstinentia nimia corpus & ualetudinem suam lędebat. Anshelmus in Epistolis.

De tonsura monachorum, Anshelmus ait: Corona, capillorumque tonsura, eum esse debere sacerdotem & regem, (scilicet stultorum) demonstrat. Sacerdotes quippe in lege mitra tegebant caput, ad similitudinem eius: & huic caput raditur. Reges autem coronis utuntur, ad cuius similitudinẽ huius capilli tondentur. libro de Similitudinibus, capite nonagesimotertio. Iis tamen qui operas domesticas faciebant, comam & barbam alere licebat, quos Conuersos uocabant: ut ex Chronico Hirsaugiensi uidere est.

Et de uestitu eorum, Anshelmus in libro de Similitudinibus, capite nonagesimosecundo, in hunc modum scribit: Quod enim uiles nigrasque fert uestes, ut se uilem reputet, peccatoremq; commonet. Quòd uerò eisdem à capite usque ad pedes tegitur, hoc eum facere à principio uitæ usq; ad finem hortatur. Hæc enim est talaris tunica, & polymita, quam filio suo Ioseph fecisse legitur Iacob Patriarcha. Quòd autem eædem in modum sunt crucis, eum semper habere commonet memoriam Dominicæ passionis.

Cuculla usitatè utebantur. Berno enim Augiẽsis abbas, ad Burchardum quendam eiusdem farinæ hominem, se cucullig erorum minimum uocat. Et sub Frederico abbate, Hirsaugienses monachos interius cucullis, exterius uerò cappis indutos fuisse, Trithemius in Chronico annotat. Albis & lineis uti monachos uestimẽtis, Henricum Imperatorem ægrè tulisse, Auentinus libro quinto Annalium testatur. Cæsius quoque color inter monachos hoc seculo in usu esse cœpit, ut Dodechinus testatur,

tur. Viliores monasticæ professionis uestitus meminit & Zonaras, cum ait Michaelē ῥάκους, hoc est lacernam, quæ uoluntariæ mortificationis symbolum sit, induisse: Tomo tertio. Monomachus quoque raso capillo, & purpuræ loco aspersa sumpta lacerna, in Studiense se contulit monasterium. Ibidem.

Monachorum quidam domesticas operas in cœnobio faciebant, ut ex Trithemio apparet: qui multos religionis studio, ultro se ad culinę & pistrini labores odiosissimos obtulisse testatur.

Monialibus uerò hæc seruanda esse, Iuo in epistola ad uirgines Dunenses monet: Ne prodeant in publicum, ne cum impudicis hominibus colloquantur, & omnino uirorum colloquia respuant, nisi necessitate uel charitate (qualis nimirum in Ouidio describitur) coactæ: uitent preciosas uestes, fucatas facies, incessum solutum. Decet enim uirginem Christi humilitas, facies pallida, macieque confecta, cutis cilicio squalida, non balneis frequentibus accurata, in loquendo uerecundia, in audiendo obedientia, in cibo parcitas, in potu sobrietas, in incessu grauitas, in uestę uilitas, non dissolutæ mētis nutrix & index prodigalitas. Sitis semper intentæ orationi, aut lectioni, aut operi.

Illæ quoque radebantur. Zoë enim Imperatrix sororem suam Theodoram totondit in monialem. Zonaras tomo 3. Chunegundi Imperatrici inter uelandum capillus præciditur. Historia Bambergensis. Chunegūdis purpuram regalem sumptuosissimam exuit: & pro ea tunicam fusciorem, quam suis manibus consuerat, præmissa sacerdotali benedictione, pro habitu religionis induit. Historia Bambergensis.

Nuptię monialium detestabiles fuerunt. Circa Salutis annum millesimū quinquagesimū, sub Adelberone abbate, monachi quidam Fuldenses uxores duxerunt, in quos idcirco Gregorius pōtifex anathematis fulmine (more Antichristi) grauiter animaduertit: ut in Chronologia Monasteriorum Germaniæ, Bruschius annotauit.

Monasteria quędam ita coniuncta fuêre, ut se mutuis suffragijs precum, & opera iuuarent. Sic multi rectores cœnobiorū cum subditis suis, fraternitatem cum Vuilhelmo & monachis Hirsaugiensibus perpetuam, pactis suffragiorum interpositis contraxerunt, diuersis diuersa post mortem subsidia orationum dantes & recipientes. Nomina autem eorum sunt, ut Trithemius annotat: monasterium in Schafhausen Constantiensis diœcesis, monasteriū Diuionense, monasterium maius Turonense, monasterium Augiense in diœcesi Constantinensi, monasterium Corbeiense in Vuestphalia Paderbornensis diœcesis, monasterium S. Mariæ ad eremitas Constantiensis diœcesis, monasteriū in Rinaugia eiusdem Constantiensis diœcesis, monasteriū Crémesmūster, monasterium Petershusen in Constantia, monasterium Altdorff Argentinēsis diœcesis, monasterium in Comburg Herbipolensis diœcesis, monasterium Ottenburgen Augustēsis, monasterium Zuueiffaltē Constantiensis diœcesis, monasterium S. Georgij Constantiensis diœcesis, monasterium Reinhardisbronna in Thuringia Moguntinensis diœcesis, monasterium S. Petri in Erffordia eiusdem diœcesis Moguntinæ, monasterium in Besselbronna Augustensis diœcesis, monasteriū Cellæ S. Petri in Brisgauu, monasterium Cellæ S. Pauli apud Carentinos, monasterium S. Ioannis bapti stæ apud Parthenopolim Magdeburgensis diœcesis, monasterium fratrum de Ritenbuch, monasterium in Neresheim Augustensis diœcesis, monasterium fratrum de Mortbarch, monasterium fratrum de Frankenthal Vuormaciensis diœcesis, monasterium in Suartzach Argentinensis diœcesis, monasterium in Isna Constantiensis diœcesis. Canonici quoque maioris Ecclesiæ Spirensis, confraternitatem cum D. Vuilhelmo & fratribus huius cœnobij contraxerunt. Monasterium in Schluchtera Herbipolensis diœcesis, monasterium Castellense in diœcesi Eistetensi, monasterium in Hasungen Moguntinensis diœcesis: monasterium S. Eucharij Treuirensis, quod hodie S. Matthiæ dicitur: monasteriū S. Pantaleonis in Colonia, monasterium in Breitenauu Moguntinensis diœcesis, monasteriū in Gegenbach Argentinensis diœcesis, monasterium in Echlingen Augustensis diœcesis, monasterium Ameneberg, monasteriū Cellæ S. Mariæ, monasterium Etenheimmunster Argentinensis diœcesis, monasterium Godisau Spirensis diœcesis, monasterium Osenhausen Constantiensis diœcesis, monasteriū Mediolacense Treuerensis diœcesis, monasterium Bagenak, monasteriū Anhausen, monasterium S. Vdalrici in Augusta, monasterium Brininga in Bohemia, monasterium quod dicitur Nuuemunster, monasterium in Cladorub, monasterium S. Blasij Constantiensis diœcesis, monasterium Murense in eadem diœcesi Constantiensi, monasterium quod appellatur Kodeuuicum, monasterium Neustadt Herbipolensis diœcesis, monasterium in Blidenstad Moguntinen-

sinensis diœcesis, monasterium Clingenmunster Spirensis diœcesis, monasterium in Vuiblingen Constantiensis diœcesis, monasterium Masilienſe, monasterium sancti Leonhardi, monasterium Sigenbergense Colonienſis diœcesis, monasteriũ de Sunsheim Spirensis diœcesis, monasterium in Brunuiler Colonienſis diœcesis. Abbatissa quoque de Homburg similem confraternitatem à sancto patre Vuilhelmo & fratribus Hirsaugiensibus cum cæteris obtinuit. Monasterium sancti Heimerani Ratisbonẽsis, monasterium sancti Maximini prope Treuerim, monasterium sancti Albani Moguntiæ, monasterium Lympurg Spirensis diœcesis, monasterium in Amerbach Herbipolensis diœcesis, monasterium sancti Vdalrici prope Constantiam, monasterium in Eidenheim Eistetensis diœcesis, monasterium Montis monachorum Bambergensis diœcesis, monasterium Suartzach Herbipolensis diœcesis, monasterium S. Burchardi iuxta Herbipolim, monasterium in Deckingen Augustensis diœcesis, monasterium sanctę Crucis in Verdea Augustẽsis diœcesis, monasterium sancti Nazarij in Lauissa Vuormacienſis diœcesis. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi.

CASTITAS MONACHORVM *& monialium.*

Ob Sodomiticam castitatẽ, cui sanè in primis hoc hominum genus inutile terræ pondus, & fruges tantùm consumere natum, omnibus ætatibus studuisse, ipsa meridiana luce clarius est, nõ exiguam meretur apud scriptores laudem, etiã hac ætate. Iuo: Tam ex uerbis Turonensium monachorum, quàm exliteris dominæ Adelheidis uenerabilis comitissæ audiui turpissimam famam de monasterio sanctæ Faræ: quod iam non locus monialium, sed prostibulum dicẽdũ est mulierum dæmonialium, corpora sua ad turpes usus omni generi hominum prostituẽtium. In epistola ad Gualterum Meldensiũ episcopum. Monachum quendam post frixuras furtim comestas, tantus libidinum furor inuasit, ut nulla ratione se contineret, sed propijs manibus semẽ prouocatum emitteret: & sic post buccellã in eum intrauit sathanas. Vincẽtius lib. uigesimoquinto, capite quinquagesimotertio. Imperator Hericus Tertius sororem monialem adeò charam habuit, ut nunquam à suo latere eam discedere permitteret: ac licet nocte quadam de fenestra prospexisset, clericum amatorem ab ipsa perniuem dorso portari extra curiam, nemidam episcopo, clerico dixit: Accipe episcopatum, & uide ne ultrà equites in dorso mulieris. & uacante monasterio, sorori: Accipe abbatiam, & uide ne unquam portes clericum equitantem. Ranulphus libro sexto, capite uigesimoprimo. Malmesburiensis libro secũdo, capite sexagesimoseptimo, Vincẽtius libro uigesimoquinto, capite decimooctauo. A latere abbatissæ uallis liliorum, Vdonem Magdeburgensem abductum à sathana, in uita eius pluribus narratur.

Varij casus circa monasticen.

1 Michael Paphlagon Constantinopolitanus Imperator, aduersa laborans ualetudine, despecto imperio, relictaque aula, in monasterium urbanum spe recuperandæ sanitatis se contulit. Zonaras tom. 3.

2 Seligerus Baro à Vuolhusen, liberis in lacu quodam submersis, in cœnobium quoddam eremitarum secessit: & uxor eius Heduuigis, in Tigurinum, à Dominabus denominatum. Bruschius de Monasterijs.

3 Henricus Palatinus comes Luthariorum, instinctu dæmonis monasticam amplexus est: sed paucis pòst diebus agnito dæmonio, à quo illusus fuit, habitum religionis abiecit, uxoremque suam & possessiones recepit, anno millesimo quinquagesimooctauo. Schafnab. Pòst atra bile percitus, uxorem interfecit. Auentinus.

MORES CHRI- stianorum.

EXEMPLA VIRTVTVM.

ORationis, & gratiarũ actionis. Ladislaus Vngariæ rex, fugatis Salomone & Cuthesco Hunnorum principe, ad omnes aras supplicationes & rem sacrá facit, Deoque pro uictoria gratias agit, Bonfinius libro quarto Decad. 2.

Reuerentiæ erga ministros. Vuilhelmũ Conquæstorem Anglorum regem erga famulos Dei humilem extitisse, Malmesburiensis libro tertio, capite quadragesimo testatur. Henricus Tertius Pannoniam infestis signis ingressus, in agros, uillas & oppida quidẽ ferro & igni sæuijt, uerùm templis abstinuit. Auentinus libro quinto Annalium. Henricus Quartus suo corpore protexit Albertum Bremensem episcopum, cui alij proceres gladijs strictis intentabant necem, quòd omnium quæ in Imperio fiebant malorum autor existeret: suasissetque Cæsari, ut Goslariam clàm noctu fugeret. Auentinus.

Parentum in liberorum educatione diligẽtia & solertia, inde æstimari potest, quòd Babo Abensbergensis quadraginta pueros maxima cura educauit. Auentinus lib. 5.

Diligentia magiſtratus in adminiſtratione politica. Edouardus rex Angliæ, communes leges ex immenſa antiquarum copia elegit, easque æquiſsimas ſubditis propoſuit. Polydorus libro octauo. Henricus Tertius anno milleſimo quadrageſimo tertio, Treuiri, omnibus qui in ipſum deliquerant ignouit: atque legem per totum regnum promulgauit, ut omnes ſibi inuicem delicta condonarent. Schafnaburgenſis. Canutus Suenonis filius, in regno ſuo optimas & æquiſsimas leges tulit, militarem conſeruauit diſciplinam, & quæ legislatorem conſiderare decet, conſtituit ſolerter. Crantzius libro quarto, capite uigeſimooctauo. Imperator Conſtantinus Ducas, magnum ſtudium impendit, ut controuerſias audiret, & decreta ſcriberet: & quanquam indoctus erat, tamen literas amabat, & doctos colebat. Ac ſolitus eſt dicere, ſe malle ex doctrina quàm imperio nobilitari. Zonaras. Vuilhelmus Conquæſtor milites, quos in Angliam tranſportaſſet, à præda continuit, aſſerens parcendũ rebus quæ ſuæ aliquando belli iure eſſent futuræ. Malmesburgenſis libro tertio, capite undecimo.

Obedientia ſubditorum, & reuerentia erga magiſtratum. Ericus rex Danię milites Danicos Conſtantinopoli fortè inuentos, pluribus hortatus eſt, ut ſuam operam & fidem Imperatori Græco probarent: idque ſe facturos ſtrenuè, illi polliciti ſunt. Crantzius libro quinto Daniæ. Vuürtzburgenſes, Vuormacienſes, Metenſes, Bathaui, Salisburgenſes, ciues, epiſcopos ſuos defectionem à Cæſare ad Saxones, & eorum ſocios ſuadentes, urbibus pellunt, ipſiq; iuramentum Cæſari datum ſeruant: ut Auentinus lib. 5 Annalium refert.

Seſe contra latrones, & Chriſtianæ fidei hoſtes egregiè tutabantur. Sic Albertus & Luitpoldus Auſtriæ duces, Vngaros, qui cũ Petro rege Germaniam præter opinionem & fidem gentium inuaſerant (legatos enim detinuerant, neque bellum legitimè indixerant) profligunt, captiuosque liberant. Auentinus libro quinto. Conradus Imperator legem tulit, ut capitale eſſet principi, pacem & tranquillitatem prouinciarum turbare. Itaq; Leopoldum comitem acerrimè proſecutus eſt, quòd ab eo initium turbandi ocij ortum eſſet. Hiſtoria Bambergenſis, & Martinus Polonus.

Miſericordia & manſuetudo. Ladislaus rex Vngariæ, ubi Hunnos, qui ex deuaſtata Tranſſyluania & Vngaria magnam pecorum hominumque prædam abduxerant, prælio fuſos fugere uidit, Parcite, exclamauit, parcite humano ſanguini, ô milites: ſat cruoris hoſtilis effuſum eſt: fugientem capite multitudinem, ut ſi forſan orthodoxam fidem amplectantur, populum Dei amplificemus. Bonfinius libro quarto Decadis ſecundæ.

Concordiæ ſtudium. Cæſar Henricus Secundus, & Robertus rex Franciæ, ad Carum fluuium anno milleſimo uigeſimo tertio conuenerunt: habitoque conſilio, Rempublicam Chriſtianam, regnum imperium que Francorum concordia, optimis legibus & inſtitutis ſtabilire decernunt, & ad hanc rem pontificis autoritatem accedere cupiunt. Sigebertus, & Auentinus libro quinto.

Candor. Conradus Imperator Vlrico Boëmorum regulo, qui ſupplicem Miſconem Polonum ipſi prodere in animo habebat, reſcripſit: Germanos uirtute cũ hoſtib. nõ fraude certare, nihilq; acrius quàm perfidiam ulciſci: non nomini hoſtium, ſed ſceleribus iraſci: & armatos ſolummodo odiſſe. Quibus cognitis, Miſco Cæſari ſit ſuplex: qui eum parte Poloniæ & ducatu iterum donat. Auentinus libro quinto.

Munificentia & liberalitas. Margareta Scotorum regina pauperes alebat, primò tres, deinde nouem, poſtea uigintiquatuor, & denique trecentos. Malmesburgenſis libro quarto, capite ſeptimo. Ab Imperatore Henrico Quarto agmina pauperum ſtentata ſunt: qui eum domi in cubilibus, in campis, in caſtris ſecuti ſunt. Nam & liberaliter eis proſpexit, & in demortuorum locum mox alios ſubſtituit, ac in prædijs ſuis erogari eleemoſynas largas præcepit, ut in uita eius annotatur. Machetad Scotorum rex, anno Domini milleſimo quinquageſimo Romæ argentum ſeminando, pauperibus diſtribuit. Marianus Scotus. Henricus Secundus Imperator, regem Franciæ, eiusque miniſtros, ac alios quoq; qui ad Carum fluuium, ubi reges de ſtatu regni & Eccleſiæ conſilia contulerunt, conuenerant, tanta liberalitate donauit, ut opibus Perſicis & Arabicis eius munificentiam comparares. Sigebertus, ſub annum milleſimũ uigeſimũ tertiũ.

Pudicitia. Margarita Nicolai Zembocij, apud Polonos longè nobiliſsimi, uxor, graſſante impunè flagitioſorum iuuenum in ſtuprandis mulieribus licentia, ſe cum duabus ſororibus turri à Proſsouia miliari diſtanti incluſit, in eaque latuit, familia alimentum funibus illi demittente. Cromerus lib. 4.

Coniugium magni faciebant. Nam Monomachus Imperator cõiugalis iuris adeò ſtudioſus

studiosus fuit, ut cum peregrè in morbum incidisset, & à medicis moneretur, ut consuetudine mulieris morbum leuaret: negaret se cum ulla fœmina, præterquam cum sua uxore rem habiturum. Zonaras. Beatrix Bonifacij secundi Italiæ Marchionis uidua, cum ab Imperatore obiurgaretur, quòd Godfrido Lotharingo nupsisset: respondit, se desolatæ domui patronum parasse, & ingenuam ingenuo sine fuco nefariæ machinationis nupsisse. Itaque eum æqui bonique non esse memorem, si id sibi non permitteret, quod in Imperio Romano nobilibus fœminis semper licuisset. Schafnaburgensis.

Rex Henricus Quartus equiti aurato fugiens sit, ut uxorem suam de consuetudine sollicitaret: adeò enim ei infensus erat, ut omnes diuortij occasiones quæreret. Antè uitille, proposita non modò impunitatis, sed etiam præmiorum spe. Regina olfaciens dolum, iubet nocte intempesta ad cubiculum uenire equitem, & expetita uoluntate frui. Dicto tempore adest ipse Imperator, quo clàm intromisso, ostium repentè obseratur: ancillæque adulterum, ut putabant, pugnis, sedilibus, & quibuscunque datur instrumentis percutiunt. Tandem exclamat ille, se Cæsarem esse. Verùm surdis canit fabulam: imò sceleratum & impurum uocitat regina, uerberibusque multatum extrudit foras, morbo deinde ad sex septimanas laborauit, cuius causam nemini aperuit. Chronico n Magdeburgense. Hæc apud probatum aliquem auctorem uix reperias. Verisimile itaque est, à Pontificijs, qui plus quàm diabolico Imperatorem persequebantur furore, conficta esse tam tetra mendacia: quibus non solum orbem Christianum uniuersum, sed omnes sanæ mentis homines ab Imperatore auertere moliti sunt. Nihil enim non cædibus & mendacijs, duce patre eorum diabolo, omnibus seculis sui primatus stabiliendi gratia, ausi fuêre pontifices Romani, eorumque assecłę. Sed nos fidem historicam sectantes, tali modo recitamus, quo annotatum est.

Hospitalitas. Domus Leonis Noni pauperibus & peregrinis semper patuit, & leprosum lecto suo incubare iussit: ut Platina testatus est. Henricus Quartus regnam Vngariæ cum filio Salomone, nuque, à suis in exilium pulsam, benignè suscepit: ijsque in Occidentalem Bauariam migrare iussis, sumptus ex fisco tribui mandauit. Auentinus lib. 5.

Tempestiuus linguæ usus. Vuoldradus enim præsul Magdeburgensis, nullum proferebat uerbum, nisi prius in animo euentum perpendisset. Chronicon Magdeburgense.

Exempla uitiorum.

Defectio à fide. Reginaldus quidam Germanus, quem in Nicæensi agro milites elegerant ducem, suorum clade ad Exerogorgum motus, cum paucis ad Turcos uictores transijt, & Mahometismum amplexus putatur. Æmilius libro quarto.

Superbia. Canutus rex Daniæ, sedili in littore posito dixisse fertur: Mare regni mei pars es, itaque mihi obtemperes: sed illud mox impetu facto, sinum eius suis perfudit undis. Quare territus rex, de solio surrexit: uana, inquiens, omnium regum potestas, & solus Deus est omnipotens, ac corona cruci imposita, postea pietatis & modestiæ cultor extitit: ut in Saxonum quodam Germanico Chronico annotatum est.

Magia. Mulierculæ duæ cauponatrices, in uia qua Romam itur, hospites in equum, suem, uel asinum mutare solebant. Vicentius libro uigesimoquinto, capite uigesimooctauo. Henricus de Erphordia in uita Henrici Tertij. Clerici quidam dijs immolant, dæmones humana carne & sanguine placant, ut aliqua diuinationis prælagia ab eis capiant. Berno, in præfatione de diuinatione dæmonum contemnenda. Viguit autem studium magiæ præcipuè Romæ, ut ex Pontificum Romanorum uitis patebit. Dederunt se etiam Nigromantiæ Albertus Brenensis, Vuilhelmus Roschildensis, Vulstanus Vigornienſis, episcopi, & alij, de quibus suo loco. Mulierculæ certas missas celebrari sibi curarunt ad procurandas diuinationes & incantationes: quod in concilio Salegunstadiensi, à sacerdotibus fieri prohibetur. Chunegundis Imperatrix, nescio quibus artibus, dæmonem stupendæ molis marmoreos lapides, ad Bambergensis templi extructionem comportare coegit. Peluim quoque nummis plenam in medium posuit, unde nemo operariorum, præter iustam laborum mercedem, quicquam auferre potuit. Chronicon Sax.

Periurium. Romani iuramentum præstiterunt Imperatori Henrico Tertio, se non lecturos pontificem absque eius consensu. sed post abitum eius, pontifice ueneno sublato, alium substituere uoluerunt. Simonera libro quinto, capite quinquagesimonono. Et, inquit Rudolphus, dextra, (cùm ea refecta decumbenti offerretur) qua fidem Imperatori sanctè promisi: sed uobis episcopis suadentibus, perfidiæ notam

mihi

mihi heu miſer inuſsi. Vt ex Henrici uita, & Vrſpergenſi conſtat. Goduinus Anglus, uidens pincernam regis offendere pede in tuberculum areæ, per iocum dixit: Hic frater fratrem iuuit, ne caderet. Tum rex ad eum conuerſus: Sic mihi, inquit, frater auxilio eſſet, ſi per te licuiſſet. Vt autem Goduinus ſuſpicione cædis in Alfredum perpetratæ ſe purgaret, ſibi malum imprecatur: Si, inquiens, quicquam in necem fratris tui, rex, aut te machinatus ſum unquam, iſto panis fruſto ſtatim ſtranguler. Sumptoque pane, illico percluſis faucibus ſuffocatur: atque ita parricidium morte compenſauit. Polydorus lib. 8 Anglicæ hiſtoriæ.

Contemptus atque afflictio miniſtrorum uerbi. Petrus Vngarorum rex, ſacerdotes ueritatis præcones ſpoliat, loco mouet, & ſuæ farinæ alios ſubſtituit. Auentinus libro quinto.

Sabbati prophanatio. Vuilhelmus Conquæſtor, in præcipuis feſtis magnifica & ſumptuoſa conuiuia agitauit. Malmesbur. lib. 3, cap. 52.

Magiſtratus iniuſticia. Boleslaus Secundus rex Poloniæ, nouis & grauibus exactionibus ſubditos preſsit: ius uerò non dixit, impeditus uoluptatibus, fœdisque libidinibus. Cromerus libro quarto. Vuilhelmus Rufus Anglorum rex, exactionibus grauiſsimis non contẽtus, terras etiam ſubditis eripuit: tum uenationes etiam permiſſas pœna capitali prohibuit, quò ſuorũ ſibi odium quàm maximum conflauit. Malmesburgenſis libro quarto, capite decimo quinto. Conradus Bauariæ princeps, cum amicis ſupra modum ſtuderet, auariciæ & iniuſticiæ omnia habebat uenalia. Auentinus. Cæſare à matre abſtracto, paucorum potentia creuit: qui nacti habenas rerum, adoleſcentulum à curis Reipublicæ in angulos ablegant. nemini adire, nemini ſalutare Cæſarem: ne huic quidẽ ſalutare quempiam, niſi ex præſcripto principum, licuit. Tenerę ætati parcendum eſſe, uenatione, gaudijs corporis indulgendum docent: ipſi interim omnia uenalia habent, cuncta utilitate metiuntur. Honorem, magiſtratus, opes, & quod uolunt, in ſe transferunt. Cæſarem, ut ab eo cuncta extorqueant, ſuo more uiuere, ea quæ fert ætas factitare paſsim permittunt: quinetiam officia à uoluptatibus inſtituunt, ad omnia conniuent. Auentinus libro quinto. Epiſcopi & principes ęgrè ferunt, Cæſarem more adoleſcentulorum ſcortari, uenari, potare, huiuſcemodi uoluptatibus ætatem tranſigere: iuridicundo, ac Reipublicæ negotijs nequaquam uacare: ab eodem nobiliſsimos quoſque oppe primi, infimos tolli: filias optimatum obſcuris, humilibus crepundijs ortas uiris matrimonium dari: præſidia priuata comparari, principes negligi. ibidem. Eteldredus rex Angliæ locupletiores bonis exuit, alios ignominia affecit, nonnullos leuiſsimis de cauſis in exilium egit. Polydorus libro ſeptimo.

Crudelitas. Electo Aba, Vngari Budam cognomento Barbatum, Petri regis intimum, fruſtillatim conciderunt: duobus eius filijs oculos eruerunt: & Sebrum, qui Vazulem iuſſu Gyslæ excæcarat, manibus pedibusq; amputatis peremerunt. Bonfinius lib. 2 Decad. 2.

Contemptus magiſtratus. Imperator Henricus Quartus, uictis Saxonibus per legatos ſuos ſignificauit, ſe filium ſuum ipſis daturum regem, ſi abſque rege eſſe ipſis gratum ue uideretur. Ibi Otto dux reſpondit: Nunquam audiui, mala uacca bonum editum eſſe uitulum: itaque non minus filij, quàm patris, imperium reſpuo. Chronicon Magdeburgenſe.

Seditiones. Radulphus Norifolchi comes, die nuptiarum, quas cum filia Vuilhelmi magnificè inſtruxerat, cum ebrijs conuiuis conſpirat aduerſus regem Vuilhelmum Cõquæſtorem: ſed re per indicium enunciata, profligantur ſeditioſi. Malmesburgenſis libro 3, capite uigeſimooctauo.

Proditiones. Vlricus Boëmus Miſconem Polonum, qui ad eum regno exutus confugerat, Conrado Imperatori prodere conatus eſt. Auentinus libro quinto. Berconulphus & Machthunus, qui obſcuris parentibus Ratisbonæ orti, ope fratris Nitgeri epiſcopi Friſingenſis in aula Imperatoris Henrici Tertij opes nomenque non uulgare adepti erant, Ouonem Vngarum adiuuadendam contra fidem iuramenti Bauariam hortantur: promittuntque ſe ei Ratisbonam tradituros, quamque ſint Imperatoris copiæ exiguæ produnt: uerùm illi Vngaris cæſis, in crucem aguntur. Auentinus libro quinto. Elfricus præfectus claſsis, quem Etheldredus Danis, contra datam fidem denuò bellum inferentibus oppoſuit, ad hoſtes deficit. Palydorus lib. 7.

Ἀποστασία. Conradus Italiæ gubernator, à patre Imperatore deſciſcit ad hoſtes eius, cruentumque in patrem pontificiorum inſtinctu mouet bellum: ſed in ipſo rerum apparatu, præter omnium opinionem è uiuis euocatur: ut in Henrici uita ſcribitur.

Violatio legatorum. Pontifex Hildebrandus, legatos Cæſaris criminationem Saxonũ refutaturos, & papam Imperatori placatu-

placaturos, in heruum mittit, frigore, fame, siti excruciat, per urbem circũductos Romapellit: ut ex Imperatoris epistola ad Coloniensem uidere est.

Ambitio. Post Tertij Ottonis obitum, Egbertus Saxoniæ marchio summa contentione Imperium ambijt, & cum stomacho cum Ludero duce expostulat, quòd ipse suis rebus obstiterit: ut Chronicon Magdeburgense, & Krantzius in Saxonia referunt.

Perfidia. Anno Colonienſis archiepiscopus, Henricum Cæsarem ad contemplationem pulcherrimæ nauis inuitatum, abduxit. Schafnab. & Auentinus libro quinto. Et ciues Goslarienses, Cæsarianos milites ad comparanda arma urbem ingressos, contra initæ pacis decretum, in uincula conijciunt, & in crucem agunt. Auentinus lib. 5.

Polygamia. Philippus Francorum rex, repudiata uxore Bertha, Fulconi cuidam ereptam coniugem Bertradam pro uxore habuit aliquot annos: donec à Romano pontifice cogeretur, ea dimissa, legitimam recipere. Æmylius libro primo. Constantinus Monomachus, Sclerenam quandam pellicem non modò in exilio, sed etiam in regno habuit: eamq; consentiente uxore Zoa in aulam adduxit, & inter eas amicitiæ fœdus iunxit. Zonaras tom. 3. Ericus rex Daniæ, multis uirtutibus, & præsertim continentia ornatus, iura coniugij minimè seruauit. Nam plurimas habuit pellices, quas etiam uxor eius Batilda, ex diuersis locis, si forma præstarent, accersitas, suis manibus compsit: & marito, ut eius fauorem sibi conciliaret, misit. Krantzius libro 5 Daniæ. Robertus filius Richardi, dux Normanniæ, puellam, cuius in ducendis choreis uenustos & decentes gestus fortè uiderat, aliquandiu secum habuit, ex eaque Vuilhelmum Conquæstorem genuit. Malmesbur. lib. 3, cap. 1.

Incestus. Ferunt Conradum à patre Henrico Quarto incitatum, ut cum nouerca coiret. Krantzius in Metropoli. Sed hæc à pontificijs, Cainico Imperatorem odio pentibus, quis sanæ mentis non credat esse conficta?

Libidines & adulteria. Poloni Kiouiæ libidinibus omnis generis se contaminarunt: quo cognito, uxores & filiæ eorum domi relictæ, sua quoque corpora iuuenibus prostituerunt. Et Boleslaus rex Christina Micislao cuidam nobili erepta, palàm per adulterium abusus est. Chromerus libro quarto. Hildebrandus papa, coniugij clericorum acerrimus hostis & turbator, cum Mathilda, quæ cum marito ad uitandum, si dijs placet, incestum fecerat diuortium, consueuit. Hedio. Petrus Vngarorum rex adeò lasciuus fuit, ut nullius ferè ingenuæ matronæ pudicitia ab eo tuta esset. Hinc & satellites eius, mulieres honestas impunè infestarunt. Bonfinius libro secundo Decad. secundæ. Edmundus filius Etheldredi, uxorem Sigfridi Dani captam, formæ præstantis mulierem, uistuprauit, & post necem uiri matrimonio sibi iunxit. Polydorus libro septimo.

Adelheidis mulier forma quidem uenusta, sed libidinum flammis furens, posthabito mariti sui Friderici Saxoniæ principis amore, cum Ludouico Thuringiæ marchione clàm consueuit. & ut honestate cõiugij facinus tegeret, cũ adultero de tollendo coniuge consilium inijt. Itaque die quodam mœchus equitum turma stipatus, ad colloquium euocat Adelheidem: quo finito, arci uicinam syluam ingreditur, atque in ea uenari incipit. Adultera ex composito uirum in balneis tum existentem accedit, magnamque animi indignationem simulans, ipsum timiditatis redarguit, quòd Ludouicum ad arcem suam feras agere patiatur. Ego profecto, inquit mulier, nisi sexus obstaret decorum, ipsa ulciscerer hanc iniuriam. Fridericus fraudem non persentiscens, arma capit, paucisque eum comitantibus Ludouicum insequitur. Ibi cũ ex uerbis ad uerbera peruẽtum esset, Fridericus occubuit: Anno millesimo sexagesimoquinto. Post hęc Ludouicus & Adelheidis matrimonium contrahunt. Chronicon Mersburg. libro secundo, capite duodecimo.

Sueno Daniæ & Angliæ rex à sacerdotibus admonitus, ut grege concubinarum un de plurimos procreauit filios, relicto, legitimum iniret matrimonium, suam duxit consobrinam, cui non multo post iussu Alberti Hamburgensis præsulis, & Romani pontificis literis inductus, libellum repudij dedit, ac ad uagam Venerem redijt, eaque de causa plurimi hostes eum insectati sunt. Cranzius libro quarto, capite trigesimotertio Metropolis.

Periurium. Romanus Argyropolus, de suæ coniugis cum Michaele Cappadoce consuetudine turpi, uulgi fama edoctus, sacramento adulterium inficiantem, se purgare iuber. Cumque ille peieraſſet, statim atrox morbus eum inuasisse fertur. Nam certis interuallis mente alienabatur, oculos distorquebat, tremore corripiebatur, & in terram procidebat, deinde ad se redibat. Zonaras tomo tertio.

Luxus. Ducis Venetorum uxor, Constantinopolitana fœmina, hoc temporis curriculo exquisitatum deliciarum supra modum

modum fuit studiosa'. ¶Cibos enim manibus contrectatos respuit: sed ab Eunuchis frustratim concisos, aureis fuscinulis ori intulit. Ex guttis roris maximo labore collectis, corpus in balneis lauit: tum fragore aromatum & suffitus, cubiculum crebrius quotidie repleuit. Teneritatem autem hanc Deus etiam in hac uita puniuit, ui uentis enim corpus tanto putredinis fœtore repletum est, ut eum nemo sanus ferre, nec ullis odoramentis arceri ualuerit: quo malo misera aliquandiu torta, expirauit. Vincentius libro uigesimoquinto, capite quinquagesimotertio.

Ebrietas. Angli totam noctem cantibus & potationibus insomnem duxerunt: itaque sequenti die à Normannis superantur. Malmesburgensis lib. tertio, cap. 14. Dum Bauari & Carinthij secũdo soxagesimæ die, Baccho, Cereri & Como sacrificant, Ouo Vngarus tripartito agmine Germaniam ingressus diripit. Auentinus libro 5. Etheldredus rex Angliæ luxui & ocio se dedit. Polydorus lib. 7.

Sacrilegia. VVilhelmus Ruffus Anglorum rex, non solum Angliæ, sed totius Normanniæ Ecclesias omnibus penè exuit facultatibus. Inexplebili enim laborabat auri studio: ut Polydorus libro decimo, & Malmesburgẽsis libro quarto, capite decimoquarto testantur.

Venatio iniusta. VVilhelmus Conquæstor Anglorum rex, locũ quendam qui Noua foresta dicebatur, ad triginta, aut plus eo, miliaria uillis & templis euersis, in solitudinem, ac ferarum lustra redegit: sed Dei iudicio, filius eius in eadem sylua à Gualterio quodam milite Franco qui telum in prætereuntem ceruum direxerat (ut Polydorus in fine libri decimi Anglię historiæ indicat) traijcitur. Et Richardus ex Roberto eiusdem Conquæstoris filio, qui Normannis dominabatur, nepos, dum equo celerius illac transit, ramo arboris in collum illiso suffocatur. Malmesburgẽsis libro tertio, capite quadragesimooctauo, & libro quarto, capite 29.

Temeritas. Presbyter quidam celebrata Missa, Neapolitanæ regionis locum, ubi infernum esse plurimi arbitrabantur, infulatus accessit: sed temeritatis luit pœnas, in de non rediens. Petrus Damianus in epistola ad Nicolaum Papam.

RITVS INAVGVRANDI *Imperatores.*

HEnricus Secũdus à VVillegiso Mogũtino inungitur sacro oleo. Auẽtinus libro quinto Annalium. Deinde Imperator consecratur Romæ anno 1014. Sigebertus. Conradum primò Aribo Moguntinus consecrat, deinde Romanus pontifex, anno 1027, in Paschate, ut Sigebertus habet: medium inter Canutum regem Angliæ & Daniæ, ac Rodolphum regem Burgundiæ. Auent. lib. 5. Henricus Tertius Aquisgrani à Pilgrino Colonienſi archiepiscopo, die Paschæ, Cæsar inungitur, anno 1038. Is postea Romæ 1047, à Clemente Secundo renunciatur Imperator. Schafnaburgensis.

Botoniates in Vrbe principe, frequentissimo conuentu plebis, primorum exmagistratu & selectorum sacerdotum celebri Euangeliſmi festiuitate, Imperator appellatur. Zonaras. Michael Calaphares sceptrum accipit, & regia corona redimitur. Zonaras. Monomachus & coronam & sceptrum Imperatorium accipit. Præfecti & proceres Phocam Bardam diademate ornatum, Imperatorem appellant. Ibid. Victor Pontifex, cæteriq; principes, ingenti procerum numero stipati, Henricum Quartum Aquisgranum deducunt: atq; in solio regio, more Francorum, collocant. At Clemens Tertius, anno 1084, celeberrimo Paschæ die, eundem cum uxore Bertha consecrat, Augustosq;, acclamante populo, appellat. Auentinus lib. 5 Annalium.

¶ Constantinopolitani Imperatores puniceis usi sunt calceis. Basilius enim patriarcha noluit in gratiam recipere Phocam Bardam, nisi puniceis calceis exutis, in habitu priuati ueniret. Zonaras.

Et purpura. Michael Paphlago, post acceptam Imperatoriam dignitatem purpura indutus est. Zoë, ubi Michaelem Paphlagonem regio ornatu indutum, in solium Imperatoris collocasset, hortatur omnes qui aderant, ut eum consalutent & adorent: quem mox tota ciuitas Imperatorem salutauit. Ibidem.

Imperatrices. Theodora à toto senatu, populo & sacerdotibus, Augusta & Imperatrix est consalutata. Zonaras.

Reges. VVilhelmus Conqstor, uicto Haraldo Landoniá contendit: ubi cũ gratulatiõe exceptus, & à pcerib. rex salutatus, die natalis Domini coronatur ab Eldredo Eboracensi archiepiscopo. Malmesb. lib. 3, ca. 20. Vngari anno 1043 Henricum Cæsarem, qui Ouonem magno prælio fuderat, Albæ regali deducũt in templum Mariæ uirginis, ac regio solio impositum regem salutant. Auentinus. Engelbertus Treuirensis præsul, Vratislaum Boëmum cum uxore Suatua, iussu Cæsaris, Pragæ regem inaugurauit acclamantibus equestris ordinis & plebeijs uiris, senatuque: Vratislao Pacifico Boëmiæ atq; Poloniæ regi, à Deo coronato, uita,

to, uita, laus, uictoria. Auentinus libro 5 Annalium.

Godfridus, quem captæ Hierosolymæ regem Christiani elegerant, auream coronã respuit: quòd in ea urbe Christus gestasset spineam. Palmerius sub anno 1099.

RITVS ADORANDI ANTI-*christum Romanum.*

BEnedicto Papæ ex urbe Bambergensi honoris causa obuiam processit Imperator Henricus Secundus cum principibus regni, clero & populo uniuerso, quatuorq; psallentium choris. Historia Bambergẽsis.

RITVS CIRCA IVSIVRANDVM.

OVo Vngarus coram legatis Cæsareanis, præeunte sacrificulo, iuramentũ dicit. Auentinus lib. 5. Vuido Mediolanen sis episcopus, literis suo & uniuersi cleri nomine, iurisdictionẽ Ecclesiasticã tradidit sedi Romanæ, addens: Si quis de conferẽdis ordinib. sacris aliquid tollere pestifera negotiatione præsumpserit, dator simul & acceptor, cum ipso Simone perpetui anathematis uinculo cõstringantur: & à Dei omnipotentis omniumq; Sanctorũ consortio seiungantur, cũ Iuda & Caipha, cum Dathan & Abiron, sub æternæ damnationis atrocitate damnetur. Quod ut uerius credatur, nos cum nostris clericis propria manu scribendo firmamus, sigilli quoq; nostri formam imprimi iubemus, &c. Ego Dei gratia Vuido Mediolanensis Ecclesiæ archiepiscopus, hanc sponsionem à me factam confirmaui, corroboraui atq; subscripsi. Postea idem archiepiscopus ad sanctum altare accedens, præsente domino Lucensi iurauit in manũ meam, dicens, Si hæc, &c. fideliter non obseruauero, ab omnipotenti Deo & omnib. Sanctis sim excommunicatus & anathematizatus, & ab omni Christianorũ consortio inueniar alienus. Arnulphus altera manu archiepiscopo data, & altera super sanctum Euangelium posita iurauit, &c. Sic me Deus adiuuet, & ista sancta Euangelia. Clerũ etiam suum, tactis sacrosanctis Euangelijs iurare fecit. Petrus Damianus, in actis Mediolanensibus.

Iurabant per Sanctos. Sic Edouardus rex Angliæ, rustico casses uenaticos confunden ti mala minitans: Per Deum, inquit, & matrem eius, tantundem tibi nocebo, si potero. Malmesb. lib. 2, cap. 82.

DE DAMNATIS CAPITE.

GVilhelmus de Aldereia, uir corporis proceritate insignis, præter meritum delatus ad Guilhelmum Rufum compatrẽ suum, damnatus est suspendij. Is uerò post latam sententiam, Osmundo episcopo confessus, per omnes Ecclesias oppidi uirgis cæsus est: & uestib. obiectis pauperib. nudus ductus est ad patibulum, sequentibus eum episcopo, & maxima hominum caterua. ipse uerò geniculationibus crebris ad lapides cruorem prouocauit. Vbi autem ad locum supplicij peruentum est, inquit: Sic Deus adiuuet animam meam, & liberet à malis, ut criminis, cuius accusor, sum innocens: & cùm sententia de me lata non sit reuocanda, omnibus hominibus meam innocentiam uolo esse notam. Tum episcopus dicta commendatione, & aqua benedicta aspersa discessit. Ille uerò suffocatus est laqueo, ut nec moriturus gemitum, nec expirans suspirium ederet. Malmesburgensis lib. 4, cap. 5.

RITVS SVPPLICANDI.

HErmannus dux Sueuiæ, nudis pedib. se prosternit ad pedes Henrici Secundi: atq; rebellionis ueniam postulat, impetratq;. Chron. Magdeburgense.

RITVS PROBANDI *innocentiam.*

MAnsit hoc seculo innocentiam tuendi cõsuetudo, uel cãdentis ferri transitu, uel gestatione. Chunegundis enim de adulterio suspecta, iudicium candentium uomerum elegit. ad quod ubi peruenit: Domine, inquit, Deus creator cœli & terræ, qui probas renes & corda, iudica iudicium meum, & eripe me, te testem & iudicem hodie inuoco, quòd neq; hunc Henricum præsentem, neq; quemuis alium uirum carnali consuetudine cognouerim. His dictis candentes uomeres, stupentibus & lachrymantibus plurimis, plantis pedum conculcat, sine ulla læsione transit, quod factum quidam hoc dysticho complexus est:

Iudicio uomeris Chunegundis uirgo probatur:
Cœtus at hoc procerum mirans, ipsam ueneratur.

Historia Bambergensis, Gigas. Crantzius uerò lib. 4, cap. 32 Saxoniæ, ferrum ab ea portatum ait.

Vel monomachia. Hẽricus Tertius, uiuẽte patre, duxerat filiam regis Anglorũ: quæ cùm forma esset præstantissima, adulterij rea arguebatur. quam famam ut deuitaret, puerum secum ex patria adductum opposuit delatori giganti: qui hunc etiam succiso poplite prostrauit. Nauclerus Gen. 35. Reginherus, qui se cum alijs à Cæsare incitatum precibus, præmijs & minis dixerat, ut Rudolphum Sueuię & Bertholdum Carinthiæ duces obtruncaret, ante dictum diem, quo Vlricus de Cosheim commentum monomachia amoliri proposuerat, à diabolo abreptus, horrenda morte perijt, anno 1074. Schafnaburgensis.

Communione. Sibecho Spirensis pontifex, in synodo Moguntinensi, de criminibus, quorum agebatur reus, communione se purgauit. Chronicon Hirsaugiense. Et Hildebrandus pontifex, cum Simoniæ redargueretur, coram omnib. inter Missarum solennia se purgaturus inquit: Ne humano potius, quàm diuino, niti uidear testimonio, ut satisfactionis compendio omnem omnibus scandali scrupulum de medio auferam, ecce corpus Dominicum, quod sumpturus sum, in experimentum mihi ho die fiat innocentiæ meæ, ut omnipotens Deus suo me hodie iudicio uel absoluat obiecti criminis suspicione, si innocens sum: uel subitanea interimat morte, si reus. Schafnaburgensis.

CAPVT VII.

DE POLITIA ET GVbernatione Ecclesiæ.

QVemadmodum Imperator unus, summa autoritate & potestate, in Romano regno politicè excellebat, iusq; publicè administrabat: ita præsul Romanus quoque unus, res Ecclesiæ non modò intra Romani Imperij terminos, uerùm etiam extra, in uniuerso terrarum orbe gubernare præsumebat, autoritate multò sublimiori, potestateque longè austeriore quàm Cæsarea. Imò eò audaciæ iam processerant Papacæsares Romani, ut unum pedem in templo, alterum uerò in curia tenerent: & quasi perpetui Dictatores, ipsis Cæsaribus, Regibus ac Principibus terræ, leges atque sententias dictarent, quid uellent fieri. Neq; uerò bruta emittebant fulmina: sed tam firmis uinculis suam hanc libidinosam dominationem constrinxerant, ut non tantum ciuitates, sed regiones, nationes, regna, imò totum etiam Romanum imperium possent concitare, sursumque ac deorsum turbare, donec suis uoluntatib. summorum hominum supplicationibus, & adorationibus monstrorum istorum teterrimorum, esset abunde satisfactum. Nec potuit unquam ipsorum ambitio, in augenda potentia mundana, exaturari. Capitis aũt mores omnia membra secuta sunt. Nam episcopi, & reliquum canonicorum sacrificulorum & monachorum uulgus, plus bonis temporalibus administrandis, & mundano splendori atque potentiæ studebant, quàm doctrinæ aut cultibus diuinis. Operæprecium itaq; est spectare gubernationis Ecclesiasticæ formam, innumeris Antichristi notis conspicuam: quam tunc lectori ob oculos proponimus.

DE PERSONIS.

ECclesiæ ministros elegerunt, uocarunt ac confirmarunt, tum politici, tum Ecclesiastici homines. ut:

Imperatores. Brunonem enim episcopum Tullensem, designat Romanorũ pontificem, Heinricus Tertius. Isq; continuò, deducentibus iussu Imperatoris, Hugone episcopo nuncio Romano, Eberhardo Treuerum, Adelberone Mediomatricum, Theodorico Viridunensi pontifice, Romã se confert. Idem Imperator Heinricum Rauennæ archimystam, Brixiæ Echardum, Veronæ (post Vualtherum) Diethboldum, Tridentinis mortuo Vlrico Hattonem, episcopos creat ac tribuit. Auentinus lib. 5 Annalium. Nicolaus Tertius, qui anno salutis Christiana millesimo undesexagesimo, mense Aprili, indictione XII (quòd ambitus letalis Romæ inualuerat, quèadmodum in iure pontificio refertur) lege sanxit, ut defuncto primario mundi pastore, primò flamines, deinde cæteri sacerdotes, Senatus populusque Romanus coëant, in communeq; de animarum parente deligendo consultent: saluo tamen, inquit, debito honore & reuerentia dilecti filij nostri Heinrici, qui in præsentia rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente speratur. Ibidem. Anno 1070, Vuolframo Taurisiorum episcopo defuncto idem Imperator in locum eius Azilonem substituit: Harduuico Veronensi autẽ Hussuartum. Huic paulo pòst è rebus humanis sublato Brunonem, in Rauennatensi uerò Ecclesia Heinricum surrogauit. Fruxinensibus, post Angelbertum, Meginhardum dedit episcopum. Item: Inter hæc defertis gregibus, pastores dat Imperator: Bathauiæ Hermannum, Iuuauensibus Berchtoldum, Meginhardum Vuürtzburgio præfi-cit. Ibidem. Heinricus Viridunensis canonicus, intercedente Gozelone duce, Leodiensibus ab Imperatore datur episcopus. Lambertus.

Clerus & populus. Mortuo enim Alexandro, substituitur à Senatu, populo & sacerdotibus Romanis, Hildebrandus, qui & Gregorius septimus dictus est. Isq; statim præsidi Italiæ Cæsario, se lectum, literis aperit. Auentinus libro quinto Annalium. Post Amonis Coloniẽsis episcopi obitum, ad eligendum sibi antistitem clerus & populus frequens confluxit. Atque cum, iis inuitis, Hildolfum intrudere uellet Imperator, re infecta discessum est. Lambertus. Schafnaburg.

Alij per uim intrusi sunt, aut se ipsos collocarunt in sedes. Benedictum enim decimum, factio nobilium intrusit. Platina. Nord-

Nordmanni quibusdam Romanis auro sibi conciliatis, Anshelmum Lucæ urbis Tuscorum episcopum, ante consecrationem Honorij, pontificatui maximo imponunt, ii Romam ducunt, moxq; inaugurant, Alexandrum Secundum nuncupant. Honorius igitur excluſus Roma, quã iam alius occuparat, ingenti pecunia Augustam in Germaniã redit: purpuratos pecunia sibi placare, aulicos cunctos auro ambire non cessat, donec Cæsar ei (ut tum mos erat) mitram, pedum, siue lituum traderet. Quidam etiam Romani, sublata furto aurea cruce, cæterisq; pontificalibus insignibus surreptis, quæ episcopo Romano præferri solebant, ad illum pertulerunt: quib. ipse usus, pontificem quoq; se primarium duxit. Auentinus libro quinto Annalium. Vigoldus Hildebrandinus, capta à Vuelphone Augusta, inuitis ciuibus episcopus imponitur. Auentinus ibidem.

Alij fraudibus, eam dignitatem sibi comparârunt. Gregorius Sextus partim pecunia, partim fraude adeptus erat pontificatum. Ideo ab Henrico Tertio deponitur. Platina sic de his temporibus scribit: Videbat Imperator eò licentiæ factiosum quenque & potentem, quamuis ignobilem, deuenisse, ut corruptis suffragijs tantam dignitatem consequerentur: quæ certè, nisi sanctitate & doctrina bene meritis, uolente Deo, demandari cupiam non deberet.

Alij pecunia. Syluester enim Tertius, largitionibus impetrauit pontificatum Romanum. Gregorius Sextus emit pontificatũ à Benedicto Nono. unde Platina inquit: Eò enim tũ pontificatus deuenerat, ut qui plus largitionibus & ambitione, non dico sanctitate uitæ & doctrina, ualeret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis obtineret. quem morem utinam aliquando non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parum est, peiora (ni Deus caueat) uisuri aliquãdo sumus. Ad Syluestrum redeo, cardinalem Sabinum, pontificem creatum, non dico à collegio patrũ, quod tolerabilius fuisset, sed largitione, ut quidam tradunt. Quo quidem pulso, ac meritò, cum non per ostium, sed per posticum intrasset ut fur & latro: Benedictus denuò restituitur, tumultuãte Vrbe, & nunc unum, nunc alium appetente. quod fieri ab his populis consueuit, qui duce & rectore carent, quique malos pluris quàm bonos faciunt. Hæc Palatina. Eadem Ioannes Stella refert. Imò & Benedictus Nonus, ut Sigebertus scribit, Simoniacè intrauerat. Stephano Nono è rebus humanis sublato, Ioannes quidam admodum diues, corruptis quibusdam Romanis pecunia, absque autoritate Cæsaris, principumque imperij, pontificatum maximum occupat: Benedictum Decimum se appellat. Auentinus libro quinto. Hermannus Bambergensis, episcopatus dignitatem inæstimabili auri & argenti pondere mercatur. Lambertus. Schafnab.

Plerique hoc anno, millesimo septuagesimo, scilicet, antistites monachorum, & episcopi, nempe Sigebertus Hildesheimensis, Carolus Constantiensis, Episcopi: Rupertus, Luitpoldus, atque Luitpertus, præsides Augienses, præsidente Cæsare, quod candidati munere Suffragatores parauerant, ambitus condemnati, sacerdotijs atque dignitate exciderunt. Auctinus quinto Annalium.

Nicolaus Secundus, in Lateranensi Concilio hoc decretum sanciuit, quod in decretis extat: Si quis pecunia, uel gratia humana, aut populari, militari'ue tumultu, sine concordi & canonica electione Cardinalium, fuerit in throno Petri collocatus, is non Apostolicus, sed apostaticus: id est, à ratione deficiens, meritò uocetur: liceatque cardinalibus, clericis & laicis Deum colentibus, illum ut prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à sede Apostolica propellere: atque quouis in loco, si in urbe nõ liceat, catholicos huiusce rei causa congregare. Platina.

De Henrico Goslarienſi canonico, qui in Spirensi cathedra Einhardo succesit, in hunc modum scribit Lambertus: Tantæ dignitati uix dum per ætatem maturus, & nõ tam electione principum ad hanc prouectus, quàm indulgentia regis, cui in puerili ætate fuerat familiarissimè assentatus.

¶ Ipsæ aut 'personæ, delectæ & cooptatæ in numerum episcoporum, sunt:

Ex nobilibus. Gebhardus enim comes ab Hirsberg, episcopus Eichstetensis, pòst in Romanũ electus pontificem, Victoris Secundi nomen accepit. Hermannus Luitolfi Charionum ducis filius, Bathauię: Berchtoldus Mosburgensis princeps, Iuuauiæ episcopi fuêre. Auentinus libro quinto Annalium.

Ex monachis. Bardonem enim & Sigfridum, Fuldẽsium monachorum abbates, ad Moguntinam sedem euectos, scribit Vrsperg. Muntzer. Arnoldus abbas Hirsfeldensis, fit episcopus Padelbornæ. Lambertus. Adelhero monachus S. Galli monstrosus, fit Vuormacienſis episcopus. Idem.

Ex sacerdotibus. Achelnotus enim ex decano Cantuarienſis eccleſiæ, fit ibidem episcopus. Balæus Cent. 2. script. Britanniæ, cap. quadragesimosexto. Anno Goslarienſis

lariēsis præpositus, Coloniæ post Hermannum in archiepiscopum surrogatur. Lambertus. Pontificatum Eichstetensem, quem Victor tenuerat, autoritate Quarti Heinrici Gnuzo domesticus sacerdos sortitus est. Conradus Phullingensis præpositus in ecclesia Colonien si, ab Heinrico Quarto Traiecti designatur episcopus. Heinricus Goslarien sis canonicus, ab Imperatore Spiren sis creatur episcopus. Auentinus lib. 5 Annalium. Cuno Colonien sis præpositus, Treuirorum archiepiscopatum post Eberhardum sortitus legitur apud Lambertum. Benno Goslariæ canonicus, ad episcopatū conscendit. Ibidem.

Ex laicis. Haruico, cancellario suo, Henricus Tertius pontificatum Bambergēsem tradit. Gotsboldum, magistrum epistolarum, idem Aquileien sem nuncupat patriarcham. Bambergen sem episcopatum Gunthero scrinij magistro, Heinricus Quartus demandauit. Et Baldingo Salisburgen si, idem Gebhardum scribam suum substituit. Aliquanto pòst, Rabingerio Aquileien si patriarchæ, Sighardum epistolarum magistrū successorem designat. Auentinus lib. quinto Annalium. Huic uicissim Bibonem cancellarium, ut Lambertus refert. Burchardus Moguntini Camerarius, Basileæ ordinatur episcopus, anno millesimo septuagesimosecundo. Idem.

Fuerunt autem coniugati sacerdotes in Anglia, quos Paparum mancipia uehementer sunt persecuta. Sic Anshelmus ad priorem Ernulphum scribit Lugduno, ubi in exilio spōtaneo erat: De presbyteris, de quibus rex præcepit, ut & Ecclesias & fœminas habeant, sicut et tempore patris sui & Lanfranci archiepiscopi habuerunt: & quia rex me resarsiuit de toto archiepiscopatu, & quia tempore patris eius & eiusdem archiepiscopi in concilio prohibitum est tam execrabile cōiugium: fiducialiter ea, quam ex archiepiscopatu habeo, autoritate præcipio, non solum in archiepiscopatu, sed etiam per totam Angliam, ut omnes sacerdotes qui fœminas tenuerint, Ecclesijs, & omni Ecclesiastico beneficio priuentur. Hic aūt nō respicit uerbum Dei Anshelmus. Itē: Sacerdotes illa tempestate, sub Quarto nimirum Heinrico, publicè uxores, sicut cæteri Christiani, habebant, filios procreabant: sicuti in instrumentis donationum, quæ illi templis, mystis, monachis fecêre, ubi hæ nominatim cum coniugibus testes citantur, & honesto uocabulo presbyterissæ nuncupantur, inuenio. Auentinus libro 5 Annalium. Imò patet ex historijs, hoc seculo sacerdotes passim in Italia, Gallia, Germania, &c. habuisse legitimas uxores.

DE GRADIBVS *personarum.*

Hoc seculo, ut historici annotant, Cardinalium nomen in usu, seu (ut Balæus ex Ioanne Baconthorpio refert) in precio haberi cœpit. Porrò fuerunt &

Patriarchæ. Gotsboldum enim Aquileien sem designauit patriarcham Heinricus Tertius. Auentinus quinto Annalium. Rauenger quoque patriarcha Aquileien sis fuit. Lambert.

Archiepiscopi. Quæ quidem appellatio in frequentissimo est usu.

Archidiaconi. Friderici enim cuiusdam archidiaconi, Romani pontificis legati meminit Lambertus Schafnaburgen sis sub annum millesimum quinquagesimum quartum.

Archipresbyteri appellatio, apud eundem extat.

Presbyteri. Leo Nonus dignioribus & honestioribus ecclesiæ Bambergen sis presbyteris & diaconis, mitræ usum concessit. Chron. Bamberg.

Capellani. Altmannus, capellanus Imperatricis, Bathauien sis designatur episcopus. Lamb. Schaf.

Diaconi. Humbertus Moguntinus quidam diaconus, apud Vrspergen sem celebris habetur.

Subdiaconi & Lectoris, meminit Albertus Crantzius libro 4, cap. 45 Metropolis. Plurium graduum in Platina fit mentio.

Nos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, clerici, acolythi, subdiaconi, præsentibus episcopis, abbatibus, eligimus Hildebrandum in uerum Christi (imò diaboli) uicarium. Platina.

Clerici seculares. Comes quidam in monasterium Hirsaugien se profligatis monachis, clericos seculares introducit. Chron. Hirsaug. Guntherus Bambergen sis episcopus, uersus orientalem plagam pro canonicis secularibus Ecclesiam constructit. Chrō. Bambergen se.

DE RATIONE GV. *bernationis.*

TRadiderunt doctrinam. Eccelinum enim, octauum Mersburgen sium episcopum, fuisse uirum doctum, & pro concione plebem sibi commissam fideliter docuisse, in Chronico Mersburgen si lib. 2, cap. 11 annotatur. Bardonem Moguntinum antistitem, post Missarum solennia sermone ad populum habito, obitum suum prædixisse, Anno 1051 Lambertus refert. Adelbertum Bremen sem die quodam Paschæ, debitam tantæ festiuitati cōcionem habuisse, idem testatur.

Falsa de-

Falsa dogmata confutarunt. Hæresin, patrem & Spiritum sanctum cum Filio incarnatum asserentium, Anshelmus abbas refutauit. Idē etiam contra Grecos, de processiōe Spiritus sancti libellum composuit: ut Dodechinus historiæ Mariani Scoti continuator refert, sub annum millesimum nonagesimum quartum.

Libros quoq; composuerunt, ut suo nobis loco dicendum erit.

Ad bonos mores hortati sunt. Annonem Colonienſis archiepiscopus, die Georgio martyri sacro celebrata Missarum solennitate apud beatum Georgium, cum sermonē faceret ad populū, præsagio quodā futurorum, nescius ipse mali quod imminebat, contestatus fuerat audientibus, quòd ciuitas diabolo in potestatem tradita esset, & propediem peritura, nisi iamiam impendentem iram Dei per pœnitentiam inflecterent maturarent. Lambertus Schafnaburgensis.

Vitia & peccata grauiter & liberè arguebant. Boleslai sæuitiam & adulterium, grauī oratione reprehendit Stanislaus Cracouiensis episcopus. Peccata, inquiens per se esse maxima: longè tamen maiora in rege, quàm in priuato homine: cùm ea quoque quæ in alijs leuia sint, in eo qui loco & honore eminet, grauissima esse uideantur, præterea quòd ultro hominum sese oculis ingerant, & plurimos secum malo exemplo in præceps detrahant. Quo sublimior sit, & fortunatior, hoc maiore uitæ puritate & innocentia eum niti, Deique beneficentiam agnoscere oportere. Ni faceret, metueret, ne diuina ultione de summo gradu in imum deturbaretur: neque denique falsas & momentaneas uoluptates, diris sempiternisq; cruciatibus commutaret. Cromerus libro quarto de rebus Polonorum. Philippum Franciæ regem, Vrbanus Secundus, quòd uiuente coniuge aliam sibi matrimonio iunxerat, grauiter obiurgat. Ioannes de oppido. Libera Annonis in corripiendis ijs qui malè agerent, seueritas, omnium ore celebratur. Lambertus Schafnaburgensis.

Baptizabant. Heinricum, qui pòst Imperator factus, Quarti nomen sortitus est, Coloniæ baptismate tinxit Hermannus archiepiscopus, Anno 1052. Lambert. Schafnaburgensis. Conradum Heinrici filium, in Hirsfeldensi cœnobio Ezzo Aldenburgensis episcopus baptizauit, Anno 1074. Ibidem.

Ministros examinabant & ordinabant. Dago enim Magdeburgēsis, præsente Heinrico Secundo Imperatore, Vuigbertum, & post hunc Dithmarum, Mersburgi consecrauit episcopum. Chron. Mersb. libro secundo, capite sexto & septimo. Bruno, eiusdem Ecclesiæ episcopus ordinatur à Gerone Magdeburgensi. Ibidem, cap. 8. Vuilhelmus Traiecti episcopus, iussu Imperatoris, Moguntinis Hildolfum consecrat episcopum. Lambertus Schaf.

Pauperum curam habebant. Libentius secundus Hamburgensis archiepiscopus, pauperum cura antecessores suos facilè superauit omnes. Metropolis Crantzij libro quarto, capite undecimo. Eccelinum supra modum commendat Chron. Magdeburgense, ob liberalitatem: præsertim erga studiosos, quorum plures aluit ob cantum in Ecclesia. Indeq; Choralium nomen ortum putatur. lib. 2, cap. 11. Magna Amonis Coloniēsis in pauperes liberalitas fuit. Lambertus Schaf.

Causas matrimoniales dijudicabant. Vrbanus enim Secundus Philippo Frācorum regi sacris interdixit, quòd Bertha legitima coniuge spreta, Bertrandam in delicijs haberet. Quo tamen fulmine territus rex, Bertham recepit. Rob. Gaguinus libro sexto. Et Maugerius Rothomagi archiepiscopus, Gulielmum Angliæ regem cum coniuge Mathilde, ab Ecclesiæ consortio remouit: quòd in matrimonio cōtrahendo nulla sanguinis habita esset ratio. Erant enim genere propinqui: ut Polydorus libro nono indicat.

Monasteria, templa, scholas gubernabant & uisitabant. Duo monachorum contubernia, Heinricus Imperator instituit, quorum alterum Alberto Bremensi regendum dedit. Crantzius libro quarto, ca. 43 Saxoniæ. Idem episcopus & Lauriſſam & Corbeiam cœnobia suæ ditioni adiecit. Idem libro quarto, capite quadragesimo primo Metrop.

Bono exemplo præbāt. Eccelinus Mersburgensis uitæ sanctimonia insignis, cæteris etiam canonicis concubinarum cohabitatione interdixit. Chronicon Mersburgense lib. 2, cap. 11.

Principes officij cōmonefaciebant. Anshelmus Cātuarienſis archiepiscopus, unus omniū ad salutē uigilans, uicemq; patriæ incredibiliter dolens, ausus est principem Guilhelmum Rufum admonere, ut tādem aliquando manum ab alieno abstineret: illudq; recordaretur, regis in primis esse, rēpublicā, bona, fortunas ciuium tueri, defendere & conseruare. Polydorus Vergilius libro decimo Anglicæ historiæ. Conradus dux Boiorum, eiusque amici maximè auariciæ & iniusticiæ dediti, uenalia omnia

mnia habebant: contra diuinas humanasque leges, ab his quos iure suo gratis tutari, quibus gratis iusticiam administrare debuerant, munera captabant: uiduas, pupillos, ciues, agricolas, pauperes, inopes, aulici mures compilabant. Conradus enim illorum querelas nec audiebat, nec negotia cognoscebat: cuncta ad prætores relegabat. Qui largiebantur, Principem possidebant: cæteris aditus præcludebatur, imò ne aspicere quidem nisi procul licebat. Gebhardus Ratisponensis episcopus, Conradum molestè officij sui admonet. Docet principis munus esse, magis dandis quàm accipiendis beneficijs amicitias quærere, Imperiumq; administrare: patriam, parentes armis tegere: uitæ pericula propellere, sapientia reipub. consulere: augere, conseruare iusticiam, libertatem ciuium: inopes ab iniuria potentum uindicare, pauperibus auxilium ferre, hos à seruitute diuitum in libertatem asserere. Hæc boni præsidis esse uirtutes, Gebhardus commemorat: aliter superbam dominationem esse asseuerat. Auentinus libro quinto Annalium.

Ab iniustis conatibus eos dehortabantur. Pontifices enim Vngarici, Petrum regem iniquius tractantem Gisalam, D. Stephani uiduam, acriter increpant. Auentinus lib. 5 Annalium. Heinricum regem diuortium molientem, retrahit Petrus Damianus, Romanæ sedis legatus, in Moguntina quadam Synodo. Lambertus Schafnaburgensis.

Coronabant reges. Quarto ætatis anno, Heinricum ab Hermanno regem Aquisgrani inunctum, scribit Lambertus. Verùm Auentinus, à Piligrino Colonienſi, cum duo decimum iam ageret annum regius filius, id factum asserit libro 5 Annalium. Dux Polonorum, ipso die natalis Domini à decem & quinq; episcopis in regem consecratur, Anno 1077. Lambertus Schafnaburgensis.

PECCATA GVBERNATORVM *Ecclesiæ.*

EX una sede in aliam commigrabant. Meginhardus Hildesheimẽsis abbas, interueniente pecunia, Augiensi abbatia potitus est, Anno 1069. Lamb. Schaf.

Negligebant officiũ docendi. Nam magis arma tractare hoc seculo cõsueuerũt, quàm Biblia: imò pleriq; tristissimorum motuũ autores & faces extitêre, ut ex historia Heinrici patet, ubi primarij ferè Germaniæ episcopi, ut Sigfridus Moguntinus, Adelbertus Vuormacienſis, Adelbertus Herbipoleos, Gebhardus Saltzburgenſis, alijq; quam plures, imò ipsi Romani Pontifices Imperatori rebelles extitêre. Vrspergenſis.

Curiosis aut impijs studijs dediti erant. Sic Constantinopolitanus patriarcha, suo Imperatori superbia non cedebat, sed imperare illi uolebat: ac si quando non impetrasset ea quæ petierat, ægrè ferebat, increpabat: deniq; minabatur, quemadmodum Imperium illi contulisset, ita se illi uicissim erepturum. Zonaras tom. 3 Annalium. Canonicorum congregationes duas, monachorum uerò tres, Coloniæ instituit Anno: sumptis ex Italiæ quodam cœnobio, Fructuaria nomine, quò oratiõis gratia diuertirat, monachis, eas repleuit. Lambertus. Albertus Bremenſis archiepiscopus, omnes suæ parochiæ comitatus, qui in sua diœcesi aliquâ iurisdictionem habere uidebantur, in potestatem Ecclesiæ redigere statuit. Ac primùm, de Findgoe comitatum à rege impetrauit. Ab Vtone suum comitatum redemit mille argenti libris, singulis annis numerandis. Pro tertio Phrisiæ comitatu, qui dicitur Enusgoe, mille argenti libras regi pactus est. Sed infelix hic fuit contractus. thesauri enim Ecclesiæ in nihilum ferè sunt redacti. Metropolis Crantzij libro quarto, cap. 41.

Interineptias episcoporum referendum est & hoc, quòd Gothardus Hildesianus, cum mensę assidens, Meinuuercum è rebus humanis exemptum audisset, utraque manu panẽ, qui appositus erat, album apprehendit: O benedicte, inquiens, Meinuuercę, cùm te albus panis à communi more non potuerit liberare: ego, quamdiu superstes ero, de albo pane nunquam gustabo. Quod suũ uotum strictè seruauit. Chronicõ Cosmidromij.

Superstitiones augebant. Sub annum Salutis millesimum sexagesimumtertium, Sigfridus archimysta Moguntinus, Vuilhelmus Traiectenſis, Otto Reginoburgenſis, Guntherus Bambergæ, Alemannus Augustæ à sacris, cum multis alijs Boiorum proceribus, maximo cum periculo uitæ Palestinam inuisunt. Auentinus libro quinto Annalium. Chronicon Bambergense. Meinuuercus Padebornenſis, in sua diœcesi festum Bonifacij & septem fratrum instituit. Chronicon Cosmidromij.

Monasteria, templa, &c. consecrabant. Maior Bambergenſis ecclesia, ab Eberhardo, primo eius sedis antistite, consecrata est. Goslariana ab Hermanno Colonienſi archiepiscopo, Schafnaburgenſi testante. Meinfredus, seu Hunfredus Magdeburgenſis archiepiscopus, duorum collegiorum autor, alterum Petri, alterum Nicolai

colai demandauit patrocinio. Crantzius libro quarto, capite uigesimonono. Bardo Moguntinus, quoddam S. Martino in sua diœcesi consecrauit monasterium, Anno millesimo trigesimoseptimo. Marianus Scotus. Guntherus Bambergẽsis pietatis documentum editurus, in honorem beatæ Mariæ & Gangolfi, ecclesiam quandam in Trieristad extruxit. Chron. Bãbergense. Adelberonis Herbipoleos episcopi ministerio, Suartzachense dedicatur monasterium, in honorem beatæ Mariæ Deiparæ, & sancti Felicitatis martyris, anno millesimo septuagesimotertio. Vrspergensis. Meinuuercus maiorem Padelbornę ecclesiam sacris initiauit. Chronicon Cosmidromij.

Visiones & somnia magnificiebant. In regni fastigium sublatus Conradus rex, Brunonis Augustani episcopi importunis precibus pollicitisque, amplissimum Bambergensem episcopatum destruere conabatur. Locus igitur & tempus conuentui statuitur, ubi hæc res ad certum perducatur finem. Nocte uerò quæ diem proximè præcesserat, in qua hæc uentilanda erant, Eberhardus episcopus ad tentorium prædicti Brunonis clàm accessit, lectoque eius assidens, multa super hac re monendo, obsecrando, memoriam fratris animo inculcando, cum eodem sollicitus egit. Qui ubi iam multa noctis hora transacta recesserat, & episcopum pro auditis sollicitatum somnus oppresserat, uisus est ei frater suus Imperator Heinricus lecto suo astare, faciemque suam barba ex una parte depilata turpatam obiectare. Cui super hac re stupenti & admiranti, ac quis tam temerarios ausus in eum præsumeret interroganti: Tu, ait, hæc feciſti, qui me & sanctos Dei, quos rebus à Deo mihi concessis, dotaui, despoliare disposuisti. Caue iam ulterius ab hac temeritate, ne incepta luas magnainfelicitate. Ad hæc ille expergefactus, ac uisione ista non parum perterritus, membrorum quoque horrore ac tremore non leuiter est correptus.

Mane autem facto, cum diu expectatus, ad conuentum procerum non ueniret, regina pro filio sollicita, nuncijs missis obnixè rogauit, ut aduenies promissa perficeret. Ille uerò affirmabat, se tanta infirmitate grauari, ut nec de lecto surgere, nec pedem posset quóquam mouere. Cumque rogaretur, ut in lecto ad conuentum deportari se pateretur, quò uel sic promisso perficeretur, omnino denegauit: seq; in Deum & in sanctos eius, & in fratrem suum peccasse, libera tandem uoce proclamauit. Vrspergensis.

Missificabant. Sigfridus enim Rudolphum regem inuncturus, sacrificium seu missam peregit. Auentinus libro quinto Annalium. Vuigoldus ui Augustanis datus per Vuelphonem episcopus, postridie cum urbem ingressus esset, licet homicidio pollutus, sacrificat. Ibidem. Die Paschæ Missarum solennia Adelbertum archiepiscopum Bremæ peregisse, ac dum sacrificaret Deo hostiam immolaret, in lachrymas erupisse, Lambertus Schafnaburgensis narrat.

Bucco Halberstadiensis episcopus, in quo totius Saxonici contra Imperatorem belli summa & cardo uertebatur, ad Vngaros iussu Imperatoris exulatum abiens, è naui qua uehebatur egressus, in sacello quodam littori propinquo, die Ioãnis Baptistæ sacro, Missam peregit. Lambertus. Gothardus Hildesianus, pro salute animæ defuncti Meinuuerci Padelbornensis episcopi Missam celebrauit. Chronicon Cosmidromij. Sic omnia sunt plena superstitionibus.

Excommunicatione uariè abutebantur. Aut uindictæ gratia eam usurpabant: ut docet Hildebrandi contra Imperatorem, eiusque partibus fauentes, historia. Moguntinus archiepiscopus principes Thuringiæ, nec canonicè ad Synodum uocatos, nec synodali audientia secundum Ecclesiasticas leges discussos, præcipiti sententia excommunicauit: ea scilicet causa, quòd eum anno priore Erfordiæ, quum ad exigendas decimas assedisset, districtis gladijs intra Ecclesiam impetijssent. Et ne quis ei fortè hoc crimini daret, quòd contra canones, miseros homines, tam inexplicabilibus negotijs ad præsens implicitos, tam iniquo tempore adortus fuisset, quando tantis undique bellorum procellis iactati, non causis dicendis uacare, sed uitam suam fuga uel armis seruare necesse haberent, ait: A' Romano pontifice sibi hoc permissum esse, ut absq; legitimis inducijs, absque legitima discussione (ecce Romanum pontificem) die quo sibi occurreret, eos iusto anathemate ab Ecclesia rescinderet. Nullum tamen sapientem latêre potuit, quónam potissimùm spectaret hoc factum: eò scilicet, ut exercitus regis promptior deinceps, fidentiorque aduersum eos bellum gereret, de quorum occisione, si post excommunicationem occisi fuissent, putaret se nec peccatis obnoxium fore, nec pœnis quas leges Ecclesiasticę statuunt homicidis. Lambertus Schafnaburgensis, Anno millesimo septuagesimoquarto.

Aut pacis corporalis gratia. Nordmannos enim per Campaniam, Apuliam, Calabriã, finitimasq; regiones debacchãtes,

Alexander Romanus deuouet. Auentinus libro quinto Annalium. Quintium Romanæ urbis præfectum, in Romanæ ecclesiæ possessiones sæuientem, Hildebrandus suo fulmine petijt. Lamb. Schafnaburgensis.

Matrimonia pro arbitrio dissoluebant, aut iungebant. Frustra enim in Synodo Moguntina archiepiscopus, autoritate & fulmine Romani pontificis, clericos uxoribus priuare conatur: imò parum aberat, quin eorum manibus interemptus fuisset. Lambertus Schafnaburgensis. Mathildis ab Azone Estensi, quòd is priori marito suo Bonifacio, sanguinis gradu tertio iunctus esset, autoritate põtificis discedere iussa est. Crãtzius libro quinto, capite octauo & decimo tertio Saxonię.

Iurisdictionem politicam administrabant. Conradus enim Imperator, cum Filium Heinricum impuberem ducatu Bauariæ donaret, curatores, tutoresque ei adduntur Angelbertus Fruxinensis & Bruno Augustanus episcopi. Auentinus libro quinto Annal.

Sequebantur aulas. Colonienſis enim cum Ottone duce Bauariæ, aulam seu regnum Heinrici Quarti gubernãt. Schafnaburgẽsis. Heinrici Augustani episcopi opera & consilio in regni administratione usa est Heinrici Quarti mater, post coniugis sui obitũ. Id uerò indignè ferẽtes alij tũ politici, tũ Ecclesiastici uiri, clàm surreptũ à matre regẽ infantem, nauigio abducunt Coloniam, eiusq; rei autor putabatur archiepiscopus. Verùm criminantibus plurimis, quòd regia Maiestas uiolata, suique impos facta foret: episcopus ut inuidiam facti mitigaret, ne uidelicet priuatæ gloriæ potius, quàm communis commodi ratione hęc ad mississe uideretur, statuit, ut episcopus quilibet, in cuius diœcesi rex tunc temporis moraretur, ne quid detrimenti respublica pateretur, prouideret: & causis, quæ ad regem delatæ fuissent, potissimùm responderet. Schafnaburgensis. Et aliquanto pòst idem ait: Educatio regis, atq; ordinatio omnium rerum publicarum, penes episcopos erat, eminebatque inter eos Moguntini & Colonienſis archiepiscoporum autoritas. A quibus cum in partem consilij Adelbertus Bremensis archiepiscopus assumptus fuisset, tum propter claritatem generis, tum propter ætatis atque archiepiscopatus prærogatiuam, ille sæpius colloquẽdo, obsequendo etiam, atque assentando, ita sibi regem breui deuinxerat, ut cæteris episcopis posthabitis, totus in eum inclinaret, & ipse in regno communi penè monarchiam usurpare uideretur. Secundas post eum partes agebat Vuerenher comes, iuuenis, tam ingenio quàm ætatæ ferox. Hi duo pro rege imperitabant. Tandem exclusо Bremensi, rerum publicarum administratio ad cæteros episcopos redijt, ut singuli suis uicibus, quid regi facto opus esset, consulerent. Item, Epponis Citicensis & Bennonis Ossenburgensis episcoporum consilio, & prius tranquilla & tunc turbata republica, omnia faciebat Imperator. Ibidem.

Fidem Imperatoribus non seruabant. Nam Mediolanenses, autoribus Placentino, Cremonensi, Vercellensi, Mediolanensi episcopis, Imperatori Heinrico Quarto rebellant. Auentinus libro quinto Annalium. Coniurationis contra Imperatorem hosce episcopos socios commemorat Lambertus: Vuezelum Magdeburgensem archiepiscopum, Bucconem Halberstadiensem, Hezel Hildesheimensem, Vuermerum Mersburgensem, Filbertum Mindenſem, Immet Paderbrunensem, Fridericum Mimegardefurdensem, Bennonem Misnensem episcopos. In primis uerò Halberstadianum & Otthonem Boiariæ ducem, primarios tantorum apud Saxones motuum autores fuisse prodit. Cum Rudolphum regem inunxisset, Sigbertus Moguntinus, ciues correptis armis, utrumq; tanquam perfidos, fidei ac Cæsaris deserto res proditoresque urbe exigere conantur. Auentinus libro quinto Annalium. Adalberoni Herbipoleos, Gebhardo Iuuauensium, Altmanno Bathauensium episcopis, licet comitijs hostilibus interfuerant, gratiam facit Imperator: eosdem ad desertas oues redire iubet, pascere gregem creditum suo iure imperat. At illi, tantum abfuit ut rectè monenti, pacemque ultrò offerenti obtemperarint, ut ea quæ summa tranquillitate pace Cæsaris, citra sanguinem retinere licebat, multa cæde, cruore omnium, clade, rapina miseri gregis, sceleribus pluribus emere maluerint: & Cæsarem ne uidere quidem à longè nedum salutare uoluerint: tanta pertinacia partium fuit. Auentinus. Sigfridus Moguntinus ex fuga retractus, cum iam in crucem ageretur, clementia Cæsaris superuenientis ab immi nenti nece liberatus est. Vuernerus Merseburgensis episcopus, Cæsaris itidem pietate patibulum euasit. Ambobus abeundi copia facta, ipsi se rursus ad Rudolphum contulêre. Neminem, nisi qui prælio ceciderant, Cæsar occidi permisit: quem quidem Albertus Vangionum pontifex ne aspicere quidem uoluit: proinde arcta cu-

da custodia asseruari iussus. ibidem. In orientali Boiaria Luitpoldus, Austriaci limitis præfectus, suasu Altmãni episcopi Bathauiensis, res nouas molitur, rebellionem facit.ibidem.

Bella gerebant episcopi. Vuernherus Argentinę episcopus cum Alemannis contra Burgundiones pugnauit,& uicit,anno Domini 1019. Vrlpergensis. Moguntinus, tuba belli in Thuringos suscipiendi extitit. Lãbertus.Hildesheimẽsis episcopi,& Regis milites,armis cõcurrunt.Ibidẽ. Vuesilo Magdeburgensis,regi rebellis, in prælio cecidit. Krantzius lib.5.cap.7 Metropolis. Hugo Podiensis episcopus,& Petrus Eremita,sacræ illius expeditionis quæ hoc seculo accidit, nõ postremi fuêre duces.Polydorus Virgilius libro 10. Sigfridus Moguntinus,Bernhardus Magdeburgicus, & Vuernherus Mersburgẽsis,primo interfuêre prælio cõtra Henricum Imperatorem. Chronicon Magdeburgense lib.2, cap. 14. Lausanus episcopus, lanceam Imperatori præferens,trucidatus: Liemarus uerò captus,urtã multo auro redemit.Crantzius libro 5, cap. 12 Saxoniæ. Gebhardus Ratisbonẽsium episcopus,Hẽrici Tertij patruus,cum copijs pontificum,mystarũ, præsulum atque monachorum Boiariæ,Vngariam perit.Auentinus lib. 5. Eundem pontificem atque ducem Boiorum, quos inter cruentum uigebat bellum,ab armis discedere iubent Heinricus & Leo Nõus:illisque dicunt, Item Eppo Citissæ episcopus, cum multis alijs ducibus, contra Belam, Vngariam affligentem, magno cum exercitu ab Imperatore Heinrico committuntur.

Bernhardus Magdeburgensis archimysta, author belli ciuilis, à popularibus inter fugiendam occisus est. Auentinus libro quinto Annal. Saxones bello petiturus Impetrator, tantum conscripsit exercitum, quantum uix nullus Imperatorum prioribus seculis habuisse scribitur. Quicquid enim in regno episcoporum erat, quicquid ducum, quicquid comitum, quicquid ecclesiasticarum dignitatum, quicquid secularium, omnes summa ui, summa ope in hoc bellum emissi conuenerant. Ac licet Colonienſis & Leodiensis sese subtrahere uidebãtur:milites tamen amplissimo numero submini-strabant. Nec abbas Fuldensis, claudus, & paralysi ferè dissolutus, immunis fuit. Lambertus Schafnaburgensis.

Bonis Ecclesiæ abutebãtur. Abbas enim Fuldensis prædia monasterij militibus suis distribuit. Schafnaburgensis. Vuintherus, decimus Merspurgensium ob luxum,superbiam, fastum,iusticiæ disciplinæq; contemptum,ac denique bonorum Ecclesiæ dilapidatione,insignis habetur in Chronicis Mersburgẽsibus libro secundo,capite decimotertio. Hildebrandus pontifex,opes Ecclesiasticas, quibus hactenus pauperes alebantur, militibus & rebellicæ peritis largitus est. Quod & Hildebrandin Gerochus & Paulus non inficias eunt: & hic tanquam benefactum excusat,& id licere defendit. Auentinus libro quinto Annalium. Heinricus Spirensis episcopus,Ecclesiæ thesauros penè omnes puerili leuitate absumpsit,prædiaque militibus suis erogauit, adeò ut uix ad menses sex uniuersi reditus ipsi sufficerent.Lambert. Schafnaburgensis.

Nonnas consecrabant. Moguntinus enim archiepiscopus Sophiam, Otthonis tertij sororem, abbatissam in Gandersheim cõsecrat. Crantzius in Saxonia libro 4, cap.34.

Kunegundis, post coniugis sui obitum, Confugiensis cœnobij regulam Bãbergæ intermonialesamplexata, ab episcopis uelatur,& annulo fidei subarratur:ut habet Chronicon Bambergense.

Cũ Rudolpho Sueuo sororem adhuc impuberẽ despondisset Quartus Heinricus, mox eam Rumoldo Constantiensi episcopo educandam tradidit. Auentinus libro quinto Annal. Schafnab.

Bobone regis cancellario, ad Tolosanũ episcopatum euecto, Adelbero quidam Metensium canonicus aulico illo munere potitur. Lambertus.

Gebhardum secundum Augustanum episcopum, cultus uestium curiosiorem fuisse, testatur Auentinus libro quinto Annal.

Ob luxuriã morũq; intemperantiã omnib. grauis & inuisus fuit Kribo diaconus.

DE DONIS.

DOna miraculorum interdũ habere uisa sunt. Adelbertus enim Bremensis archiepiscopus,suis, quas cum Ecclesiæ proconcione coniungebat, precibus,hominem quendam Vuormacię die Paschę,à dęmonis infestatiõe liberasse dicitur. Lamb.Schafna.

Futura prædixerunt. Bardo enim Mogũtinus episcopus,in ferijs Pentecostes pro cõcione obitũ suum prædicens eodẽ mense discessit.Idem. Hildebrandus pontifex, ut animos suorum cõfirmaret, præuidit,Saxonibusq; renunciauit, hoc anno falsum regem interiturũ: hocq; de Heinrico interpretatus est.Verùm fefellit prophanissimum pontificem & uanam sua spes, & uaticinium.Rudolphus enim,quem Heinrico uero regi oppofuerant rebelles, miserabili morte interijt. Auentinus libro 5 Annal.

DE SYNODIS PRIVATIS.

SYnodos celebrabant.Cũ enim ad Synodum aliquam indictã properaret Burchard. Halberstadi-

berstadiensis episcopus, in itinere corruit, ac paulo pòst expirauit. Lambertus. Moguntiæ Synodum iussu Romani pontificis celebrauit archiepiscopus. Idem.

Interfuerunt Synodis. Sic Moguntinæ, quam diximus, Synodo plures interfuisse Ecclesiarum præsules, ex Lamberto cõstat.

Causas tractarunt uarias: ut, de depositione quorundam. In conuentu enim quodam Vintoniẽsi, aliquot tum episcopi tũ abbates de criminib. accusati, suis dignitatib. priuati sunt: inter quos & Stigandus Cantuariensis fuit. Polyd. lib. 9. In Synodo Moguntina, Carolus indignus indicatur Constantiensi sede, ob Simoniam & furtũ, de quibus à Canonicis accusabatur. Lambertus.

De bonis Ecclesiæ. Bernhardus enim Halberstadiensis, Synodum, ad dirimendã de bonis Ecclesiæ controuersiam, quam cũ Hirsfeldensibus monachis ipse habebat, indixit. Lamb.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

PRincipes quædam Ecclesiæ contulêre. Ottho Thuringorum marchio, primus Mogũtino archiepiscopo decimas suæ terræ promisit. Phrygio. Goslariensem ecclesiã Conradus Secundus Imperator, Brũsuigensem Ludolphus marchio amplissimis reditibus donant. Crantzius lib. 4, ca. 36 Saxoniæ.

Et alij. Cuncti Vuagirorum terræ patres familiàs, annuatim expendere coacti sunt Ecclesiæ nummos duos: ut Helmoldus capite octauo, Crantzius libro secundo, cap. 43 indicat.

Ex legatis, Ecclesiæ quædam bona accesserunt. Ludolphus de Mersberg triginta mansos, pro remedio animę suæ, cœnobio tradidit. Schafnab. Mortuo Eficone Mersburgensi comite, cùm hæredibus destitueretur, comitatus eius ad Imperatorẽ deuoluitur, qui eius partem episcopatui attribuit: ut in Chronico Mersburgensi scribitur. Iuditha, pietati in primis & beneficentię dedita fœmina, facultates suas, mundũque muliebrẽ penè omnem, in usum pauperum, & ad cultum templorum elargita est: & à marito impetrauit, ut Croppensem siue Pabianicensem comitatum collegio sacerdotum Cracouiensis basilicæ, Lagouiense territorium Crusuicienſi seu Vuladislauiensi episcopo, Xansnicensia uerò bona Tinecensi monasterio, iure sempiterno donaret. Cromerus lib. 5 rerum Polon.

Ex spolijs & rapinis. Boleslaus Polonorum rex, deuictis Russis, templa quàm plurima, Guesnæ imprimis, hostium spolijs ditauit, ornauitq;. Idem lib. 3. Stephanus Vngariæ rex, deuicto Cupa, qui regnum affectabat, uniuersum populũ in prouincia Cupæ decimas frugum ac pecorum suorũ cœnobio S. Martini perpetuò dare iussit. Naus clerus uol. 2. generat. 34.

¶ Ac data sunt, Villæ. Verdensi Ecclesię nemus quoddã in Magetheide, cum uicinis aliquot prædijs, Heinricus Imperator donauit, in gratiam Sigeberti episcopi. Metropolis Crantzij lib. 5, cap. 19. Monasterium in Vualthamo pago, multis prædijs ornauit Haraldus Anglorum rex. Polydorus lib. 8 Anglicę historię. Diethmarus Mersburgẽsis antistes, prędia quæ ex hęreditate pater na habebat, Ecclesiæ donauit: et syluam quandam, Zuenkauu pago uicinam, fauore Imperatoris idem episcopus acquisiuit. Chron. Mersb. li. 2, ca. 7. Ipse Cęsar Heinricus Quartus, pleraq; prędia, cumplures opes Bauariæ templis distribuit. Auent. li. 5. Vlrichiano Norinbergę cœnobio, Heinricus Secũdus Imperator multa prędia, nimirum Ratenbach, Schonbach, Holenbach & Meigenbach donauit. His imperatrix Taitenuueiſs addidit. Chron. Bamberg.

Decimę. Bernhardus Verdensis episcopus, suæ Ecclesię decimas in Naudorp emendicauit. Metrop. Crantzij lib. 3, cap. 48. Ottho Thuringus, beneficia Moguntini archiepiscopatus obtinere nõ potuit, nisi pro mitteret decimas se de suis in Thuringia possessionibus daturum, cæterosque Thuringos ut idem facerent coacturum. Lambertus Phrygio.

¶ Vsus bonorum fuit iste. Sustentatio episcoporum, & aliorum ministrorum. Ex bonis enim Ecclesię, Eccelinus canonicos Mersburgenses, quorum communis tum erat mensa, eorumq; ministros aluit: prętea scholasticos aliquot, qui cantum in templo iuuarent. Chron. Mersburgense.

Pauperum. Bruno Augustanus episcopus Straubingam, tunc uicum ignobilem, mystis Augustanis tradidit, ubi quotannis parentalia celebrentur, pauperesq; centum cum scholasticis pueris pascantur. Auentinus lib. 5 Annalium.

Redimebantur ijsdem & captiui. Lienmarus enim Bremensis episcopus, à Ludero comite in prælio captus, pro sui redemptione, prępositurам Bremensem, cum tre centis argenti marcis erogauit. Metropolis Crantzij lib. 5, cap. 21.

DE BIBLIOTHECIS.

BIbliothecis nonnihil operę, prę cęteris, impenderunt Cass. monachi. nam abbas ipsorũ Theobaldus, describi curauit Augustini libros de Ciuitate Dei, in Psalmos, de Trinitate: partẽ Secundã Gregorij, homilias

homilias quadraginta habentem, primamq; moralium: Claudij super Pauli epistolas, Rabani Etymologiarum: Itinerarium totius orbis, cum Hieronymi chronicis: Historiam Romanorum Longobardorum, Edicta regum, Martyrologiū Hieronymi plenarium, pontificale Romanorū, Isidorum de officijs, Concordiam canonū, Librum canonū, Decreta pontificum, Bedam super Marcū, Duo hymnaria in Choro habēda. Chronicō Cass. lib. 2, ca. 53. Et Desyderius eiusdē loci abbas, aliquot Augustini, Ambrosij, Hieronymi, Athanasij, Nazianzeni, Origenis, Chrysostom. Hilarij, Iuuenci, Bedæ libros, Leonis & Felicis paparū indices, Regulā Basilij: historias quoq; plures, Eusebij uidelicet, Lōgobardorum, Gothorum, Vuādalorum, Iordanis Episcopi de Romanis & Gothis, Thuronensis, Erchemperti, Iosephi de bello Iudaico collegit. Item Cornelium, Homerū, alioſq; cùm sacros tum prophanos. Ibidem libro tertio, capite sexagesimo secundo.

In bibliotheca Heruelděsi, Nicolai secūdi Romani episcopi epistolā ad abbatē eius loci scriptam, reseruari, Schaf. indicat.

Libros cum templo Bremensi, igni contradidit, Crātzius in Metrop. libro 4, capite 37, indicat.

Expulsis per comitem monachis Hirsaugiensibus, clerici seculares successerunt: qui cum suis concubinis, cuncta quæ comes reliquerat, in nihilum redegerunt, ut nec libris, quorum ingens ibi copia collecta fuerat per diligentiam ueterum monachorum, parcerent. Nam cùm illo tempore uolumina cariore uenderentur precio, indocti nebulones precioſissimum illum thesaurum Bibliothecę, in paucis annis tam turpiter uenendo & consumendo distraxerunt, ut nec unū quidem codicem alicuius ponderis aut precij reliquerint.

Bibliothecā uerò Hirsaugiensem tempore illo fuisse preciosam, & multis uoluminibus cumulatam, ex eo uel maximè conijcere possumus, quòd cum à prima fundatione, per annos fermè 180, multi doctissimi uiri per ordinem sibi succedentes, in eodem monasterio floruerint, non est uerisimile eos uel ad tantam peruenisse doctrinam & eruditionem omnium bonarum artium sine libris: uel ad decorem Bibliothecæ, quem maximè diligit omnis eruditus, nihil suo tempore scribendo apposuisse. Chronicon Hirsaugiense.

Vuernheri episcopi studio Argentinensis ecclesiæ bibliothecam plurimam adauctam, testatur Bruschius, de Episcopis Germaniæ.

Pandulphi Latheranensis ecclesiæ bibliothecarij, Blondus libro secundo Decad. 2 meminit. Et Hermānus Contractus, omnis generis libris suam instruxit bibliothecam: ut refert Martinus in Chronicis.

DE SCHOLIS.

ALexius Comnenus Constantinopoleos Imperator, Grammaticorum scholam construxit, in qua & publicè docerentur pauperum liberi, magistris & pędagogis constitutis, uictuq; tam docentibus quàm discentibus ordinato. Zonaras tomo 3 Annalium. Godeschalcum Vdonis Vuandalorum principis filium, Luneburgi scholasticis imbutum disciplinis, refert Crantzius lib. 2, cap. 46 Vuand. In scholasticos Mersburgenses admodum liberalem extitisse Eccelinum episcopum, in Chronico Mersburgensi scribitur lib. 2, cap. 11.

DE CONSOCIATIONE ECclesiarum in una prouincia.

EPiscopos aut presbyteros simul ordinabant. Villegisus Moguntinus, Meinuuercum decimum Padebornensem episcopum, in templo Goslarien si cum suis suffraganeis consecrat. Chronicon Cosmidromij.

Componebant controuersias. Moguntinus enim archiepiscopus rogatus ab episcopo Bambergensi, tentat reconciliationem inter episcopum & clerum Bambergensem. Lamb. Schafnab.

De consociatione Ecclesiarum in pluribus locis.

Plures etiam prouinciæ fuerunt, certa quadam ratione & ordine inter se coniunctæ. Erant enim archiepiscopi, quorum sedes sunt:

In Germania. Anno, ad leniendam inuidiam, quæ ex captiuitate Heinrici regis pueri coorta erat, conuocato concilio, facti sui rationem reddidit, Cæsariq; satisfacit: uulgiq́ue tumultu pacato, ne id ob suum compendium feciſse uideretur, statuit, ut pontifices maximi Germaniæ sex curijs, iuxta numerum Archimystarum Germaniæ, rem cōsociarent, singuli publica munia obirent, Imperiumq; per omnes in orbem eundo finiretur. Auentinus lib. 5 Annalium. Moguntia, Brema, Magdeburgum, &c. archiepiscoporū sedes fuêre: ut historia declarat.

In Gallia: Lugduni. Hugonis Lugdunensis meminit Chronicon Casinense libro tertio, capite 71.

Patriarchæ in Oriente. Simon Hierosolymitanus patriarcha, ab Vrbano pontifice per literas petit, Terræ sanctæ laboranti opem ferri. Paulus Aemylius lib. 4.

Patriarchas duodecim sub se habuisse episcopos, ex machinationibus Adelberti Hambur-

Hamburgẽsis archiepiscopi constat: de quibus Crantzius libro tertio, capite secundo Vuandaliæ.

Hamburgẽsis legatus fuit pontificis Romani, ad ecclesias Septentrionales, antecessorum priuilegio. Aldenburgensem ecclesiã, defuncto Abelino, Adelbertus Hamburgensis in tres episcopatus distribuit, nõ quidem Cæsaris uoluntate, sed sua priuata: & quia in summa Cæsaris & Leonis papæ gratia esset, liberè se id facere posse credebat. Imò & patriarchalem honorem conabatur consequi, ut sub se haberet duodecim episcopatus. Ea re euulgata, confluebant in curiam eius multi sacerdotes & religiosi, plerique etiam episcopi, qui sedib. suis exturbati, mensæ eius erant participes: quorũ sarcina ille alleuari percupiens, trãsmisit eos in latitudinem gentium, quosdã locans certis sedibus: quosdam immisit nationibus, ad sedes incertas. E' quibus Ezonem, subrogatum Abelino in Aldenburgensi: Aristonem quendam ab Hierosolymis uenientem, in Racisburgo esse constituit: Ioannem in Magnopoli destinauit. Iste Ioannes, peregrinationis amore Scotia egressus, uenit in Saxoniam: & clementer, ut omnes, acceptus ab archiepiscopo, non multo pòst in Vuandaliã missus est ad principem Godeschalcum: apud quem commoratus illis diebus, multa paganorum milia scribitur baptizasse. Crantzius libro tertio, cap. tertio Vuandaliæ. Helmoldus capite 22.

Archiepiscopi constituebantur ab Imperatore. Harduuicum enim Heruelden sem præsulem, archiepiscopum Magdeburgensem designat Quartus Hericus. Auentinus lib. 5 Annalium.

Limites suæ iurisdictionis defenderunt. Sic Hildesheimensis ad Henricum Tertium perfert iniuriam sibi illatam, quòd abbatissa Gandersheimensis benedictionem à Moguntino postulasset. Crantzius lib. 4, ca. 34 Saxoniæ.

Inaugurabant Imperatores & Reges. Cõradum Primum Aribo Moguntinus, præsente Eberhardo Bambergensi, consecrauit. Chron. Bamb. Henricum Quartũ Hermannus Colonien sis archiepiscopus, coronabat Aquisgrani: licet Luitpoldus Moguntinus, eum honorem sibi libenter rapuisset. Schafnaburgensis.

In conuentibus episcoporum abbas Fuldensis, more maiorum, proximum ab archiepiscopo Moguntino locum tenebat in sessionibus. Hinc atrox prælium, in templo Goslarien si, coram Henrico Quarto gestum est.

Schaf.

DE ROMANORUM PONTIFICVM PRINCIPATV & tyrannide, item de operibus Antichristi in regimine Ecclesiastico.

DOMINATIO SVPER ECCLESIAS ORBIS.

PRincipatum super alios omnes obtinere conantur Romani papæ, etiam hoc seculo: cuius quidem rei documentum est epistola Gregorij Septimi, ad Constantien sem clerum scripta. Gregorius (inquit) episcopus, seruus seruorũ Dei, clericis & laicis maioribus atque minoribus in Constantiensi diœcesi constitutis salutem & benedictionem. Misimus fratri nostro, episcopo uestro Otthoni, literas exhortatorias: per quas pro nostri necessitate officij, Apostolica autoritate, iniunximus illi, ut Simoniacam hæresin de Eccle sia sua penitus excluderet, & castitatem clericorum studiosè prędicandam susciperet. Sed episcopus uester neque B. Petri reuerentia præcepti, neque officij sui sollicitudine attractus, ut nobis relatum est, quæ paternè suaseramus perficere curauit: & ut non solum inobedientiæ, uerùm etiam rebellionis offensam contraheret, quẽadmodũ accepimus, palàm clericis suis iusioni nostræ, immò ueriùs beati Petri, omnino contraria permisit: ita ut qui mulierculas habuerant, retinerent: & qui non habuerant, illicita temeritate subintroducerent. Quod ut audiuimus, molestè ferentes, alteram ei scripsimus epistolam, in dignationis nostræ motus ostẽdentes: quin etiam ipsum ad Synodum Romanam euocauimus, ut rationes reddat, & inobedientiæ causas, si tolerabiles fuerint, in audientia totius conuentus exponat. Hæc ideo, filij charissimi, uobis nota facimus, ut saluti uestræ consulamus. Si enim fronte aperta episcopus uester repugnans & contumax esse studuerit, indignũ est ut præsit, &c. Quapropter omnibus, sicut prædiximus, Deo & B. Petro obedientibus, Apostolica auctoritate præcepimus, si in obduratione sua persistere uoluerit, nullam ei reuerentiam obedientiæ exhibeatis: neque id animæ uestræ perniciem esse putetis. Nam si præceptis Catholicis uoluerit esse cõtrarius, ab omnium illius subiectionis iugo, B. Petri autoritate uos absoluimus: ita ut si etiã sacraméti obligatione quilibet ei fuerit obstrictus, quamdiu Deo & B. Petro, sediq; Apostolicæ rebellis extiterit, nulla illi fidelitatis exhibitione fiat obnoxius. Nauclerus.

Item: Gregorius Papa seruus seruorum Dei, per totum Italicum regnũ & Teutonicorum,

nicorum, debitam sancto Petro obedientiam exhibentibus, Apostolicam benedictionem. Si qui sunt presbyteri, uel diaconi, uel subdiaconi, qui iaceant in crimine fornicationis, interdicimus eis ex parte omnipotentis Dei, & autoritate sancti Petri, introitum Ecclesiæ, usque dum pœniteant & emendent. Si quis uerò in peccato suo perseuerare maluerit, nullus officium eorum auscultare præsumat: quia benedictio illorum uertitur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam: Maledicam (inquit) benedictionibus uestris. Marianus Scotus libro tertio. Burchardo Halberstadiensi episcopo per literas magna seueritate imperat Nicolaus Secundus, ut Herueldensi cœnobio molestus esse desinat, ni Apostolicæ autoritatis uirgam experiri malit. Schafnab. Stanislai Cracouiensis archiepiscopi cæde Romę nunciata, pontifex maximus Gregorius Septimus, atrocitate rei commotus, toti Poloniæ sacris interdixit. Qui uerò socij sceleris regi fuissent, eos simul & posteros eorum usq; ad quartam propaginem, à sacerdotij & omnium magistratuum Ecclesiasticorũ functionibus & emolumentis alienos esse iussit. Cromerus lib. 4, de rebus Polonorum. Stephanus Nonus pontificatum adeptus, statim curauit, ut Mediolanensis ecclesia, quę à Romana ducentis ferè annis se subtraxerat, nunc demum eidem obtemperaret, ut uerè omnium Ecclesiarũ parenti & altrici: quam postea non secus obseruauit, ac ueræ filiæ pientissimam matrem facere consueuerunt. Platina in uita eius. Clemens Secundus in epistola ad Bambergensem clerum & populum, Romanam ecclesiam omnium matrem appellat: eiq; omne genu terrestrium flecti, ac pro eius arbitrio ianuam cœli aperiri & claudi, nec inferorũ portas aduersus eam pręualere posse, impudentissimè iactitat. Chron. Bamb.

Suas censuras alijs Ecclesijs omnibus obtrudunt, tali appendice, ne cuiquam fas sit dissentire. Hildebrandus Papa, cùm frequentibus iam Synodis coniugium sacerdotibus prohibendum, cum suis assecl is statuisset, non solum per totam Italiam hoc decretum promulgauit, sed & cunctis Galliarum episcopis, per literas idem seruare præcepit. Lambertus Schafnaburgensis.

Nolunt ullum concilium haberi, ubi ipsi Papæ, uel à se missi non præsiderent. Honorius enim Pontifex ad Mantuanum ab Imperatore uocatus concilium, ut ibi suam contra Alexandrum, qui tum de pontificia sede digladiabatur, causam ageret, cum magno hominum numero ad Aquas Nigras

substitit: cumque mandatis ad Annonem mittit, qui dicerent, Magistrum à discipulis doceri non oportere: Honorium nequaquam uenturum, nisi uicem Christi præsidendo defungi permittatur. Anno, concilio habito, paucissimis respondet: Magistrorum sacrosanctę concionis, Ecclesiæq; sententiæ parendum, diuino oraculo obtemperandum esse. Proinde Honorius hisce sibi relatis, uenire Mantuam recusauit. Auct. 5 Annalium.

Suis decretis pontifices horrisonam clausulam adijciunt. Si quis (inquiunt) possessiones, & Ecclesias, uillas, ciuitates & castra sãctissimi Benedicti inuaserit, & bis uel ter admonitus non emendauerit, sciat se autoritate Dei omnipotentis, & beatæ Mariæ semper uirginis, & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & beati Benedicti, & omniũ Sanctorum, esse excommunicatum, & perpetuo anathematis uinculo innodatum, & à regno Dei alienatum: & cum diabolo, & atrocissimis põpis, & Iuda Iesu Christi Domini nostri, proditore, æterno supplicio, æternęq; maledictiõi deputatũ. Et sicut hę lucernæ extinguũtur, ita ante Deum eius lucerna extinguatur: nisi fortè res inuasas reddiderit sancto Benedicto, & dignam pœnitentiam gesserit. At uerò qui huius Apostolici instituti obseruator extiterit, benedictionis gratiam à Domino Deo nostro, per intercessionem beati Benedicti consequatur, & uitã æternã accipere mereatur. Chron. Cass. in priuilegio Alexandri Secũdi. Et Vrbanus Secundus: Contradictoribus huius nostri Apostolici constituti diuinum iudicium intentantes, & anathematis iudicio innodantes. Et paulo pòst: Si qua in crastinum Ecclesiastica, secularisue persona, nostrę constitutionis paginam sciens, contra eam temerè uenire tentauerit secundò & tertiò commonita, si non satisfactione congrua emendauerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reumque se existere diuino iudicio, de perpetrata iniquitate cognoscat: & altissimo & sanctissimo corpore & sanguine Domini Dei, & Domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subiaceat. Cunctis autem eandem iustè seruantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus & illi fructum bonæ actionis percipiant, & apud diuinum iudicium æterna pacis præmia inueniant. In formula priuilegij ijsdem concessa. Horrendo sanè fulmine Bambergensem ecclesiam munit Clemens Secundus: Statuimus per hoc nostri Magisterij priuilegium, ut de bonis illis omnibus, quæ tibi sponsa charissima, uirgo castissima, Ecclesia speciosissima Bamberg.

ſumma liberalitas eiuſdem orthodoxi Imperatoris de ſumma deuotione procedens, pio affectu cõtulit, & nominetenus illa per concambium conuenientiſsimum & acceptiſsimum à Vuürtzburgenſi & Eiſtetenſi epiſcopis, canonico & rationabili iudicio permutauit, uel quorumcunq; poſt eum fidelium religioſa pietas obtulit, & oblatura eſt, uſq; in perpetuum, ſiue ſint mobilia, ſiue immobilia: nullus imperator, nullus rex, nullus dux, marchio, comes, uicecomes, & præterea non archiepiſcopus, non epiſcopus, non abbas, nec ulla hominum perſona audeat, tentet, aut præſumat quicquam, uel uiolentia, uel fraude, uel furto detrahere, minuere, mutilare. Quod ſi quis diabolico inſtinctu pulſatus, crudeli temeritate admittere non perhorruerit, & citius emendare neglexerit, huiuſmodi hominem, quicunque ſit, de communione ſacroſancti ſanguinis & corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, à participio totius Chriſtianitatis, non ſolum excludimus, ſed etiam propulſamus. Quinetiam Apoſtolici anathematis acutiſsima lancea eum transuerberamus, ut pro malefactis malè perditus, mortem gemat æternam, aſſociatus in gehenna inferiori, dæmonum principi, mortis inuentori, & etiam Iudæ ſacrilego & proditori, undique circumcinctus draconibus tartareis in ultionem ſeruientibus, nec in ultimo tremendi Dei iudicio ad uitam reſurgat, infeliciſsimo & miſerrimo uiuendi genere mortem quærens, & non inueniens. Chronicon Bambergenſe. Item: Hæc omnia ſuprà dicta obſeruari & cuſtodiri, in perpetuum noſtra Apoſtolica autoritate decernimus, confirmamus & corroboramus. Quòd uerò (quod abſit) huius noſtri priuilegij temerarius tranſgreſſor extiterit, Dei & beatiſſimæ Mariæ & beatorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum, & noſtra maledictione maledicatur, & perpetui anathematis uinculis innodetur, niſi digna ſatisfactione reſipuerit, & canonicè ſatisfecerit. Qui autem pio corde huius obſeruator priuilegij extiterit, Dei omnipotentis, & almæ Mariæ, & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli benedictione ditatus, æterni regni particeps fieri mereatur. Ibidem.

Legatos ſuos, ueluti drõmedarios quoſdam, ſemper huc illuc mittunt, & mandata ſcribunt. Erico enim Danorum regi Papa Romanus pollicetur, ſe Cardinalem miſſurum, qui ipſius Eccleſias inſpiciat & diſtribuat. Dania Crantzij libro quinto, capite ſecundo. Stephanus Nonus omnem ferè Italiam atque Burgundiam, labe Simoniaca inquinatam intelligens, Hildebrandum archidiaconum ipſis purgandis, reformandisque prouincijs legatum miſit. Qui eo munere diligenter atque feliciter, pro more Antichriſtiano functus eſt. Blondus Decad. 2 li. 3.

Diſtribuunt epiſcopatus, ueluti Cæſar. ducatus & prouincias: eosque à ſe ſolum modo peti & accipi uolunt. Nam uictor Secundus, Simoniacos epiſcopos (quo nomine ij appellabantur, qui à ſecularibus dominis, & non à Romano præſule præſertim ob munera data, epiſcopi fuerant designati) ſuis dignitatibus ſpoliauit. Balæus libro quinto de Romanorum pontificum actis. Seuerum à pontifice, Hildebrando ſcilicet, edictum de Simonia promulgatum eſt, quo non ſermone ſolum, uerùm etiam aqua & igni Simoniacis interdictum fuit. Quin & hac lege multi notati ſunt epiſcopi, qui Imperatoris inſaniæ grauificari ſtuduerant. Bonfinius libro quarto Decadis ſecundæ rerum Vngaricarũ: Plato in uita eius. Et ipſe Imperator, in epiſtola ad Annonem Colonienſem, de eadem re queritur: Nullum, inquiens, (de Hildebrando loquitur) iudicio licet eſſe ſacerdotem, niſi qui hoc à faſtu ſuo emendicauerit. Me quoque, quem Deus in regnum, non autem illum uocauit ad ſacerdotium, quia me de Deo, & non de illo regnare uelle uidit, quia ipſe me regem non conſtituit, regno priuare ſtuduit: minitans, regnum animamque ſe mihi tollere, quorum neutrum conceſsit, &c. Et in Romano concilio, ſub annum Salutis milleſimũ nonageſimũquartũ, Vrbanus papa inueſtituras Eccleſiarum laicis prorſus ademit. Idem anno ſequenti decretum eſt in Synodo Claremontenſi, ut Matthæus Pariſienſis annotat.

Quoſdam archiepiſcopos uolunt, ſuo nomine perpetuo legationum officio fungi, ad uicinas gentes. Sic archiepiſcopus Hamburgenſis fuit legatus ad Septẽtrionales regiones, nomine Papæ Romani. Vandalia Crantzij lib. 3, cap. 3.

Volunt eſſe irreprehenſibiles in terris, quicquid tandem ſentiant aut deſignent. Geroculus quidam Auguſtinianus, & primariæ ædis Auguſtæ ſacerdos, ac Hildebrandinæ factionis ſtudioſiſsimus, ſuæ partis pertinaciam (ne dicamus tyrannidem) hiſce uerbis, coactus ueritate, notat: Romani, inquit, ſibi diuinum uſurpant honorem, rationem factorum reddere nolunt: nec ſibi dici æquo animo ferunt, Curita agis? illud Satyricum inculcant:

Sic uolo, ſic iubeo, ſit pro ratione uoluntas.

Auentinus libro quinto Annalium. Gregorius

tius Septimus, qui & Hildebrandus, fretus armis Northmannorum (qui tum per Apuliam, Calabriam, Campaniam, quas iam occuparãt, debacchabantur) confisus etiam opibus Machtyldis, mulieris præpotentis, & discordia Germanorum: primus contra morem maiorum, contempta Imperatoris autoritate, Pontificatum Maximum occupauit: utramque personam sibi impositam esse à Christo: se quodcunque, ut liberet, ligare ac soluere posse iactare, utramque personam agitare: Occidentem adferre, omnem potestatem in se transferre: neminem parem, nedum superiorem ferre: iusta aliorum diminuere, cæteris ius atque honorem præripere, cuncta in se trãsrio regnantes, floccifacere: Pontifices, episcopos in ordinem redigere, deuouere, capite diminuere: lites, bella concitare, discordias serere, factiones confirmare: iusiurandum, pacta, sacramenta soluere cœpit. Etiamsi iniuria uel ipsum Cæsarem afficeret, tamen se metui oportere, in quadã glosiatur epistola: utpote qui errare non possit, & à Christo Domino seruatore nostro Petro acceperit potestatẽ, ut soluat, ligetq; utcunq; libeat. Ibidem.

Vt Cæsares duces, ita ipsi Cardinales & archiepiscopos creant, qui suæ dominationi assistant. Leo Nonus pontifex electus, mox Hildebrandum monachum diaconũ cardinalem creat, eique S. Pauli Ecclesiam gubernandam committit, ut quasi consors pontificij muneris secum uideretur, cum alter Petri, alter Pauli templum tueretur & regeret. Chron. Bambergense.

¶ Venalia habent, Episcopatus. Bãbergensis episcopus Hermannus Romam ab Alexandro Secundo euocatus, ibique accusatus, quòd per Simoniacam hæresin, data nimirum pecunia, episcopatum inuasisset, multa & preciosa munera Papæ dedit: & per hæc efferatam aduersum se mentem eius, ad tantam mansuetudinem reduxit, ut qui non sine periculo honoris & gradus sui euasurus putabatur, non solum impunitatem criminis, quod obiectum fuerat, consequeretur: sed etiam pallium, & alia quædam archiepiscopatus insignia, à sede Apostolica pro benedictione perciperet. Anno 1070. Schafnab.

Pallia. Nicolaus pontifex Gerardum Halberstadensem episcopum pallio donat, quòd ipsum Romam autoritate Imperatoris deduxisset. Chron. Hedionis. Hartuuico Bambergensi episcopo, Leo Nonus pallium mittit, scriptis simul ad ipsum literis. Ad Missarum solennia celebranda, fraterni tati tuæ pallium transmittimus; quod antecessoribus tuis antè nõ concessum, modò tibi primò concedimus, rogatu dilectissimi filij nostri Imperatoris Heinrici: & pro ueneratione antecessoris tui piæ memoriæ, Domini Papæ Clementis: & pro memoria Heinrici Imperatoris, Christi præfatæ Ecclesiæ constructoris benignissimi. Quo tibi ter in anno uti permittimus: scilicet in die sanctæ resurrectionis, & in natalitijs Apostolorum Petri & Pauli, & in solennitate sancti Dionysij, eo quòd tũc anniuersarius dies celebratur Domini Papę Clementis suprà memorati. Hanc diem sanctam, Apostolica autoritate statuimus celebrem esse per totum episcopatum. Cuius quidem indumẽti honor, modesta actuum uiuacitate seruãdus est. Hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta conueniãt, quatenus autore Deo rectè utrobiq; possis esse conspicuus. Itaq; uita tua filijs tuis sit regula: in ipsa, si qua turpitudo illis iniecta est, tibi dirigatur: in ea, quod imitentur aspiciant: in ipsa considerando semper proficiant, ut tuum post Deum uideatur esse, quòd bene uixerint. Cor ergo tuum neq; prospera, quæ temporaliter blandiantur, extollant, neq; aduersa deijciant: sed quicquid illud fuerit, uirtute patientiæ deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiscretus inueniant: misericordem te, prout uirtus patitur, pauperibus exhibeto, oppressis defensio tua subueniat. Opprimentibus moderata erectio contradicat. Nullius faciem contra iniusticiam accipies: nullum quærentem iusta despicias. Custodia æquitatis in te excellat, ut nec diuitem potentia sua aliquid apud te extra uiam suadeat rationis audire, nec pauperem de se sua faciat humilitas desperare, quatenus Deo miserente talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit dicens: Oportet eum irreprehensibilem esse. Sed his omnib. salubriter uti poteris, si integram charitatem habueris: quam si quis secutus fuerit, à recto aliquando tramite non recedit. Ecce fratrum charissime, inter multa alia iura sacerdotij, hæc iura sunt pallij. Quæ si studiosè seruaueris, qđ foris accepisse ostẽderis, intus habebis. Chrõ. Bãberg.

Census ab Ecclesijs, in longinquis regionibus, extorquent. Cum Bambergensem ecclesiam Heinricus Imperator, cathedralem autoritate pontificia fieri expeteret, ea demum lege postulatis Benedictus octauus annuit, si census nomine singulis annis Romano pontifici Bambergensis ecclesia penderet centum argenti marcas, cum equo albo & phalerato. Bamb. Chron.

Sacrilegijs insignes sunt. Nam Hildebrandus ad pacandos Romanos, cum post deuictum Rudolphum, quem Imperatorẽ

contra Heinricum salutarat, eorum metueret offensionem, circiter centies mille auri libras, passim ex tẽplis surreptas, distribuit. Hedio parte tertia Historiæ Ecclesiasticæ li. 9, cap. 14.

CVLTVS MAOSIM.

IDololatriã confirmant, et exercent. Vrbanus enim Secũdus in priuilegio Casinensibus dato, apertè fatetur, se Benedicti, monachorum patris, ope à pleuritide liberatum esse. Item: Peracta Bambergensis ecclesiæ dedicatione, Apostolicus pontifex sacra illius diei Missarum solennia celebrauit, cooperantibus sibi in diuinis duodenis episcopis. Idem fecit diebus sequentibus. In festo autem Resurrectionis, dum matutinum perageretur, primam lectionẽ Aquileiensis patriarcha legendo recitauit, secundam uerò archiepiscopus Rauennas, tertiam ipse Romanus pontifex. Postremò processionis solennia, iuxta omnem decentiam Apostolicæ dignitatis ac Imperialis maiestatis, nullo decoris genere prætermisso, in sancta solennitate solennitatum peracta sunt. Chronicon Bambergense. Leo Nonus Ratisponæ S. Vuolfgangi, eiusdem Ecclesiæ olim episcopi, ossa è tumulo leuauit. Ibidem.

Missas stabiliunt. Nocte natalis Domini, Hildebrandum uestibus pontificiis indutum, & ad altare Missarũ solennia celebrantẽ, Quintius infestat. Lamb. Idem pontifex, post receptum in Germaniam Imperatorẽ, in arce Canusio Missarum solennia peregit. Ibidem.

Superstitiones augent & imponunt. Sic Alexander Secundus inquit: Statuimus, ut quicunq; deuotus ad Casinensis Ecclesiæ dedicationem annualiter uenerit, de peccatis suis quadraginta dierũ remissionẽ accipiat. in priuilegio Cass. Meinuuerco, Padelbornensi episcopo Benedictus papa reliquias dedit, duo uidelicet corpora cum dimidio, septem fratrum S. Felicitatis filiorum, Philippi, Iuuenalis & Felicis, & S. Blasij portiunculam. Chron. Cosmidromij.

REGNA HUIUS mundi, & gloria eius.

PAPA CAESAR AEATVS.

REgna huius mundi tenent ipsi pontifices Romani. ut:

Vrbes. Guiscardus Apuliæ dux, Nicolao Secundo Beneuentum, Troiam, & reliquas Apuliæ ciuitates, quæ pontificiæ erant ditionis, restituit. Sabellicus. Pro recepta Beneuentana urbe, Leo Nonus cẽsum Bambergensi ecclesiæ quotannis numerandum, remisit. Chron. Bamberg.

Episcopos etiam à se creatos, sinunt regna, id est arces, urbes, oppida tenere: ut patet ex priuilegio Bambergensi ecclesiæ, à Leone Nono concesso, quod sic habet. Insuper pro nostra autoritate sancimus, ut in terminis aut rebus eiusdem Ecclesiæ, nulla fit infestatio tyrannorum, uel aliorum quorumlibet hominum prauorum, siue sint in ciuitate ipsa Bambergensi, siue in castellis, uillis, seruis, ancillis, tributarijs, decimis, forestis, syluis, uenationibus, piscationib. molendinis, campis, pratis, pascuis, agris cultis & incultis, aut quicquid modò illuc pertinet, aut in futurum iustè acquiri poterit, per nostræ Apostolicæ autoritatis priuilegium corroboratum, in secura permaneat quiete. Chronicon Bambergense. Scilicet sic Petrus ille Apostolorum Coryphęus quoq; factitauit? ò Apostolorũ sectatores.

Abbates quoque agros, pagos, oppida possidere, more politicorum, inunt. Hirsfeldensium enim monachorum uillæ sunt, Kirchberg & Bredingẽ: iuxta Lambertum. Fuldensem & Hirsfeldensem abbates, in agro Thuringico plura habuisse prædia, ex eodem constat autore. Transmũdus Theatinus comes, Casini latitãtibus porcis triadonauit castella, Arsetam, Bacutum & Bisentium, cum terra decem millium modiorum. Chron. Cass. lib. 3, cap. 55.

Iurisdictionem politicam in causis ciuilibus dirimendis, & puniendis facinorosis gladio, usurpant. Hildebrãdus enim Heinrico Imperatori ueniam petẽti, ex Canusio respondet: Se Augustæ discussis utrarumq; partium allegationibus, nec odio, nec gratia à iure ad iniuriam deuoluendum: sed iuxta leges Ecclesiasticas, quàm rectissimàm posset, de singulis sententiam laturum esse. O' papam iudicem in politicis. Schafnaburg. Idem Papa tres homines scelerum, de quibus accusabantur, nondum conuictos, morti adiudicauit, & de patibulo suspẽdi iussit. Centium quendam, uasi aculeis intus uestito inclusum, miserè cruciauit: & filium cuiusdam uiduæ, qui captiuitati pontificis interfuerat, iamq; annum pœnitentiæ spacium à pontifice indictum expleuerat, uno pede truncauit. O' insigne patientiæ in Christi uicario exemplũ. Benno Cardinalis.

Romanæ terræ capitaneos Nicolaus Secundus constituit, & Robertum Guiscardũ, iuratum mancipium, (quod Imperatoris erat) Apuliæ, Calabriæ ac Siciliæ ducem decernebat, uexillo insuper donato propterea nitum cum eo fœdus. Balæus. Alexander Tertius, per Annonem Colonieſem & Hermannum Bambergensem episcopum literas Imperatori mittit, quibus mandat, ut in

Roma

Romana curia de Simoniaca hæresi, alijsque, de quibus reus agebatur, criminib. respondeat. Satis equidē pro imperio. Heinricus de Erfordia: Crantzius li. 5, ca. 5 Saxoniæ. Anno 1073, iuxta Vrspergensem.

Bella gerunt Romani pontifices. Leo enim Nonus, habito Romæ concilio, Nordmannos contra pietatem Christi factitare pronunciat, cum ingenti deinde Italorum Teutonumq; ui in Campaniam castra mouet: sed ad internecionem usq; cæduntur à Nordmannis. Auent. lib. 5 Annalium.

Papæ Romani uolunt à Cæsare uocari, uel ordinari. Hinc illæ graues & perniciosæ turbæ inter Imperatorem Heinricum & Hildebrandum, quorum hic Imperatoris autoritatem, in eligendo pontifice spernendam: ille uerò, iuxta patris sui decretum omnibus modis requirendam censuit, ut ex capite de Schismatib. patet. Benedictus Nonus, cùm ex morbo, quo conflictabatur, moriturum se crederet, cardinales, episcopos, & cuiuslibet ordinis clericos ad se conuocatos, sacramento adegit, ne quispiam ex suo collegio ad Apostolicam sedem, nisi ex consensu & communi electione fratrum ascenderet, aut ascendentibus præberet consensum. Blondus libro tertio Decadis tertiæ. Leo Nonus, quem Imperator Romanis dederat pontificem, omne eligendi Romanum pontificem ius ab Imperatore ad clerum transmisit. Platina in uita eius, Chronicon Bambergense. Et in Synodo ad Sutrium habita statutum est, ut in posterum Romanus præsul à Cardinalib. crearetur, pœnaque aduersantibus negligentibusque grauis indicta est. Bonfinius.

Papæ Romani nolunt quenquam pro Cæsare Augusto haberi, nisi quibus ipsi coronam imposuissent. Ita suo assensu Hildebrandus ratum fecit, quod Rudolpho regium nomen ab Alemannis delatum est. Sabellicus Ennead. 9 lib. 3.

Imperatores ipsos cogunt in sua uerba iurare. Sic Pontificij legati cum cæteris regni primoribus, Rudolphum hac lege Regem salutant, ut comitia Pontificalia abiuret, clientelas episcoporum abdicet, neue ueluthæreditario iure filios suos successores declaret. Auentinus libro quinto Annalium. Heinricus Imperator, in Ecclesiæ consortium ab Hildebrando recipiendus, inter cætera & hanc conditionem comprobare cogitur: Si primatum iudicio penes ipsum Imperium permanserit, sub ditumse Romano pontifici semper dictoque obtemperantem futurum esse. Lambertus Schafnaburgensis.

Sumunt sibi potestatem deponendi Imperatores & Reges. Sic mandatum legatis est ab Hildebrādo pontifice, ut in Alemannia conuentu habito, maturè decernant, utri duorum regum ex æquo & bono ius cōpetat, eidemq; consensu bonorum regnum decernant, cuius causa iustior & potior uideretur: se uerò postea re cognita, quod egerint, confirmaturum, interposita omnipotentis Dei & beati Petri autoritate, qua nulla posset esse maior. Platina. Imò Hildebrandus Cæsarem Heinricum Quartum excommunicauit, eo quòd Papæ obedire recusauerit, titulumque regni Teutonicorum & Italiæ, & omnem dignitatem ei prohibuit, eos etiam qui sacramento ipsi adstricti fuerant, absoluit. Phrygio. Platina. Tandē uerò ea lege in gratiam recipitur Canusij Cæsar, ut insignibus Imperij depositis, Regio nomine & honore deinceps indignum se profiteretur: ut Lambertus annotat. His confectis, in Germaniam ad suos coniuratos, Bernhardum flaminem Romanum diaconum, Bernhardum Massilienſium monachorum præsulem, Christianum quendam Theologum professione, suscepta legatione proficisci iubet. Saxonibusque rescribit: Ne molestum ipsis sit, quòd cum Heinrico Quarto reconciliatus sit, quem magis obnoxium criminibus reddiderit, & cœlesti curiæ, non tamen regno, unde auspicato Romæ destitutus, restituerit. Auentinus lib. 5.

Excommunicant Reges & Principes, suis uoluntatibus aduersantes. Leo enim Nonus nonnullos Italiæ principes & ciuitates, tam sibi quàm Imperatori Heinrico Tertio iureiurando subiecit, Beneuentanosque adhuc rebellantes excommunicauit. Contractus. Heinricum regem ab Hildebrando excommunicatum, iam diximus.

Excitant omnes reliquos Ecclesiæ præsules, ut secū exequantur excommunicationes contra Imperatores & Reges. Hildebrandus enim dimisso Romæ concilio, in quo Heinricum anathematis fulmine percusserat, sexcenta fulmina, totidem tonitrua, diram grandinem (bullas appellant) in Galliam, Germaniam, Italiam mittit, docens, à se Regem, qui Christianam philosophiā contemnat, templū Dei subuertat, hęreticorū autor sit, & consectaneus, excommunicatum, regnoque priuatum, omnesque in Cæsaris uerba religione iurisiurandi adactos sacramento illo solutos esse commemorat. Auentinus libro quinto. Anno Colonienſis, Heinricus Tridentinus archiepiscopus, & Ottho Boiorum regulus, iussu Quarti Heinrici, legati cum mandatis in Italiam iter facientes Rauennæ ab urbis episcopo conuiuio excipiuntur: Catochum

pontificem Parmenſem, obuiam officij gratia procedentem, benignè appellant, familiariter ſalutant: utriſque autem pontificibus Alexander ſacris interdixerat. Quocirca Cæſarianos, ubi Romã uenêre, quòd aditum eorum, quos in numero ſceleratorum atq; impiorum habendos cẽſuiſſet, nõ deuitaſſent, ſalute non impartiuit. Verùm ubi rationem ipſis conſtare accepit, eoſdem datis acceptiſq; mandatis abſoluit. Auent. lib. 5 Annalium.

Qua occaſione Polonici regni maieſtatem ad ſe rapuerit Hellebrandus, Matthias Mechouienſis Polonicarum rerum ſcriptor lib. ſecundo, capite uigeſimo his uerbis prodidit: Gregorius papa ſeptimus, per lata ad ſe crudeli nece beati uiri Stanislai, dedit in mandatis ad Petrum archiepiſcopum Gneſnenſem, & omnes epiſcopos regni Poloniæ, ut interdictum generale in tota prouincia obſeruarent, & Eccleſias obſeratas clauderent. regemq; Boleslaum anathematizauit, coronam regno Poloniæ abſtulit, ne de cætero quiſpiam principum in Polonia abſq; ſpeciali conſenſu ſedis Apoſtolicæ coronaretur: abſoluit à Boleslai obedientia omnes principes, barones, uaſallos, feudarios & ſubiectos: milites uerò qui cum rege in nece beati pontificis auxilio aut conſilio conſpirarunt, cum tota eorum domo & nepotibus, ad beneficia Eccleſiaſtica habita & habenda, ad dignitates quoque & honores, uſq; in quartam generationem inhabilitauit. Hæc ille.

Excitant politicos magiſtratus, ut iuxta ſua placita perſequantur eos, quos Papa pro ſuo arbitrio execratur: ut ſatis ſuperq; funeſtum illud bellum, ab Imperatore contra Hildebrandinos geſtum, teſtatur. Rudolphus (inquit Auentinus) Romani epiſcopi opem, cuius auſpicio regnare iuſſus ſit, ſupplex implorat: petitq;, ut pontifex maximus, communis generis humani parens, ſæuiſsimũ, ſacrilegum, inceſtuoſum, ſacerdotum contemptorẽ, cuius Deus uenter, atq; ea quæ ſub uentre ſunt, ſacro enſe iugulet. Gregorius huius poſtulatis annuit: Heinricum, quòd contrà ac pollicitus fuerat, inſignia Imperij uſurpauit, rurſus diris deuouet: proceres, populũ, ſacratos, ppha nos, ſacramento ſoluit: eos qui Cæſari fidẽ frangant, principi ſuo rebellent, Rudolpho adhæreant, ab inferis emancipat, cœloque locat: hiſce incendia, cædes, & huiuſcemodi ſcelera quæ bello deſignari ſolent, indulget: alijs omnibus qui Cæſari fidem ſeruẽt, ab eo deficere, armis ſe miſceri recuſent, diras inferias q; dicit. Regem malum, ob crimina à ſe deuotum: proinde iam non regẽ, neq; illi parendum eſſe docebat: quin obſequium præſtare Deo, pietatisque eſſe, occidere eos qui Heinrico fidem ſeruarent, aſſeuerabat. Auentinus libro quinto Annalium. Coniuratos Romanorum, literis plurimùm contra Imperatorem animatos, ſcribit Lambertus.

Subditos ab obedientia erga magiſtratũ, diſſoluunt pro ſuis cupiditatibus: ut ex ſuperioribus conſtat.

MERETRIX BABYLONICA.

Libidinis uſque ad ima tartara noti ſunt pontifices. Inter mulierculas enim de ſacris philoſophatur literis Hildebrandus, Auentinus libro quinto Annaliũ. Et Heinricus Imperator eidem obijcit, quòd uulgò malè audiat, quòd familiarius, frequentiusque ſecretò atque in occulto quàm tantum pontificem deceat, cum Machtilde colloquatur. Auentinus libro quinto. His & Lambertus adſtipulari uidetur, Romanis pontificib. alioqui ſatis æquus, cum inquit: Vbicunq; Machtildæ opera (fortè etiam in lecto, ſi diuinare liceret) Hildebrandus indiguiſſet, ocyùs aderat, & tanquam patri uel domino ſedulum exhibebat officium. Vnde nec euadere potuit inceſti amoris ſuſpicionem, paſsim iactantibus regis fautoribus, & præcipuè clericis, quibus illicita & contra ſcita canonum contracta coniugia prohibebat, quòd die ac nocte impudenter Papa in eius uolutaretur amplexibus: & illa furtiuis papæ amoribus præoccupata, poſt amiſſum coniugem, ultrà ſecundas contrahere nuptias detrectaret.

Sacerdotes ſui ducis exemplum imitati quoque ſunt. Nam cum Hildebrandus pontifex publico edicto ſacerdotibus connubia interdixiſſet, ac populum eorum ſacrificijs intereſſe, aut illos pro ſacerdotibus habere uetuiſſet, ipſi pro una uxore ſexcentas ferè mulierculas domi ſuæ alebant, ut Auentinus refert. Et Salfeldiæ degentes canonicos, Seguinus Colonienſis epiſcopus ſuis ſedibus propter uagas libidines ex turbauit. Chronicon Iſennacenſe. Pauciſſimis inter ſacerdotes caſtitatem ſimulantibus, maxima pars ſub honeſto caſtimoniæ nomine ſtupra, inceſtus, adulteria paſſim & impunè committunt. Auentinus libro quinto. Et hæc quidem eſt nota Antichriſti, 1. Timot. 4.

¶ Deniq; pleriq; pontifices Romani, ſuã illam ſellam conſcendunt, aut

Corruptelis Simoniacis. Benedictus enim Nonus, Sylueſter Tertius, Gregorius Sextus, pecunia ſibi compararunt pontificatum: ut ſuprà diximus. Memorabile eſt, quod in uita Sylueſtri Stella pontificius ſcriptor ſcribit: Sic de pontificatu euenerat, qui plus

plus largitionibus aut ambitione ualeret, is talem gradum obtineret: bonis, ut Platina addit, oppressis & reiectis.

Iniusta. Benedictus enim Decimus, factione potentum intrusus est. Platina, Lambertus. De Hildebrando, in Epistola ad ipsum in hunc modum scribit Heinricus Imperator: Tu his gradibus ascendisti, scilicet astutia (quod monachica professio abominatur) pecuniam, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro sedem pacis adisti, & de sede pacis pacem turbasti, &c.

Se inuicem deposuerunt & apposuerunt crudelissimè. Gerhardus enim Florentiæ episcopus, creatus pontifex Romanus, deiecit Benedictum Decimum. Platina. Armis cruentis congrediuntur Parmensis ac Lucensis, deq; primatu in sede Romana multorum hominum cædibus decernunt. Inde querulatur Schafnaburgensis: Sic deprauata Ecclesiastici rigoris censura, hominis non ut quondam, ut præessent Ecclesiæ Dei, inermata manu trahebantur: sed ne non præessent, armata manu præliabantur, fundebátq; multò sanguinem non pro ouibus Christi, sed ne non dominarentur ouibus Christi. Idem comprobat Auentinus libro quinto Annalium.

Venena sibi inuicem propinarunt. Stephanus Bauarus Clementi Secúdo uenenum miscuit: moxq; ab eius interitu, sine cleri populi ue suffragio sacram inuasit sedem, seq; Damasum secundum uocat. adeò mos inolerat, Apostolicæ sedis per uim & dolum occupandæ. Sabell. Ennead. 9 libro 2.

CONFIRMATORES DOminationis istius.

HAnc Paparum Romanorum superioritatem aut tyrannidem potius, confirmarunt & auxerunt.

ECCLESIASTICI.

Palliorum emptione. Achelnotus enim Cantuariensis archiepiscopus, pro pallio redimendo Romam adijt. Balæus Cent. 2 script. Britan. capite 46.

Priuilegiorum postulatione. Meminuerunt enim a Benedicto Octauo Romæ accipiet priuilegium, de bonis suæ Ecclesiæ datis, & adhuc dandis. Chronicon Cosmidromii. Vuilhelmus Hirsaugiensis abbas, a Gregorio Septimo, inter Romanos pontifices pessimo, sui monasterij confirmationem impetrauit: cuius exemplar in Chronico Hirsaugiensi extat. Calsinenses monachi ab Alexandro Secundo, & Vrbano Secundo, suarum facultatum priuilegia acceperunt: quæ Chronico Calsinensi adiuncta sunt.

Appellatione ad ipsos. Meginherus enim Hirsfeldensis abbas, Nicolai Secundi opem contra Halberstadianum episcopum, qui suam falcem in monasterij messem immittebat, implorat. Lambertus. Et Bambergensis clerus, Romani pontificis opem contra suum episcopum expetit. quod, ut idem autor ait, ualidissimum, & in sancta Ecclesia ultimæ semper necessitatis unicum esse consuenit præsidium.

Adulatione & laude immodica. Frideri cus enim frater Godefridi Cardinalis, mittitur à papa legatus Constantinopolim: ubi in dicta synodo, cum Imperator Constantinopolitanus & Patriarcha eidem obtemperare dedignarentur, egressus urbe Fridericus scandalia sua more Apostolorum publicè super eos excusit. Quo quidem facto tantum terrorem omnibus Constantinopolitanis incussit, ut Imperator & Patriarcha cum clero & populo, sequenti die sacco & cinere obuoluti ad eum procederent, & Apostolicam authoritatem in eo proni in terram adorarent. Heinricus de Erfordia. Ademarus Anicienſium & Gulielmus Arausien sium episcopi, ad pedes Romani pontificis in Synodo Claremontensi apud Gallos accedentes, facultatem ad sacrum eundi bellũ petunt. Paulus Aemylius libro quarto.

In Mantuano concilio omnes episcopos, Romanum pontificem ueneratos esse, & Apostolicam sedem magistram recognouisse, scribit Aeneas Syluius libro tertio Epit. Blondi.

POLITICI.

Petẽtes à Romanis inaugurationem. Polonia enim sub annum Salutis millesimum quadrágesimũ primũ rege orbata, proceres regni consilium ineunt, de reuocando Cazimiro regni hærede, uti diximus, qui tum in monasterio apud Cluniacũ degebat. Papam ergo Benedictum Nonum per legationem sollicitant, humiliter petentes, ut Cazimirũ à religione absolutum, ad regnum hæreditarium, quod penè iam desolatum erat, redire iubeat. Papa occasionem nactus ad opes Romanæ sedis augendas, his conditionibus regem ex monasterio eductum Polonis restituit. Primùm, ut Poloni successoribus S. Petri, Romanis scilicet pontificibus, de quolibet capite usualem nummum annis singulis soluerẽt: deinde, ut cæsariem capitis & comam non nutrirent, sed patentib. auribus more Latinorũ, caput tõsum haberent: tertiò, ut in præcipuis Christi & Virginis matris eius festiuitatibus, panno lineo albo, in modũ stolę depẽdente, ceruicẽ exornare ppetuò essent astricti: ut his ceremonijs obseruatis meminisset, regẽ sibi à papa Romano datũ, q monachus atq; diacon⁹ fuerat. quo, ut papæ quidẽ uisũ fuit, beneficio, Polonos omnino

seruituti Romanæ sedis subdidit. Chron. Pol. libro 2, cap. 13. Balæus libro 5 de Rom. pontificum actis. Cromerus lib. 4 de rebus Polonorum.

Imperator Heinricus Quartus Romam humiliter, utpote ueniam ab Apostolico petiturus, inimicis id quidem non sperantibus, tetendit: inuentoque Papa in oppido Canusino, ibi per triduum ante portam castri, deposito omni regio cultu, discalceatus & laneis indutus perstitit. Nec prius cũ multo fletu, Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, quàm omnium qui ibi aderant precibus & lachrymis intercedentibus, laxato tandem anathematis uinculo, in communionis gratiam & sinum matris Ecclesiæ receptus est. Chronicon Vrspergense.

Petentes ab ipsis doctores, & suarum Ecclesiarum reformatores. Sub idem tempus (Romanam scilicet sedem Nicolao Secũdo tenente) inquit Sabellicus Mediolanẽsium legati Romam uenêre, ueteris contumaciæ ueniam precaturi: petentes adhæc, ut ad se aliquis à pontifice remitteretur, qui perditos mores cleri suo arbitrio in integrum restitueret. Missus est Petrus Damianus Hostiensis antistes, uir Pontificij Cæsarijque iuris scientissimus. Is Mediolanẽsem antistitẽ, Brixianum, Taurinensem, Astensem, Albẽsem, Vercellensem, & cum his ignobilia cleri capita oppido multa Simoniacæ fraudis & concubinatus cõperta, leni castigatione, qualem temporis conditio postulabat, adhibita, ad sanctioris uitæ institutũ retraxit. Idẽ lib. 3 Enneadis 9.

Petentes ab ipsis confirmationes monasteriorum & templorum. Heinricus enim Secũdus Imperator, ab ipso Benedicto Octauo, Romano Antichristo, Bambergensis episcopatus confirmationem & dedicationem coràm fieri petijt, atq; impetrauit. Pontifici itaq; urbi iam appropinquanti Imperator unà cum principibus regni, qui tum aderant frequentes, ac clero ac populo uniuerso honoris causa fit obuiam. Præordinati autem fuerunt in eius occursum, prudenti Imperatoris consilio & ingenio, quatuor psallentium Chori: quorum primus in ulteriore fluminis ripa Papam expectabat, secundus in citeriore, tertius apud ciuitatis portam: quarto loco hominem, seu potius Idolum illud, Heinricus excepit in gradibus ecclesiæ Cathedralis nouellæ, quem quidem accedentem mira beneuolentia complexus est. Inde post datam acceptamque salutem, basilicam ingressi Pontifex in sede episcopali collocatur. Fuit aũt feria quinta maioris Hebdomadæ. Cõsecrationis uerò beneficium ea obtinuit Imperator conditione, ut quotannis ex illa Ecclesia Romano fisco cederent centum argenti marcæ, cũ equo albo & phalerato, quo meretrix illa ueheretur. Chron. Bambergense. Balæus libro quinto de Rom. Pontificib.

Reijcientes controuersias ad ipsos. Etcus enim Daniæ rex, contra Liemarum archiepiscopum Hamburgẽsem Romam pro uocat: ipseq; rex eò proficiscitur, suamq; causam coram pontifice agit. Dania Crantzij libro quinto, capite secundo. Robertus Apuliæ dux, belli successu contra Bagelardum auctus, ut res suas ualidiùs stabiliret, egit cum Nicolao pontifice, oratoribus ad id Romam missis, ut ad res Apuliæ Calabriæque componendas, ne grauaretur in rem præsentem uenire. Nicolaus, qui omnia circa urbem habebat crebris rebellionibus infesta, cupiebatq; uehementer pontificiam dignitatem extremis opibus, quando domesticis non posset, ab omni metu & iniuria uindicare, Guiscardo gratificatus in Apuliam proficiscitur. Hic primum omnium Guiscardum, anathematis telo iam antea petitum, in Christiani cœtus cõmunionem restituit: Apuliæ & Calabriq; ducem declarat: conditione tamen, ut Beneuentum, Troiam in Apulia & cætera quæ pontificiæ ditionis tenebat, restitueret, essetque Apostolicæ sedis Ligius, qui subditus interpretari queat. Mitteret ad hæc, quoties opus esset, Romano pontifici auxilia: aut ipse cum omnibus copijs suppetias ferret, si quando urgeret necessitas. & illi his inter se legibus fœdus occultè percusserunt, ne rebelles ad res nouas consurgerẽt, Ecclesiæ partibus nondum firmatis. Romã inde reuersus, ex ijs qui rebus nouis studebant, quosdã ad obsequium retraxit, Normannicis fretus armis. Sabellicus lib. 3 Enneadis 9. Sueuos & Saxones omnem quã cum Heinrico habuerunt litẽ, ad Romanũ pontificem reiecisse, ut ipsius iudicio ea dirimeretur, indicat Lambertus.

Legatos ipsorum nimis subiectè honorantes. Vt Friderico Constantinopoli factũ fuisse, paulo antè indicauimus.

Dona nimis multa eis tribuentes. Cunctas enim quas habuit possessiones Mathildis, (potentia & opibus uix tulla inferior sua ętate: contra ipsum enim Imperatorẽ arma cape nõ est uerita) ad altare S. Petri obtulit, quæ in hũc usq; diẽ patrimoniũ S. Petri uocantur. Martinus Polonus in Chron.

Papas nimium uenerantes. Vladislaus enim Polonorum princeps, statim initio regni sui, ad põtificẽ maximũ, de tollendo interdicto, quo Polonia uniuersa ob necẽ Stanislai episcopi obnoxia, sacris se abstinebat, oratorẽ fortè multo auro onustũ, (qđ plurimum

nium in Romana curia & ponderis & autoritatis omnibus habuit seculis) misit, uirum eruditum & eloquentem, Lampertũ quendam, equestri apud Polonos ortum familia, canonicum Cracouiensem: quem tum Pontifex diuo Stanislao successorem dedit, & sublato interdicto episcopũ remisit. Crombrus lib. 5. Nonnullos exterarum gentium principes, missis ad pontificem Romanum literis (sub annum 1049, ubi tum Leo Nonus dominabatur) utpote Apostolicum uirum, per legatos subiectionem ipsi promisisse, Contractus narrat.

Principes & episcopi qui Triburiæ conuenerant, Heinricum Imperatorem aduersus iusticiam & ueritatem Dei, & sanctæ Romanæ ecclesię autoritatem se extollentem, ad nutum pontificis Imperio exuẽdum decernunt: Romanum pontificem Augustam, & pòst in Forcheim pro regni negocijs constituendis euocant. Lambertus.

QUI SE OPPOSUERINT DOMINATUI & tyrannidi Antichristi Romanorũ pontificũ.

IMPERATORES.

DEposuerunt non legitimè electos, & substituerunt alios. Heinricus enim Tertius statuit, neminem ad pontificiam sedem assumendum, nisi Imperatoris accedat autoritas & consensus. Nauclerus uolumine 2, generat. 36. Post Stephani obitum, Romani missa legatione ad Imperatorem Heinricum Quartũ fidem quam Patri olim dedissent, ipsi se seruaturos promittũt: eaq; de causa (inquiunt) uacanti Romanæ Ecclesiæ pontificem non subrogasse, sed ipsius potius expectare sententiam uoluisse. Orantq; sedulo, ut quem ipse uelit transmittat. Nihil eius ordinationi obstare, si quis non per legitimæ electionis ostium, sed aliunde ascendisset in ouile ouium. Rex habita cum primoribus deliberatione, Gerhardum Florentinum episcopum, in quem & Romanorum & Teutonicorum studia consenserant, pontificem designat, Romamq; per Gotefridum marthionem transmittit. Ita Benedicto, qui iniussu regis & principum, sacerdotium usurpauerat, reprobato, Gerhardus, qui & Nicolaus Secundus, pontificatum obtinuit. Et pòst idem Imperator, ob Hildebrandum ipso inconsulto pontificem designatum, grauiter cum Romanis per Eberhardum comitem expostulat. Schafnaburgensis. Victor pontifex huius nominis secundus, Heinrici Imperatoris potius priuilegio, quàm liberis suffragijs cleri populiq; (ut habet Chron. Bambergense) dignitatem adeptus est. Erat enim Heinrici potentia clero & uniuersæ ciuitati formidolosa, præsertim post iusiurandum, quod sanctissimum in eius uerba iurauerant: neminem uidelicet ciuium, summorum pontificum creationi interfuturum, nisi Imperatoris permissu. id si aliquo modo uiolassent, apparebat fore, ut uelut impij exitiali bello ab eo plecterẽtur. Sabellicus Enneadis 9 lib. 3.

Puniuerũt flagitiosos, seditiosos, alastores. Ad hæc rerum monstra (inquit Sabellicus de Romanis pontificibus agens) è medio tollenda, Heinricus Tertius cum exercitu transijt in Italiam. celebri inde antistitũ conuentu, quem Romæ habuit, Benedictum qui pontificatum uendidit, Gregorium qui emit, & Sylueſtrum qui largitione in paucos dies incestauit, tanquam tria mõstra auersatus, coegit se dignitate abdicare: Sindegerum Bambergensem antistitẽ, pontificem creauit, qui se Clementem Secundũ dixit. lib. 2 Ennead. 9. Lamb.

Synodos contra eos congregarunt. Concilium enim Mantuam in Quinquagenales ferias Heinricus Quartus indicit, eò Honorium & Alexandrum concedere iubet, decretoq; Patrum stare præcipit. Auentinus li. 5 Annalium. Et contra Hildebrandum, Vuormaciæ Synodum episcoporũ frequentẽ idẽ coegit: ubi omniũ iudicio, pontificia sede indignus, & deponẽdus cẽsetur. Crantzius lib. 5, cap. 5 Saxoniæ. Syluius li. 3, in Blondi decades. Auentinus.

Dederunt ipsi episcopos & doctores. Mersburgensibus enim ab Heinrico Secundo Brunonem datum fuisse episcopum, in Chronico Mersburgensi lib. 2, cap. 8 scribitur. Fruxini natalem Domini agentem Imperatorem Heinricum Tertium, Romanorum legati post Damasi obitum adeuntes, petitum pontificem, Brunonem Tullẽsem impetrant episcopum: ut scribit Heinricus de Erfordia. Hermanno Bambergensi episcopo, qui de Simoniaca (ut uocant) hæresi conuictus fuerat, Romę depositio, statim ab Imperatore Robertus substituitur. Crantzius in Saxonia li. 5, ca. 5. Hoc tẽpora tulerũt (inquit Crantzius) sub Heinricis, ut episcopi & abbates ab regibus inuestirentur. Metropoleos li. 4, ca. 31.

PRINCIPES ET REGES.

Mandata pontificum Romanorum non sunt executi, & contempserunt. Anno 1094, rex Angliæ non multum fauebat Ecclesiæ Romanæ, quia solito impudentius munera postulabat. Nullum igitur de suis permittebat Romam abire: allegans, quòd Petri uestigijs nõ inhęrerent, prẽmijs inhiantes: nec eius potestatem retinerent, cuius

cuius sanctitatem probarentur non imitari: ut Matthæus Parisiensis in Compendio historiarum Angliæ, & Catalogus testium ueritatis, habent.

ECCLESIASTICI.

Iniquis postulationibus & decretis resistentes. Aduersus Hildebrandi decretum (quo magna seueritate sacerdotum coniugia damnabat per uniuersum Christianum orbem) infremuit tota factio clericorũ: hominem planè hæreticum, & uesani dogmatis esse clamitans. Quòd si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotiũ quàm coniugium deserere. Nauclerus uolumine secundo generationis trigesimosexto. Schafnaburgensis. In Scholijs uerbi abbreuiati Cantoris Parisiensis legimus, S. Lucã de Hungaria excommunicasse quẽdam hominem, nescimus ob quod scelus: qui mox ad papam Alexandrum Secundum profectus, facilè pecunia absolutionẽ emit. Verùm S. Lucam nihil absolutione, autoritate & minis papę, tanquam iniustis, motum, secundò & tertiò eundem, quandoquidem sibi non satisfecerat, excommunicasse. Quare offensum papam primùm suspendisse illum beatum Lucam (fortè fuit episcopus) mox etiam excommunicasse. Adeò autem non motum de sua sententia excommunicationibus papæ Lucam, nec ueniam petijsse, ut & mortuus sit in ea excommunicatione: secuta uerò esse non pauca miracula post Lucæ illius mortem, quibus Deus pietatem & sanctitatem eius sit testatus. Si hæc Papistarum Historiola uera est, discant & inde, sæpè Papæ mandata & excommunicationes sine peccato ac ira Dei contemni posse. Cognoscant etiam, quàm parui hic sanctus uir, alijque quàm plurimi, Antichristi Romani minas, excommunicationes & autoritatem fecerint: eosque imitentur. Catalogus testium ueritatis. Quòd sacerdotibus connubijs interdixit Hildebrandus pontifex: plerisque episcopis, alijs eruditis, simplicibus, apertis atq; bonis (præter coniuratos, qui suæ causæ seruiebant) nouum dogma omnium maximè pestifera hæresis, quæ unquam Christianum perturbasset regnum, uisa est. Quamobrem Italiæ, Germaniæ, Galliæ pontifices, Quinquagenalibus Moguntiaci, septimo calendas Iulij, apud Brixinam Boiariæ (ut ait Otto Fruxinensis episcopus) urbem conueniunt: Hildebrandũ contra pietatem Christianam, uerbis factis agere facere decernunt: eundem ambitus, hæreseos, impietatis, sacrilegij condemnãt. Auentinus lib. 5 Annalium. Et Scotus ait: plures clericos sub sententia interdicti Apostolici manere maluisse, quàm uxoribus carere. Moguntini præsulis Luitpoldi contra Romanum pontificem parrhesian quandã, ob degradatum suum diaconum, Vrspergẽsis in literas retulit: ut sequenti Capite dicetur. Satis etiam acerbi Vuormaciæ congregati episcopi, Romanũ illum Hildebrandum literis compellant. Quia, inquiunt, introitus tuus tantis periurijs est initiatus, & Ecclesia Dei tam graui tempestate perbusionem nouitatum tuarum periclitatur, & uitam per conuersationem tam multiplici infamia dehonestasti: obedientiam, quam tibi nullam promisimus, nec decæterò ullã seruaturos esse renunciamus. & quia nemo nostrûm, ut tu publicè declamabas, tibi hactenus fuit episcopus: tu quoque nulli nostrûm amodò eris Apostolicus. Idem. Et Vuilhelmus Traiectensis episcopus, studio partium Regis multa in iniuriam Romani pontificis. Omnibus penè diebus solennibus, inter Missarum solennia, rabido ore declamabat: periurum eum, adulterum & pseudoapostolum appellans: & tam à se, quàm à cæteris episcopis sæpenumero excommunicatum pronuncians. Licet non multo pòst eum facti sui pœnitentia ductum, & Romani pontificis innocentiam multis cum lachrymis contestatum, scribat Lambertus: quia uel minis, uel blanditijs fuit fascinatus.

Antichristi tyrannidem animaduerterunt & strinxerunt etiam alij. Nam Valtramum Nienburgensem episcopum pro Heinrico Quarto contra Romanum pontificem scripsisse, Trithemius narrat. Et Auent. ait: Cùm omnia bellis in orbe Christiano arderent, quarum calamitatum fax & tuba Hildebrandus credebatur, plerique tum priuatim tum publicè indignum facinus clamitant: pro concione ipsi maledicunt, maleque precantur: ipsum odio atque libidine dominandi præcipitem uociferantur, ne Antichristum esse prædicant. Pietatis sub specie (inquiebant) debacchatur, honestis nominibus bonum publicum simulat: titulo Christi, Antichristi negotium agitat: in Babylonia, in templo Dei sedet: super omne id quod colitur, extollitur, quasi Deus sit: se errare non posse gloriatur: in exolenda gloria sua, pertinaci spei atque concupiscentiæ Imperatoris suo arbitrio constituendi, se deuouit. Homines non peccatis, sed lege Christi, atque sacramentis soluit: pacem atque pietatem religionis nostræ labefactat: bella, seditiones concitat: stupro, cædi, periurijs, perfidiæ, rapinis, incẽdio indulget. nõ solũ ad ambitionẽ suã occulẽdã fabulas cõminiscitur, annales corrumpit, res gestas inuertit: sed etiã cœlestia oracu-

oraculaadulterat: diuinas literas falsò interpretando fuæ libidini seruire cogit, sacram historiam lacerat, inter mulierculas de sactis philosophatur literis. Quicquid dixerit, legem Dei putat: ad auiditatem suam incongrua conquirit testimonia, sententias deprauat, ad uoluntatam suam scripturam trahit repugnantem. Nimium sibi de Pharisæorum supercilio sumit, ut quosque damnare uel soluere arbitretur: cum apud Deum non sententia sacerdotis, sed uita hominis quæratur. Prætexa Hildebrandus ille diuinæ maiestati refragatur, dum Christianissimo principi diuinitus constituto & à Deo inaugurato resistit: uersutus, fallax, obscurus, callidus, imperium orbis, titulo Christi, sub ouina pelle ambit. Alios, pecudes ignauas, stultos, stipites, caudices, asinos, qui eius syncophantias, uaframenta non intelligant, putat. Huc omnes neruos intendit, ut duce gregis oppresso, in ordinemque redacto, in oues desertas præsidio Imperatoris, licentius impuniusque grassetur. Si omnis potestas à Deo est, maxima quoque, Cæsarea nempe, ab eo sit necesse est. Christus, cum eum populus rebus imponere conaretur, aufugit: & duos de hæreditate ambigentes, qui eum arbitrum cœperant, ad Cæsarem, cui imperium orbis terrarum commissum est, ablegauit. Pontificibus quoque Iudæorum præcipit, Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari: cui uectigal soluit, tributum pendit, censum dedit. Idem nos diuus Petrus docet: Deum timete, regem honore afficite. Diui Pauli præceptum est, Fidem regi seruate. Quòd si quispiam cœlitum aliter docuerit, deuotus esto. Flagitium huiusce modi Hildebrandi inexpiabile, scelus hactenus inauditum, procul ab orbe Germano abigendum, ensque (quem Imperator supremus ad uindictam malorum Cæsari tradidit) resecandum, lupus sub ouina pelle sæuiens ferro tollendus. Septimus ille non uerbis & disputationibus, sed uinculis & carcere fatigandus est. Nempe dictum est à Christo Deo optimo maximo, Petro, eius successoribus, Romanis episcopis: Vade retro sathana, offendiculum mihi es. &, Qui gladium acceperit, gladio pereat. Cape tibi hoc bestia. Auentinus libro quinto Annalium Boiorum.

Romanum, nullum post hęc pontificem maximum capturos, nisi quē Cæsares more maiorum legerint, iurare adigit. Suidgero itaq;, qui Clementis Secūdi nomē usurparat, defuncto, nuncijs Romanis, qui Poletam usq; (Saxoniæ oppidum est) Imperatorem secuti fuerant, pontificem sibi postulātibus, Popponem Sabonæ Noricorum episcopum substituit, qui Damasum Secundum se appellauit. Auentinus 5 Annalium.

Heinricus Quartus rogatus ab episcopis Italiæ, Parmensem dat: uerùm hūc postea repudiat. Misso Colonienſi legato, Luccēsis ordinatur. Schafnaburgenſis. Et ab Imperatoribus Ecclesijs episcopos datos, suprà indicauimus.

Puniebant facinorosos, seditiosos, contumaces. Sic Mediolanēsem & Cremonēsem episcopos, quòd cōtra Imperij dignitatē deliquissent, Conradus Imperator cepit, & exilio mulctauit. Chron. Cosmidromij. Heinricus Tertius Vuidgerū, qui biēnio ineptè & crudeliter, necdum cōsecratus, Rauēnatensem tenuerat sedem, loco mouit, Anno 1046. Hermānus Cōtractus. Nitgerum Fruxinensem, ob necem fratrū ignominiosam nimis proteruum Rauennam relegat, ubi subitò interijt. Gebhardum Reginoburgi episcopum, frequenti senatu parricidij & læsæ maiestatis accusat idem Imperator. Et crimen primò dissimulantem, negantemq;, attamē manifestis indicijs conuictum, in uincula cō ijcit, & diligēti custodia obseruari iubet. Et Bambergensem episcopum Quartus Heinricus ambitus condemnat, albo pontificum eradit, Rupertumq; substituit, sic & Brunonem, quem Metensibus dederat episcopum, idem Imperator mox ob sęuitiā iterum deponit. Auentinus quinto Annalium.

Synodos cōgregabant. Synodum enim Vuormaciæ contra Hildebrandum ab Imperatore coactam, suo loco diximus.

Episcopatus constituebant & transferebant. Bambergensem sedem episcopalem, Heinricus Secundus Imperator fundauit, eamq; amplissimis redditibus ditauit. Vrspergensis. Scotus Anno 1007, ut habet Chronicon Bambergense.

Monasteria extruebāt. Heinricus enim Secundus Imperator, monasteria & sacras ædes superiori seculo ab Vngaris uastatas, magno studio reparauit. Auentinus libro quinto Annalium.

Priuilegia dabant. Anno 1079, calend. Februarij, Heinricus Imperator D. Mariano Scoto, eiusq; socijs, eius tēpestatis doctissimis mathematicis, poetis, historiographis diploma dat, eosdēq; immunitate donat. Idē.

Episcoporū opera in legationib. utebātur. Heinricus enim Secūdus Romę à Benedicto octauo

DE OFFICIIS POLITICI

magistratus, in iuuanda gubernatione, & conseruanda disciplina Ecclesiastica.

IMperatores, episcopos Romanos eligebant & cōfirmabant. Heinricus enim Tertius, sacerdotes, flamines, senatū, populūq; 60

octauo, internuncio Vualthero Spirensi episcopo, data acceptaq; utrinq; fide, coronatur. Auentinus quinto Annalium. Seuerum Pragensem episcopum cum alijs proceribus, qui bellum iramq; deprecarentur, ad Heinricum Tertium Bohemi mittũt. Idem Imperator Brunonem Herbipoleos episcopum, cum uiris & fœminis ad Vuilhelmum Narbonensis prouinciæ præfectum ablegat, eius filiam Hagnam sibi uxorem expetitum. Ibidem. Albericum & Ludouicum suos capellanos, Heinricus Secundus pro impetranda confirmatione Bambergensis diœcesis, Romam ad pontificem ablegauit. Chronicon Bambergense. Anno archimysta Agrippinensis, Heinricus Tridentinus pontifex, Otto regulus Boiorũ, iussu Heinrici Quarti, legati cum mandatis in Italiam transitum faciunt, Italiæ regiones lustrant, censum, conuentus agunt, ius dicunt. Idem etiam, fusis hostibus, Osnaburgensem Virdunensemq; episcopos, Romam cum mandatis proficisci iubet: postulatq; à pontifice maximo, ut siquidem secum syncerè in gratiam redierit, tyrannum immanissimum, Rudolphum scilicet, perfidum parricidam (qui affinitatis uinculo, fideique religione uiolata, bellum plus quàm ciuile excitarit, pacem interturbarit) pro republica deuoueat. Auentinus libro quinto Annalium. Anno millesimo septuagesimotertio, Anno Colonienſis & Hermannus Bambergensis episcopi, Romam missi sunt, pecuniam, quæ regi debebatur, congregandi gratia. Vrspergensis. Burchardum Treuirensis ecclesiæ prępositum, ad Rutenorum regem misit Imperator, monitum, ut regno ultro decederet, ac fratri de illatis iniurijs satisfaceret, ni Germanorum arma experiri malit. Lambertus. Moguntino usus legitur Heinricus Quartus, ad Saxones: apud eundem. Gero Magdeburgensis & Arnolfus Halberstadiensis episcopi, nomine Imperatoris, qui tum alijs rebus Francofurti occupatus detinebatur, cum Misecone Polonorum duce, Saxonum fines infestante, de pace agũt. Chronicon Magdeburgense.

Hæreticos puniebant. Heinricus enim Tertius natalem Domini Goslariæ agens, quosdam ibi hæreticos inter alia praui erroris dogmata, Manichæa secta omnis esum animalis execrantes, consensu cunctorum, ne hęretica scabies, latiùs serpens, plures interficeret, in patibulis suspendi iussit. Hermannus Contractus.

Idololatriam abrogabant. Godschalcus Vandalorum princeps, ex Dania, ubi multos iam annos, ob crudelitatem patria eiectus, exularat reuersus, ad Christianam restaurandam religionem, quam prius extremè oderat, animum adiecit. Huius igitur consilio & opera, infinita gentilium multitudo idololatria abiecta, Christianum nomen amplexa fuit, sacræ ædes reparatæ & hinc inde uiros doctos, qui nouellam iuuarent plantationem, conquisiuit: ut Cranzius libro tertio, capite primo copiosiùs annotat. Heinricus nefando Slauorum paganismo extirpato, Bambergensem episcopatum erexit. Chronicon Bambergense.

Reformationes & bonas leges promulgabant. Heinricus Secũdus & Robertus Francorum rex, de Ecclesiæ statu corrigendo, quid'ue cum Romano prędsule acturi essent, cum conuenissent Patauij, prius sua contulère consilia: ut Hedio parte tertia Ecclesiasticæ historiæ libro nono, capite tertio indicat.

Boleslaus rex Poloniæ, hominibus Ecclesiasticis omnium onerum, laborum & pensionum regi & reipublicæ præstandarum, immunitatem sempiterno iure concessit. Cromerus libro tertio de rebus Polonorum.

QVAE A' VIRIS POLITICIS *contra suum officium & Ecclesiæ utilitatem gesta sunt.*

ROmani pro cupiditatibus euehebant ac deijciebant pontifices suos. Benedictum Nonum deturbant, Syluestro substituto: mox hunc uicissim deijciunt post dies 49, & Benedictum denuo exaltant. Platina.

Falsos cultus tutabantur. Vandali orientales idolum Radigast, in ciuitate ab eo denominato, retinent ac tutantur. Vandalia Crantzij lib. 3, cap. 2.

Bonos doctores oderant & persequebantur. Petrus Vngarorum rex pontifices, qui ab iniusta ui cõtra Gisalam reginam D. Stephani uiduam, eum dehortabantur, affligit, loco mouet, & suæ farinæ sacrificulos substituit. Auentinus libro quinto Annalium.

Nimis multa templa & monasteria ædificabant. Ladislaus enim Vngarorum rex, cùm post tot bella se in ocium reuocasset, in Bihoriensi agro inter uenandum cœlesti admonetur internuncio, (Diana ꝓculdubio fuit) ut ad Chrysium fluuium diuæ uirgini basilicam dicaret, eamque adiecto populo muniret: quem locum magnę Matri gratissimũ futurũ esse significabat. Diuina statim mandata præstitit: magnificentissimæ ædi erecta, pontificem ei præfecit: oppidum fundauit, Varadinumq; iussit appellari: pontificiam ædem ampliſsima donatione, diuini cultus gratia, exornauit. Bonfinius

finius lib. 4 Decadis secundæ. Boiorum primores undeuiginti ædes sacras, isto seculo mystis, monachis, uirginibus, in Norico & Vindelicia condiderunt. Auentinus lib. 5 Annal.

Nimis multa Ecclesijs aut monasterijs dabant. Bambergensib. enim mystis plerasque prædia, uicos, syluas, castella, arces, oppida Austriæ, Boiariæ, Charionum, Styriorum, Lyburniæ, Noricorum Breonium perpetuò donat Heinricus Secũdus, quę adhuc possident. Insuper Abudiacum, uicunabula sua, addicit: patrimonium prętereà suum dotemq; Chunegundæ ijsdem destinat. id quod Imperatricis fratres, alijq; magnates grauiter reprehenderunt: nihil aliud ea profusione agi dictitantes, quàm ut fenestra sceleribus aperiatur, alioqui otiosis sacrificulis, paupertaté Christi professis: nihil illis, cum ditati forent, flagitiosius futurũ. Auent. lib. 5 Annal. Meinuuercus episcopus, insignis mendicus, Padebornẽsi ecclesiæ ab Imperatore comitatum Vuertberch, comite Dedicone sine liberis decedente, emendicauit. Chron. Cosmidromij.

Nimis magna priuilegia Ecclesiasticis dabant. Heinricus, eius nominis Secundus, Imperatorum primus, sacerdotes & monachos dotauit, ipsisq; uenationis ius concessit. Auent. 5 Annalium. Et quod in Chronico Bamb. scribitur, placet hoc quoq; loco cõmemorare, quod Heinricus unà cũ Chunegunde, pro firmiori episcopij Bambergensis subsistentia, summa prouidentia instituit. Vidit enim opus esse, ut principes quoq; seculares aliquo honoris genere impellerentur, ad benefaciendum nouellæ Ecclesiæ per eum fundatæ: maximè uerò cum propter rerum temporalium iurisdictiõem & gladij potestatem, episcopi Bambergenses rẽ suam aliquando ense & milite tutari cogantur. Obid quatuor principes seculares, Romani imperij electores, ad hoc delegit, ut in ea celebritate, quando primùm nouellus episcopus Bambergam de more intrat (quod fieri solet ingenti cum pompa, ac totius populi applausu) ipsi tum adessent, ac gratulationis honorisque causa certo in ministrando fungerentur obsequio. Marchionem etenim Brandenburgensem Cameræ præponi uoluit: comitem Palatinum Rheni, qui dapes: ducem Saxoniæ, qui ensem ferat: Bohemiæ uerò regem pincernam constituit. Proinde hi appellati sunt supremi officiales episcopi Bambergensis. De his siquidem officijs, præfati principes etiam hodie ab episcopo Bambergensi, iure feudi inuestiri consueuerunt. Verùm cum hi principes seculares in remotis agant, nec per se huiuscemodi officia exercere ualeant, alios suo loco substituerunt. Singuli igitur principes alios militaris generis uiros in eorum locum posuerunt, qui eorũ in hac parte repręsentaren t personas. Eandem porrò ecclesiam Heinricus Tertius amplissimo donauit priuilegio, quod etiam subijcere libet: Heinricus Dei fauente clementia rex. In examine Dei cuncta conspicientis, æquale meritum credimus fore dantis & corroborantis. Credimus etiam, ad regalem nostram maiestatem pertinere totius regni curas: præcipueque omnium sanctarum Dei ecclesiarum commoda desiderare, & omnia eis aduersantia sub omni festinatione abolere, ne uel grauii incommoditate uilescant, uel qualibet pro nostra culpa orta occasione à pristino cultu & religione recedant: quatenus dum hæc pro amore, pariterque timore Dei fideliter peragimus, illorum qui hoc pio affectu Deo contulerunt, meritis & gloria communicemus. Proinde omnibus in Christo fidelibus, scilicet tam futuris quàm præsentibus, notum esse uolumus, qualiter ob hanc spem, per interuentum dilectissimæ matris nostræ Gisilæ, Imperatricis Augustæ: pro amore etiam dilecti fidelisque nostri Eberhardi, primi sanctæ Bambergensis ecclesiæ episcopi, eundem locum à diuo Imperatore Heinrico Secundo, pro sua suorumque anima in episcopatum diuina inspirante clementia, perfectæ fidei charitatisque deuotione, in honore principis Apostolorum Petri, & sancti Georgij martyris sublimatum, consensu fidelium nostrorum sancimus, & omni contradictione remota, Regalis nostræ maiestatis autoritate corroboramus: omnes etiã res mobiles & immobiles, eiusdẽ sanctę Dei Ecclesię, quas ipse Diuus Impator proardore cœlestis patriæ ibidem larga manu contulit, ea ratione confirmamus, ut fidelis noster Eberhardus, eiusdem loci primus episcopus, eiusque in perpetuũ successores, secura eas tranquillitate possideant: & liberam potestatem habeant, res & proprietates eiusdem Ecclesiæ cum consensu cleri & populi ordinare, componere, communicare & augmentare. Nostra quoque autoritate sancimus, ut in abbatijs, monasterijs, comitatibus, foris, mercatibus, iumentis, naulis, telonijs, castellis, uillis, uicis, areis, seruis, ancillis, tributarijs, decimis, forestis, syluis, uenationibus, piscationibus, molendinis, aquis, aquarum'ue decursibus, campis, pratis, pascuis, terris cultis & incultis, libris, auto & argento, gemmis, uasis, ornamentis, uel aliquibus utensilibus in cultum & religionem Dei ibidem collatis. Et in omnibus

bus terminis, rebusque eiusdem Ecclesiæ, aut quicquid ad præsens illud pertinet, uel ex his amplificari potest, nulla sit infestatio tyrannorum, nulla potestas ibi per uiolentiam irruat. Nullus ibi comes aut iudex legem facere præsumat, præter episcopum eiusdem loci. Omnisq; possessio Deo famulantium ibi pro immunitate habeatur. Sit ille episcopatus liber, & ab omni extranea & iniqua securus potestate, quatenus ibidem Deo famulantes, & primi constructoris memoriam dignè celebrare, nosq; fautores & corroboratores possint & uelint Deo precibus suis commendare. Et ut hæc nostra autoritatis traditio firma & inconuulsa permaneat, hoc priuilegium inde conscriptum, manu propria corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Ibidem.

Bona Ecclesiastica sibi rapiebant. Comes enim quidam, Hirsaugiensis cœnobij bona rapiebat, imposito œconomo, prohibens ne abbas eligeretur. Chronicon Hirsaugiense. Heinricus rex Augiensis, cœnobij prædia in suos milites erogari multis ab abbate contendit precibus. Lambertus.

Stulta superstitione politici magistratus fiebant monachi. Heinricus enim Tertius Imperator Argentinam aliquando ueniens, fratrum in maiori ecclesia degentium regulam amplexus est. Verùm cum eam seruare integrum non esset, sacerdotem quendam substituit, qui suo loco factis præesset, cuius præbenda hodie Regularis dicitur. Nauclerus uolumine secundo, generatione 34.

CAPVT VIII.

DE SCHISMATIBVS *ac diſsidijs multiplicibus.*

SVB HEINRICO SECUNDO, *papale diſsidium.*

BEnedictus Octauus, Heinrici Imperatoris protectione securus erat in sua sede: uerùm eo defuncto, à malo uolis deijcitur. Mox autem cum ipsis in concordiam rediens, pristinæ suæ dignitati restituitur, adulterino pontifice remoto. Narrat Petrus Damianus, episcopum quendam hûc Benedictum post obitum in solitudine conspexisse, nigro equo insidentem: & interrogatum respondisse, eam esse causam cur mortuus atro equo ueheretur, quia pecuniam defodisset, quæ ex rapinis pontificijs more solenni fuisset collecta, eamque esse suo nomine erogandam. ac locum commonstrauit, ut alibi etiam diximus. Platina, Onuphr. Crantzius in Metropoli lib. 5, cap. 1.

DISSIDIVM INTER MONACHOS *Hirſaugienſes, de abbate eligendo.*

MOrtuo Cunrado, decimo monasterij Hirsaugiensis abbate, horribile & diuturnũ schisma incidit, quod quidé fuit ei congregationi supra modum perniciosum. Nam duo monachi, qui Euerhardo superiori schismate adhæserunt, iam quoque à comite uicino instigati, electioni abbatis legitimæ sese opponunt. Huic altercationi interuenit comes, prohibens multis sęuis minis, ne ullum abbatem deligant: se enim ipsis discordantibus daturũ abbatem. Cum autem comes ueluti coruus inhiaret prędę, œconomum ipsis præficit, donec abbatem commodum designaret. Orta porrò dissensione inter œconomum & monachos, comes expellit omnes monachos (quorum tamen uix supererant quinque) relictis tantum duobus, qui suarum erant partium: qui & ipsi non multo pòst siue mortui, siue pulsi sunt: atque introducti clerici seculares in monasterium, qui summam uastitatẽ in bonis, ædificijs, libris, alijsq; rebus esse-cêre. Trithemius in Chron. Hirsaugiensi.

SVPERBIA MONIALIS.

Sophia Ottonis Tertij soror, abbatissa in Gandersheim, benedictionem à Moguntino archipræsule accipit, contempto suo episcopo Hildesheimensi. Causa autem non est annotata. Hanc iniuriam Hildesheimensis ad Heinricum Imperatorem querulabũdus perfert: qui efficit, ut deinceps suum agnosceret episcopum. Crantzius in Saxonia libro quarto, capite 34.

SVB HEINRICO TERTIO *pugna in templo Moguntino.*

CElebrabat festum Pentecostes Mogũtiæ Heinricus Tertius, ibi inter famulos archiepiscopi & abbatis Fuldensis exorta est contentio, de locatione. Res à uerbis ad uerbera procedit: ac fine mora gladijs congredientes, templum humano sanguine fœdant. Episcopi accurrentes, prælium cruentum dirimunt, ac templum rursus expiant. Postea sedato tumultu, cum canere-tur, Hunc diem glorioſum fecisti: uox diaboli clara per templum auditur, Hunc diẽ ego bellicosum feci. Tali modo ipsorũ sacris, plenis idolomanijs & superstitionib. falsè illudit diabolus. Verùm Imperator tertius hoc portento, largitionibus eleemosynarum diabolum conatus est pellere, epulasq;

lasq; suæ aulæ paratas ipsemet cum proce-
ribus distribuit pauperibus. Qua enim ra-
tione uerè & efficaciter propulsaretur caco-
dæmon, & placaretur Deus, ne diabolo sæ
uienti frena laxaret, ignorabant episcopi, &
ipse quoq; Cæsar. Nã cæci cæcos ducebant.
Nauclerus uolumine 2, generat. 36.

SCHISMA INTER PAPAM & archiepiscopum, de diacono.

Bruno Papa Romanus, Vuormaciæ cũ Heinrico Tertio Imperatore, festum Nati-
uitatis celebrat. primo autem die ipse papa officium Missæ administrat: postero uerò die, id honoris Luitpoldo archiepiscopo Moguntino tribuit. is cum suas partes per-egisset, procedit in medium diaconus Hũ-bertus, teste Vrspergensi, qui pro ritu eius ecclesiæ, lectionem cantat uoce sonora. E-am uerò rem quidã gnathones papæ pro-pè assistentes criminantur, quasi in contu-meliam papæ uergeret, quòd non id fieret ritu Romano. Papa igitur mittit, qui prohi-beant, ne suo more pergeret cãtare, sed Ro-manum potius obseruaret tenorem. Diaco-nus quæ bene cœperat, more suo continu-at. Mox alterum papa, imò & tertium able-gat, qui iubeant eum desistere. Verùm dia-conus more Germanico lectionem absol-uit, indecorum ratus, si in medio actu mu-tanda esset lectionis ratio. Iubet igitur papa lectorem ad se uenire, & stomachabundus eum gradu exuit, quia contra papam se con-tumacẽ exhibuisset. Archiepiscopus re per-cepta, orat papam, ut suum sibi diaconum in integrum restituat. Papa id detrectat. Ta-cet paulisper Moguntinus archiepiscopus. cumq; iam tempus offerendi adesset, Mo-guntinus in sua sede immotus manet, pa-pa iubet causam ab ipso inquiri, cur sacra inchoata non absoluat. Is respondet, neq; se, neq; quenquã alium hanc sacram actio-nem perfecturum esse, nisi diacono suo re-stituto in pristinum locum. Papa grauitatẽ uiri conspicatus, & metuẽs ne res in tumul-tum publicum abiret, diacono reddit gra-dũ. Hoc modo leuicula ista collisio, in te-neras auras euanescit. Crãtz. Saxõ. li. 4, ca. 5.

SCHISMA DE ROMA-nis pontificibus.

Benedictum Nonum ipsimet Romani se de sua exuunt, quia uir simplex & ignauus putabatur: erat enim illiteratus, ac Simonia cè papatum inuaserat: ut Sigebertus com-memorat. In locum autem eius substituunt Ioannem Sabinum episcopum, cui Sylue-stro Tertio nomen inditur. Iste quoq; cũ uix 49 dies cathedræ præfuisset, rursum de-icitur, & restituitur Benedictus. Sic pro arbi-trio cum ea sede luditur. Porrò Benedictus istarũ mutationũ pertæsus, celsitudinẽ pon-tificatus Ioanni archidiacono S. Ioannis ad portam Latinam mille libris Turonensib. ut Onuphrius scribit, uendidit: qui postea Gregorius Sextus est nuncupatus. Ad hunc modum pontificatus hoc tempore erat ue-nalis: quiq; plus largitionib. poterant, sub-limius euehebantur, ut testantur Platina & Stella, qui hæc ipsa commemorant. Acci-derunt aũt ista circa annũ Domini 1044, ut Hermannus Contractus annotat. Phrisin-gensis ait se Romæ audiuisse, quòd isti tres pontifices simul Romæ eminentiam papa-lẽ tenuerint, sedesq; & reditus inter se par-titi fuerint, ita ut unus ad S. Petrum, secun-dus ad S. Mariam maiorem: tertius, nempè Benedictus, in palatio Lateranensi resede-rit. ac denique istos tres pecunia Gratiani presbyteri persuasos ut se pontificatu abdi-carent: li. 6, ca. 32. Martinus Polonus refert, Benedictũ post obitum cuidam apparuisse monstrosa facie, ita ut caput & cauda asini essent, reliqua uerò corporis pars ursum re-præsentaret, ac dixisse: Noli expauescere, scito me hominem fuisse. Sed sic me repræ-sento, sicut olim infelix papa existens, be-stialiter uixi. Attende Christiane Lector: ubi tum columna Ecclesiæ stetit, si soli pontifi-ces Romani sunt petræ Ecclesiæ?

Aliud schisma de pontifice Romano.

Cum Gratianus exposita pecunia, ut tres illi pontifices ex sede pontificia decederẽt, persuasissent: ipse pontificiam sellam, pecu-nia sua prius expurgatam, conscendit, ac no-minatus est Gregorius Sextus. Qua quidẽ causa adductus Cæsar Heinricus Tertius, Romam exercitum ducit. Existimabat enim ad Imperatoris officium pertinere, ne fine-ret tot mercatorum aut Simoniacorum cu-piditatibus, pontificatum Ecclesiæ tam sce-leratè uitiari. Narrat Crantzius in Metrop. lib. 4, cap. 15, & lib. 5, cap. 1, legatos ex urbe Roma ad Imperatorem missos, qui ultrò pe-tierunt ut sibi pontificem daret. Item in Sa-xon. Crantz. lib. 4, cap. 41. Malè autem sibi conscius Gregorius, Sutrium excurrit obui-am Imperatori iturus: ac tentaturus, an pã-dam suam argento emptã, retinere posset. Sine mora autem Synodus in eo ipso loco indicitur, cui quidem Imperator interest. Gregorius igitur Simonię conuictus, depo-nitur, atq; in Germaniam in exilium able-gatur. Substituitur autem Suidegerus Bam-bergẽsis episcopus omnium consensu, qui Clemẽs Secũdus est nominatus: ac decre-tum sancitur, ne absq; Imperatoris consen-su pontifex Romanus deinceps designetur: idq; iuramento sancto obsignatur. Hæc ac-cidêre anno Domini millesimo quadrage-simosexto. Platina, Onuphrius.

SCHISMA ORIENTALIS *& occidentalis Ecclesiæ.*

Græci sibi peculiarem deligunt papam, & Occidentalē Ecclesiam audacter excommunicant, eo quòd credat & profiteatur Spiritum sanctum procedere à Filio quoq; item quòd non obseruet eādem cum ipsis formam baptismi. Etsi autem ex Latinis quidam ista confutarent scriptis non ineruditis: tamen schisma tolli non potuit. Hermānus Gigas. Verùm hac de re alibi plura.

SVB HEINRICO QVARTO: *de archiepiscoporum ambitione.*

CVm Heinricus Quartus puer quinq; annorum, coronandus esset in Imperatorem Romanum Aquisgrani, leuis quidam inter Colonienſem archiepiscopum Hermannum & Luitpoldum primatē Moguntinum conflictus fuit. Nam hic eam sibi uendicabat dignitatem, quia negotia regni sibi commissa essent. Ille uerò eam sibi conuenire contendebat, quia intra diœcesin suam locus iste coronationis situs esset. Placatus est autem Luitpoldus ab Heinrico Tertio Cæsare, quia ob claritatem generis & loci rationem Hermanno id honoris potius relinquendum esset. Hoc pacto Cæsaris autoritati & uoluntati Luitpoldus cesſit. Hæc facta sunt anno 1054. Schafnaburg.

DISSIDIVM DE ABBATE *inter papam & monachos.*

Richerio abbate monasterij Casinenſis mortuo, communibus uotis fratrum cœnobitarum Petrus monachus deligitur, quem primum Basilius Salernitanus abbas oppugnat, locumq; eum à principe Capuę pecunia emere conatur: uerùm sua spe frustratur. Deinde pontifex Romanus uictor Tertius, eum conatur deturbare, eo consilio, ut monasteriū illud sibi subiugaret: ut Chron. Casinenſe habet. Mittit igitur Hubertum episcopum ad monasterium, ut intentus esset in occasionem, qua posset abbatem deponere, proq; suo arbitrio alium substituere: id quod factum est. Chron. Cass. lib. 2, cap. 95 & 96.

SCHISMA INTER ROMANUM *archipræsulem & Michaelem Constantinopolitanum episcopum, ac Leonē archidiaconū.*

Damnabat Michael Constantinopolitanus episcopus & Leo archidiaconus, seu (ut alij habent) Atridæ archiepiscopus, Ecclesiam Romanam: primùm, quòd azymis panibus in cœna uteretur: deinde, quòd in Quadragesima obseruarent sabbata: tertiò, quòd suffocatis uescerentur.

Primæ hypotheseos hæc fundamenta profert, in sua epistola ad Ioannē Tramensem episcopū, quā scriptā habemus: 1. Quia azyma comedere, & sabbata obseruare, Iudæos Moses iussit. Nostrū uerò pascha Christus est. 2. Quia Christus in cœna inqt, seni uum Testamentum constituere. Ergo uetus ille ritus omnino cessare debet. 3. Quia Græcus textus usurpat uocabulū ἄζυμος. Azymos autem (inquit Michael) idem est quod eleuatus, & sursum portatus à fermento & sale, seu calorem & eleuationem habens: azyma autem nihil distant à lapide sine anima, & luto lateris. Hæc ille. 4. Quia azyma passionis & tribulationis sunt symbola: nostrum uerò pascha gaudium & lætitia est totum, & extollit nos humo propter gaudium ad cœlum, sicut fermentum propter gaudium calorem panem extollit. 5. Christus inquit, Vos estis sal terræ: item, Simile est regnum cœlorum fermento, quo fermentatur totum. azyma autem nec salem nec fermentum habent. 6. Translato sacerdotio, & legis translatio facta est. Ergo azyma Iudæis sunt permittenda, Christianis uerò nō sunt usurpanda. 7. Christus accipiens panem inquit, Accipite, &c. hoc facite in mei cōmemorationem. Azyma autem neq; commemorationem Domini, neq; annūciationem mortis eius habent, quia pertinent ad ritus Mosaicos.

Secundam hypothesin in eadem epistola Michael ita confirmat: Quia Christus sabbatum abrogat, in eo sanans ægrotos. Ait igitur, in azymis communicantes similes esse leopardis, & neq; Iudæos neq; Christianos censendos.

Tertiā hypothesin ibid. sic probat: Quia anima omnium animalium sit in sanguine ipsorum. Deinde ethnicum hoc esse dicit, à quorū ritu Christianos deceat esse immunes. Hæ adferuntur rationes in isto certamine.

¶ Huic autem sententiæ Leo 9 acerrimè, uereq; pontificali crista se opponit prolixo scripto, ex quo quæ nam fundaméta obiiciat, assignare uisum est operępretium. Primum autem longo exordio docet, scindere unitatem Ecclesiæ, grauissimum esse peccatum. Deinde posito axiomate, quod Orientales taxabant, eiusmodi rationes eos refutaturus subiungit.

1. Petrus fuit in Ecclesia Romana, & in eadem passus. Ergo ea non potest errare.

2. De Petro dictum: Et tu conuersus confirma fratres tuos. Ergo Ecclesia Romana hactenus (nota uerba Leonis) nec deficit, nec unquam in finem deficiet.

3. Plurimi in Oriente & urbe Constantinopolitana fuêre hæretici, quos Ecclesia Romana damnauit. Ergo & uos estis tales. In antecedēti prolixè annotantur, Eusebius Nicomedensis, Macedonius, Iulianus, Eudoxi-

doxius, Demophilus, Maximus, Atlatius, Nestorius, Flauius, Petrus Alexandrinus, Ioannes, Pyrrhus, Paulus. In singulis narrat, quomodo põtifices Romani eis restiterint.

4. Appellatis uos Oecumenicos patriarchas iam annos quadraginta contra papæ Gregorij increpationem: qui titulus Romanis episcopis, tanquam Petri successoribus, rectius conueniebat. Ergo erratis.

5. In Nicena Synodo, Constantinopolitana, Ephesina, Chalcedonensi & alijs, sedes Romana caput aliarum Ecclesiarũ Dei in toto orbe constitutũ est. Ergo uos erratis, & estis ab illis Concilijs anathematisati.

6. Qui resistit potestati sublimiori, Deo resistit. Romani prę̃sules à Cõstantino Magno acceperunt supremam potestatem. Ergo non licet eis resistere: & per consequẽs, uos erratis.

7. Petrus dicit de REGALI sacerdotio, quod omnium maximè conuenit Romanę sedi: quia Constantinus & Synodi quoq; id constituerunt. Ergo sedes Romana debet esse REGNANS sacerdotium super alios sacerdotes orbis. Ergo uos Constantinopolitani erratis.

8. Petrus inquit: Non doctas fabulas secuti, notã uobis facimus Dñi nostri Iesu Christi uirtutẽ, sed speculatores facti illius magnitudinis. Ergo sedes Romana est summa: & per consequẽs, uos erratis.

9. Constantinus Magnus in suo diplomate ait, se Romanum episcopum, super omnes in uniuerso orbe terrarum Ecclesias Dei, constituere pontificem: & dedit nobis (inquit) coronam, chlamydẽ, albos equos, & similia (allegat enim ferè integrum Constantini diploma.) Ergo sedes Romana est summa, & uos erratis.

10. Christus inquit: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã. In catalogo Apostolorũ primo loco Petrus ponitur. Christus inquit: Pro te rogaui Petre, ne deficiat fides tua. Et in die resurrectionis Dominus apparuit Petro. Ergo Romana sedes est supra omnes alias: & per cõsequens, uos erratis.

11. Post resurrectionẽ inquit Christus ad Petrum: Pasce oues meas. Item, primus Iudæis concionatur in Pentecoste. Ergo Romana sedes est supra alias toto orbe, & uos erratis.

12. Petrus solus uidit uisionem de uocatione Gentium, & peragrauit gentium regiões Romam usq;. Ergo Romana sedes est supra omnes, & uos erratis.

13. Petrus solus umbra corporis sui, ægros homines sanauit. Ergo Romana Ecclesia est suprema, & uos erratis.

14. Petrus pro ouibus suis animam p o- suit Romę. Ergo Petrus sua claue uobis cœlũ obstruet: & per consequens, uos erratis.

15. Paulus ad Romanos scribit: Gratias ago Deo meo per Iesum Christum pro omnibus uobis, quòd fides uestra annunciatur in uniuerso mũdo. Ergo Romana sedes est suprema, & uos erratis.

16. Paulus nusquã redarguit Romanã Ecclesiã de errore, sed Græcã potius. Nã 1 Corinth. 1 inquit: Obsecro uos fratres p nomẽ Domini nostri Iesu Christi, ut idẽ dicatis omnes, & nõ sint inter uos schismata. Sitis autẽ pfecti in eodẽ sensu, & in eadẽ sententia. Significatum est enim mihi de uobis fratres mei, ab his q sunt Chloes, quòd cõtẽtiones sunt inter uos. Hoc aũt dico, quòd unusquisque uestrũm dicit: Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego uerò Cephæ, ego autem Christi. Diuisus est Christus?

17. Cum deleretis imagines, papa Nicolaus uobis restitit, & S. Sophiæ templum clausit, donec ei acquiescеretis. Ergo Ecclesia Romana est supra omnes: & per consequens, uos erratis.

18. Fama est uos eunuchos in episcopalẽ sellã collocare, contra primum Niceni concilij capitulum. Ergo in præsenti controuersia quoq; erratis.

19. In Græca Ecclesia recitantur Latinæ lectiones. Ergo fatemini, Latinam Ecclesiã esse supra uestrã: & per consequens, in hypothesi prædicta erratis.

20. Ecclesia Romana habet martyres, & iam triumphabat. Ergo uos erratis.

21. Esaias inquit, Me dereliquerũt fontẽ aquæ. Ergo uos Cõstãtinopolitani erratis.

22. Cõstãtinopolitana Ecclesia debebat Romanã suã matrẽ gestare. Ergo uos erratis.

23. Romana Ecclesia Constantinopolitanam honorat. Nam per Romanos pontifices decretum est in Synodis, ut salua pontificalium & Apostolicarum sedium antiqua dignitate, Constantinopolitanus antistes honoretur, sicut regiæ ciuitatis episcopus. Item, Iustinianus Augustus legib. sancinit, ut post Romanum pontificem sedeat Constantinopolitanus præsul. Hæc est tantum humana beneuolentia. Ergo Romanus põtifex est supra omnes, & uos erratis.

CONCLVSIO.

Ergo Christus de uobis dicit: Tulistis claue scientiæ, qui clauditis regnum cœlorũ ante homines, nec ipsi intratis. Item Paulus: Zelum Dei habetis, sed non secundum scientiam. Ergo nos rectè sentimus: uos ab errore ad nos debetis accedere. quod si recusatis, uos excommunicabimus.

24. Inde usq; à pristinis temporib. Constantinopolitani fuerunt superbi: ut Theodosius, Arcadius, Honorius prohibuerint,

defuncto Sisinnio, nõ amplius ex Constantinopoli, sed aliunde adsciscendos episcopos. Ergo uos erratis.

Obiectionẽ istam, Romanus præsul non est Petrus, ad hunc modum soluunt: Idem sumus officio, non idem merito. Item: In Cathedra Mosi sedent scribæ & pharisæi, quæ iusserint uos seruare, seruate. Ergo doctrina Romanorum est seruanda.

¶ In altera porrò epistola, Leo 9 Michaeli Constantinopolitano obijcit ista crimina:

1. Quòd neophytus, & non gradatim ad episcopale culmen ascenderit: idq; contra Apostolum & Canones esse.

2. Quòd Alexandrinam & Antiochenam ecclesias suo uoluerit dominio subiugare: id quod sit contra ipsarum priuilegia, sitq; uana gloria & pompæ secularis elatio.

3. Quòd se appellet uniuersalem patriarcham, qui titulus Romanis pontificib. magis competat: quia Petrus sit princeps Apostolorum. Deinde in Ioanne, eandẽ insolentiam pontifices Romanos, utpote Pelagium & Gregorium, reprehendisse.

4. Quòd anathematizet omnes azymo pane in sacra cœna utentes. Verùm ex nouo & ueteri Testamento liquidũ esse, Christum azymo pane usum.

Ergo hortatur, ut Ecclesiæ Rõmanæ consentiat. quod ni faciat, minatur dirum excommunicationis fulmen. Simul & ad Constantinum Imperatorem eadem crimina episcopi perscribit, & incitat ipsum ad pacẽ cum eo ineundam: idq; satis pro imperio.

¶ Humbertus porrò Syluæ candidæ episcopus, impulsu pontificis Romani suscepit epistolæ Michaelis refutationẽ, ex qua operæprecium est fundamenta paucis cognoscere. Etsi autem hic quoq; à scopo subinde aberret, tamen plus rerũ habet, quàm papa in sua arrogãte & minaci epistola, seu inuectiua potius.

1. Negat se azymis more Iudæorum uti, q (ut in Exod. Leuit. Deut. uidere est) primo mense, 14 die & sequentib. 7, azyma comedãt. Se uerò semper in cœna azymis uti, absq; mactatione agni & alijs ritibus.

2. Ab etymologia panis (inquit) argumentum est ineptum. Nã panis uocabulũ indifferenter pro azymo & fermento accipitur in Sacris literis: idq; citra necessitatẽ copiosè probat.

3. Fuit azymus panis, quo Christus est usus in cœna. Quia tempore Paschatis, ubi non fas erat fermentatum panem retinere, cœnã obseruauit. Secundò, quia Christus inquit: Non ueni soluere legem, sed implere. Tertiò, quia Christus inquit: Quis ex uobis arguet me de peccato? Quartò, quia Iudæi non accusant eũ, quòd fermento usus sit: non intermissuri corã Pilato, si hoc peccatum admisisset. Quintò, textus clarè dicit: Erat dies azymorum.

4. Fermentum est uitium, quia fit ex fecibus cereuisię, & in malam partem sumitur. Cauete à fermento pharisæorum. Item, Expurgate uetus fermentum.

5. Hierosolymitana Ecclesia quoq; utitur azymis in sacra cœna. (maledixisse.

6. Non probari potest, Christum azymo

7. Vetus Testamentum est fundamentũ noui: quia in hoc impleta sunt, quæ in illo prædicta fuerant. Christus est finis legis consummãs, non consumens: efficiens, non annihilans: complens, non euacuans. Hæc prolixè exponit.

8. Sabbata nõ obseruamus Iudaicè, seu carnaliter: qa in ijs ieiunamus, & laboramus.

9. Ne uescamur suffocatis, iuxta ueterem legẽ, phibẽtis: q̃ abrogata est. Deinde liber usus escarũ in nouo Testamẽto pmissus est. Hîc copiosè excurrit Hũbertus. Quòd uerò Apostoli mandant abstinere à suffocato & sanguine, fecerunt propter recentem Ecclesiam: quæ postea desiêre.

10. Alleluia, ait, se cantare per annum sæpius, exceptis nouem hebdomadib. Hæc operosè exponit.

11. Tandem regerit & coaceruat crimina, quę postea in excõmunicatione recẽsentur.

¶ Partes autem Michaelis, Nicetas monachus monasterij Studiorũ Constãtinopoli, scripto est tutatus: ac primũ contra azymis utentes, has rationes profert.

1. Qui azymis participant, sub umbra legis sunt, & Hebræorum mensam comedũt.

2. Christus iubet nos in luce ambulare. Ergo tenebræ legis facessant.

3. Azymus non est panis neq; cõpositus, neq; per se ipsum perfectus. Item, in azymis nulla est uiua uirtus.

4. Noua creatura sumus in Christo: uetera transierũt, ecce facta sunt omnia noua.

5. Paulus inquit: Expurgate uetus fermẽtum, ut sitis noua conspersio.

6. Paulus apud Corinthios non instituit azyma. Itẽ, sæpius uocat panẽ, & nõ azyma.

7. Non erat tunc azyma, cũ mysteria noui Testamenti traderet Apostolis: quia 13 luna pascha comedit.

8. Septem solis diebus præcepit Deus azymis uti, & non per totum annum.

9. In sexta synodo patres aduersus azyma legem cõstituerũt: ca. 11. Nemo in sacerdotali cõstitutus ordine, aut laicus, ea q̃ apud Iudæos sunt, comedat, aut cũ eis cohabitet, aut in infirmitatib. eos inuitet, aut medicinã ab eis accipiat, uel in balneis cũ eis lauetur. Si qs hoc agere tẽtauerit, si qdẽ clericus fuerit, deponatur: si aũt laicus, sequestretur.

De Sabbati ieiunio, ex Clemente locos aliquot prolixè adducit. ¶ De

¶ De coniugio uerò ſacerdotum, quid in hoc tractatu ſcribat Nicetas, totũ inſerere uiſum eſt, cum liber ſcriptus ad manum eſſet.

Quis eſt, inquit, ille qui tradidit, prohibere & abſcindere nuptias ſacerdotũ? Quis ex doctoribus Eccleſię hanc uobis tradidit pra uitatem? Siquidem nupſerit, manuum impoſitionẽ accipiet. & ita ad nuptias iuit, qui ordinatus eſt in nuptijs: legitimè hoc & ſecundũ Canones facitis, huiuſmodi nuptias prohibentes? Si aũt antè habuerit uxorẽ ille qui ordinatus eſt ſacerdos, perſeueraueritq; in caſtitate, magnaque uita, nuptias eius ſoluitis, trãſgredimini ex præcepto Apoſtolicorum canonum, idq; oſtendam uobis.

In ſexto enim Clementis libro ordinationum, quæ ab eo conſcriptæ ſunt, iuxta decimumſeptimũ caput, Apoſtoli hæc dicũt: Epiſcopum & presbyterum & diaconum dicimus, qui unã habuit uxorẽ, ordinari, quãuis uiuant eorum cõiuges, quãuis defunctæ, nec licet eos poſt manus impoſitionẽ innuptos eſſe, nec inſuper ad nuptias ire, aut ſi nupſerint, alteras amplecti: ſed ſufficiant eis quas habent cum ad ordinationem uenerint. In quinto ſanctorũ Canonum ita fatur, in 2 cap. Epiſcopus aut presbyter aut diaconus, uxorem ſuam non abijciat obtẽtu religionis. Si autem abiecerit, ſequeſtretur: perſeuerans autem, deponatur. In quadrageſimo uerò canone inquiunt palàm: Propriæ epiſcopi res? Et poſt pauca: Ne occaſione Eccleſiaſticarum rerum cadere epiſcopũ, ab eis quæ ſunt epiſcopi in mulierẽ, & pueros, & propinquos: ne per occaſionem eorum, ea quæ ſunt Eccleſiæ, ſubtrahat. Et deinde: Siquidem ſunt qui prohibeant ſacerdotes legitimis conuiuere uxoribus, non ita uertices Apoſtolorũ expoſuerunt Eccleſiaſticos canones. Si aũt dicis, mulierẽ haberi Eccleſiam, Apoſtolos dixiſſe: tunc infidelis apparebit ſermo tuus, & uacuus, cum ſacris canonibus ipſorum. Quia nobis prædicti ſunt, non habere presbyteros & epiſcopos occaſione religionis, uxores ſanxerunt: & ut caderẽt res epiſcoporum ex poteſtatibus ipſorum, propter filios & mulieres eorum. Si autem reliquis dixerit de ſancta & uniuerſali ſexta Synodo, quòd nõ papa Romę ſanctũ Agathonẽ prædeceſſorẽ habuit ipſam CLXX ſub Conſtantino Imperatore, nepote Heraclij, & patre Iuſtiniani: quomodo nõ obſiſtit Agathõ ſanctæ Synodo ſancienti, aduerſus hos impios, quos uſq; nunc habetis? Si uerò ab Apoſtolis has haberetis traditiones, obſtitiſſent forſan, & nõ ſuſcepiſſent hæc quæ apud uos ab ea promulgata ſunt. Papa cum eſſet noſter, quoniam adulteras cognoſcebat traditiones ipſas, & extraneas ab Apoſtolorum doctrina, propterea pariter cum patribus ſacræ ſextæ Synodi, ſicut de Azymis & ieiunijs ſabbatorum, & ſacræ miſſę myſterijs. Sic deinceps Cõiugium ſacerdotum promulgatum dicetis in decimatertia. Quia in Romana Eccleſia, in ordine canonis tradi cognouimus, futuras diaconi aut presbyteri dignas fore manuum impoſitiones confiteri, ut nõ amplius à ſuis diſiungantur uxoribus. Nos antiquum ſequentes canonem Apoſtolicæ diligẽtiæ & ordinationis, ſanctorũ uirorum copulationes ſecũdum legem & amodò ualere uoluimus, nullatenus eos à coniugum copulatione diſſoluentes, aut priuantes eos ab inuicem, ſecundum tempus cõgruum locutionis. Quia uerò ſi quis dignus inuentus fuerit manus impoſitione ſubdiaconus & diaconus & presbyter, hic nullatenus prohibeatur ad huiuſmodi gradum aſcendere in coniugio cohabitantes legitimè, neq; in tempore ordinationis exigatur confiteri ad legem proprię locutionis propter propriam uxorẽ. Et poſt pauca: Si quis ergo præſumpſerit & contra Apoſtolicos ordines motus quendam ſacrorum presbyterorum & diaconorum priuare à copulatione legitimarum mulierum, à communione ſequeſtretur. Si quis presbyter aut diaconus conlectaneam ſuã occaſione religionis proiecit, ſeparetur, perſeuerans deponatur.

Vnde igitur nobis, & ex quibus hæ horribiles infirmitates ſuperuenerunt? O uiri Romanorum ſapientiſsimi, & aliarum gentium nobiliſsimi: exiſtimo quòd quidam ex Iudæis in tempore Apoſtolorum credentes, uana lucra cupientes & pecuniarum amatores reperti, uolentes multos fidelium abſtrahere ex Euangelio hoc, ex fidei prædicatione corrupti ſunt, dum prædicaſſent eis. Igitur hoc & Chriſtianitas & Iudaiſmus corrupta ſunt, de quibus Ioannes dicit: Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis. Si enim fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utiq; nobiſcum. Reliqui autem ueritatem in ſeptimo libro Inſtitut. in XXXVI capite liquidiùs dixerunt. Scimus enim, quia hi qui circa Simonem & Cleobium & Iudam cõſcripſerunt libros in nomine Chriſti & diſcipulorum eius, circumferunt ad ſeductionem ueſtram, & eorum qui diligunt Chriſtum, & nos ſeruos ipſius. Et in ueteribus quidam conſcripſerunt libros apocryphos Moſi, Enoch, & Adam, & Eſaiæ, & Daniel, & Heliæ, & trium patriarcharũ corruptiones, atq; ueritatis inimicos libros: ſed & Paulũ Domini apoſtolum hæc præſcientẽ, ut æſtimo, ſic nos attendiſſe, huiuſmodi ſeductores dolum texentes nobis Philippẽſibus ſcribere: Videte canes, uidete malos operarios, uidete abſciſionem. Et Timotheo iterũ: In ultimis tẽporib. diſcedent quidã à fide, adhærẽtes ſpiritib. erroris

& doctrinis dæmonũ, in hypocrisi loquentium mendacium, & intendentium propria conscientia, impedientium nubere, & abstinere à cibis quos Deus creauit, & ea quæ exinde. propter quod & citò præcepit: Argue eos, inquit, duriter, ut sani sint in fide, non attendentes Iudaicis fabulis, & præceptis hominum subnectentium ueritatem. Quamobrem diligenter inquisiuimus de cætero circa hæc, ô fratres, ne quando ex his quæ dicta sunt uobis, mendacia dico, nõ azyma, sabbatorum ieiunia, nuptias sacerdotũ, & in ieiunijs oblationẽ accipiatis: sed scientes nunc quòd prauum est cor eorum, ex omnium à Deo inspirata Scriptura, fugite quæ huiusmodi sunt actitare, cũ sitis Ecclesia Dei, & totius orbis semper splẽdidus oculus, aut muti nobis uestris confratrib. quib. per iam dicta sordetis, cum sitis Christi, reuelata facie gloriam Domini in contentu & unitate cum orthodoxa fide, cum speculemur imaginem eius, trãsformemur in nobis demonstratione una & ipsius ad gloriam sempiternam, sicut à Domini spiritu, quoniam ipse est caput Ecclesiæ nostræ, & in eo sicut in uno corpore hæc uobis Romanis scripsi. Si ergo possumus uos, cum sitis homines, ad credulitatem nobiscum reducere per ea q̃ diximus, & docẽdo uos ex diuina Scriptura arguimus, gratia Dei & nobis, scientibus bene Spiritu sancto credere, & prosequi rationẽ iam dictam ex Scripturis. Si uerò aliter tenetis, date nobis testimonia ex diuina Scriptura consistentia, in quibus uolo uos beneuolos esse, ut supra sede intelligentiæ requiescatis, & uos scientes obedire memorabili rationi Spiritus sancti tacere omnia quę ad uos scripsimus. Saluta mus uos in Christo Iesu Dño nostro, cui est gloria & potẽtia cum Patre & Spiritu sancto nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

¶ Ad hoc scriptum Humbertus à Romano præsule instigatus, miro fastu respondet, totus q; conuicijs & anathematib. crepat.

Canonẽ inquit nihil ad se pertinere, quia cum Hebręis non communicent.

Contẽdit, non decimatertia, sed decima quarta luna Christũ pascha comedisse. Rationes de tẽpore apud Latinos, Græcos & Hebræos discrepare. Item: Quòd si, inquit, iuxta tuam assertionem Christus pascha fecit decimaquarta luna, & cum fermentato, dupliciter reus fuit, iusteque puniendus secundum legem: quia pascha fecit in tempore non suo: & quia cum fermento. Quapropter mors eius nihil omnino nobis confert: quia non pro nostris, sed pro suis peccatis interijt, sicut sanctæ transgressor legis.

De sabbato & ceremonijs disputans, in latissimum campum diuagatur, nihil præter humana adferens.

Contra sacerdotum coniugium profert ex Epiphanio, quæ in nostris quidem exemplaribus nõ habẽtur. Ita enim scribit: Hinc parui pendentes à te tam peruersè defendi ad ultima potius, quàm ad nuptias sacerdotum, arbitramur ab inferis emersisse principem huius hæreseos nephandum diaconũ Nicolaũ, de quo Epiphanius noster sic scribit: Quarta Nicolaitarum à Nicolao hæresis est inuenta, unus ex septem de diaconis ab Apostolis ordinatus. Iste cum de zelo pulcherrimæ coniugis culparetur, cœpit docere, indifferenter debere uti coniugibus non solum laicos, sed etiam eos qui sacerdotij fungerentur officio. Hos damnauit S. Euãgelista & apostolus Ioannes, & iussit, ut qui cunq; cum eis uel sermonem colloqui misscuissent, ex hac ipsa communione priuandos: docens rationabiliter, à mundi origine Deo castitatem plurimùm placuisse: tum etiam in se ipso Christum Dei filiũ castitatis gloriam dedicasse, cum uirginẽ postfidens matrem, uirgo mansurus, nullum discipulorum suorum commixtione etiam legitima uti permisit dicens: Si quis uult post me uenire, abneget seipsum, & tollat crucẽ suam, & sequatur me. Vide, idem Dominus Iesus in Apocalypsi præcipiens apostolo Ioanni, scribere angelo Ephesi, inter alia inquit: Hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Hinc etiam angelo Pergani dicit: Habeo aduersum te pauca, quæ illic tenentes doctrinam Balaam docebat mittere scandala Balaam, coram filijs Israel edere & fornicari: ita habes & tu, tenentes doctrinam Nicolaitarum. Hactenus Humbertus. Verùm cũ ista nõ cõcordẽt cũ aliorum testimonijs, fide sua laborant.

Canonẽ sic interpretatur: Nõ licet, inquit, episcopũ, presbyterũ aut diaconũ, aut subdiaconũ, uxorẽ propriã causa religionis abijcere à cura sua: scilicet ut ei uictũ & uestitũ prouideat, non ut cũ illa ex more carnaliter iaceat. Egregia uerò hæc est calumnia, quã supercilioſus Hũbertus ex proprio cerebro, in gratiã Romani pontificis, coniugia iuxta præceptionẽ Pauli 1 Timoth. 4 prohibentis, profert. Postea simili arte Nicenũ Concilĩ, decreta Innocentij & Siricij citat.

Apparet autẽm, non modò Humbertum iussu Leonis Noni hoc scriptum ad retũdendum Michaelem adornasse: sed etiam ueluti legatum Constantinopolin esse missum, ut ibi fluminib. pontificijs Michaelem opprimeret. Nam consusurrabat Romanus pontifex cum Imperatore Constantino: & reperimus formulam excommunicationis, quam Humbertus & alij pontificis serui ibi

ferui ibi promulgarunt. est autem hæc.

TENOR EXCOMMVNICATIO-
nis Michaelis Constantini.

Humbertus Dei gratia Cardinalis episcopus sanctæ Romanæ ecclesiæ: Petrus Amalfinatorum archiepiscopus, Fridericus diaconus & cancellarius: omnibus catholicæ Ecclesiæ filijs. Sancta Romana prima & Apostolica sedes, ad quam tanquam ad caput solicitudo omnium Ecclesiarum spectialius pertinet, Ecclesiasticæ pacis & utilitatis gratia ad hanc regiam urbem nos apocrisarios suos facere dignata est, iuxta quod scriptum est: Descēderemus & uideremus, utrum opere clamor, qui sine intermissione ex tanta urbe conscendit ad eius aures, impletus sit: aut si non est ita, ut sciret. Quamobrem cognoscant ante omnia glorioſi Imperatores, clerus, senatus & populus huius Constantinopolitanæ urbis, & omnis Ecclesia catholica, nos hîc persensisse, magnū, unde uehementer in Domino gaudemus, bonum: & maximum, unde miserabiliter contristamur, malum. Nam quantum ad columnas imperij, & eius honoratus, atque ciues sapientes, Christianissima & orthodoxa est ciuitas: quantum autem ad Michaelem abusiuè dictum patriarcham, & eius stultitiæ fautores, nimia zizania hæresēō quotidie seminantur in medio eius. Quia sicut Simoniaci, donum Dei uendunt: sicut Valesij, hospites suos castrant: & nō solum ad clericatum, sed insuper ad episcopatum promouent. Sicut Arriani, rebaptizant in nomine sanctæ Trinitatis baptizatos, & maximè Latinos: sicut Donatistæ, affirmant, excepta Græcorum Ecclesia, Ecclesiam Christi & unum sacrificium atque baptismum ex toto mundo periisse. Sicut Nicolaitæ, carnales nuptias concedunt & defendunt, sacri altaris ministris. Sicut Seueriani, maledictam dicunt legem Mosi: sicut Pneumatomachi, uel Theomachi, abscciderunt à symbolo Spiritus sancti processionem à filio: sicut Manichæi, inter alia, quodlibet fermētatum fatentur animatum esse: sicut Nazareni, carnalem Iudæorum mundiciam adeò obseruant, ut paruulos morientes ante octauum à natiuitate diem baptizari contradicant: & mulieres in menstruo uel puerperio periclitantes communicari, uel si paganæ fuerint, baptizari prohibeant: & capillos capitis ac barbas nutrientes, eos qui comas tondent, & secundum institutionem Romanæ ecclesiæ barbas radunt, in communionem nō recipiunt. pro quibus erroribus, & alijs pluribus factis suis, ipse Michael literis domini nostri Leonis admonitus resipiscere contempsit.

Insuper nobis nuncijs illius, causas tantorum malorum rationabiliter reprimere uolentibus, præsentiam suam & colloquium denegauit, & Ecclesias ad Missas agendum interdixit: sicut & prius Latinorum Ecclesias clauserat, & eas azymatas uocans uerbis & factis ubique persecutus fuerat in tantum, ut in filijs suis anathematizasset sedem Apostolicam, contra quam se adhuc scribit ἀπουμενικὸν patriarcham. Vnde nos quidem sanctæ, primæ atque Apostolicæ sedis inauditam contumeliam & iniuriam non ferentes, catholicam fidem subinde multis modis attendentes, authoritate sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, & Apostolicæ sedis cuius legatione fungimur, & cunctorum orthodoxorum patrum ex concilijs septem, atque totius Ecclesiæ catholicæ, anathemati, quod dominus noster reuerendus papa eidem Michaeli & suis sequacibus, nisi resipiscerent denūciauit, ita subscribimus. Michael abusiuus patriarcha neophytus, & solo humano timore habitum monachorū adeptus, criminibus nunc etiam pessimis à multis diffamatus: atque cum eo Leo Atridamus episcopus dictus, & sacellarius ipsius Michaelis: Constantinus, qui Latinorum sacrificium prophanis conculcauit pedibus, & omnes sequaces eorum in præfatis erroribus & præsumptionibus, sint anathema, maranatha, cum Simoniacis. Valesijs, Arrianis, Donatistis, Nicolaitis, Seuerianis, Pneumatomachis, Manichæis & Nazarenis, & cum omnibus hæreticis, imò cum diabolo & angelis eius, nisi resipuerint: Amen. Hac fulguratione edita, creatura papæ Romani discedit.

ALIVD SCHISMA DE PON-
tificibus Romanis.

DEfuncto Stephano Nono, Ioannes Mincius Veliternus episcopus, factione quorundam nobilium (ut Gregorij Lateranensis & Tusculanensis comitis, Gerardi Galeranensis, & quorundam Romanorum nobilium) Romanorum præsul designatus, & Benedictus Decimus uocatus est. Verùm cum Hildebrandus subdiaconus Romanæ ecclesiæ peregrè abesset (pactus enim fuerat, ne quem se absente eligerent) reliquus etiam clerus assensum, donec reuerteretur, suspendit. Effecit igitur Hildebrādus cum suis coniuratis, ut Gerardus Florētiæ episcopus crearetur pōtifex Romanus, idque Senis, nomēque ei Nicolai Secūdi est impositum, & habito concilio, Benedictum Decimum ui cogunt, sese pontificio munere abdicare, atq; ad Veliternum episcopatū reuerti. Platina, Stella, Chronicō Casinense. Hęc sunt egregia Hildebrandi progymnasmata.

DISSI-

DISSIDIVM INTER HERSueldensem abbatem, & episcopum Halberstadiensem de bonis quibusdam.

HAlberstadiensis episcopus Burchardus, decimationes Saxoniæ, quæ ad monasterium Hersueldense pertinebant, sibi uendicabat ratione episcopalis regiminis: qua de causa abbas eius cœnobij Meginherus, multos annos cum eo litigabat, sed absq; magno fructu. Efficiebat enim episcopus gratia sua in aula Imperatoris, & coniunctione cum reliquis episcopis, qui eodē modo furabantur & dilapidabant bona Ecclesiæ, quo ipse, ut neq; forensibus neq; Ecclesiasticis legib. ad restitutionem perduci se pateretur. Tandem iubet abbas episcopo per Fredericum Palatinum indicari, cum ad furta restituenda nullo iure adduci posset, breui instare tempus, quo corā Deo esset hæc causa dijudicanda. Moritur paulo pòst abbas. Et cum episcopus eius rei gratia Synodū indixisset, in itinere lapsus de equo, domum relatus est: ubi tum suos domesticos, tum episcopos se uisitantes rogauit, ut decimas istas absq; mora cœnobio restituerent. Se enim iniusticiæ pœnas iam luere. Anno Domini 1059. Schafnaburg.

SCHISMA DE ELECTIOne pontificis Romani.

HIldebrandus archidiaconus Romanę ecclesiæ, impudētia & audacia supra alios creuit, ac iam pridē rapuisset pontificatum: uerùm pro sua astucia uidebat, nondum ad uenisse tempus sibi quidem opportunum. Effecit igitur, ut Alexander Secundus constitueretur pontifex: idq; citra Imperatoris consensum. Nam animus ipsius iamdiu moliebatur illud atrocissimum, perniciosissimum & cruentum schisma (erat enim militari, feroci, ac planè sanguinario animo prędituś: quod tamen ficta humilitatis specie callidè occultare poterat) quod postea est subsecutum: & credebat se bono Alexādro, ueluti asino suo, insidere, eiusq; simplicitate pro arbitrio suo abuti posse. id quod uel hinc apparet satis. Alexander conscientia motus, & multorum antecessorum uestigijs territus, publicè pro concione, quam habebat ad populum, in hæc uerba erumpit: Se se nolle esse papam absq; Imperatoris consensu, seq; ea de re daturum ad ipsum literas. Hæc uerba Hildebrandus audiens, à truculento & planè ursino murmure sibi nō temperat, uixq; manus continet (erat enim bellator cruētus, & recenti uictoria turgēs) donec Missæ complerentur. Finitis igitur sacris, Alexandrum militari manu (ecce diaconum Apostolicum & Euangelicum) in sacrarium per præceps abripit: necdum ornamētis sacris depositis, malè uirum colaphisat, exprobrans ei subinde, quòd Imperatorem de suę functionis confirmatione uellet solicitare. Audi amplius. Hildebrādus tanquam pontificum pontifex & rex regum omnes Ecclesię Romanæ reditus pro sua autoritate, tāquam Diaconus scilicet inuadit, sibiq; uendicat: ac statuit, Alexandro indies tantum esse quinq; solidos Lucensium dandos, ut hac tenuitate pabuli pontifex marceśceret: nec luxuriaret tantopere, ut legitimum magistratū de sui officij confirmatione interpellaret, posthabitis hac in parte omnibus decretis superiorum pōtificum, & consuetudine Ecclesiæ isti pernecessaria. Imò ne mutire posset miser Alexander, Hildebrandus eum in custodiam tradit, & ex fraterna atq; Apostolica charitate uenenum ei propinat, unde lætus uiueret, imò letum biberet. Sic scandit ad Sellam & æthera Hildebrandus noster. Balæus, & alij pontificum scriptores.

SCHISMA DE SELLIS.

LEuis ambitio nusquam non regnat. Natalem Domini Heinricus Quartus Cæsar Goslariæ celebrat. ibi ad uespertinos ritus, cùm sellæ prælatis in templo collocandæ essent, acris & uehemens contentio intercesserat inter Hecelonis episcopi Hildesheimenses, & Vuideradi abbatis Fuldēsis exortā est. Nā utriq; suas sellas proximè post archiepiscopum Moguntinum collocare nitebātur. Fons disidij erat: quia consuetudo erat in regno, à multis retrò maioribus obseruata, ut in conuentibus episcoporum abbas Fuldensis proximè ad archiepiscopum Moguntinum resideret. Eam uerò dignitatem hoc etiam in loco retinendam iudicabant. At Hildesheimensis suæ quoq; excellentiæ cōsulendum existimans, contendebat, in sua diœcesi non competere cuiquam locum ab archiepiscopo proximum, quàm sibi: quidquid tandem alibi fieret. Auxit uerò animum ipsius, opum potentia & splendor: ac temporis opportunitas, quo Cæsar paruulus esset, & impunè liceret cuiquam facere quod liberet. Iurgium autem hoc ad gladios protinus ueniisset, nisi Otto Bauarię dux abbati fauens, in medium processisset, & ambitiosā altercationē sua autoritate cōpescuisset. Hęc accidēre anno Domini 1063.

PRAELIVM DE SELLIS IISDEM.

EOdem anno, atq; eodem in loco, de iisdem locationibus cruentum prælium gestum est, quod ex Schafnaburg. relatione cognoscamus. Rex, inquit, Pētecostē Goslariæ celebrauit. ibi dū ad uespertinale syna xin rex & episcopi cōueniśēt, rursus de positiōe sellarū episcopaliū tumultus exoritur, nō fortuita, ut prius, cōcursiōe, sed pmeditata diu

tata diu machinatiõe. Nã epiſcopus Hildesheimẽſis, acceptæ prius cõtumeliæ memor, Ecbertũ comitẽ cum expeditis militib. retro altare occuluerat. Hi audito tumultuantiũ cameratiorũ ſtrepitu, ocyus aduolãt, Fuldẽſium alios pugnis, alios fuſtibus cædunt, proſternunt, & de ſacraro eccleſiæ, inopinato periculo attonitos, facilè proturbãt. Quibus illico ad arma conclamantibus Fuldenſes, quibus arma in prõptu erãt, facto grege, Eccleſiam irrumpũt, in medio chori pſallentiumq; fratrum manus conſerunt: rem iam non fuſtibus, ſed gladijs gerunt. Pugna atrox committitur, atque per totam Eccleſiam pro hymnis & canticis ſpiritualibus, uociferatio adhortantium & ululatus morientium exauditur. Super altaria Dei triſtes iugulantur hoſtiæ, paſsimque per Eccleſiam ſanguinis currunt flumina, non legali (ut quondam) religione, ſed hoſtili crudelitate profuſa. Epiſcopus Hildesheimenſis capto editiori loco, tanquam militari quodam claſsico, ſuos ut fortiter præliarentur hortabatur: & ne loci religione ab armis terrerentur, ſuæ authoritatis & promiſsionis titulum obtendebat. Multi utrinque uulnerati, multi occiſi ſunt. Inter quos præcipui erant, Regenbodo ſignifer Fuldenſis, & Bero, Ecberto comiti chariſsimus miles. Rex inter hæc uociferans, & ſub obtentu regiæ maieſtatis populum adiurans, ſurdis fabulam narrare uidebatur. Tandem monitus à ſuis, ut uitæ propriæ, pugna excedens, conſuleret, uixque inter conſtipatam arctius multitudinem eluctatus, in palatium ſe recepit. Hildesheimenſes, qui inſtructi, præmeditatiq; ad pugnam uenerant, ſuperiores efficiuntur. Fuldenſes, utpote quos inermes, inopinatosque ſubitò exortæ ſeditionis procella contraxerat, ſuſi, fugatique, atque de eccleſia expulſi ſunt. Fores ilicò obſerantur. Fuldenſes, qui primo tumultu ad arma tollenda paulò longius diſcurrerant, frequentes, armatique adſunt, atrium eccleſiæ occupant, aciem inſtruunt, ut de eccleſia progreſſos ſtatim adoriantur. Sed nox concertationem diremit. Poſtero die ſeueriſsimè habita quæſtione, Ecbertus comes facilè crimen remouit, non tantum iuris & legum patrocinio, quantum fauore & indulgentia regis, cuius patruelis erat. Totum accuſationis pondus in abbatem uerſum eſt. Hunc inquiunt, omnium quæ acciderunt, caput, fomitemque fuiſſe, hunc ad diſturbandam quietem regiæ curiæ præmeditato furore ueniſſe. Argumento rei eſſe, quòd tanta ui hominum, tanta bellici apparatus pompa inſtructus, nullo periculi metu urgente, eò ueniſſet. Tum uerò urgebat & ille Apoſtolicæ ſanctitatis ac Mo ſaic æ manſuetudinis epiſcopus, qui tãti ſanguinis effuſione manus ſuas Deo conſecrauerat, & uiolatæ Eccleſiæ iniurias truculentius & immitius quàm rex ſuas perſequebatur: in quorum corpora prius ferro debacchatus fuerat, ad perimẽdas horum animas gladio ſpiritus modò fulminabat, præcidens tam defunctos, quàm eos qui cædi ſuperfuerant, de corpore Eccleſiæ. Abbatem, præter acerbitatem rei quæ acciderat, odium quoque grauabat nominis monachici, quod inueterata malicia homines ſeculi ſemper obfuſcare atque opprimere conabãtur. Sic undique impetitus, oppugnatus, oppreſſus, poſt tot tantasq; contumelias priuatus abſceſsiſſet, niſi quem nec lex, nec innocentia tueri poterant, pecunia tutata fuiſſet. Nam diſtractis & dilapidatis rebus Fuldenſis monaſterij, ſe ſuosq; cariſsimo mercimonio redemit. Quantum regi, quantum auricularijs, quantum epiſcopo datum ſit, haud ſatis certò comperimus. Cautũ enim fuerat, ne paſsim uulgaretur. Hoc hauddubiè conſtat, ſic ea tempeſtate exhauſtas atque attritas eſſe illius monaſterij opes, quæ uſque ad id temporis florentiſsimæ erant, cunctisque Galliarum Eccleſijs eminebãt, ut modò ibi prioris opulentiæ uix monumenta reperias. Abbas poſt hæc accepta licentia Fuldam remeauit, amaro & confecto nimis ſuper tantis calamitatibus animo. Hactenus ille.

SCHISMA MONACHORVM *Fuldenſium.*

POſt hãc Goslarienſem cladem, mox illum ipſum Vuideradum domeſtica diſsidia excipiunt. Cauſæ diu collectæ erant, quas nunc recentes iſtæ calamitates exaſperant. Primùm enim abbas, nimium in fratres uidebatur rigidus: erat enim militari animo præditus. Deinde prædia monaſterij militibus, quos abſque neceſsitate alebat, erogabat. Tertiò, uictualia fratrum, priorum abbatum liberalitate ſtatuta, quotidie imminuebat. Hæc fratrum excitabant murmura. Poſtremò accedit iſta Goslariẽſis iactura pecuniæ multo maxima, & contumelia non leuis, quæ in totum monaſterium redundabat. Inſuper nihil remittebat abbas à largitionibus. Nam equum à Reginbodo donatum monaſterio, ut ſui in precibus recordarentur, mox laico cuidam donauit. Ineunt igitur conſilium monachi, ſeſe iugum iſtius abbatis excuſſuros eſſe, quacunq; poſſent ratione. Primùm autem abbatem adeunt, repetũtq; equum, & reliqua alijs per largitiones data. Abbas ad preces ſe conuertit, promittit tẽporis progreſſu reſtitutionẽ. Verùm nõ accipiunt eius promiſsionẽ, eo quòd hactenus ſæpè fefelliſſet, & tyrannicè egiſſet. Interim abbas à Cæſare accerſitur: quo abſente monachi,

nachi, iuniores præsertim, consilium ineunt, sese ipsos Cæsarem adituros, omnemque iniuriam exposituros, ut tandem à tam crudeli abbate liberentur. Egrediuntur monasterio in suo ordine, cruce præeunte, paucis senioribus ibi manentibus. In itinere legatum mittunt ad Cæsarem, qui causam aduentus monachorum doceret. Aula Imperatoris, quam præcipuè regebant Colonienſis archiepiscopus & Otto dux Bauariæ, decernit, non esse admittendos monachos: atque abbati faciunt potestatem, ut eos domum repellat. Abbas obuiam ipsis milites armatos mittit, qui sine ui eos domum reducant, & ante cœnobium retineant. Ipse euestigiò, suis rebus expeditis, subsequitur. Quo autem loco istos seditiosos monachos debeat habere, disceptatur: deniq; pro laicis monachi reputantur presbyter & diaconus ex ipsis, uirgis cæduntur atque expelluntur: reliqui egregiè uerberati, passim per alia monasteria distribuuntur. Ipse uerò abbas, miles cruentus, fur monasterij, homicida, qui multo seuerioribus castigationibus dignus erat, immunis est ab omni pœna. Sic scilicet uerũ est, Dat ueniam coruis, uexat censura columbas. Schafnaburgenſis.

Schisma ambitionis.

Parmenſis episcopus Gibertus, anno Domini 1063 Romæ, in locum Nicolai Secundi defuncti, iussu regis & principum est introductus, per Bucconem Halberstadienſem episcopum: qua quidem de causa præmij loco pallium, & alia nonnulla archiepiscopatus insignia Bucco reportauit. Hæc pmia Bucconi inuidens Moguntinus, interpretabatur, ad sui prioratus diminutionem ea omnia tendere: uerùm interuentu Colonienſis, & accepta satisfactione, quòd ea insignia nihil præiudicare Moguntino deberent, æmulatio sopita est. Schafnab.

SCHISMA DE PONTIFICUM *electione.*

Fœda Romanorum, postquam cœperũt suo præsuli tanquam meretrici (ut uocat Ioannes apostolus) in rebus politicis sub esse, fuit inconstantia, leuitas, perfidia. Modò enim hosce extulerunt, mox eosdem deiecerunt pro libitu, muliebri planè mutabilitate. Erat Parmenſis Cadolus in Romanũ episcopum datus non temerè, sed episcopis Italiæ id ab Imperatore expetentibus (Platina inqt, Cisalpinos id feciſſe.) Deinde cõsenserant in ipsum Romani, præsente Bucone Halberstadienſi: acceperat iam ipse ministerio Põtificio fungi, distribuebat pallia, & alia insignia Ecclesiarum. Verùm mobiles Romani, in suo arundineto mox commouentur, & murmura cient, Parmenſem non legitimè collocatum in pontificalem sedem, quia Imperator eum dedisset: neq; recordantur, quòd ipsi episcopi huncipsum ab Imperatore efflagitassent, & quòd Bucone præsente eũ recepissent. Neq; obscurè animaduertitur, Hildebrandũ huius comœdiæ actorem fuisse, ut hac ratione semina suæ tragœdiæ spargeret. Nec procul aberat seditio. Imperator aũt de gliscente hac turbatione certior factus, Colonienſem archiepiscopũ ablegat, anno Domini 1064. (Antoninus & Sabellicus dicunt, Ottonem Moguntinum fuisse) ut materiam motuum tolleret. Verùm eò ueniens legatus, omnia uidet tantopere exulcerata, & in extremum adducta discrimen esse, ut nisi furiosis & seditiosis ingenijs indulgeret, nullam pacem constituturus esset. In primis uerò Hildebrandi (ut Auentinus & Sabellicus comme morant) effrenata erat malicia, qui legato Imperatoris acerrimè se opponens, adrauim usq; uociferabatur: non esse Imperatoris põtifices creare. Necesitati itaq; præsenti parens legatus, in eam cum ipsis sententiam discedit: ordinationẽ Parmẽsis, quam absq; suo consensu factam esse causarentur, irritam habẽdam esse, atq; communib. suffragijs Anshelmum Luccensem subrogandum, cui Alexandro Secũdo nomen fecêre. Pacata hoc pacto urbe Roma, legatus Imperatoris domum reuertitur. Vix autẽ Galliam intrauerat, Parmenſis, collecta armata multitudine, Luccensem ui excutere à sella pontificia nititur. Luccensis uicissim suis stipatus fautoribus, locum suum tutatur. Vtrinq; acies congrediuntur infestis armis, & cædes plurimorum hominum committitur. Anshelmus deniq; suorum militum robore, & principum fauore, sellam pontificiam cruore humano madentem obtinet. Parmenſis, licet fractus & repulsus, tamen iure suo uti conatur, constituit episcopos, decreta promulgat: alterum, pseudoapostolum & adulterum Ecclesiæ, absq; intermissione proclamat. Hoc scilicet est Petri successorem, pastorem ouium, doctorem populi, imò potius Caini fratrem, lupum ouium, latronem populorum esse. Schafnaburg. Auent. Meminerit præterea Lector hæc esse Hildebrandi quasi tyrocinia quædam: maiora dabit, ut dicendum erit.

Manruę in Synodo, cui Imperator interest, redeunt in gratiam Papa & Cæsar: Cadolo data uenia: Gilbertus Rauennatis ecclesię antistes creatur. Antoninus, Sabellicus.

DISSIDIVM ANGLICVM *de archiepiscopi autoritate.*

Anno Domini 1070, Lanfrãcus Cãtuariẽsis archiepiscopus, & Thomas Eboracenſis, de archie-

de archiepiſcopali autoritate inter ſe cer-
tarunt. Prævaluit autem Lanfrancus
in aula uerſans, & regi charus, ut Eboracen
ſis iuraret, ſe non uenturum contra Cantua
rienſem, in ijs quæ religionem pertinerent.
Polydorus lib. 9 Anglicæ hiſtoriæ.

DISSIDIVM INTER MO-
guntinum & Herſueldenſem abbatẽ,
de Thuringiæ decimationib.

Moguntinus archiepiſcopus, ueluti mil-
uus ad prædam, ita ad decimationes Thu-
ringiæ intentus erat. Verùm Herſueldenſis
abbas ei reſiſtebat. Tandem uerò minis, &
Heinrici Quarti autoritate, & ſæuis dictis
opprimit abbatem, atq; præda potitur, an-
no 1073: ut in capite de Synodis exponitur.
Schafnaburgenſis.

SCHISMA DE ELECTIONE
pontificum, inter Imperatorem
& Hildebrandum.

Miſerabilis prorſus, & lugubris eſt hiſto-
ria, quomodo Heinricum Quartum Impe-
ratorem afflixerit & deformarit Hildebran
dus papa (quem Germani quidam Helle-
brand, quaſi petitionem infernalem dixêre)
dictus alioqui Gregorius Septimus. Initiũ
rei tantæ fuit eiuſmodi. Hildebrandus mo
nachus effrons, incredibili ambitione æſtu-
ans, impudenti audacia & mirabili aſtutia,
pecunia quoq; & necromantia, ſubinde ad
maiores ordines in Romana eccleſia cõſcẽ-
dere manib. pedibusq; nitebatur: donec tã-
dem in ipſum culmen pontificatus ſeſe per
fas nefasq; ingeſsiſſet, contra caconũ inſti-
tuta, ſicut aũt ſemper carpere ſolebat auto-
ritatẽ Imperatoris, inuocãdo atq; cõfirmã-
do epiſcopo Romano, clamitãs ius Roma-
næ ſedis nequaquam Cæſari Germano per
mittẽdũ eſſe, ut nimirũ hoc artificio Roma-
norũ beneuolentiã & ſtudiũ ſibi cõpararet:
ita etiã nõ conſulto prius Imperatore, pon-
tificatũ occupat, uerùm monaſtica callidita
te p̃ditus, inſigni fallacia etiã Imperatoris
aſſenſum cõſequitur. Nã cũ Imperator Ro-
mã legatos mitteret, expoſtulatũ cũ Hilde-
brando, q; ſe inſcio ſedẽ inuaſiſſet: fingit ſe
nõ alia recepiſſe cõditione hãc electionem,
quàm ut Impator ſua ſuffragia adiungeret.
Hac ſimulatione humilitatis motus Impe-
rator, uocationẽ quã Romani fecerãt, ratã
habet. Interim uerò nõ deponit Hildebran
dus curã cogitãdi de medijs, excutiẽdi hoc
iugũ Imperatorib. Germanis cõceſſum, &
uindicandi eccleſiam Romanam in ſuam
priſtinam libertatẽ, ut uociferabatur. Vide
igitur quid acciderit.

Triſtis & funeſta diſſenſio Saxonum &
Heinrici exoritur: atq; epiſcopi ab Impera
tore deficientes, ut ei quacunq; poſſent ra-
tione ægrè facerent, ad Hildebrãdũ Roma
num referunt de criminib. Impatoris: atq;
in primis Simoniam ipſius exaggerant, ut-
pote qua Hildebrandũ in primis ſperabãt
extimulari poſſe, ut ſuas partes in opprimẽ
do Heinrico cõferret. Etſi aũt epiſcopi, ſuã
quandã uindictã expetebant, tamen Hilde
brandus cupidiſsimè hanc litis materiã arri
pit, eaq; ad ſuas cupiditates perficiendas e-
gregiè abutitur. Hoc enim iſte titio infernã-
lis ſpectabat, ut eminentiam ac potentiam
Romani pontificis, hoc eſt poteſtatẽ aut li-
bidinem faciendi quælibet in toto Imperio
Romano ſtabiliret. Hæ igitur cauſæ, hi fon
tes ſunt omnium turbarum, quas ciet tanto
tumultu Hildebrandus.

Scribit igitur abſq; mora literas ad Hein-
ricum, pontificalibus criſtis ſuperbas, ut il-
lis omnibus qui ab ipſo per Simoniam con
ſecuti eſsẽt dignitates Eccleſiaſticas, reſigna
rentur officia quàm primùm: quod ni face
ret, nõ poſſe ſe partes officij ſui nõ exequi.
Ea uerò res plurimos ab Imperatoris bene
uolentia & ſtudijs abſterruit. Qui dignita-
tes ab Heinrico conſecuti fuerãt, de ſuis ho
noribus periclitantes, ad pontificẽ ſuppli-
ces ueniũt nõ ſine munerib. iratũ placãtes,
rurſum ab ipſo confirmationẽ impetrãtes,
atq; ad obedientiã Papæ in omnib. præſtã-
dã firmis iuramẽtis ſeſe obligantes. Hoc n.
ipſum quærebat iſte callidus artifex Romç.

Porrò Heinricus implicitus bello Saxo-
nico, & uariè irritatus ab epiſcopis, quædã
(uti ſolet fieri) in hoſtes ſuos epiſcopos du-
rius molitur: & quibuſdã exturbatis, alios
ſubſtituit. Eas uerò iniurias perſcribunt Ro
mam præſules, odio inſatiabili flagrantes
erga Imperatorem. Hildebrandus itaq; in
perniciem Heinrici conſpirans, quò ipſe al-
tius excreſceret, uocat ipſum Romanũ Im-
peratorem Romã, ſub initiũ anni 1076, ad
dicendam ibi cauſam de criminib. quæ ob-
ijcienda eſſent: additis, ſi detrectaret uenie-
re, ſæuiſsimis minis, ſeſe ipſum anathema-
tis fulmine percuſſurum eſſe, citra omnem
dilationem.

Heinricus iſto terrifico nuncio turbatus,
primùm qua poteſt celeritate nuncios Ro-
mã mittit, qui ſe excuſent, ac pontificẽ à tã
horrendis conatib. abducerẽt. Verùm Hel-
lebrandus pontificali faſtu tumidus, Impe-
ratoris legatos contra gentium ius in carce-
rem coniectos, fame, ſiti, frigore penè ene-
cat, ac deniq; cum dedecore ſummo urbe
ejcit. En tibi ſucceſſorem Petri germanũ.

Hac neceſsitate cõpulſus Heinricus, con
ſilium init de Synodo conuocãda Vuorma-
ciæ: atq; ipſum pontificem uiciſsim, ut ibi
compareat, pro ſua autoritate citat. Exiſti-
mabat enim, Papam, ſententia Cæſaris &
Synodi quaſi exautoratum, non poſſe ex-

communicationis fulmen promulgare: qua de re epistolam Imperatoris adscribere uisum est.

HEINRICVS DEI GRATIA
rex Annoni Coloniensi archiepiscopo
gratiã, salutẽ, dilectionem.

¶ In maximis negotijs, maximis maximorũ opus est cõsilijs, qui & facultatẽ habeant exterius, & uolũtate nõ careãt interius: ut rei cui bene cupiũt, bene cõsulere & uelint & possint. Quia in cuiuslibet rei profectu, nec facultas sine uoluntate, nec uolũtas sine facultate proderit. quod utrunq; tu fidelissime (ut arbitramur) æqualiter possides: uel ut uerius dicamus, licet maximo tibi maxima non desit facultas, maior tamen adhuc maxima facultate (si te bene nouimus, si fidem tuam diligenter notauimus) in nostram & regni utilitatem tibi exuberat uoluntas: de præteritis enim fideliter exhibitis, in futuris crescit spes fidelius exhibendis. Tuę autem dilectioni committimus, ne spes nostra sit maior fide tua: quia de nullius regni principum uel episcoporum fidelitate, quàm de tua, maiora speramus: sicut hactenus non modò in prẽteritarum rerum exhibitione, uerùm etiam in sperandarum promissione tua gratiſi sumus. Adsit igitur hoc in tempore opportuno, tua cum facultate uoluntas, quam non modò nostra, uerùm etiam omnium episcoporum, fratrũq; tuorum, imò totius oppressę Ecclesiæ exoptat necessitas. Non etiam hanc oppressionem ignoras: tantum uide, ne oppressæ te Ecclesiæ subtrahas, sed regno & sacerdotio condoleas: quo utroq; sicut hucusq; Ecclesia est exaltata, ita nunc heu humiliatur uiduata. Nam unus dum utrumque sibi uendicauit, utrumq; dissipauit: nec in uno profuit, qui in neutro prodesse uoluit, nec potuit. Et ne diutius notati nomine te suspendamus, accipe quem dicimus, Hildebrandum scilicet, monachum habitu quidem dictum Apostolicum, non pastoris cura sed inuasoris uiolentia Apostolicæ sedi prẽsidentẽ: & de sede pacis catholicę, pacis unitę uincula dissipãtem, ut tibimet in promptu est scire. Vt enim de pluribus pauca referamus, regnum ac sacerdotium Deo nesciente sibi usurpauit. in quo piam Dei ordinationem contempsit, quæ non in uno, sed in duob. duo, id est regnum & sacerdotium, principaliter cõsistere uoluit: sicut & ipse Dominus saluator noster in passione sua, de duorum gladiorum sufficiẽtia typica intelligi innuit. cui cum diceretur, Ecce Domine duo gladij hîc: respondit, satis est: significans hac sufficienti dualitate, spiritualem & carnalẽ gladium in Ecclesia esse gerendum, quib. omne nociuum foret amputandum: uidelicet sacerdotali, ad obedientiam regis pro Deo: regali uerò gladio, ad explodendos Christi inimicos exterius, & ad obedientiam sacerdotij interius, omnem hominem docens forre constringendum: & ita de alia in aliã charitatem tenderetur, dũ nec regnum sacerdotij, nec sacerdotium regni honore priuaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica insania confuderit, tu ipse nosti, si scire uoluisti. nam nullum eius iudicio licet esse sacerdotẽ, nisi qui hoc à fastu suo emendicauerit. Me quoq;, quem Deus in regnũ, nõ autem illum uocauit in sacerdotiũ, quia me de Deo, & non de illo regnare uelle uidit, quia ipse me regem nõ constituit, regnum animáq; priuare studuit, minitans, regnum mihi se tollere: quorũ neutrũ cõcẽsit. Hæc & his similia cum sæpius in nostrã (ut ipse nosti) contumeliam struxerit, non tamẽ ad huc sufficere credit, qui de die in diẽ noua & exquisita confusionis genera nobis ingerit, ut in nostris nuncijs nouiter argumentũ dedit. Nam charta exponere non sufficit, qualiter eosdem nuncios nostros tractauerit, quàm indignis modis affecerit, quá cruditate, frigore, fame, siti ac plagis contriuerit, sicq; demum in exemplum per medium ciuitatis circumductos, omnib. spectaculũ præbere iusserit, ita ut eundẽ cũ Decio Tyranno insanire, & sanctos assare credas & diras. Vnde ne pigeat charissime, cõmuni nocas. Vnde ne pigeat charissime, cõmuni nostrũm scilicet & meę & coepiscoporũ tuorũ petitioni satisfacere, ut in Pentecostẽ Vuormaciã uenias, & ibi plura, quorũ pauca domacet chartula, cum cæteris audias principib. & quid agendum sit doceas, rogatus per dilectionem coepiscoporum, monitus per Ecclesiæ utilitatem, obligatus per uitæ nostræ & regni totius honorem.

Residentibus igitur in Vangionum urbe episcopis, Imperatoris iussu, qui ipse quoq; intererat: Hugo quidã cardinalis literis Romanorum, quib. Hildebrandina minus probabantur consilia, superuenit. Etsi aũt nonnulli papæ tyrannidem metuentes, nonnihil trepidarent: tamẽ statuitur tandẽ, Hildebrandum, quia pontificatum canonicè adeptus non esset, deponendum: idq; Romano pontifice indicta inchoaretur. Fragmentũ huius sententiæ ex Vrspergensi adscribimus: Quia ergo & introitus tuus tantis periurijs est initiatus, & Ecclesia Dei tam graui tẽpestate per abusionẽ nouitatum tuarũ pielitatur, & uitam per conuersationem tuam tam multiplici infamia dehonestasti: obedientiã quam tibi nullam promisimus, nec deinceps ullam seruaturos esse renunciamus: & quia nemo nostrũm, ut tu publicè declamabas,

mabas, tibi hactenus fuit episcopus, tu quo que nulli nostrûm amodò Apostolicus.

Imperator quoq; eiusmodi ad Hellebrãdum adiunxit literas.

Heinricus, non usurpatiuè, sed pia ordinatione Dei, Rex: Hildebrando, iã non Apostolico, sed falso monacho:

Hanc talem pro confusione tua salutem promeruisti, qui nullum in Ecclesia ordinẽ prætermisisti, quem confusionis, non honoris, maledictionis, non benedictionis, non participem feceris. Vt enim de multis pauca & egregia loquamur: rectores sanctæ Ecclesiæ, uidelicet archiepiscopos, episcopos uel presbyteros, non modò non tangere, sicut Christos Domini, non timuisti: quin sicut seruos, nescientes quid faciat dominus eorum, sub pedibus tuis calcasti: in quorũ conculcatione tibi fauorẽ ab ore uulgi comparasti, quos omnes nihil scire, te aũt solum omnia nosse iudicasti: qua utiq; scientia nõ ad ædificationem, sed ad destructionem uti studuisti. ut iure hoc beatum Gregorium, cuius nomen tibi uendicasti, de te credamus prophetasse, dicentem sic: Ex affluentia subiectorum plerunq; animus prælati extollitur: existimat se plus omnibus nosse, cum se uideat plus omnibus posse. Et quidem nos omnia hæc sustinuimus, dũ Apostolicæ sedis honorem conseruare studuimus. Sed tu humilitatem nostram timori fore intellexisti: ideoq; & in ipsam regiam potestatẽ, nobis à Deo cõcessam, exurgere non timuisti: quam à nobis auferre ausus es minari, quasi à te nos regnũ acceperimus: quasi in tua, & non in manu Dei sit regnum uel imperium: qa Dominus noster Iesus Christus, nos ad regnum, te autem non uocauit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti: scilicet astucia (quod monachica professio abominatur) pecuniam, pecunia fauorẽ, fauore ferrum, ferro sedem pacis adisti: & de sede pacis, pacem turbasti, dum subditos in prælatos armasti: dum episcopos nostros à Deo uocatos, tu nõ uocatus, spernẽdos docuisti: dum laicis ministerium eorum super sacerdotes usurpasti, ut ipsi deponãt uel cõdemnẽt, qui ipsos de manu Domini per impositionem manuum episcoporum docendos acceperant. Me quoq; (licet indignus inter Christianos sum ad regnum uocatus) te teste, quem sanctorum patrum traditio solũ Deo iudicandum docuit, nec pro aliquo crimine, nisi à fide (quod absit) exorbitaue rim, deponendum asseruit. Cum etiam Iulianum apostatam prudentia sanctorum episcoporum, nõ sibi, sed soli Deo deponendum commiserit. Ipse uerò quid uerus papa beatus Petrus clamat? Deum timete, regem honorificate. Tu autem quia Deũ non times, me constitutum eius inhonoras. Vnde beatus Paulus, ubi angelo de cœlo, alia si prædicauerit, nõ pepercit: te quoq; in terris alia docentem, non excipit. ait enim: Si quis, uel ego, uel angelus de cœlo, præter id quod euangelizauimus, uobis euangelizauerit, anathema sit. Tu igitur hoc anathemate, & omnium episcoporum nostrorum iudicio damnatus descende, uendicatam tibi sedem Apostolicam relinque: alius in solium beati Petri ascendat, qui nulla uiolentia religionem palliet, sed beati Petri sanam doctrinam doceat. Ego Heinricus Dei gratia, cum omnibus nostris episcopis tibi dicimus, descende, descende.

¶ Clerum similiter, uniuersumq; populum tali compellat epistolio Imperator.

Heinricus Dei gratia, Rex uniuersæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ, clero & populo, gratiam, salutẽ, & omne bonũ.

Hæc fides firma & inconcussa creditur, quæ semper & eadem & præsenti & absenti seruatur: nec diuturna eius cui debetur absentia, nec longi temporis tædio immutatur. Et de alia epistola: Exurgite in eum fidelissimi, & primus in fide, sit primus in eius damnatione. Non autem ut eius sanguinem effundatis, dicimus: quippe cum maior sit sibi post dãnationẽ pœna, uita, quàm mors. Sed ut eum, si nolit descendere, cogatis: & alium communi omnium episcoporum & uestrorum cõsilio à nobis electũ, in Apostolicam sedem recipiatis, qui quod iste in Ecclesia uulnerauit, curare uelit & possit.

Quin & Italiæ episcopos quosdam, Ticini habito conuentu, sententiæ Germanorũ contra Hellebrandum latæ, subscripsisse, Auent. li. 5 Annal. autor est.

¶ Legati cũ literis quas posuimus, iter ingressi, ad dictum Synodi diem, ubi à pontifice suarum rerum rationem reddere iussus fuerat Imperator, adsunt. Pontifex facto initio, Romanos, qui aderant frequentes, sacri & senatorij ordinis uiros, blanda oratione compellat: Romam caput mundi, & totius orbis dominam, tum Imperium, tum pontificatum pro suo arbitrio conferre posse: & quidem iure, multo ipsorum sanguine ac sudore parto, debere. Mecum igitur, inquit, filij charissimi, mecum decernetis, qui'nam Romæ posthac regnauerit: nec me superstite Rex libero populo, quem ipse non creauerit, imponetur. Post hęc millia talẽtũm quindecies uiritim distribuit. Egregia scilicet homines ineseandi artificia. Quis dubitet, quin ab apostolo Petro, eiusq; scriptis ista didicerit? Plurimũ uerò ea aucupia tũ quidem apud Romanos habuêre ponderis.

Dũ ista gerũtur, Rulandus sacerdos Parmensis, literas illas Imperatoris deferens templum ingreditur: & absq; omni salutationis honore, Tibi (Hildebrandum compellans, inquit) Imperator ueræ religioni addictissimus, & sanctissimi Italiæ, Galliæ Germaniæq; episcopi præcipiunt, ut te munere, quod astu, pecunia, gratia occupasti, abdices. non enim uerus pastor, neq; pater, neq; pontifex es: sed fur, lupus, latro & tyrannus. Fit illico tumultus in templo, gladijs petitur Rulandus, sed uix Gregorij ope liberatur: ut Auentinus ex Bernriedtensi & Gerotho Reichersbergio, huius seculi scriptoribus, lib. 5 Annalium annotat.

Sedatis turbis, põtifex qua poterat effreni linguæ licẽtia in Imperatorem inuehitur: omnisq; populus tandem acclamat, sceleratum regem omnib. modis deponendum. Populi ac suorum iuratorum suffragijs tali pacto comparatis, ad solennem excommunicationem accingitur: atq; initiò horribilibus uerbis Imperatorem ipsum, atq; adeò omnes qui partibus ipsius studebãt, episcopos suis dignitatib. & beneficijs priuat. Deinde etiam diris Imperatorem deuouet, ac subditos à dato iuramento absoluit: moxq; in Germania ab episcopis sibi iuratis, iubet suam excommunicationẽ passim promulgari: atq; hortatur principes & subditos, ut ab omni obedientia atq; reuerentia Imperatoris abstineant. quod ni facturi sint, se eodem loco ipsos habiturum esse: ac mandat, ut Imperij ꝓceres de nouo Imperatore creando deliberent. Formula huius sæuæ excommunicationis apud Platinam in Gregorio 7 extat, quæ talis est.

¶ Beate Petre Apostolorum princeps, inclina quæso aures tuas, & me seruum tuum exaudi, quẽ & ab infantia educasti, & usq; ad hunc diem ab inimicorum manibus uindicasti, qui me pro mea in te fide oderunt & persecuti sunt, tu mihi testis es optimus, & pia Iesu Christi mater, & frater tuus Paulus, tecum martyrij particeps, me non sponte, sed inuitum pontificatus gubernacula suscepisse. Non quòd rapinam arbitratus sim, sedem tuam legitimè conscendere: sed malebam uitam meam in peregrinatione degere, quàm locum tuũ pro fama & gloria tantum occupare. Fateor ego, & meritò quidẽ, mihi tua gratia, non meritis meis, populi Christiani curam demandatam esse concessamq; ligandi & soluendi potestatem. Hac itaq; fiducia fretus, pro dignitate & tutela Ecclesiæ suæ sanctæ, omnipotentis Dei nomine, patris, filij, & Spiritus sancti, & Heinricum regem, Heinrici quondam Imperatoris filium, qui audacter nimium & temerariè in Ecclesiam tuam manus iniecit, Imperatoria administratione, regiaq; deijcio: & Christianos omnes Imperio subiectos, iuramento illo absoluo, quo fidem ueris regib. præstare consueuerunt. Dignum est enim, ut is dignitate careat, qui maiestatem Ecclesiæ imminuere conatur. Præterea uerò monita mea, imò tua, ad suijpsius, populorumque salutem pertinentia contempsit: & se ab Ecclesia Dei, quam seditionibus pessundare cupit, separauit, eum anathematis uinculo colligo, certò sciens te esse Petrum, in cuius petra, ut in uero fundamento rex noster Christus ædificauit Ecclesiá suam. Attendente autem quòd iste pontifex non inuocat, nec testem citat uerum Deum, sed creaturas mortuas: ut Petrum, Mariam & Paulum. Ignorante igitur Christo Iesu hæc excommunicatio quasi promulgatur. Neq; testantur Biblica monumenta, Petrum, Mariam, Paulum, utpote defunctos, exaudire uiuentium preces: & manifestum Dei mandatum est, Dominũ Deum tuum adorabis. Et, Non habebis Deos præter me: siue illi Petrus, Maria, aut Paulus uocitentur.

Est & hoc notandum, Platinam & Stellam Hildebrandi impietatem & maliciam contegere summis uirib. conari: uerùm ficuti unguis leonem, ita hæc tetra & cruenta facta tyrannicum hoc monstrum satis superq; coarguunt & produnt.

¶ Bennonem nunc audiamus, qui de hac excommunicatione sic refert: Prẽter uoluntatem & consilium Cardinalium, extra ordinem iudicandi, sacris canonibus determinatum, Imperatorẽ in nulla Synodo canonicè accusatum, præcipitanter excommunicauit: in qua excommunicatione nullus cardinalium subscripsit. Vt primùm ad excommunicandũ Cæsarem de sede surrexit (Hildebrandus) sede ipsa nouiter lignis fortissimis compositа, subitò Dei nutu terribiliter scissa est in plures partes: ut manifestè daretur intelligi, sessorille, tam periculosa excõmunicatione, tanta præsumptione, quanta, quamque terribilia schismata seminaret contra Ecclesiam Christi, contra sedem beati Petri: quàm crudeliter dissiparet cathedram Christi, inculcando leges Ecclesiæ, imperando cum potentia & austeritate. In descriptione eiusdem excommunicationis ea interseruit, in quibus manifestè à fide catholica errauit, cum iniustè excommunicatum Imperatorem, & episcopos communicantes ei excepit ab excommunicatione, & tertio gradu communicantes eis, & unitatem Ecclesiæ scindens, (quantum in ipso fuit) duas Ecclesias fecit. Hæc Benno.

Propter hanc Imperatoris excommunicationem, plures episcopi atq; Imperij principes, non solùm alieno ab Imperatore facti sunt ani-

sunt animo, sed & de nouo rege creando consilia clam inierunt, inter quos facilè principem tenebant locum Saxones & Sueui. Ad hosce igitur pontifex Triburiæ conuentum agentes legatos mittit, Sighardum Aquileiensem, & Altmannum Bathauinum: ac iustè Heinricum tum communione priuatum, tum regno deiectum docet: utq; alium ipsi substituant, liberam concedit potestatem. Magnarum autem calamitatum ea res occasio fuit, cum sub religionis prætextu nihil non contra Imperatorem, ipsiq; addictos episcopos, licet paucos, molirentur confœderati. Cum autem rectius iudicantes, istum nimium rigorem & inordinatum processum contra Imperatorem reprehenderent, ac pontificis truculentiam atq; tyrannidem abominarentur: & non obscurè cernerent, ex liuore horribili atque inaudita dominandi libidine ipsius Hildebrandi hæc omnia fieri, deniq; in totius Imperij Romani atque Ecclesiæ perniciem ac deformationem, ista tendere: Hildebrandus à suis complicibus certior factus, ut hanc leniretinuidiam, aduersarios placaret, suos confirmaret, episcopis, ducibus, uniuersis Teutonibus Christianam religionẽ, defendentib. eiusmodi simulata modestia, ut erat incredibili hypocrisi p̃ditus epistolã rescripsit.

¶ Etsi ea quæ fecimus, bene, rectè, sapienterq; in celebri Romæ cœtu, summa prudentia, summo consilio gesta sunt: tamẽ accepi, nos contra proprietatem Christianam egisse uideri plerisq;, qui egregium sanè facinus, uelut ab odio & liuore, superbia atq; auiditate profectũ, carpunt, abominantur. Quamobrem rationem actorum reddere, remq; ordine explicare placuit. Teste conscientia nostra, nihil inuidię, nihil simultati, nihil ambitioni datum est. Quidquid hactenus actum est, amore diuinæ iusticiæ feci. Dum adhuc priuati essemus, uocabamur amici parentum regis, quẽ crebrò ac frequẽter & amicè literis familiaribus commonuimus, uti resipisceret: eundem per natales clarissimos, per auitam paternamq; gloriã & uirtutem, per salutem, uitam & maiestatem Imperij, sæpius obtestati sumus, ut rumorem de eius sceleribus (quæ Deus prohibeat ut edere in uulgus uelim) dissipatũ, falsum esse factis coargueret. Idẽ sollicitius pontificatum max. adepti, iam communis eius animi parens factitauimus. Ipse itidẽ subinde nobis rescripsit: ætatem, fortunam, potentiam paucorum, qui summam Imperij obtinerent, excusauit. Idcirco purpuratos quosdam, quorum consilio sacerdotia, pontificatus, contubernia monachorum uenibant, ac lupi templis, non pastores præficiebantur, repetundarum postulauimus, condemnauimus. Postremò illos in malo obstinatissimos, execrati sumus. Heinrico ut illos aula, prætorio, curia, sermone exigeret præcepimus. Verùm enimuero tantũ abfuit ut nobis rectè consultanti obtemperauerit, uti omnes Italiæ, pleriq; Galliæ atque Germaniæ episcopi, eius suasu atq; instinctu iugum diui Petri, à Christo ceruicib. ouium impositum, excusserint, censuram Romanorum Pontificum reiecerint. Et ut paucis summam scelerum illius explanem, primò, eos quos captæ pecuniæ accersiuimus, in numero sceleratorum, impiorumque computauimus, deuitare noluit. Deinde nullam præ se fert spem resipiscendi: sed subnotari etiam à quopiam suos mores, graui & iniquo patitur animo. Postremò templum diuinum dissensione labefactare, discordiæ mala serere studet. Neque precibus, neq; minis ad bonã frugem commouetur. Hasce ob causas, eundem à societate sacrosanctæ concionis amouimus, ex albo Christianorum erasimus, ut qui sponte rectè facere negligit, hac contumelia coactus, officium suũ, & quod se dignum est, faciat. Si quidem ipse seruari (quod Deus uertat) non uult, & omnino ad perniciem suam per præceps tendit: nos qui pastores eius, & rationem Deo de eius anima reddituri sumus, desidiæ at socordiæ conuinci, ac perinde perire nolumus. Quod si utiq; quispiam non tam iudicio quàm morbo animi nos uti, nostramq; sententiam iniustã esse existimarit, si talis est ut doceri queat, sacras Literas, decreta magistrorũ Ecclesię consulat, ueterum annales nobiscum euoluat. Comperiet pro certo, nos plus æquo, iustoq; humaniores, ne dicã segniores fuisse. Quanquam neminem omnium esse credam, qui mecum animo dissentiat: tametsi quæ sentiat, palàm eloqui forsan non audeat. Enimuero si ille à nobis iniustè hoc fulmine afflatus foret, tamen eũ supplicẽ uenire oporteret, uenią atq; piaculũ quò solueretur petere. Inde piętissimi filij q magis Deum quàm homines timetis, qui iusticiam regi, ueritatem iræ præfertis, bono estote animo, labore, patientia, factis fortib. uires exercete, bonis præceptis obtemperate, fortiter aduersus insanos facite. Magnæ curæ magna merces est. Immortalis Imperatoris partes defenditis, qui si cœpto quoad uita suppetat perseueraueritis, immortalitate, præmio uirtutis uestræ uos cõdonabit. Equidem perpetuò Deum optimum maximum deprecor, ut uobis uirtutẽ præstet, regem ad sanitatẽ redire cogat. tunc planè intelliget, me & uos longè eũ amasse magis: maioremque gratiam ab eo inibimus, quàm illi, qui animo indulgentes,

assentando, palpando, adulando, peruersam gratiam gratificantur. Si ille respuerit, omnium quæ aduersus me gesserat, obliuionem decernam, & consilio uestro cũ eo in gratiam redibo, in templumq; diuinum reducam: ut Auentinus libro quinto Annalium refert.

Imperator ruinam Imperij & sui honoris in conspectu habens, in summas redigitur angustias, ut quò se uerteret non habeat. Tandem in eo cardine suarum rerum salutem esse positam uidet, ut ante diem anniuersarium excõmunicatione liberetur. Decretum enim à principibus erat (ut Schafnaburgensis narrat) si ante diem anniuersariũ à pontificia excommunicatione non solueretur, ut & causa in perpetuũ caderet, & regnũ sine ullo deinceps restitutionis medio amitteret. Huc accedebat & illud, quòd Germani episcopi & principes pontificem Roma euocant, ut coràm Ecclesiæ & reipublicæ causas cognosceret ac determinaret: iamq; Papam in procinctu esse cognouerat.

Anno igitur Domini 1077, media & sæua hyeme, destitutus à suis, non magno comitatu se dedit itineri: atq; per niues & frigora, eques & pedes proficiscitur, ut in Italia Pontifici occurrat.

Hildebrandus Roma egressus, accelerãs profectionem in Germaniam, ex nuncijs comperit, Imperatorem in Italiam ueniisse. Diuertit igitur in castellum Canusiũ, quod erat munitissimum, incertus quid Imperator moliturus esset: præsertim cum resciret, passim Italiæ principes, rebus nouis studentes, ad Imperatorẽ confluere. Interea multi ad Papam ueniunt, prius Heinrico addicti: qui nudis pedibus & laneis induti, supplices coram Hellebrando ueniam expetunt, ac uix impetrant. Schafnaburgensis.

Iam uerò lugubrem historiã, quã absque lachrymis nemo legere potest, quomodo Hildebrandus inaudita superbia, procacia, malicia, Imperatorẽ Romanũ tractarit, exibilarit, & uerè spectaculũ ac ludibriũ angelis & hominibus proposuerit, ut Benno scribit, ex ipso Schafnaburgensi pontificiæ religionis scriptore audiamus. Licet enim conetur summis uiribus scelera Hildebrandi, monstri Romani, contegere: tamen hæc ita uoluit, tanquã ueritatis testis, æternæ memoriæ consecrare. Sic igitur inquit.

¶ Interea rex Heinricus Mathildã comitissã ad colloquiũ euocauit: eáque precib. ac promissionibus oneratã, ad papã transmisit, & cũ ea socrũ suã filiumque eius: Azzonem etiam marchionẽ, & abbatem Claniacensem, & alios nonnullos ex primis Italiæ principibus, quorũ autoritatẽ magni apud eũ momenti esse non ambigebat: obsecrans, ut excõmunicatione absolueretur: nec principibus Teutonicis, qui ad accusandũ eũ, stimulo inuidiæ magis quàm zelo iusticiæ exarsissent, temerè fides haberetur. Quorum papa legatione audita, ait: Inconsulte ualde esse, & ab Ecclesiasticis legibus omnino alienũ, ut absentibus accusatoribus, causa accusati uentilaretur. Quinimò si innocentię suę confideret, omni timoris scrupulo liberatus, statuto die in Augustã, quò cæteri principes conuenire statuissent, fiducialiter occurreret: se illic discussis utrarũque partium allegationibus, nec odio nec gratia ab iure ad iniuriã deuoluẽdũ, sed iuxta leges Ecclesiasticas q̃ rectissimã possit de singulis sententiã laturũ esse. Ad hæc illi respõderũt: Regẽ illius nusquã terrarũ subterfugere iudiciũ, quẽ sciat æquitatis & innocentiæ incorruptissimum uindicem & aduocatum fore. Se è uicino iam urgere diem anniuersarium, quo excommunicatus fuisset: & principes regni hac expectatione suspensos, attentosque, anxiè rei euentum præstolari: ut si ante hanc diem excommunicatione non absoluatur, deinceps iuxta Palatinas leges indignus regio honore habeatur, nec ultrà pro asserenda innocentia sua audientiam mereatur. Proinde obnoxius petere, & hoc omni quo papa iubeat satisfactionis genere paratum esse, ut solo interim anathemate absolui mereri, ut solo interim anathemate absolmereri, ut solo interim anathemate absolmereri, ut solo interim anathemate absolm

postolicæ decretis nunc obediendo expiaret. Venit ille, ut iussum fuerat: & cum castellum illud triplici muro septum esset, intra secundum murorum ambitum receptus, foris derelicto omni comitatu, suo deposito cultu regio, nihil præferens regiũ, nihil ostẽtans pompaticum, nudis pedibus ieiunus à mane usq; ad uesperam perstabat, Romani põtificis sententiã præstolãdo. Hoc secundo, hoc tertio die fecit. (Hoc pacto facilior aditus ad ipsum Christum, quàm ad pontificem Romanum patet.) Quarto demũ die in conspectum eius admissus, post multas hinc inde dictas sententias, his postremò conditionibus excommunicatione absolutus est, ut die & loco, quemcunque papa designasset, euocatis ad generale concilium Teutonicis principibus, præstò esset, & accusationibus quæ intenderentur responderet: ipso papa, si ita expedire uideretur, cognitore causarum assidente: & ad eius sententiam uel retineret regnum, si obiecta purgasset: uel æquo animo amitteret, si probatis criminibus regio deinceps honore indignus iuxta Ecclesiasticas leges decerneretur: nullam siue retento, siue amisso regno, huius iniuriæ uindictam à quopiam hominum in perpetuum exacturus. Vsque ad eam autem diem, qua causa eius legitimè discussa terminaretur, nulla regij cultus ornamenta, nulla regiæ dignitatis insignia sibi adhiberet, nihil circa rerumpublicarum administrationem iuxta consuetudinem suo iure ageret, nihil quod ratum fore oporteat decerneret: postremò, præter regalium seruitiorum exactionem, quibus necessariò ipse & sui sustentandi essent, nihil regium, nihil publicum usurparet: omnes etiam qui ei sub iureiurando fidem dixissent, ab huius sacramenti uinculo, & conseruandæ erga eum fidei debito, apud Deum & apud homines interim liberi expeditique manerent: Rubertum Babenbergensem episcopum, & Vdalricum de Cosheim, & cæteros, quorum consilijs se remq; publicam prodidisset, à sua in perpetuum familiaritate amoueret. Quòd si purgatis quæ obijcerentur, potens cõfortatusq; in regno perstitisset, subditus Romano pontifici semper, dictoque obtemperans foret: & ad corrigenda, quæcunque in regno eius contra Ecclesiasticas leges praua consuetudine inoleuissent, consentiens ei, & pro uirili proportione cooperator existeret. Ad ultimum, si quid horum præuaricaretur, irritam fore hanc, quæ nunc tantopere expetita sit, anathematis absolutionem. Quin imò iam pro conuicto, confessoq; habendum esse, nec ultra pro asserenda innocẽtia sua audientiã impetraturum, principesq; regni omni deinceps quæstione, cuncta iurisiurandi religione liberatos, regem alium, in quem communis electio consensisset, creaturos esse. Gratanter rex accepit conditiones, & seruaturum se omnia quàm sanctissimis poterat assertionibus promittebat. Nec tamen promittenti temerè fides habita est: sed abbas Cluniacensis, quoniam iurare monasticæ religionis obtentu detractabat, fidem suam coram oculis omnia cernentis Dei interposuit.

Episcopus quoque Citicensis, & episcopus Vercellensis, & Azzo marchio, & alij conuentionis eius principes, allatis sanctorum reliquijs, sub iureiurando confirmauerunt, facturum esse quæ pollicebantur: nec aliqua rerum asperitate, uel casuũ uariè succedentium mutabilitate ab sententia deducendum. Hæc Schafnaburgensis.

Vides Christiane Lector, exemplum dominationis pontificiæ, non Petrinæ absolutionis. Nemo enim Apostolorum tanto fastu usus est. Nihil hîc audis de fide in Christum. Tantum uerò Hellebrandus sceptra imperij iubet deponi, sibi tradi, se coli: ut omnia nimirum pro suis cupiditatibus, tam in regno politico quàm Ecclesiastico decernat & agat. Hoccine est Christi uocem sequi: Reges gentium dominantur, nos autem non sic?

Iuramentum pontifici præstitum his uerbis apud Platinam extat: Rex Heinricus, imposita pace ex sententia Domini nostri Gregorij Septimi, affirmo me pacta & fœdera conseruaturum: curaturumq;, ut quoquo uoluerit idem pontifex, sine ullo discrimine suijpsius & comitatus, proficisci possit, maximè autem per loca nostro Imperio subiecta: neque per me staturum, quo minus liberè pontificio munere ubique locorum uti possit: & hæc obseruaturum me iureiurando addito. Actum Canosi, quinto Kalend. Februarij, indictione decimaquinta.

¶ At Italiæ proceres ea re cognita, admodum regi indignabantur, quòd tam fœdè & indignè pontifici illi, qui sedem pessimis inuasisset artibus, cædibus & adulterijs pollutissimus esset, se submisisset, nec potuit tumultuantium animos sedare Imperator, nisi promisisset, se papæ actiones retractaturum: ut Lambertus refert.

¶ Dum autem in Italia moram trahit Imperator, ut Sigebertus ait: Germaniæ principibus author est pontifex, ut Rudolphum Sueuiæ ducem Regem eligant: eiq; coronam hoc pontificio uersu exornatam, simul per legatos mittit.

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

O opulentum Cæsarem, ex paupere piscatore factum. Ex clauigero scilicet, coronarũ aurearum distributorem audis.

Imperator autem ad Germanos reuersus, cum Rudolpho de dignitate Imperij certat: multoq; hoc bellum sanguine constat. Rudolphus cum minus felices haberet successus, pontificis opem implorat. is confestim ex sua pharetra deprompto telo, Heinricum denuò excommunicationis fulmine ferit, Rudolphum uerò Imperatorem publicè designat, literarũ exemplar Platina memoriæ conseruat, quod tale est. Beate Petre Apostolorum princeps, & tu Paule gentium doctor, uestras quæso aures mihi paululum præbete, meq; clementer exaudite. nam ueritatis discipuli estis, & amatores: quæ dicam, uera sunt. Hanc causam suscipio ueritatis gratia, ut fratres mei, quorum salutem exopto, mihi obsequentius ac quiescãt, sciãt, intelligãt, quòd uestro auxilio fretus, post Christum & matrem eius semper uirginem, flagitiosis & iniquis resisto: fidelibus autem præsto adsum, & auxilium fero. Non enim libens & uolens hanc sedem conscendi, sed inuitus & lachrymans: quòd me indignum iudicabã, qui tam in excelso throno sederem. Hæc autem dico, quia non ego uos, sed uos me elegistis, & grauissimum pondus humeris nostris imposuistis. In me autem uestro iussu montem ipsum conscendentem, clamantem & annunciantem populis eorum scelera, & filijs Ecclesiæ peccata, membra diaboli consurrexêre, & ad sanguinem usque manus suas in me coniecêre. Astiterunt enim reges terræ, & principes seculi, cum his coniurarunt Ecclesiastici quidam & uulgares in Dominum, & nos Christos eius, dicentes: Dirumpamus uincula eorum, & proijciamus à nobis iugum ipsorum: hoc autem fecêre, ut me uel morte, uel exilio mulctarent. quorum de numero fuit Heinricus, quem regem uocant. Heinricus inquam, Heinrici Imperatoris filius, qui cornua & calcem contra Ecclesiam Dei superbè nimium erexit, facta coniuratione cum multis episcopis Italici, Germanici, Galliciq; nominis, cuius superbiæ uestra adhuc restitit autoritas, qui fractus potius quàm ad sanitatem redactus, ad me in Cisalpinam perueniens, absolutionem anathematis suppliciter quæsiuit. Hunc ego, quem ad pœnitentiam uenisse credideram, in gratiam recepi: huicq; tantummodo communionem reddidi, non tamen in regnum, è quo eum in Romana Synodo depuleram, restitui: nec uectigalibus regni, ut ad fidem redirent, concessi. Hoc ideo feci, ut si redire in gratiam cum finitimis suis, quos semper uexauerat, differret, redderéque tum res Ecclesiasticas tum prophanas ex fœdere abnueret, cogi ad officium execrationibus & armis posset. Hac opportunitate adiuti quidam Germaniæ episcopi & principes, ab hac fera bestia diu uexati, in locum Heinrici suis flagitijs regno cadentis, ducem suum Rudolphum delegunt: qui regia modestia & integritate usus, statim nuncios ad me misit, à quibus intelligerem se coactum regni gubernacula suscipere: non esse tamen adeò regnandi cupidum, ut non malit nobis, quàm regnum pollicentibus obtemperare: futurum se in Dei potestate semper, ac nostra, idq; ut arbitremur, nos facturos, filios obsides pollicitus est. Stomachari tum Heinricus cœpit, & nos primò quidem precari, ut Rudolphum ab occupatione regni, execrationibus propelleremus. Dixi, me uelle uidere, cui ius competeret: & eò missurum nuncios, qui rem omnem resciscerent: meq; deinceps iudicaturum, uter ipsorum in causa potior habendus esset. Vetuit Heinricus, quo minus rex à legatis nostris decerneretur: multosq; tum seculares tum Ecclesiasticos interfecit, Ecclesias diripuit & prophanauit, atque hoc modo anathematis uinculis seseilligauit. Hanc ob rem fidens in Dei iudicio & misericordia, inq; patrocinio beatæ uirginis, fultus etiam autoritate uestra, ipsum Heinricum, eiusq; fautores, uinculo anathematis colligo, atque iterum regiam potestatem ei adimo: interdicoq; Christianis omnibus illo iuramento absolutis, quo fides regibus dari consuetuit, ne Heinrico ulla in re obtemperent, Rudolphum in regem suscipiãt, quem multi proceres optimum sibi delegêre. Etenim par est, ut sicuti Heinricus ob superbiam & cõtumaciam facultatib. suis priuatur: ita Rudolphus omnibus gratus, pro sua pietate & religione, regia dignitate & potestate donetur. Agite igitur Apostolorum sanctissimi principes, & quod dixi uestra autoritate interposita confirmate: ut omnes nunc demum intelligant, si potestis in cœlo ligare & soluere, in terra quoque imperia, regna, principatus, & quidquid habere mortales possunt, auferre & dare nos posse. Si enim quæ ad Deum pertinent, iudicare potestis, quid de his inferioribus & prophanis censendum est? Et si angelos dominantes superbis principib. uestrũ est iudicare, quid in seruos illorũ uos decet facere? Ediscant nunc reges huius exemplo, & omnes seculi principes, quid in cœlo positis: quantiq; apud Deum sitis, ac dein-

deinceps timeant ſanctæ Eccleſiæ mandata contemnere. Hoc autem indicium citò in Heinricum exercete, ut intelligãt omnes, iniquitatis filium non fortuitò, ſed ueſtra opera è regno cadere. Hoc tamen à uobis optauerim, ut pœnitentia ductus in die iudicij ueſtro rogatu gratiam à Domino conſequatur. Actum Romæ nonis Martij, indictione tertia. Sic decet Petri ſucceſſorem, nullo exemplo Petri, alios reges orbis deponere, alios uerò imponere.

Eadem tempeſtate Gibertus Rauennas archiepiſcopus, quòd Cæſaris erat partium, à Romano Hellebrando dignitate exuitur, cunctuſque clerus ab ipſius obedientia exemptus eſt, ut Platina ait. Decebat enim, præſulem Romanum non modò Imperium, ſed etiam Eccleſiam ſurſum ac deorſum agitare & turbare. Hæ ſunt uirtutes tanti Apoſtolici.

Idem feria ſecunda paſchatis, in eccleſia ſancti Petri in ambonem aſcendit, indutus pontificalibus indumentis: atque in præſentia epiſcoporum & cardinalium, in frequentia cleri, ſenatus & populi Romani, publicè clamauit, Regem Heinricum uſque ad proximũ ſancti Petri feſtum ſine dubio moriturum, aut regnum penitus amiſſurum eſſe, addens & hæc uerba: Nullo modo ſe pro papa ulterius habendum eſſe, ſi hæc prophetia falleret. Iiſdem diebus tentauit Imperatorem è medio tollere per ſicarios occultos, uerùm cuſtodiuit eum Deus. Tempore præfinito exacto, nihil eorum quę pſeudo prophera prædixerat, euenit: Imperator enim manſit incolumis, ac milites habuit quãplurimos. Hellebrandus ſicarius eluſus, plebi aſtutè perſuaſit, ſe non de corporalibus, ſed ſpiritualibus rebus locutum eſſe: ut Benno teſtatur.

Heinricus porrò Imperator, de iterata ſui excommunicatione eiuſmodi ad põtificem mittit literas.

¶Cum hactenus ex te, quę ſunt patris expectarem, tibiſque omnibus magna fidelium noſtrorum indignatione obedirem, recepi à te uiciſſitudinem, qualem oportebat ab eo qui uitæ regniſque noſtri pernicioſiſſimus hoſtis eſſet. Nam cum primùm omnem hæreditariam dignitatem, quæ mihi ab illa ſede Apoſtolica debebatur, ſuperbo auſu rapuiſſes, longius inde progrediens, regnum Italiæ peſsimis artibus alienare tentaſti: neque hoc contentus, in reuerendiſſimos epiſcopos, qui nobis uelut dulciſſima membra uniti ſunt, manum mittere non timuiſti: eoſque ſuperbiſsimis iniurijs acerbiſsimiſque contumelijs, contra diuina & humana iura (ut ipſi aiunt) exagitaſti. Quæ omnia cùm ego quadam patientia diſsimularem, tu hoc non patientiam, ſed ignauiam exiſtimans, in ipſum caput inſurgere auſus es, mandans quæ noſti, ſcilicet ut tuis uerbis utar: Quòd aut tu morereris, aut mihi animam regnumque tolleres.

His ita geſtis, Synodum ad Pentecoſten Brixiam indixit, anno milleſimo octuageſimo: quò plures Galliæ, Italiæ & Germaniæ epiſcopi, principesque uiri non pauci, conuenerunt. ibi Hildebrãdi criminibus in medium prolatis communi omnium ſententia dignitate exuitur: & Guibertus Rauennas paribus omnium ſuffragijs ſurrogatur. Idem Concilij decretum pòſt in Moguntina quadam Synodo repetitum eſt, ut Sigebertus & Vrſpergenſis teſtãtur. Iudicium autem Synodi tale eſt.

Quia (inquiunt Concilij patres) illum conſtat non à Deo electum, ſed à ſeipſo, in fraude ac pecunia impudentiſsimè obiectum, qui Eccleſiaſticum ſubuertit ordinem, qui Chriſtiani Imperij perturbauit regnum, qui regi catholico & pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui periturum defendit regem, qui inter concordes ſeminauit diſcordiam, inter pacificos lites, inter fratres ſcandala, inter coniuges diuortia, & quidquid quietè inter piè uiuentes ſtare uidebatur concuſsit: nos, authore Deo congregati in unum, legatis & literis freti decem & nouem epiſcoporum, die ſancto præteritæ Pentecoſtes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrãdum procaciſsimum, ſacrilegia & incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem, catholicam & Apoſtolicam fidem de corpore & ſanguine Domini in quęſtionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum diſcipulum, diuinationum & ſomniorum cultorem, manifeſtum necromanticum, phytonico ſpiritu laborantem, & idcirco à uera fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum, &, niſi ab ipſa ſede his auditis deſcenderit, in perpetuum condemnandum. Facta ſunt hæc ſeptimo Kalendas Iulij, feria quinta, indictione tertia.

Deuicto denique Rudolpho pſeudocæſare, Imperator omnem belli uim in Romanum pontificem, omnium iſtarum turbarum facem & incentorem, conuertendam cenſuit. Ingreſſus itaque iter in Italiam anno milleſimo octuageſimo, pontificis oppida quæcunque obuia erant, tantam uim ſuſtinere non ualentia, fortiter expugnat, uaſtatque: tandem ad Romanæ urbis mœnia uſque caſtra ponit. qua tandem capta, pontifex arci Angelicæ, quæ munitiſsima

tissima erat, se concludit: & cũ aperto Marte non posset, insidijs sicariorum Imperatorem petit: ut Béno testatur. nam Imperator frequenter solebat ire ad ecclesiam S. Mariæ, quæ est in monte Auentino, orationis gratia. Hellebrandus ampla pecunia sicario promissa, monstrat rationem, qua Imperatorem è sublimi perimeret, ut putaretur diuinitus punitus esse. Iubet enim sicarium supra trabes Ecclesiæ occultè lapides magnos collocare, atq; quo posset artificio super caput orantis Imperatoris dimittere, ne sibi plus facesseret negotij. Verùm ista fraus non successit. Dum enim minister sceleris lapidem magni ponderis super trabes collocare tentaret, lapis pondere suo eum traxit: & fracta super trabibus tabula, lapis unà cum latrone, Dei singulari iudicio, in terram corruunt tam ualidè, ut in pauimento insidiator animã efflaret. Huius rei gestę ordinem postquam Romani cognouerunt, pedem illius miseri fune ligauerunt, triduoque per plateas urbis ad exemplum traxerunt.

Turbis nonnihil autoritate Synodi sedatis, Guibertus, cui frequentes aderant episcopi, & ipse quoq; Imperator, cathedram pontificalem Romæ conscendit. Hellebrãdus uerò Salernum in exilium abijt: ibique morsibus conscientiæ exanimatus, ad deos suos, quos coluit, descendit.

SCHISMA BAMBERgense, *inter episcopum & clerum.*

Extruxerat suis sumptib. episcopus Bambergensis Hermannus, ædem extra muros ciuitatis, in honorem S. Iacobi, eiq; uigintiquinq; cleros ad rem diuinam faciendam adiunxerat. Mortuo autem præposito eius conuentus, abbati S. Michaelis templũ & reliqua ad id pertinentia attribuit, ut monachos eò collocet. Clerici loco & reditibus priuati, querelis omnia complent. Intercedunt pro ipsis clerici maioris ecclesiæ, orãtes ne episcopus numerum clericorum imminueret, quorum usus in processionib. & hospitũ exceptione necessarius esset. Monachos passim cumplures esse, clericos uerò paucos haberi. Templũ hoc, utpote maiori propinquum, clericis quàm monachis commodius esse. Episcopus uerò in sua sententia perstat, suum esse templum dictitans: itaq; se pro arbitrio id, cui uellet, elocaturum esse.

Clerici exuti suis reditibus, Romam confugiunt ad papam: atq; ad hanc priuatam causam plures accusationes, ut fieri solet, accumulant.

1. Quòd episcopatum pecunia Simoniacè emerit.

2. Quòd mentitus sit periurio coram Nicolao Secundo, quòd non comparauerit sibi episcopatum Simonia.

3. Quòd literarum prorsus rudis, & ineptissimus sit ad episcopi munus.

4. Quòd flagitiosissimè Moguntiæ uixerit, antequam ad episcopatum conscenderet.

5. Quòd usurariam artem hactenus, cum summo dedecore suæ functiõis, exercuerit.

6. Quòd sine iudicio clericos è templo eijciat, prauo zelo ubiq; monachos introducens. Rogant itaque, ut erga tam scelera tum uirum suam autoritatem declaret.

Papa Romanus ira accensus, mox episcopum fulmine excõmunicationis ferit: quę quoq; antea ab officio suspenderat, causam prætexens, quòd aliquoties literis citatus, ut coram papa Romæ causam suã diceret, non comparuisset. Mandat, ut clericis temerè plum restituatur. Priusquam aũt legati pontificis fulmen excommunicationis ad episcopum perferunt, clerici quidam re cognita, episcopum iubent se abdicare suo munere. Accedit unus, qui uersiculum ex Psalterio proponit episcopo, iubens eum exponere: addita promissione, si id feciisset, se eum omni periculo liberaturum esse. Verùm indoctus episcopus, retundit clericum sua autoritate. Auditis autem legatorum mandatis, implorat Moguntini intercessionem. Is celeriter ad currens, clerum multis rationibus episcopo reconciliare studet: uerùm frustra. Imò obijciunt clerici, ipsum quoq; Moguntinum dignum esse depositione, tũ quòd ipsemet episcopatũ suum Simoniacis artibus consecutus esset, tum quia istum Simoniacum ordinasset. Moguntinus intellecta cleri pertinacia, Romam quanta potest celeritate contendit. Verùm non satis comiter à papa accipitur, ut qui Simoniacũ ordinasset, & ipse quoq; de eodem crimine insimularetur. tandem precib. & precio impetrat, ne ipse suo gradu excidat: & iubetur sententiæ pontificiæ parêre, ne cum excommunicato communicaret, & clericos in integrum restitueret.

Hoc nuncio accepto, Bambergensis omni spe deiectus, ipsemet Romam proficiscitur: ibiq; precibus & pecunia conatur mitigare asperitatem sententiæ contra se latæ. Sed perstat pontifex in sententia. Tandem uerò ægrè tantum obtinet, ut absolutus domum redeat: & in monasterium, ad perpetuam pœnitentiam agendam, sese abdat. Domum igitur reuersus, à militibus suis persuadetur, ne resignet episcopatum: fore enim id contumelioſum, toti Ecclesiæ. Pro-

siæ promittunt, se ipsum ui defensurum es-se. qua quidem spe animatus episcopus, Bamb. redit, episcopatu functurus: sed cleri altaris ceremonias intermittũt, eumq; uitant: reliqui etiam episcopi, & Imperator, ei communicare nolunt. In extremas igitur possessiones diœcesis sese, quasi in exilium, confert. Hæc anno Domini 1075 facta sunt.

PAPAE ET QVINTII *dissidium.*

VRbis Romanæ præfectus Quintius, multa in possessionibus Ecclesię per Italiam licenter, & contrá leges faciebat. Papa, cùm leuibus increpationibus parum obtineret, tãdem fulmine excõmunicationis eum sternere molitur. Verùm homo ferox, magisq; ira incandescẽs, plura damna passim infert: & ipsum adeò papam, in nocte natalis Domini stantem cum ornamẽtis ante altare, abripit, inq; domum munitissimam per capillos fortiter trahit. Fama tanti facinoris increbrescente, fit concursus undiq;: ac nisi papam tumultuanti turbæ eddidisset, à fundamentis omnia euertissent. Quintius elapsus, diu suas iniurias ulciscitur, Anno Domini millesimo septuagesimosexto, Schafnabur.

BELLVM ABBATVM.

Eckardus Augiæ diuitis abbas, gessit bellum contra abbatem Sangallensem Vlricũ, (ecce strenuos pastores ouium Christi.) Anno Domini millesimo septuagesimoseptimo. Itaque Romam iturus capitur: uerùm liberatur à pontifice. Dum fama Augiam uolat, abbatem migrasse ad inferos: Vlricus Sangallensis armata manu abbatiam Augiensem sibi subijcit, & occupat. Sæpè autem utriusque cœnobij ducibus istis, sanctis scilicet patribus, cruenta prælia committuntur. Eckardus, tandem Augustanus designatur episcopus, à Guelphone Augustam oppugnãte. Dignum uerò patella operculũ. Sed dum hiat ad episcopatũ ueluti coruus, proh nefas, morbo correptus, ad suos patres abit. Bruschius.

DISSIDIVM DE ELECTIONE *Episcopi Magdeburgensis.*

Nondum Harduicus Magdeburgensis archiepiscopus uita functus erat, ubi Heinricus comes de Aslo archiepiscopatum intrat, inconsulto Imperatore, neque assentientibus omnibus canonicis. Cumq; canonici quidam ad Imperatorem se conferrent, ambituri locum istum honoris & diuitiarũ: quidam mox insecuti eos retraxerunt, & in carcerem coniecerũt, quæ res Imperatorem uehementer exacerbauit, sed propter Saxonum defectionẽ, id mutare non licebat. Crantzius Metrop. libro quinto, capite uigesimoseptimo.

DISSIDIVM DE AVGVstanis *episcopis.*

A canonicis Augustanis, Sigefridus Secũdus comes à Domberg deligitur episcopus, Anno Domini 1077. Alia uerò pars constituit Vuigoldum. Hic autem Fussenij, ille Augustæ resident, uicinorum auxilia ambientes. Cùm uerò anno Domini 1084, Heinrico Quarto in Italiam profecto, Augusta caperetur ac diriperetur, per Leopoldum Austriæ marchionem Sigefridus ad Imperatorem fugit. Vuigoldus Augustam post eam cladem ueniens, quidquid reliquum erat, ipse quoque auferebat, malè canonicos tractans, qui suis eum suffragijs ornare nollent. Postea Guelpho Bauarorum dux iterũ Augustam capit, expoliat, incendit, muros deijcit, episcopum Sigefridum capit. Tres autem alios pro suo libitu episcopatui moliebatur præficere: uerùm hi subitanea morte excluduntur. Tandem Sigefridus de grandi pecunia à Guelphone redimit, atque ad episcopatum reuertitur: ubi non diu fuit superstes. Durauit autem istorum episcoporum uariatio annos octodecim à prima electione Sigefridi, usque ad suum obitum, Anno Domini millesimo nonagesimosexto. Bruschius.

DISSIDIVM INTER GVILIELMVM *Angliæ regem & episcopum.*

Duxerat Guilielmus Cõquęstor, rex Angliæ, Mathildam, Balduini Flandriæ comitis filiam in uxorem, illicito alioqui propinquitatis gradu. Reges enim in eiusmodi rebus exorbitãtes ab honestatis regulis, quidquis simul sibi libêre & licêre autumant. Verùm Rothomagensis archiepiscopus Maugerius, qui & ipse propinquitate quadã sanguinis Guilielmo iunctus erat, illicitam hãc copulationem grauiter & constanter reprehendit. Mathildis igitur uindictæ cupida, artibus suis effecit, ut honore suo archiepiscopus deijciatur, prætextum fingens alium, quasi in sua functione negligens & ignauus esset. Sed postea conscientiæ morsu moti, pœnitentiæ gratia duo monasteria extruunt, superstitione istius temporis fascinati. Hæc facta sunt circa annum Domini millesimum octuagesimum. Polydorus libro nono Anglicæ historiæ.

SCHISMA DE EPISCOPO *Herbipolensi.*

Adelbero Herbipolensis episcopus, papæ adhæret contra Imperatorem, ac sine dubio multa contra magistratum legitimum illegitimè molitur: quibus causis motus Imperator, contra eum arma mouet. Verùm sede sua deserta Adelbero, in Bauariam se recipit, in Lambacẽse cœnobium, quod parentes eius fundauerãt sese abdens.

Substitui-

Substituitur autẽ in eius locum Meginhardus, uir doctrina & pietate insignis: id quod accidit anno Domini 1084. Paulo pòst cęsis Heinrici copijs ab Hermanno Saxonũ duce, Meginhardus urbe pellitur, Adelbero reuocatur. Cæsar recuperatis uiribus, iterum reuertitur: ideo periculum euitaturus Adelbero, denuò in monasterium suum reuertitur. neq; post mortem Meginhardi, qui restitutus ab Imperatore, uix triennium sedem illam tenuerat, ab Heinrico Quinto adduci potuit, ut fortunæ tam lubricam rotam tertiò experiretur. Bruschius.

SCHISMA DE EPISCOpo Padebornensi.

Poppone episcopo Padebornensi extincto, Hermãnus dux Lutzenburgi assentiente capitulo, Heinricũ comitis de Aslo filiũ episcopũ creat. At Impator Heinricus cõtrà, ne ęmulis suis quicquam concedere uideretur, deinde prætextu iuris utens, quòd episcoporum constitutio ad Imperatorem Romanum pertineret: Heinricum comitis de Vuerle filiũ designat eius loci episcopũ: Hermannoq; deficiente, Heinricus de Vuerle pontificatum obtinet. Verùm Moguntinus, utpote Romani præsulis commissarius, Heinricum diu à diuino officio suspendit. Interea Imperator quosdam sentientes cũ Romano spirituali seu Ecclesiastico Cæsare contra sese, ex sedibus suis propulsat: utpote Magdeburgensem, Halberstadiensem, Mindensem, & alios. Nam isti omnes ex uoluntate Cæsareo papæ, sese Imperatori legitimo acriter opponebant. Crantzius Metrop. lib. 5, cap. 23.

DISSIDIVM INTER REGEM Bohemiæ, & episcopum Pragensem.

Ex insolentia quadã (inquit Aeneas Syluius) Gebhardũ Pragensem episcopum noluisse interesse rebus diuinis, præsente rege. Verùm aliquam causam subesse oportuit, q̃ non est descripta. Rex uicissim ut episcopo ingratum faceret, collegium canonicorum in arce Pragensi instituit: atq; ab Alexandro papa Tertio impetrat priuilegia, ut in sacris diuinis liceat præposito, sacerdoti uel diacono, episcopalibus ornamentis uti, episcopo excluso. Controuersia dirempta est obitu Gebhardi: qui dum per Vngariam iter facit, quæstum papæ de iniurijs: Strigonij expirat, circa annum Domini 1086. De Bohemiæ historia cap. 22.

DISSIDIVM MINDENSE.

Certabant de Mindensi ecclesia Volmarus quidam Hildesheimensis canonicus, & Reinuuardus. Hic legitimè electus erat: sed alter potentia elatus, sellam pontificalẽ inuaserat. Mors deniq; Volmari litem dirimit. Metrop. Crantz. lib. 5, ca. 25 & 35.

DISSIDIVM DE IVRISdictione.

Acerrimè inter se contenderunt de iurisdictione monasterij Gandersheimẽsis, Mogũtinus archiepiscopus, & Gothardus Hildesheimensis. Verùm Imperator litem dirimit Gronouiæ, atq; pro Gothardo sententiam tulit. Chron. Saxoniæ.

ANTIPAPARVM DISSIDIVM.

Vrbanus Secundus, Vuigbertum Rauennatem ab Imperatore electum execratur in Synodo: unde factiones & seditiones multæ exoriuntur. Sed Vrbanus ferro ac excõmunicatione suam celsitudinẽ tuetur. Nauclerus, Onuphrius, Stella.

DISSIDIVM INTER GVliclmum Rufum angliæ regem, et Anshelmũ Cantuariẽsem.

Rex Angliæ Gulielmus Rufus, parta uictoria à Nortmannis, domum rediens, pro sua insolentia omnia putabat sibi licere: in primis q; ex bonis Ecclesiasticis pecuniam colligere molitur. Istis conatibus in primis se opponit Anshelmus, monẽs eum de officijs rege dignis. Verùm rex pecunia emulctat: qua tandem remissa, instat ne sibi impedimento esset. Cumq; rex nihil de suis rapinis remitteret, Anshelmũ redarguentem in exilium propellit. Paulo pòst in uenatione sagitta trãs fixus est, dũ eques Francus in ceruum eam dirigit. Reuocatur auctem Anshelmus ab Heinrico Primo. Polydorus lib. 10 Anglicæ historiæ.

DISSIDIVM INTER HEINricum regem Angliæ, & eundem Anshelmum.

Heinricus Angliæ rex usurpat sibi inuestituras episcoporũ. Deinde postulat, ipsos prælatos quoq; sibi homagia præstare. Hisce molitionib. acerrimè sese opponit Anshelmus, atq; non solum per legatos hanc causam refert Romam ad pontificem, cuius se mancipium esse, multis literis, quas nos manu scriptas inspeximus, profitetur: sed ipsemet quoq; Romam excurrit. nec adduci potest ut prius domum in Angliam ad suam Ecclesiam reuertatur, quàm omnia pro sententia obtinuerit. Subsistit igitur aliquandiu Lugduni in Gallijs, potissimùm absterritus uoce cuiusdam regij consiliarij, qui dixerat Anshelmo, regem uelle ut sic reuerteretur in Angliam, ut sibi (quemadmodum antecessor Lanfrancus) seruiret: id quod ille detrectabat facere, tantum se iuxta uerbũ Dei & canones seruiturum protestans. Tãdem uerò pontificalibus literis fractus rex, Anshelmum restituit. Epistolam Paschalis papæ, historiæ gratia inserimus: ¶ Paschalis episcopus seruus seruorum Dei, Heinrico dilecto filio Normannorum duci, salutẽ & Apostо-

Apostolicam benedictionem. Visis literis uestris, & diligenter inspectis, lętati sumus, quòd temporib. antecessorum uestrorum, pace assidua lætabatur Ecclesia, & regularis ordo uigebat. Tempore autem uestro nullum in uestris partibus Ecclesia potuit habere augmentum, nec religio Christiana seruari ut decuit: quoniam qui pastores Ecclesiarum dicuntur, in ipso introitu cecidêrunt: & qui messis Dominicæ uidebantur operarij cultores, facti sunt eradicatores & subuersores. Nec mirum. non enim intrauerunt per ostium, sed ut fures & latrones ascenderunt ex aduerso. Sed sicut fama per ueniętę cognouimus, non sano intellectu intercipitur quidã, tutelã & patrociniũ Ecclesiarum à prædecessoribus nostris, ut dicitis, uobis & antecessoribus uestris esse concessa. Tutela enim & patrocinia Ecclesiarum secularibus potestatibus cõmissa sunt, ut Ecclesiæ per uos ab omni perturbatione & infestatione mundana tueantur, quatenus earum cultores quietè & deuotè regi cælesti ualeant militare. Tu autem teipsum ostium effecisti: & per annulum & uirgam inuestituram Ecclesiæ, non ut sponsæ Christi, sed sicut ancillæ, hostibus traditis eius regnum usurpantes, deserentes Deum, qui uerè ostium est, per quem qui non ingreditur, fur est & latro. Sed quia hac te dignitate expoliatum esse conquereris, quam Apostolorum canones & Antiochena synodus, decreta quoque Romanorum pontificum sub anathematis interdicto ab omni seculari remouent potestate, ualde miramur. Nemo enim expoliatur ea re, qua semper exitit nudus: nec eius scimus expoliationem, cuius inuestituram nunquam agnouimus. Quapropter dilectissime fili, indubitanter cognoscas, q, dignitatẽ tuã minuere nolimus, sed uolumus Deũ regnare in te, ut tu per eũ regnes, quatenus honor tuus & in quietus & inexpugnabilis maneat. Omnipotens Deus, qui facit utraque unum, dextera sua uos benedicat, ab omni malo defendat, & in uitam perducat æternam: Amen. Datæ Beneuenti. 4 Idus Nouemb.

DISSIDIVM INTER REgem Danorum, & archiepiscopum Hamburgensem.

Causa incidit (quæ tamen qualis fuerit non constat) propter quam archiepiscopus Hamburgensis decreuit regem Ericum excommunicare. Rex Ecclesiæ fulmen metuens, fortè etiam non reus tanti criminis, ut tantam pœnam subiret, ad Romanum pontificem prouocat: atque ipsemet solenni stipatus comitatu, iter in Italiam suscipit. Por ro causa sua dirempta atque sedata, orat, ut pontifex Romanus Ecclesias sui regni, quæ satis multæ essent, è iurisdictione Hamburgensis eximat, ne denuò similes eius conatus aliquando experiri cogeretur. Verùm pontifex hoc responsi dat, se breui missurũ cardinalem, qui earum regionum conditionem exploraturus, eaq; facturus esset, quæ ex re Ecclesiæ futura essent. Hæc accidêre circa annum Domini 1100, sub Liemaro archiepiscopo. Crantzius libro quinto Daniç, capite 2.

CAPVT IX.

DE SYNODIS, SVB HEINRICO Secundo.

COierant alicubi Heinrici Imperatoris iussu, summi totius regni ipsius episcopi, Adalbero Metensis, Vuillegisus Moguntinus: Heribertus Colonienlis, Vuormacienſis, Argentinẽsis: Vualterus Spirensis, Notgerus Leodicensis, Hezelo Vuürtzburgensis, Hanno Viridunensis, Bertholdus Leucensis, alijque complures: quos Imperator graui admodum oratione compellans, malè administrati muneris redarguit, quòd scilicet in suis diœcesibus & diœcesianis, ea quæ synodali ac spirituali falce secanda erant, non resecarent: ac gladio Spiritus sancti putrida, maleque sana, à membris fideliũ abscindere supersederent. Episcopis autem hanc orationis uehementiam mirantibus, porrò subiecit: Inter alia quæ in regno nostro, uestrisque parochijs corrigenda sunt, & hoc est, quòd personas etiam tertio gradu consanguinitatis coniunctos, quod dictu sanè nefas est, matrimonium contrahere permittitis: cùm linea ad septimam usque generationem, sacris Canonum institutionibus illibata seruari iubeatur. Conradus, inquam, Austrasiorum dux, uobis conniuentib. & tacentibus, sanguine sibi proximam adsociauit. Aderat autem ipsi Concilio Conradus quoque. Tum Adelbero Mediolanensium antistes, (qui ut erat præ cæteris nobilitate generis & canicie illustrior, ita eminentiori sella sedere iussus fuerat) indignius orationis acerbitatem ferens, respondit: Domine mi Rex, ad dedecus nostri ordinis obiurgationi & inuectioni plus plusq; uidemus uerba augeri: tacere ultrà (uerè fatemur.) & quæ recta sunt non dicere, non solum stulticiæ, sed quod maius est, magnæ inuerecundiæ deputamus. Dominus Otto dux, pater istius uenerabilis ducis nobis

considentis, natus ex filia Magni Ottonis est: cuius soror Gerberga, dedit filiam suam Cunrado Burgundiæ regi. Ex Cunradi autem filia nata est domina Mathildis, huius Cunradi assidentis uxor. Hoc ergo genealogiæ ordine, quia frater sororq; in supputatione non admittuntur, consanguinitas horum non plus quàm secundo loco elongari prævalet. Hæc Adelberone retexēte, statim Cunradus dux, cuius causa agebatur, ac quicunque ipsius erant partium, adeò excanduerunt, ut ægrè manus cohibuerint, parumque à seditione abfuit, alijs uerbis, alijs uerò ferro causam agere uolentibus. Tandem iratus Synodo excessit Cunradus. At reliqui ducum, (inter quos & Theodoricus potētissimus, ad Mosam Mosellamque residens, Adalberonis, quem diximus, frater fuit) comitum, sacerdotumq; turba, pedibus in Imperatoris sententiam abijt, ac tanquam illicitas Cunradi damnauit nuptias. Acta Metensium.

FRANCOFORDIANA.

HEinricus Secundus Imperator, qui ob eximium religionis studium Pij nomen sortitus est, illustre quoddam suę pietatis editurus specimen, consilio & opera Chunegundis coniugis, Bambergæ episcopatum erigere statuit. Celebri itaq; sexto Calendarum Nouembris anni 1007 Francoforti habita episcoporum Synodo, cui & ipse Imperator interfuit, partem Vuürtzburgensis agri, ab Heinrico eius loci antistite, legitima & æqua commutatione nouo episcopatui impetrauit: consentientib. & subscriptione approbantibus Vuillegiso Moguntino, cæterisq; tum præsentibus archiepiscopis & episcopis. Chronicon Bambergense. In Cosmidromio scribitur Vuürtzburgensem grauiter initiò restitisse conatibus Imperatoris: sed tandem ea conditione assensum præbuisse, si ipse archiepiscopali dignitate ornatus, Bambergensi dominaretur. Sed arrogantem illum episcopum spes sua fefellit.

AQVISGRANI.

Conuentum Aquisgrani indixit Heinricus Secundus, circa annum Domini mille simum decimūsextū, ubi episcopis & principibus congregatis, de Republica quædam tractata sunt. Postea cum uideret Cæsar pœnas diuinas undique ingruere, de ratione his tantis malis occurrendi, iramque Dei placandi, cum episcopis consultat. Aderat autem inter alios Bernhardus Hildesheimensis episcopus, qui præcipuæ erat autoritatis.

Decernitur igitur, eleemosynis, ieiunijs & sacris actionibus, hisce tantis malis occurrendum esse. Nam uera doctrina de interiori & salutari pœnitentia, seu conuersione ad Deum, ut de consideratione peccatorum contra Decalogum perpetratorum, de fide in Christum, de emendatione uitæ uera & seria, erat penitus obscurata, imò sepultra ditionibus humanis atq; externis cultibus. Sacerdotibus itaque Missę, populo ieiunia, principibus solennes eleemosynæ imperātur, publica Synodi authoritate. Præterea noua quædam constitutio publicatur, de ieiunijs S. Ioannis Baptistæ & Laurentij, publico ac solenni ritu obseruandis: ut nimirum suum externum pietatis studiū magis declararent, iuxta Christi dictū Matth. decimo quinto. Sigebertus. Crantzius in Saxon. libro quarto, capite trigesimoquinto, & lib. 4, cap. 4 Metropolis, Tremoniçeā synodum coactam scribit.

NOVIOMAGI.

Non multo pòst Nouiomagi idem Imperator & politicorum & Ecclesiasticorū coegit Senatum: ubi inter cætera de restauranda religione, quæ iam ad interitum inclinabat, deliberatum fuit.

In eo conuentu, ut in Cosmidromio annotatur, statutum fuit, ut corpus Domini cum ad siniſtram, & calix ad dextram sacerdotis poneretur in Missa, Anno 1017. Calēd. Aprilis.

GANDERSHEIMENSIS.

Sophia Ottonis Tertij soror, sacro uelamine in cœnobio Gandersheimensi induēda, Moguntinum accersiuit antistitem, Hildesiano, ad quē potius illæ partes spectassent, cum ipsius sit ditionis monasterium, nescimus quibus de causis, neglecto. Ea occasione Moguntinus deinceps eius cœnobij ius sibi arrogauit. Quæ quidem res inter duos illos episcopos, dissensionis materia fuit. Imperator itaque in idem cœnobium Germanię episcopos conuocat. Horum igitur iudicio Moguntinus decedere, & Hildesiano suum ius saluū relinquere coactus fuit, petita simul illatæ iniurię cōdonatiōe. Anno millesimo uigesimo secundo. Chronicon Magdeburgense.

Septem huic conuentui interfuisse episcopos, in uita Gothardi Hildesiani scribitur: Brunonem nimirum Augustanum, Eberhardum Bambergensem, Meginuuercum Padebornensem, Meginhardum Vuirciburgicum, Sigebertum Mindensem, Hilliuuardum Citicensem, Brunonem Merseburgensem.

SALIGVNSTADENSIS Synodus.

Narrationem huius Synodi ex Burchardimo-

di monumentis collectam, qui ei interfuit, uisum est huc apponere.

¶IN DEI NOMINE, ego Aribo Moguntinæ sedis archiepiscopus, quâuis indignus, cum cæteris confratribus nostris & coepiscopis, Burchardo Vuormaciẽsi, Vuerenhario Argentino, Brunone Augustensi, Eberhardo Babẽbergẽsi, Meginhardo Vuircenburgensi: cum uenerandis abbatib. Richardo Fuldensi, Arnoldo Hersueldensi, Reginhardo Laureshamensi, Herichone Treuirensi, Eueruino Toleiano, Heinrico de S. Burgũdo (Trithemius habet S. Burchardi Herbipolensis.) Sigizzone de Schlutere, Gerberto de facto Albano, Adelberto Clingensi, Rudolpho Bildenostatẽsi, Synodum in Saligunstat condiximus, Anno Dominicæ incarnatiõis MXXIII, indictiõe quinta, secundo Idus Augusti: Anno autem Domini Heinrici Secundi regnantis uigesimo primo, imperij uero sexto: quatenus cum communi fratrum prędictorum cõsilio atq; consultu, multimoda diuinorum officiorum atque Synodalium legum componeretur dissensio, & disparilitas nostrarum singularium consuetudinum honesta consensione redigeretur in unum. Inconueniens quidem conuentui sancto uisum est, quòd membra capiti discordarent, & ulla diuersitas in unius compagine corporis esset. Ideoque propter illas lamẽtabiles dissensiones, communi decreto concilij hæc capitula sancita sunt.

Caput primum.

Vt quatuordecim (alij, duodecim) dies, omnes Christiani ante festiuitatem sancti Ioannis baptistæ, in abstinentia sint carnis & sanguinis, nisi infirmitate impediente: aut alicuius festi solennitate, quæ in illo episcopio celebris habetur, intercedente. Et ante natiuitatem Domini similiter, & in uigilia Epiphaniæ, & in omnium uigilijs Apostolorum, & in uigilia Assumptionis S. Mariæ, & in uigilia sancti Laurentij, nec nõ etiam in uigilia omnium Sanctorum: adijcientes prædictis uigilijs unam horam refectionis, excepta infirmitate, & nisi aliquis sit qui proprio uoto maiori abstinentia uti uelit.

Caput II.

De incerto autem ieiunio quatuor temporum, hanc certitudinem statuimus: ut si Kalendę Martij in quarta feria siue antea ceciderint, eadem hebdomada ieiuniũ celebretur. Si autem Kalendæ Martij in quintam feriam aut sextam aut sabbatum distenduntur, in sequentem hebdomadam ieiunium differatur. Simili quoque modo, si Kalendæ Iunij in quartam feriam, aut antea euenerint, in subsequente hebdomada ieiunium celebretur. Etsi in quintam feriam aut sextam, aut sabbatum contigerit, ieiunium in tertiam hebdomadam reseruetur. Et hoc sciendum est, quòd si quando ieiunium mensis Iunij in uigilia Pentecostes, secundum prædictam regulam euenerit, non ibi celebrandum erit, sed in ipsa hebdomada solenni Pentecostes: & tunc propter solennitatem Spiritus sancti, diaconi dalmaticis induantur, & Alleluia cantetur: &, Flectamus genua, non dicatur. Eodem modo de Septembria ieiunio constitutum est, ut si Kalendæ Septembris in quarta feria euenerint, aut antea, ieiunium in tertia hebdomada celebretur: & si in quinta aut sexta, aut sabbato contigerit, in quarta hebdomada ieiunandum erit. In Decembri illud obseruandum erit, ut proximo sabbato ante uigiliam natalis Domini celebretur ieiunium: quia si uigilia in sabbato euenerit, simul uigiliam & ieiunium celebrare non conuenit.

Caput III.

De legitimis autem coniugijs ita uisum est, quòd nullus Christianus uxorem ducere debeat ab aduentu Domini usque ad octauam Epiphaniæ, & à Septuagesima usq; in octauam Paschæ, nec in suprà notatis quatuordecim dieb. ante festiuitatem sancti Ioannis baptistæ, neque in prædictis ieiuniorum diebus, siue in omnium solennium dierum præcedentibus noctibus.

Caput IIII.

Decretum est etiam in eodem concilio, ut presbyter aliquis, qui post galli cantum æstiuis noctibus bibens, proximo die Missam non celebret: hyemalibus similiter, nisi necessitas cogat.

Caput V.

Item decretum est, ut unusquisque presbiter in die non amplius quàm tres Missas celebrare præsumat.

Caput VI.

Conquestum est etiam in sancto Concilio, de quibusdam stultissimis presbyteris: ut quando incendium uideant, Corporale Dominico corpore consecratum, ad extinguendum incendium temeraria præsumptiõe in ignem proijciant. Ideoq; decretum est sub anathematis interdictione, ne ulterius fiat.

Caput VII.

Interrogatum est, si duo in adulterio inculpati fierent, & unus profiteretur, & alter negaret, quid inde agendum esset? Decretum est etiam à sancto concilio, ut ille qui negauerit, probabili iudicio se expurget: & qui professus fuerit, dignè pœnitentiam agat.

Caput VIII.

Decretum est etiam in eodem concilio, ut nemo gladium in Ecclesiam portet, regali tantum excepto.

Caput IX.

Statuit etiam sancta Synodus, ut mala cõsuetudo quæ apud omnes penè iam inoleuit, omnino prohibeatur: hoc est, quòd colloquia sua in atrio alicuius Ecclesiæ constituunt habenda, & tunc ea in ipsa maxima exercent Ecclesia, ubi orationes & diuina tantum fieri æquum est officia.

Caput X.

Quidam etiam laicorum, & maximè matronæ, habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant Euangelium, In principio erat uerbum; & Missas peculiares, hoc est, de sancta Trinitate, aut de sancto Michaele. & ideo sancitum est in eodem concilio, ut hoc ulterius non fiat, nisi suo tempore, & nisi aliquis fidelium audire uelit pro reuerentia sanctæ Trinitatis, non pro aliqua diuinatione: & si uoluerint ut sibi Missæ cantẽtur, de eodem die audiant Missas, uel pro salute uiuorum, aut pro defunctis.

Caput XI.

Quidam etiam generationem consanguinitatis ita uolunt numerare, ut frater & soror sint primi. Hoc autem statuit sancta Synodus, sicut etiam ab antiquis patribus decretum est, ut ita non esset: sed ut nepos & neptis, id est, filius fratris, ac filia sororis, primi habeantur.

Caput XII.

Statutum est etiam, ut ædificia laicorum quæ ecclesijs adiuncta sunt, auferantur: & nulla in atrio Ecclesiæ ponantur, nisi tantũ presbyterorum.

Caput XIII.

Item decretum est, ut nullus laicorum alicui presbytero suam commendet ecclesiam, præter consensum episcopi: sed eũ prius mittat suo episcopo, uel eius uicario, ut probetur, si scientia, ætate & moribus talis sit, ut sibi populus Dei commendetur.

Caput XIIII.

Statuit quoque sancta Synodus, si duo de adulterio accusati fuerint, & ambo negauerint: & orant sibi concedi, ut alterum illorũ, utrosq; diuino purget iudicio, si unũ in hoc deciderit, ut ambo rei habeantur.

Caput XV.

Decretum est etiam, ut omnes bannitum ieiunium, in quocunque episcopio celebratur, diligentissimè obseruent: & si quis illarum octo interdictarum rerum aliquam redimere uoluerit, unum pauperem, prout sua facultas erit, eadem die reficiat.

Caput XVI.

Decreuit quoq; sancta Synodus, ut nullus Romam eat, nisi cum licentia sui episcopi, uel eius uicarij.

Caput XVII.

Et illud sub anathemate præceptum est, ut nullus presbyterorum, cuiquã pœnitenti carinam (carenam fortè) diuidere præsumat, si infirmitas non interuenerit.

Caput XVIII.

Quia multi tanta mentis suæ fallũtur stulticia, ut in aliquo capitali crimine inculpati, pœnitentiam à sacerdotibus suis accipere nolint: in hoc maximè confisi, ut Romam euntibus Apostolicus omnia sibi dimittat peccata: sancto uisum est concilio, ut talis indulgentia illis non prosit: sed prius, iuxta modum delicti, pœnitentiam sibi datam à suis sacerdotibus adimpleant: & tũc Romam ire si uelint, ab episcopo proprio licentiam, & literas ad Apostolicum ex ijsdem rebus deferendas accipiant.

Caput XIX.

Decretum est etiam in eodem concilio, ut omnis pœnitens, dum carrinam (carenam fortè) suam ieiunat, de loco in locum non migret: sed ibi permaneat, ubi suam acceperit pœnitentiã, ut proprius sacerdos sibi præbeat testimonium. si autem ibi propter hostiles insidias ieiunare non poterit, suus sacerdos eum confratrum suorum alicubi, ubi pacificè possit ieiunare, diligentissimè commendet.

Caput XX.

In eodem quoque concilio decretum est, ut nullus presbyterorum quenquam, nisi iussu episcopi, in Ecclesiã introducere præsumat, cui pro aliquo delicto illam ingredi non liceat.

In eadem

In eadem Synodo Aribo Moguntinus à Gothardo Hildesiano ius monasterij Gandersheimensis repetijt. sed episcoporum iudicio, ad Francofordianum conuentum hæc controuersia reiecta est: ut in Gothardi uita manu scripta habetur.

SVB CVNRADO.

FRANCOFORDIANA ALIA.

Primo anno Cunradi Imperatoris, Aribo Moguntinus Francofortum Synodum indixit. Conuenerunt eò Imperator, & episcopi tres & uiginti, qui hoc cõsederunt ordine: In orientali parte, ante altare, Aribo cum suis suffraganeis, Vuernero Argẽtinensi, Brunone Augustano, Meinuuerco Padebornensi, Euerhardo Bambergensi, Meginhardo Herbipoleos, Gothardo Hildesiano, Brandone Halberstadiensi, Vuigero Verdẽsi, Azechone Vuormaciensi. In occidentali latere consedit Imperator, à cuius dextris proximum locum tenebat Pilgrinus Colonensis, eiusq; diœcesiani, Sigbertus Mindensis, Sigfridus Monasterienſis, Benno Traiectensis. A sinistris, Hunfridus Magdeburgicus archiepiscopus cum suis, Hilduuardo Citicẽsi, Brunone Mersburgẽsi, & Liuzone Hauelbergẽsi, Theodorico Misnẽsi. In Australi plaga, Rãbertus Viridunẽsis, Rudolphus Neuicensis, Hildolfus Mantuanus, Reginoldus Aldenburgensis. Aquilonarem abbates occuparunt, Richardus Fuldensis, Reginboldus Lorisheimensis, Arnolphus Hersueldensis, Gerbertus Moguntinus, alijque sex eiusdem farinæ cucullati abbates.

His ordine considentibus, Aribo Hildesiano Gothardo iterum de Gandersheimẽsi cœnobio (digna certè tanto magnatum conuentu causa) litem intentauit, quod illesuæ iurisdictioni subiectum manibus pedibusq; cõtendebat. Sed Hildesianus, prolato testimonio septem episcoporũ de pactione Gandersheimensi, superior fuit.

Anno sequenti idem archiepiscopus, eodem de negotio Geilicæ Synodum indixit, & per legatos literasq; eò Gothardum uocauit. Verùm ipse eò uenire recusans, per Tadilonem decanum episcopis congregatis indicari iussit, se Gandersheimẽsis & Francofordianæ Synodorũ iudicio acquiescere. Sic tandem Moguntinus, cæteris etiam id rogantibus episcopis, de sua sententia cessit: ut in uita Gothardi habetur.

TRIBVRIAE.

Triburiæ Imperatore Cunrado conuentum Imperij agente, Anno Domini millesimo trigesimo, & Synodus quorundam episcoporum præsente Imperatore simul celebrata est, qua de ieiuniorum obseruatione est actum, & decretum: Si quando ieiunium primi mensis eueniret infra hebdomadam, qua caput ieiunij in quarta feria constat: amborum ieiuniorum celebritas unius officij expletione complerẽtur. Sed Gerhardus Cameracensis, & pauci cum eo, huic multorum decreto contradicentes obtinuerunt, ut ieiunium primi mensis in altera hebdomada, in qua habetur officium celebretur, secundum antiquã consuetudinem. Sigbertus.

Hoc tempore gestum uidetur, quod Antoninus refert secunda parte, titulo decimo sexto, capite quarto, §. secundo. Quidam enim asserebat, sibi cœlitùs oblatas epistolas de pace in terris renouanda, quas teneretur alijs episcopis perscribere, ut populi hasce nouas leges obseruarent: nempe,

Arma nullus ferret.

Ablata nemo repeteret.

Sui sanguinis, uel cuiuslibet proximi ultor nemo existeret.

Percussoribus cogeretur indulgere.

Ieiunium pane & aqua omni sexta feria obseruaret.

Sabbato carnibus & pinguedine abstineret.

Solo hoc ieiunio contenti, in omniũ peccatorum remissione, nullam amplius pœnitentiam adijcerent.

Ad hæc obseruanda sacramẽto se obstringerent. Qui uerò hæc detrectaret præstare, ab Ecclesia separaretur, ægrotans non uisitaretur, neque mortuus sepulturæ traderetur.

¶ Has portentosas cõstitutiones, nonnulli amplexi sunt. Alij uerò, grauiori iudicio pditi, restiterunt. In primis autem Gerhardus Cameracensis episcopus, eiusmodi oracula tanquam à spiritu non bono prolata refutabat. Genus humanum distributum esse ab initio, cum cœpissent multiplicari, in tres ordines, asserebat: in oratores, in ptectores, & aratores. Congruit autem huic distinctioni uersus ille:

Tu supplex ora, tu protege, tuq; labora.

Vnum igitur reliquis aiebat, duobus, & duos hoc uno maximè indigere. Nequaquam igitur arma prohibenda legitimo magistratui, sine cuius defensione legitima neque Ecclesiæ, neq; politiæ possint subsistere. Idem Nauclerus refert.

Rapinas restitui, autoritate legis & gratiæ, hoc est, ueteris & noui Testamenti, iustum esse.

Vltorem percusi non ui & coactione exacerbandum, sed Euangelica doctrina ad

reconciliationem emolliendum.

Ieiunium sextæ feriæ uel sabbati, non esse omnibus idem imponendum: quia nõ sit una omnibus possibilitas.

Neq; omnes hoc ieiunio pœnitentiali comprehendi posse: quia nõ si omnium peccatorum æqualitas.

Violationem istorum statutorum periurio augere, inutile uideri: contradicentes uerò excommunicari, infirmis uisitationem, mortuis sepulturam negare, detestabile esse. Sequenda potius hilce in reb. patrum esse statuta.

SVB HEINRICO Tertio.

SVTRII.

Tumultuabantur Romæ tres simul corui, quæstuoso & glorioso pontificatui inhiantes: procul dubio de reticulo Petri humido, & sordibus marinis pleno, nequaquam digladiaturi. Deiecto enim Benedicto nono, Sylvestrum tertium euehunt in altum: hoc rursus ad ima deuoluto, Gregorius sextus in pinnam Romani templi emergit. Eam uerò ambitiosam contentionem Heinricus ægrè ferens, Papiæ primùm Synodum celebrat. Inde exercitum ducit ad urbem. Sutrij autem, iussu Imperatoris Patres ex Italia passim & uicinis locis congregantur, Anno Domini millesimo quadragesimosexto: ubi causis certaminum legitimè uentilatis, consensu Imperatoris & Patrum, tria illa ambitionis monstra profligantur: solus tamen Gregorius sextus in Germaniam ablegatur, atq; deligitur & constituitur pontifex unus Sindegerus Bambergensis episcopus, idque præter suam uoluntatem, & appellatur Clemens secundus. Præterea iureiurando obstringuntur Romani, ut à pontificum electione in posterum omnino abstineant. Contractus, Vrspergensis, Platina: Crantzius de Saxonia libro quarto, capite quadragesimo primo. Aeneas Syluius. Chronicon Bambergense.

MOGVNTINA.

Leo nonus, antea Bruno nominatus, in Germaniam ueniens, Moguntię Synodum, præsente (seu, ut Schafnaburgensis habet, præsidente) Imperatore celebrat: ut Phrisingensis, Vrspergensis & Heinricus Erfurdiensis annotant. Tritenhemius in Hirsaugiensi Chronico narrat, quadraginta duos episcopos, multosque abbates & clericos adfuisse: Crantzius uerò in Saxonia libro quarto, capite quadragesimotertio, nomina quorundam episcoporum exprimit, ut Bardonem Moguntinum, Eberhardum Treuirensem, Hermannum Colonien sem, Albettum Bremensem, Engelhardum Magdeburgensem. Controuersiæ in eo conuentu tractatæ non extant, nisi quòd Tritenhemius & Crantzius referunt, Spirensem episcopum Sibiconem de adulterio accusatum, communione sese purgasse. præterea sacerdotum cõiugia ibi damnata fuisse, Crantzius ibidem monet: uerùm quibutatur autoribus, non constat. Magdeburgense Chronicon ait, Simoniam & coniugia sacerdotum prohibita esse. Apparet tamẽ p̃cipuã fuisse causam istius cõuentus, ut Gallia sęuis discordijs ardens, restitueretur pristinæ tranquillitati. Schafnaburgensis. Addunt alij, in ea Synodo insuper statutum esse, ne clerici canes uel aues aluenationem alerent, ne'ue secularia negocia & turpia lucra exercerent. Item, ne quis ante legitimam ætatem monachus fiat. Annum alij in millesimũ quadragesimũ nonũ, alij uerò in millesimum quinquagesimum, alij in 1051 referunt.

MARSBVRGENSIS.

Anno Domini millesimo quadragesimo octauo, Heinricus cõuentũ habuit Marsburgi: ubi cum regni statib. deliberationes habuit, de electione Papæ, & collatione episcopatuum in Germania, deq; aliis controuersijs quæ tum inciderant. Chronicon Marsburgense lib. 1, cap. 11.

ROMANA.

Romæ Synodum in hebdomada postalbas cum episcopis Italiæ Leo nonus celebrat: & in Pentecostes hebdomada moxabrat: & in Pentecostes hebdomada moxaliam congregat, ut Contractus attingit circa annũ Domini millesimũ quadragesimũnonũ. De causa autem istorum conuentuum, uerbum nullum. Balæus colligit, Hildebrandi infidijs Brunoni fuisse persuasum, ut profiteretur Imperatorem, à quo delectus ac Romam missus fuerat, non habere potestatem & autoritatem creandi pontificem, suiq; muneris potestatem & autoritatẽ potius à Romanis acciperet.

ROMANA ALIA, ET *(ut apparet) prima contra Berengarium.*

Sequente anno, circa idem tempus rursum concilium Romæ papa celebrat, principes & ciuitates Imperatori iureiurando adstringit: Beneuentanos excommunicat. istis fulminibus alij consternati, omnem obedientiam & reuerẽtiam Apostolico (non quidem Apostolico, sed gentium more dominanti) pollicentur. Contractus.

In hac Synodo existimamus primùm hæresin Berengarij innotuisse, idq; tali occasione. Berengarius Andegauensis diaconus, animaduertit non rectè doceri, recitatis uerbis Cœnæ materiam elementorum penitùs euanescere, atque transmutari seu conuer-

tiin

tiin merum corpus & merum sanguinem Christi: ita ut nihil præter idolon aut speciem panis & uini, ut uulgò loquûtur, remaneret. Hoc autem extremum cum taxaret testimonijs Scripturæ ualidissimis & rationibus grauissimis: in alterum extremum imprudenter delapsus est, nihil ibi in cœna præter nudum panem & nudum uinum esse & exhiberi dictitans: esse tamen hæc ipsa elementa, symbola ac figuras corporis & sanguinis Christi, quæ quidem tantùm in cœlo nunc post ascensionem continentur. De hac sententia cum eruditis, præsertim uerò amicis suis contulit, atque in primis cum Lanfranco Cantuariensi episcopo, ut ipse testis est: cui literas misit, quæ casu quodam in aliorum manus deuenerunt. Cum enim portitor, literarum lator, in Normannia Lanfrancum non inueniret, clericis eas tradidit: qui resignatis literis, errorem deprehenderunt. ac Remensis quidam clericus, eas Romam ad pontificem perferri curauit. Is ad Synodum de hac hæresi refert. publicè epistola in consessu legitur, ex qua Berengarij sententia petitur. Inter alia & Ioannem Scotum extulerat Berengarius, cuius quidem opinionem amplexus fuerat. Habebat & Freuardum & Vualdonem, unde Vualdenses denominati putantur, adstipulatores: Paschasium uerò expresse damnârat. Denique pedibus in hanc sententiam conceditur, sententiam Berengarij erroneam esse, ipsumque authorem communione ecclesiæ priuandum, ut rectius sapere disceret. Ipse autem Lanfrancus, propter literas ad se scriptas in suspicionem adductus, quasi cum Berengario sentiret, iussus à pontifice, testimonijs Sacræ scripturæ contrariam sententiam asseuerauit, totique congregationi satisfecit. Hæc Lanfrancus in suo de sacramento Eucharistiæ tractatu ipsemet annotat.

Apparet autem, Berengarium non interfuisse isti Synodo: absentemque authoritate pontificia, quia fortè chirographo eius contenti fuêre, damnatum esse. Non paruam autem episcoporum, abbatum, & diuersorum hominum ex diuersis locis multitudinem in hac Synodo fuisse, apertè Lanfrancus significat.

REMENSIS.

In autumno Leo papa Synodum Gallicorum episcoporum Remis congregat, Anno Domini millesimo quadragesimonono. Cõtractus. Caussa fuisse uidetur, quia cum episcopis cõsultauit, quánam ratione motus à Balduino & Godefrido concitati, sedari possint, & Gallia tranquillitati restitui. Sigebertus.

VERCELLENSIS,

estq; secunda Synodus aduersus Berengarium.

Eodem anno, hoc est Septembri proxima, ab eodem Leone nono, Vercellis Synodus indicta est: cui interfuit pontifex, & Lanfrancus quidem tamdiu apud pontificem commoratus est. Berengarius autem uocatus comparere, sine dubio periculum metuens, recusauit. Duos tamen clericos suo nomine eò ablegauit, qui suam causam agerent. Capita uerò sic assignat in libro de Eucharistiæ sacramento Lanfrancus.

Ioannis Scoti liber de Eucharistia, lectus, & damnatus est.

Sententia Berengarij exposita, & damnata est.

Duo clerici, qui se legatos Berengarij dixerunt, uolentes ipsum defendere, in primo statim aditu defecerunt, & capti sunt.

Postea & in diuersis prouincijs per suos legatos, de hac controuersia Synodos instituit Leo. Verùm Berengarius in sua sententia perstitit, & quantis potuit uiribus eam suffragantibus plurimis dissemināuit.

In hac porrò Synodo uidetur esse factũ, quod Contractus habet: nempe quòd Leo pontifex propter quandam inter Romanam & Rauennatensem ecclesiam contentionem, Hunfridum archiepiscopum ab officio suspenderit, Anno Domini millesimo quinquagesimo.

ROMANA ALIA.

Idem Leo præsul, Anno Domini millesimo quinquagesimoprimo, aliam Synodum Romæ indicit: in qua Gregorium Vercellensem episcopum, propter adulterium cum uidua quadam, auunculi sui sponsa, commissum, & propter manifesta quædam periuria, absentem & nescientem excommunicat. Verùm paulo pòst eadem qua damnauerat leuitate, eum promittentem satisfactionem, suo priori loco restituit. Cõtractus.

VVORMACIENSIS.

Habita Synodo Vuormaciæ, uti putatur, Anno Domini millesimo quinquagesimosecundo, Leo papa Gerhardum Leucorum, quintum supra se episcopum, ob uitæ sanctimoniam mirabilem, pro autoritate Romana, in numerum Sanctorum adscribi, atque in Ecclesię solennitatibus celebrari iussit. Sigebertus.

FLORENTINA.

Florentiæ Synodum magnam Victor, eius nominis secundus, præsente Cæsare, ut Hermannus Cõtractus annotat, celebrat, Anno

Domini 1055. Causa fuit, disciplina Ecclesiastica, à qua plerique exorbitabant. Multos igitur episcopos tum Simonię, tum fornicationis causa, functionibus suis priuat: clerumq; ad leges Canonicas ritè obseruandas, graui proposita pœna adstringit. Platina, in uita Victoris.

THVRONENSIS,
est q; tertia Synodus contra Berengarium.

Summi pontificis decretis & fulminibus Berengarius sopiri non potuit. Thuronense igitur concilium Victoris tempore colligitur, ac legati sedis Romanę eò mittuntur. Quidam Hildebrandum partes pontificis obijsse scribunt. Ibi uerò Berengario permissa est potestas, suum dogma publicè defendẽdi. Verùm cũ in eam harenam descendere uereretur, pronunciauit, se communem Ecclesiæ doctrinam de hac parte amplecti, nec uelle contendere. Hac ratione impetus aliorum fregit, & Concilium elusit. Non enim abiecit sententiam: sed perinde ut prius fecerat, apud suos adstipulatores eam ornare & propagare conatus est. Lanfrancus de Eucharistiæ sacramento. Quidam ad annum Christi referunt millesimum quinquagesimumquintum.

SVB HEINRICO
Quarto.

MANTVANA.

Anno Domini millesimo quinquagesimo octauo, sub Nicolao secundo Mantuæ Synodus est celebrata: qua decernitur, à solis cardinalibus Papam esse eligendum. Sic scilicet ius Ecclesiæ & senatus Romani, imò etiam Imperatoris Romani, ad se solos pertrahunt, ut rectissimè in hosce quadret quod Propheta inquit: Currebant, & non mittebam eos. Cum enim præsul Romanus & cardinales sint ministri, & non domini Ecclesiæ: quomodo isti serui semetipsos Ecclesiæ, quæ ius clauium tenet, obtrudere atq; præponere potest?

NETRII.

Synodum Netrij Nicolaus secundus agitat, ibiq; in episcoporum & nobilium præsentia Benedictum deponit. Hinc aliqui existimant migratum esse Romam ad Berengarij dogmata condemnanda. Sebast. Franck.

ROMANA ALIA,
est q; quarta Synodus aduersus Berengarium.

Tandem serpente Berengarij errore latius indies, Nicolaus secundus magnum prę se ferens zelum, Synodum Romæ conscribit. Adsunt centum tredecim episcopi, ad imperata Romani præsulis. Adest & ipse Berengarius.

Controuersia in Synodo uentilatur, atq; sententia Berengarij omnium suffragijs cõdemnatur. Rationes uerò quibus collocutores ad conuincendam Berengarij sententiam usi sunt, non extant.

Berengarius quoque simulat, sese à sententia sua discedere, & Ecclesiæ doctrinam amplecti. Componitur & Reuocationis formula ab Humberto quodam, siue Burgundo, siue Lotharingio, iussu & approbatione Synodi, quam Berengarius accipit & exequitur, abiurans sua dogmata, atq; consensum & obedientiam humili uoce ac gestibus promittens. Huius autem reuocationis exemplar cum Lanfrancus in suo de Eucharistia scripto recitet, atque in decreta sit relatum, de consecrat. distinctione secunda, uisum est huc adscribere.

¶ Ego Berengarius indignus diaconus ecclesiæ sancti Mauritij Andegauensis, cognoscẽs ueram catholicam & Apostolicam fidem, anathematizo omnem hæresin, præcipuè eam de qua hactenus infamatus fuit, quæ astruere conatur, panem & uinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non uerum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: nec posse sensualiter nisi in solo sacramento manibus sacerdotum tractari, uel frangi, uel fidelium dentibus atteri. Consentio autem Romanæ & Apostolicæ sedi; & ore & corde profiteor, de sacramentis Dominicæ passionis eam fidem tenere, quam Dominus & uenerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta Synodus auctoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihiq; firmauit: scilicet panem & uinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam uerum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: & sensualiter non solum sacramento, sed in ueritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri: iurans per sanctam & ὁμοούσιον trinitatem, & per hæc sacrosancta Christi Euangelia. Eos uerò qui contra hanc fidem uenerint, cum dogmatibus & sectatoribus suis, æterno anathemate dignos esse pronuncio. Quod si ego ipse aliquando contra hæc sentire ac prædicare præsumpsero, subiaceam Canonum seueritati. Lecto & perlecto sponte subscripsi. Eandem paliodiam etiam Algerus suo lib. inseruit. Sum quoq; libellum Berengarius, in conspectu omnium igni tradidit.

Acta huius Synodi promulgata, atq; ad Italiæ,

Italiæ, Gallię & Germanię ecclesias missę sunt. Verùm Berengarius paulo pòst ad ingenium rediens, scriptum sparsit contra Synodi istius decreta, & suam reuocationem.

Huic autem Berengarij libello sese Lanfrancus, eo qui etiamnum de sacramento Eucharistiæ extat tractatu opponit, & quantis potest uerborum ponderibus eum retundere nititur.

Primùm autem doctrinam de transubstantiatione, quam Berengarius reprehenderat, molitur uerbosè tueri, nempe, quòd post consecrationem essentialiter panis in corpus, uinum in sanguinem Christi conuertantur. Nam talibus uerbis utitur, sæpiusque illa elementa species nominat: imò disertis uerbis inquit, benedictione ista species elementorum mutari. Deinde uerò impugnat Berengarij dogma, panem & uinum solummodo esse symbola ac figuras corporis & sanguinis Christi. Rationes autem in loco de hæresibus annotantur.

Narrat Chronicon Casinense libro tertio, capite trigesimotertio, Albericum quendam diaconum, in Synodo Romæ, acerrimè contra Berengarium disputasse. Cum autem neuter neutri cederet, Albericũ scriptum aduersus Berengarij sententiam expatribus, & quidem intra octiduum, de corpore Domini contexuisse.

Tradunt alij sub Gregorio Septimo istã reuocationem factam. Sed narrat Lanfrancus in suo scripto certiora, quæ quidem hîc iam exponimus.

Scripsit contra Berengarium Algerus quoque libellum, qui extat. Sigbertus inquit, abbatem de cruce sancti Leufredi, etiam contra Berengarium librum elegantem edidisse de corpore & sanguine Christi, circiter annum millesimũ quinquagesimumprimum. Vincentius ex Guillerino refert, & Guimundum Auersanum Apuliæ episcopum contra eundem strinxisse calamum.

An porrò in hoc conuentu, uel paulo antè ea sint definita, quæ in Decretis distinctione 33. C. in nomine, Nicolao Papæ adscribuntur, non satis constat. Annus quidem ibi annotatur millesimus quinquagesimusnonus. Decreta quæ ibi extant, sunt eiusmodi.

1. Mortuo pontifice Romano, Cardinales sine mora alium pontificem gratis, sine affectione in quenquam deligant.

2. Clerici & populus electionem cardinalium subsequantur, & approbent.

3. Non habeantur inter episcopos, qui nec à clericis, nec à plebibus expetiti, nec à comprouincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati, ut Leo constituit.

4. Quia Romana ecclesia super se metropolitanum habere non potest, quia suprema est: ideo Cardinales metropolitani officio fungantur.

5. Eligatur ex ecclesia Romana pontifex, si idoneus adest: sin minus, ex alia.

6. Saluo semper honore & reuerentia Imperatoris ista fiant.

7. Si Romæ propter bella aut aliã tempestatem electio fieri nequit, ea quæ alibi à Cardinalib. & laicis, licet paucis, fit electio, rata habeatur.

8. Tali modo electus, Romanam regat ecclesiam.

Hisce statutis terribilissima fulmina anathematum appendit pontifex, ne quis cõtrà facere quicquam audeat.

Visum est autem epistolam Nicolai subijcere, quibus decreta sua publicauit.

¶ Nicolaus episcopus, seruus seruorum Dei, omnibus episcopis catholicis, cunctoque clero & populo salutem charissimam, & benedictionem Apostolicam. Vigilantia uniuersalis regiminis, assiduam sollicitudinẽ omnibus debentes, saluti quoque uestræ prouidentes, quæ in Romana synodo nuper celebrata, coram centum tredecim episcopis, nobis licet immeritis præsidentibus, sunt canonicè constituta, uobis notificare curamus: quia ad salutem uestram executores eorum uos esse optamus, & Apostolica authoritate iubendo mandamus.

Primò namque inspectore Deo est statutum, ut electio Romani pontificis, in potestate cardinalium episcoporum sit: ita ut, si quis Apostolicæ sedis, sine præmissa concordi & canonica electione eorum, ac deinde sequentium ordinum religiosorum, clericorum & laicorum consensu inthronizatur, non papa uel Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.

Vt moriente Romano pontifice, uel cuiuscunque ciuitatis, nullus præsumat facultates eorum inuadere, sed successoribus eius reseruentur integræ.

Vt nullus Missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Vnde etiam ipsa sancta Synodus hoc capitulum sub excommunicatione statuit, dicens: Quicunque sacerdotum, diaconorum, subdiaconorum, post constitutum beatæ memoriæ prædecessoris nostri sanctissimi papæ Leonis, de castitate clericorum concubinam palàm duxerit, uel ductam non reliquerit: ex parte omnipotẽtis Dei, autoritate beatorum Apostolorum Petri & Pauli, præcipimus,

mus, & omnino contradicimus, ut Missam non canter, neque Euangelium uel epistolam ad Missam legat, neque in presbyterio ad diuina officia, cum ijs qui præfatæ constitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab Ecclesia suscipiat: quousq; à nobis sententia super huiusmodi, Deo concedente, procedat.

Et præcipientes statuimus, ut ij prædictorum ordinum, qui eidem prædecessori nostro obedientes, castitatem seruauerunt, iuxta Ecclesias quibus ordinati sunt, sicut oportet religiosos clericos, simul manducent & dormiant: & quicquid eis ab Ecclesiis uenit, communiter habeant. Et rogantes monemus, ut ad Apostolicam, communem scilicet, uitam summopere peruenire studeant.

Deinde, ut decimæ & primitiæ seu oblationes uiuorum & mortuorum, Ecclesijs Dei fideliter reddantur à laicis: & ut in dispositione episcoporum sint. Quas qui retinuerint, à sanctæ Ecclesiæ communione separentur.

Vt per laicos nullo modo quilibet clericus aut presbyter obtineat ecclesiam, nec gratis, nec precio.

Vt nullus habitū monachi suscipiat, spem aut promissionem habens ut abbas fiat.

Nec aliquis presbyter duas ecclesias simul obtineat.

Vt per Simoniacam hæresin nemo ordinetur uel promoueatur ad quodlibet Ecclesiasticum officium.

Vt cuiuslibet ordinis clericos laici nō iudicent, nec de ecclesijs eij ciant.

Vt de cōsanguinitate sua nullus uxorem ducat, usq; ad generationem septimā, uel quousq; parentela cognosci poterit.

Vt laicus uxorem simul & concubinam habens, non communicet Ecclesiæ.

Vt nullus laicus ad quemlibet gradum Ecclesiasticum repentè promoueatur, nisi post mutatum habitum secularem, diuturna conuersatione inter clericos fuerit comprobatus.

Vos ergo hæc & alia sanctorum patrum statuta fideliter & Christiana reuerentia obseruate, si uultis de sanctæ Romanæ ecclesiæ & Apostolicæ sedis pace, & communione atq; benedictione gaudere. 2 tomo Conciliorum.

HALBERSTADIANA.

Abbati Heruelden si diuturnæ intercedebant lites cū episcopo Halberstadien si Burchardo, propter decimationes quasdam in Saxonia, spectantes ad cœnobium Heruelden se. Eludebat autem omnes hac de re susceptas actiones episcopus: quia ubi lucri bonus odor affulget, omnis pietas (ut dici solet) è paxillo suspendenda est. Non forenses, non Ecclesiasticas leges uerebatur. Tandem Meginherus abbas animaduertes, sese contra potentiam & fraudes episcopi rapacis obtinere nihil posse: ipsi per Fridericum Palatinum denunciari iubet, Licet in hoc mundo impar ipsi uiribus sit, non tamen procul abesse, quin corā tribunali Dei de hac rapina sibi rationem cogeretur reddere. Ac paulo pòst Meginherus quidem fatis concesit. At episcopus hoc tam acri abbate defuncto, Synodum indicit huius rei gratia. Verùm eò cum accedere uelle, caballo, quo uehebatur, deiectus est grauiter, simè. Antequam tamen animam efflaret, uocatis ad se testib. Magdeburgen si & Hildesheimen si episcopis, tristi uoce hoc peccatum confitetur: atq; obsecrat, ut illæ decimæ, quas auaritia deceptus, furatus hactenus esset, cœnobio restituerentur. Paulo igitur pòst ex hac ruina mortuus est. Synodus igitur tali pacto est impedita. Porrò Halberstadij Synodum hāc indictam fuisse ponimus, quia alius locus non est annotatus. Acciderunt autem ista Anno Domini 1059. Schafnaburgen sis.

MEDIOLANEN-sis Synodus.

Addimus Petri Damiani narrationem de sua Synodo, quam Mediolani, nomine Nicolai 2. Romani præsulis superciliosè satis celebrauit: eo fine, ut lector Christianus nō pet, quas S. Paulus 1 Timoth. 4 ei adscribit: nempe prohibitionem coniugij, uerè (ut Apostolus nominat) diabolicam doctrinam. Appellat Petrus iste coniugia sacerdotium ipsam Nicolaitarum hæresin: cum disertè Apostolus dicat, episcopum oportere uniuus uxoris maritum esse: neq; discernat tempora ante uel post episcopatum. Sed ipsas nugas serui Antichristi audiamus.

Erat, inquit, inter clerum & populū propter duas hæreses, Simoniacam uidelicet, & Nicolaitarū, satis turbulenta seditio. Nicolaitæ autem dicuntur clerici, qui contra castitatis Ecclesiasticæ regulam, fœminis admiscentur. Qui planè tunc fornicatores fiunt, cum fœdi commercij copulas ineūt: tunc Nicolaitæ iure uocantur, cum hanc detiferam pestem uelut ex autoritate defendūt. Vitium quippe in hæresin uertitur, cum peruersi dogmatis assertiōe firmatur. Quid plura? Nobis digna sedi Apostolicæ ueneratione receptis, ac negotijs quæ nos attraxerant intimatis, post diem alterum factione clericorū repentè in populo murmur exoritur, Non debere Ambrosianam ecclesiam

ecclesiam Romanis legibus subiacere, nullumque iudicandi uel disponendi ius Romano pontifici in illa sede competere. Nimis indignum inquiunt, ut quæ sub progenitoribus nostris semper extitit libera, ad nostræ confusionis opprobrium nunc alteri (quod absit) ecclesię sit subiecta. Postremò tumultuantium clamor attollitur, ex diuersis partibus ad episcopale patibulum conuenitur: dein tintinnabula perstrepunt: prægrandis æreæ tubæ, quæ illic est, tota ciuitas clangoribus intonatur. Intentabant mihi, ut ita loquar, omnia mortem: & ut ab amicis meis mihi sæpè suggestum est, nonnulli meum sanguinem sitiebant. Augebant autem huius ignis incendium hoc permaximè, quia congregatis quasi ad Synodum totius Ambrosianæ parrochiæ clericis, ego in medio residens, siue potius præsidens, reuerendissimum Mediolanensem archiepiscopum ad sinistram, prudentia quoque & sanctitate conspicuum Anshelmum Lucensem episcopum, posuisse mihi accusabar ad dexteram. Hinc porrò quanta à frementi populo dici potuerint, non necesse est apicibus tradi, quod nimirum per se ualet intelligi. Et reuera ipse dominus archiepiscopus, mox ut nostræ est prę-sessionis admonitus, impiger obtulit ultrò etiam, ut si ego præciperem, in scabellolo, quod nostris suberat pedibus, sine controuersia resideret. Dicant id non simplici factum intentione, qui uolunt. Nos autem non hoc irritationi populi zelantis, ut fertur, adscribimus: sed Apostolicæ sedis reuerentiæ deputamus. Vt autem ad compendium ueniam, ascendi pulpitum: ac sedato uix populo, huiusmodi sum uerbis exorsus.

¶ Nouerit charitas uestra, charissimi, non me pro Romanæ ecclesiæ huc honore ueniisse, sed uestram gloriam quærere: uobis salutem & gratiam, quæ in Christo est, cum eius auxilio, si permittitis, proponere. Quo enim pacto honore indiget paruuli hominis, quæ laudes atque præconia ex ipsius ore sortita est Saluatoris? Quæ autem prouincia per omnia regna terrarum ab eius ditione extranea reperitur, cuius arbitrio ipsum quoque cœlum & ligatur, & soluitur? Omnes autem siue patriarchiui cuiuslibet apicem, siue metropoleon primatus, aut episcopatuum cathedras, uel Ecclesiarum cuiuscunque ordinis dignitates, siue rex, siue Imperator, siue cuiuslibet conditionis homo pura instituit, & prout uoluntas aut facultas erat, specialium sibi prærogatiuarum iura præfixit. Romanam autem ecclesiam solus ille fundauit, & super petram fidei mox nascentis erexit, qui beato uitę æternæ clauigero terreni simul & cœlestis imperij iura commisit. Non ergo quælibet terrena sententia, sed illud uerbum per quod constructum est cœlum & terra, per quod denique omnia condita sunt, elementa, Romanam fundauit ecclesiam: illius certè priuilegio fungitur, illius authoritate fulcitur. Vnde non dubium quia quisquis cuilibet ecclesię ius suum detrahit, iniusticiam facit. Qui autem Romanæ ecclesiæ priuilegium, ab ipso summo omnium ecclesiarum capite traditum, auferre conatur, hic proculdubio in hæresin labitur. Et cum ille notetur iniustus, hic est dicendus hæreticus. Fidem quippe uiolat, qui aduersus illam agit quę mater est fidei. Et illi contumax inuenitur, qui eam cunctis ecclesijs prætulisse cognoscitur.

Vt autem omissis alijs, ad id quod nunc agitur ueniamus: non debet ignorare sancta uestra deuotio, quia beati Apostolorum principes Petrus & Paulus, sicut per suum sanguinem Romanam ecclesiam consecrarunt: ita mox intra ipsa nascentis fidei rudimenta, hanc Mediolanensem ecclesiam per suos discipulos lucrati sunt Christo. Nazarius quippe martyr insignis, sicut Scripturæ testantur, Petri baptisma à Lino eius successore susceptit: qui postmodum cum beato Celso, in hac sancta urbe martyrio coronatus est. Sancti uerò martyres Protasius atque Geruasius, beatum Paulum apostolum magistrum ac præceptorem habuisse noscuntur, sicut beatus Ambrosius & ipse testatur. Isti sunt, inquit, qui monita mea secuti, respuentes prædia & diuitias, secuti sunt Domni nostri uestigia. Sicut ergo Saluator noster binos ante faciem suam discipulos misit: ita quodammodo uterque sanctus Apostolus, ex magisterio suo in hanc urbem prędicatores sanctæ fidei geminos destinauit.

¶ Cum ergo uestræ salutis authores ex Romanæ ecclesiæ prodierint disciplina: consequens est, iuxta æquitatis ordinem, ut ecclesia Romana mater, Ambrosiana sit filia. Vt autem hic ordo inter utramque, Ambrosianam uidelicet, & Apostolicam sedem, non nouiter oriri, sed antiquitùs tenuisse non dubitetur, beatus Ambrosius cum hanc Nicolaitarum sordem ad multorum fœtere perniciem in hac urbe doleret, eamque per se solus cohercere non posset, sedis Apostolicæ mox quæsiuit auxilium. Cui uidelicet is qui tunc præerat papa Siricius, tres personas, presbyterum, diaconum & subdiaconum,

ad

ad correctionem ulciſcendi huius ſceleris deſtinauit. Cum his itaque beatiſsimus pontifex, quos corrigere non potuit, uelut ſcatentem uermibus ſentinam ex urbis huius ſagena proiecit. Vnde & ipſe ſanctus Ambroſius, in omnibus ſequi ſe magiſtram ſanctam Romanam profitetur eccleſiam. Scrutamini itaque & Scripturas ueſtras, & per quos uultis dligenter inquirite: et ſi non poteſtis apud uoſmet ipſos inuenire, quod loquimur mendacij arguite: ſi autem poteſtis, nolite ueritati reſiſtere, nolite matrem ueſtram crudeliter impugnare: ſed ex cuius uberibus lac ſuxiſtis Apoſtolicæ fidei, eius ſemper gaudete ſolidis doctrinæ cœleſtis dapibus recreari.

¶ His itaque rationibus de prærogatiua & principatu ſedis Apoſtolicæ redditis, populus omnino beneuolus redditur: & executurum ſe quicquid iniungerem, unanimiter pollicetur. Tunc nimirum liquidò perſenſi, in Eccleſiaſticis cauſis quantum Romanæ eccleſiæ noſſe priuilegium ualeat. Adeſt clericorum perplurimus ille conuentus. Communiter & ſingillatim quiſque perquiritur: uix è tanto numero quiſpiam, promotus ad ordinem ſine precio reperitur. Erat enim genuinus, imò inordinatus ordo, & ineuaſibilis regula illius eccleſiæ, ut quicunque ad quemlibet ordinem, uel etiam ad epiſcopatum conſecrandus accederet, præfixum prius abſque ulla controuerſia canonem daret. Hîc planè quot curis afflictus, quot ſim cogitationum ſtimulis tædiatus, quot denique ſuſpiria ex imis uiſceribus traxerim, facunda etiam lingua non explicit. Tam latæ ſiquidem diœceſis, tam nobilis urbis omnes eccleſias ſacris myſterijs prophanare, quodammodo Chriſtianæ religionis uidebatur euerſio. Sed & litigioſum erat indulgere paucis, cũ ferè omnium eſſet culpa communis. Nec legitimum uidebatur, diuerſam in eos prodire ſententiam, cùm eſſet una omnib. cauſa. Hoc etiam noſtras augmentabat anguſtias: quia niſi qualemcunque deciſionis calculum cauſa iſta ſuſciperet, niſi cum magna hominum ſtrage furentis populi ſe iurgia non ſedarent.

Tunc inter multas diſceptationes proceſsit in medium illa Innocentij papæ ſententia, ab antiquioribus inuenta: Quod à multis peccatur, inultum eſt. Illa quoque diſcretio ad memoriam redijt, quam ſancti pontifices & autentici canonum conditores, de Donatiſtis & Nouatianis, ac reliquis qui apud diuerſas hæreſes ordinati ſunt, inuenerunt. Id etiam nos non præterijt, quòd noſtræ memoriæ nonus Leo papa, plerosque Simoniacos & malè promotos tanquam nouiter ordinauit. Hæc & alia plurima meditantibus, & inuicem conferentibus, illud etiam deuenit in manus, quod inſignis papa Leo quartus Ianuario inſcripſit epiſcopo.

¶ Lectis, ait, fraternitatis tuæ literis, uigorem fidei tuæ, quem olim noueramus, agnouimus: congratulantes tibi, quòd ad cuſtodiam gregis Chriſti paſtoralem curam uigilanter exequeris, ne lupi qui ſub ſpecie ouium ſubintrauerunt, beſtiali ſæuitia ſimplices quoſque dilacerent: & non ſolum ipſi nulla correctione proficiant, ſed etiam quæ ſunt ſana corrumpunt. Quod, ne uiperina poſsit obtinere fallacia, dilectionem tuam duximus commonendam inſinuantes, ad animæ periculum pertinere, ſi quiſquam de his qui à nobis in hæreticorum atq; ſchiſmaticorum ſectam delapſus, & ſe utcunque hæreticæ communionis contagione macularit, reſipiſcens in communione catholica, ſine profeſsione legitimæ ſatisfactionis habeatur. Saluberrimum enim, & ſpiritualis medicinæ utilitati pleniſsimum eſt, ut ſiue presbyteri, ſiue diaconi, ſiue ſubdiaconi, aut cuiuslibet ordinis clerici, qui ſe correctos uideri uolunt, atque ad catholicam fidem, quam iampridem amiſerant, rurſum reuerti ambiunt, prius errores ſuos, & ipſos autores erroris damnatos, ſine ambiguitate fateantur: ut ſenſibus prius etiam peremptis, nulla ſpernendi ſuperſit occaſio, ne ullum membrum talium poſsit ſocietati uiolari, cum per omnia illis profeſsio propria cœperit obuiare. Circa quos etiam illam Canonum conſtitutionem præcipimus cuſtodiri, utin magno habeant beneficio, ſi adempta ſibi omni promotionis ſpe, in quo inueniuntur ordine, ſtabilitate perpetua maneant: ſi tamen iterata tinctione non fuerint maculati. Non hoc leuem apud Dominum noxam incurrit, qui de talibus ad ſacros promouendos ordines iudicauit. Quòd ſi cum grandi examinatione promotio conceditur inculpatis, multo magis non debet licere ſuſpectis.

Idem quoque Leo in hæreticorum receptione, Anatolio Conſtantinopolitano epiſcopo ſic mandauit: Qui plenis ſatisfactionibus malè geſta condemnant, & accuſare magis ſe eligunt quàm tueri, pacis & communionis noſtræ unitate lætentur: ita ut digno prius anathemate, quæ contra fidem catholicam ſunt recepta, damnentur. Aliter enim in Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, nec ſacrata ſunt ſacerdotia, nec uera ſunt ſacrificia, niſi in noſtræ proprietate naturæ uerus nos pontifex reconciliet, uerus immaculati agni ſanguis emundet.

Nec

Nec aſperè igitur communionis noſtræ gratia deneganda eſt, nec temerè largienda. Idem uerò Aquileienſi epiſcopo ſcribens ait: Damnent apertis promiſsionibus ſuis ſuperbi erroris autores, & quod in doctrina eorum uniuerſalis eccleſia exhorruit, deteſtentur omnia decreta Synodalia, quæ ad excisionem Symoniacæ hæreſeos Apoſtolicæ ſedis confirmauit autoritas, ampleſti ſe, & in omnibus approbare plenis & apertis ac propria manuſcriptis proteſtationibus eloquantur.

Illud etiam nos non aufugit, ubi Fulbertus Carnotenſis epiſcopus primati ſuo, ſuper presbytero per pecuniam ordinato, ex autoritate Toletani concilij tale reperitur dediſſe conſilium. Alijs quippe præmiſsis hoc intulit.

Propterea, inquit, depoſitum non reordinabitis, ſed reddetis ei ſuos gradus, per inſtrumenta & per ueſtimenta, quæ ad ipſos gradus pertinent, ita dicendo: Reddo tibi gradus oſtiarij, &c. In nomine Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti. Nouiſsimè autem benedictione lætificabis eũ, ſic concludendo: Benedictio Dei Patris & Filij & Spiritus ſancti ſuper te deſcendat, ut ſis confirmatus in ordine ſacerdotali, & offeras placabiles hoſtias pro peccatis atq; offenſionibus populi, omnipotenti Deo, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorũ. Hoc etiam noſtram memoriam non pertranſijt, quòd beatus papa Gregorius neophytis Anglis, diſpenſatiuè ad tempus coniugia canonibus interdicta permiſit. Apoſtolica etiam illa diſcretio nobis ad memoriam eſt reducta, qua gentilibus nuper conuerſis ad fidem, nihil aliud oneris impoſuerunt, niſi ut ab immolatis ſimulacrorum & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, ſe tantummodo cuſtodirent. In arcto itaque poſiti, quia non poteramus mala illius Eccleſiæ mera canonum autoritate corrigere, ſtuduimus ſaltem peruerſis eius uſibus finem imponere, ac gratuitæ promotionis ordinem futuris temporibus prouidere. Exegimus igitur extunc & deinceps gratuitæ promotionis inuiolabilem ſponſionẽ, prius per monumenta literarum, deinde per manum, poſtremò per Euangelicum ſacramentum. Et quidem ſponſio ſtylo digeſta, ut apud nos habetur, huc ſimpliciter tranſcribatur.

VVIDO DIVINA GRATIA
Mediolanẽſis eccleſiæ archiepiſ. omnib. Chriſti fidelib. eiuſdẽ eccleſiæ filijs, clero et populo, æternã ſalutẽ in Domino.

Non ignorat ſancta deuotio ueſtra, dilectiſsimi fratres & filij, quàm reproba, quàm deteſtabilis Deo odibilis, ignominioſa atque peruerſa, omniumq; ſanctorum canonum autoritate damnata conſuetudo in hac ſancta Eccleſia, cui Deo autore deſeruio, antiquitùs inoleuerit, quamque lethalis atque peſtiferæ lepræ animas innocentum contaminatione perfuderit: Symoniacæ uidelicet hæreſis damnata ſemperque damnanda uenalitas, & pernicioſa negotiatio huiuſmodi in hac ſancta Eccleſia conſuetudinaliter obtinebat, ut quiſquis ad clericales ordines prouehendus accederet, de ſubdiaconatu quidem duodecim nummos, de diaconatu uerò decem & octo, poſtremò de presbyteratu ſuſcipiendo uiginti quatuor, quaſi per præfixam conditionis regulam daret. Hoc itaque modo Simon magus, heu proh dolor hãc ſanctam Ambroſianã eccleſiam peruerſitatis ſuæ uelut officinam fecerat, folles, malleos & incudem trapezita ac monetarius iniquitatis habebat, nihilque aliud niſi animarum omnium commune periculum fabricabat. Noſtris uerò temporibus, quia ſaluator noſter pius ac miſericors plebem ſuam, quam pio cruore redemerat, ſub hac mortiferi languoris atrocitate perire condoluit, uelut ad obuiandum ac uiriliter obſiſtendum uoraci ac uirulento draconi, ueſtros animos, uiſitante Spiritus ſancti gratia, cõcorditer incitauit: ita ut quibuſdã ex noſtris ſedẽ Apoſtolicã ad euntib. tantũ huius terræ periculũ ſanctus ac Deo dignus Nicolaus papa cognoſceret: atque ad compeſcendum & funditùs extirpandum hoc facinus, dominum Hoſtienſem Petrum epiſcopum deſtinaret. Quapropter dilectiſsimi fratres, in conſpectu Dei omnipotentis, & filij eius Ieſu Chriſti, qui iudicaturus eſt uiuos & mortuos, & Spiritus ſancti, qui hanc peſtẽ ſpecialiter damnat ac deſtruit, ſub teſtimonio omnium angelorum cunctorumq; ſanctorum Domini, præſente iam dicto domino Petro epiſcopo, atq; etiam uenerando domino Anshelmo Lucenſi epiſcopo, & omnib. uobis, dãno, deteſtor, ac reprobam iudico hanc peruerſam, quæ hactenus uiguit in hac Eccleſia, negotiandi conſuetudinem, omnemq; Simoniacam hæreſin. Inſuper obligo non ſolum me, ſed & omnes clericos meos, qui nunc ſunt, omnesq; ſucceſſores noſtros, & inuiolabili nodo firmiſsimæ promiſsionis aſtringo, ut nec ego, nec quiſquam ſucceſſor meus, nec inquiſitor, neq; rodolarius, nec aliquis huiuſmodi, de promouendis ad Eccleſiaſticos ordines aliquid tollat. Quod ſi ſuadente diabolo, ſiue aliquis noſtrũm qui nunc ſumus, ſiue ſucceſſorum noſtrorum qui poſt nos futuri ſunt, huius ſaluberrimæ promiſsionis uiolator extiterit, & ali-

quid de conferendis ordinibus tollere pestifera negotiatione præsumpserit, dator simul atque acceptor, cum ipso hæresis huius autore Simone, perpetui anathematis uinculo constringatur, & à Dei omnipotentis omniumque sanctorum consortio separatus, cum Iuda & Caipha, cum Dathan & Abiron, sub æternæ damnationis atrocitate damnetur. Nicolaitarum quoque hæresin nihilominus condemnamus: & non modò presbyteros, sed & diaconos & subdiaconos, ab uxorum uel concubinarum fœdo consortio, nostris studijs, in quantum nobis possibilitas fuerit, sub eodem quo suprà testimonio, arcendos esse promittimus. Quod ut uerius credatur, nos cum nostris clericis propria manu scribendo firmamus, sigilli quoque nostri formam imprimi iubemus: insuper hoc adentes, ac sub eiusdem sponsionis uinculo inuiolabiliter promittentes, ut neque de abbatijs ordinandis, neque de capellis uel quibuslibet ecclesijs inuestiendis, uel ordinandis, siue tradendis, neque de episcopis promouendis, neque de sacrosancto chrismate, neque de consecratione ecclesiarum, uel nos uel nostri familiares aliquid omnino tollamus. Spiritus sanctus, qui sanctorum charismatum autor est, nos nostrosque successores ab omni uinculo præfatæ maledictionis eripiat: ita tamen, ut hanc saluberrimam constitutionem perseueranter implere concedat: qui cum patre & filio uiuit & regnat in secula seculorum, Amen. Ego Dei gratia Vuido Mediolanensis ecclesiæ archiepiscopus, hanc sponsionem à me factam firmaui, roboraui atque subscripsi. Odaldericus uicedominus & presbyter subscripsi, Eribertus presbyter subscripsi, Arderatus presbyter subscripsi, Atto presbyter subscripsi, Ariprandus indignè diaconus subscripsi, Ardericus diaconus subscripsi, Ambrosius diaconus subscripsi, Atto diaconus subscripsi, Adam subdiaconus subscripsi, Arnulfus subdiaconus subscripsi, Liprandus subdiaconus subscripsi, Landulfus subdiaconus subscripsi, Atto subdiaconus subscripsi.

¶ Postmodum accedens idem archiepiscopus ante sanctum altare, præsente Domino Lucense, iurauit in manum meam dicens: Si hæc, inquit, de Simoniaca & Nicolaitarum hæresi delenda, & funditus destructa fideliter non obseruauero, ab omnipotenti Deo, & omnibus sanctis sim excommunicatus & anathematizatus, & ab omni Christianorum consortio inueniar alienus. Similiter & uicedominus & cancellarius eius, & omnes alij qui aderant clerici, manus suas in manum meam dederunt, & hæc eadem excommunicationis & anathematis uerba dixerunt. Deinde accessit Arnulphus nepos archiepiscopi, honestus uidelicet & prudens clericus, cuius unam manum archiepiscopus tenuit, alteram ipse super sanctum Euangelium posuit, et iurauit dicens: Dominus meus Vuido archiepiscopus, qui hic est ab hodie in antea, & quod promisit de castitate clericorum fideliter obseruabit, & insuper nunquam consecrabit alicuius ordinis clericum suæ diœcesis, præter monachos, quem ante promotionem non faciat iurare, quod in hoc breuiculo scriptum est: sic me Dominus adiuuet, & ista sancta Euangelia.

Pro suscipiendis Ecclesiasticis gradibus, siue per me, siue per submissam personam, seu per quodliberingenium, neque dedi, neque promisi, neque per promissiones daturus sum aliquid: sic me Dominus adiuuet, & ista sancta Euangelia.

Hoc facto, dominus archiepiscopus illi co in pauimentum cum omni humilitate prosternitur, & iniungi sibi pœnitentiam pro uenalitatis huius nefando commercio deprecatur. cuius uidelicet sceleris, licet in illa Ecclesia non ipse primus extiterit autor: non tamen, ut debuit, fuerat extirpator. Centum itaque annorum ei pœnitentiam indidi, redemptionemq; eius, taxata per unumquenq; annum pecuniæ quantitate præfixi.

Mox maiorem Ecclesiam simul ingressi, pulpitum ascendimus. Tunc coram copioso populo ciuitatis, & clero, clericum suum tactis sacrosanctis Euangelijs iurare fecit, quod ipse archiepiscopus donec ad uiueret, in quantum posset, excepta bonorum suorum datione, si nollet, istas duas Nicolaitarum uidelicet ac Simoniacam hæreses omni studio, totisque uiribus, sincerè ac fideliter extirpare contenderet, ita ut neque presbytero, neque diacono, neque subdiacono, fœminam cum gradu simul habere permitteret: à conferendis etiam Ecclesiasticis sacramentis, uenalitatis omne commercium funditus prohiberet.

Id ipsum iusiurandum contra Simoniacos & Nicolaitas, permaxima pars populi non modò ciuilis, sed & suburbani iam dederat, quorum uidelicet multitudo millenarium (ut fertur) numerum excedebat.

His itaque gestis, consideratisque sanctorum patrum sententijs, quos superius memorauimus, aliorumque quos studio bre-

brevitatis omisimus, uisum est nobis, ut omnes illi clerici accepta pœnitentia inter Missarum solennia reconciliarentur, ornamenta de manu episcopi recipientes: sicut Fulbertum episcopum suprà narrauimus dedisse consilium. Hoc tamen prius, quod infrà scriptum est, ante sanctum altare legentes.

Ego Arialdus dictus diaconus de Capella Mediolanensis archiepiscopi, hac scriptura, quam manu mea scripsi, profiteor me eam fidem tenere, quam sacrosancta septem concilia, Euangelica & Apostolica autoritate firmarunt, & quam beatissimi pontifices Romani ad diuersos data prædicatione lucidissimæ ueritatis exposuerunt. Anathematizo quoque generaliter omnes hæreses, extollentes se aduersus sanctam catholicam & Apostolicam ecclesiam: specialiter uerò atque nominatim Simoniacam hæresin, quæ in ipsam Ecclesiam conatur introducere sacrorum ordinum siue officiorum maledictam uenalitatem. Deinde Nicolaitarum æquè abominabilem hæresin, quæ impudenter latrat, sacri altaris ministros debere uel posse licenter uti coniugibus, quomodo & laicos. Vnde quia his duobus hæ duæ hæreses, scilicet Simoniacorum & Nicolaitarum, grauius Ecclesiam Dei uexant & impugnant, Simoniacos omnes & Nicolaitas cum dogmatibus, autoribus, sectatoribusque suis, æterno anathemate dignos esse pronuncio, iurans per sanctam homousion Trinitatem.

¶ Pœnitentia autem clericorum talis est. Ij nimirum qui solum constitutæ à diabolo regulæ canonem dederunt, ita ut nonnulli eorum uix peccatum hoc esse cognoscerent, quinque annorum pœnitentiam acceperunt: hoc modo, ut omni tempore, æstate simul & hyeme, duos dies: duabus autem anni quadragesimis, Natalem uidelicet & sanctum pascha præcedentibus, tres dies per hebdomadam ieiunarent in pane & aqua. Eorum autem qui plus dederunt, septem annorum est pœnitentia, sub eâdem scilicet ieiunij quantitate distincta: postque septennium, quandiu uixerint, sextam feriam ieiunabunt. Qui autem ieiunare facile non potest, unum ex his diebus per omnem hebdomadam redimere licentiam habet: ita ut unum psalterium meditetur, aut medium cum quinquaginta metaneis, aut unum pauperem pascat, & lotis pedibus nummum porrigat: hoc insuper domino archiepiscopo promittente, quod omnis orationis causa procul ipse dirigeret, siue uidelicet Romam, siue Turonum. Ipse autem archiepiscopus profecturum se ad beati Iacobi uenerabilem tumulum, qui est Hispaniæ, disponebat.

His itaque tali modo reconciliatis, decretum est, ut non mox passim omnibus redderetur officium: sed his duntaxat, qui & literis eruditi, & casti, & morum grauitate uiderentur honesti. Cæteris autem sufficeret, quòd sanctæ Ecclesiæ per diuinam gratiam essent rursus inserti, à qua eatenus fuerant diuinæ sententiæ falce præcisi. Illi etiam ipsi quibus ministrandi licentia redditur, non ex malè mercata ueteri ordinatione, ad amissum reparantur officium: sed ex illa potius beati Apostolorum principis efficacissima autoritate, qua in beatum Apollinarem repentè usus est dicens: Surge, inquit, accipe Spiritum sanctum, simulque pontificatum.

Sic utræq; istæ hæreses, in illa Ecclesia sunt per argumenta prouidæ coërcionis attritæ, ut autore Deo nostris temporibus non sint ad rediuiua certamina reparandæ. Apostolica tamen sedes hæc apud se retractanda discutiat: & utrum puncto an lima digna sint, ex autoritatis suæ censura decernat. Hactenus Petrus Damianus, seruus fidelis Antichristi.

MEDIOLANENSIS ALIA.

In nomine sanctæ & indiuiduę Trinitatis: Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi millesimo sexagesimoseptimo, pontificatus uerò domini secundi Alexandri papæ VI. indictione quinta, die primo mensis Augusti, actum feliciter Mediolani. Cum constet, fratres charissimi, omne genus hominum sub primi parētis præuaricatione ortum, ex radice carnis peccati trahere cōtagia culpæ, eamq; propter hoc pœnam sustinere uindictæ, ut miserijs multis repletum, sibiq; ipsi graue & ingratū, nunquā in eodē ualeat permanere statu: ut quia factori suo nolūt obedire, ex pœna peccati cogatur mutabilitatis suę miserias tolerare, ita ut nec animo uirtutis stabilitatē, nec corpore status tenens qualitatem, in diuersa uitiorum mōstra erumpat, & præceps ad æternæ mortis interitū currat, immensa Dei bonitas humanā naturam sic uitiatam, & à se per mandatorū eius transgressionem multifariam elongatam non deseruit, sed labentem quotidie erigit, fugientem reuocat, nexibus amoris multiplicium beneficiorum sibi ligat: sed nec sicin uoluntate ipsius permanēti, uel mādatis eius adhęrenti, leges edixit, canonesq; Spiritu sancto dictauit, modos constituit,

ſtituit, quibus debeat animal compeſci, & & in bonis enutriri. Quorum omnium caput, ſummumq; apicem, Romanam, cui per beatum Petrum nõ ſolum terram, ſed ipſos cœlos ligandos ac ſoluendos dedit, conſtituit eccleſiam: ut quicquid ubiq; eccleſiarum prauitatis reperitur, dum ibi nõ poterit, ab ea quaſi ab origine & magiſtra omnium corrigatur. Quapropter dilectionem ueſtram hortor, & per Chriſtum rogans obteſtor, ne erubeſcat quiſquam malum emendare, quod nõ erubuit ante Dei oculos perpetrare. Quia igitur in hac ſancta Mediolanẽſi eccleſia, quorundam prauorum clericorum ac laicorum faſtu, uel neglectu, in multis diuinæ legis deſueuit regula: unde in hac pręclara urbe, pernicioſa inter iuſticiæ, ut uidebatur, fautores & malitiæ defenſores orta ſeditio, ac mortifera in omnem intus et extra populũ diſſeminata diſcordia, ad animorum interitũ, qualiter per boni Ieſu amatoris hominũ, miſericordiam, & per nos qualeſcunq; Apoſtolicæ ſedis legatos, noſtramq; peruigilem operam ſeditio in quietem, diſcordia in pacem, peruerſitas reducta ſit in rectitudinem, Scripturę titulis annotamus, ut iuuante Domino pacem firmã, & canonicę rectitudinis normam, in hac ſancta Eccleſia in perpetuum ſtabiliamus. Quia itaq; per confratrem noſtrum dominum Petrũ Oſtienſem epiſcopum, reuerendæ ſanctitatis uirum quædam ſunt olim in hac urbe correcta, non opus eſt ea uel præteritas lites omnib. notas replicare: ſed quæ nunc ſunt canonica diſciplina à nobis ſtatuta, ad futurorũ memoriã literis exarare. Apoſtolica igitur authoritate fulti, ex parte omnipotentis Dei, & Apoſtolorũ principis Petri, glorioſiq; cõfeſſoris Chriſti Ambroſij ſtatuentes præcipimus, ac per uirtutem Spiritus ſancti, qui eſt peccatorũ remiſsio, interdicimus, non noua præripientes, ſed antiqua reformantes: Vt nullus in uniuerſa huius eccleſiæ parochia monachus, abbas, per preciũ quocunq; modo cõuentũ, canonicus etiã, nec gratis nec ullo modo ordinetur. Ex nulla quoq; eccleſiaſtici ordinis benedictione, uel ex eccleſiarũ conſecrationibus, uel chriſmatis datiõe, quicquam muneris à quoquã per aliquam cõuẽtionem detur, aut accipiatur. Presbyter etiam, diaconus ac ſubdiaconus, fœminã ad fornicandum palàm retinens, donec in culpa manſerit, nec officium faciat, nec Eccleſiæ beneficium habeat. Qui uerò non retinet, & euentu humanæ conditionis ceciderit, poſtquã manifeſtũ ueraciter fuerit, ſuſpendatur ab officio tantùm, donec per pœnitẽtiã ſatisfecerit. Statuimus inſuper, neminẽ prædictorum graduum clericum, ex ſuſpiciõe dãnari, ita ut nec officio careat, nec beneficio, niſi ipſe fortè confeſſus, uel per idoneos teſtes ueraciter ſit conuictus. Ne autem lædẽdi eos aliqua occaſio pro relictis fœminis eorum fiat: ſtatuimus, ut cum illis in una domo non maneãt, nec manducent, nec bibant, nec ſine tribus uel duobus idoneis teſtibus ſimul loquantur: & hæc ſeruantes, nullam pro eis calumniã patiantur: ipſi uerò iuxta eccleſias, ſi fieri poteſt, habitare cogantur. Qualiter uerò quiſq; eorũ, pro ordinũ inæqualitate, uel culpæ uarietate officiũ ac beneficium perdat: ideo ſcribimus, quia cuncta eccleſiaſtica officia in ſtatus ſui dignitate conſiſtere uolumus, & nullũ clericorũ pro cuiuſquã peccati culpa, uel officij ſui aliqua in Deũ offenſa, in iudicio laicorũ amodò eſſe permittimus, ſed modis omnib. in perpetuũ prohibemus. Si quis aũt laicus cuiuſq; ordinis, præſcriptorum graduum clericos in poteſtate ſua habet, cum primùm ſciuerit in ueritate, aliquem ex eis uel fœminam, ſicut dictum eſt, retinere: uel in fornicationis crimen caſu cecidiſſe: ſtatim per ſe, uel per ſuum nuncium, hoc ſtudeat indicare archiepiſcopo, et huius eccleſię ordinarijs, quib. cura iſta commiſſa fuerit. Si ipſe, aut ipſi, illi ad manendum ſcilicet in culpa obdurato uel accidentaliter lapſo interdixerint, ut dignũ eſt, officium, ipſe laicus poſtmodum interdicat obdurato tantum officium. Si uerò archiepiſcopus uel ſui ordinarij, poſtquã audierint, hoc neglexerint, ipſe laicus quicunq; ſit ex tunc in ſua potęſtate, nec officium facere, nec beneficium alicui ex illis permittat tenere, donec culpam deſerat, & dignè Dño per pœnitentiã ſatisfaciat: præcipimus, ut illud beneficiũ, quod cuiquã clericorum offertur, nullus laicus in ſuum uſum uel lucrum accipiat, nec alicui ſuorũ tribuat, ſed ad ipſius Eccleſiæ, uel miniſtrantiũ illi opus & utilitatem ſeruetur, aut expendatur, donec uel ipſe, ſi dignus fuerit, reconcilietur, uel alter loco eius conſtituatur. Hoc etiã conſtituimus, & firmiter cõtradicimus, ut nullus laicus alicui ex illis qui fortè lapſi fuerint, nullam in prędiolis, ſi habet, aut in alĩ quib. bonis ſuis, uel ſeculari ſi forſan fuerit beneficio, uiolẽtiam inferat, nihilq; de ſuis niſi eccleſiaſticum beneficium prędicto modo tollat. Similiter quoq;, ut nullus laicus à cuiuſquam ordinis clerico, in gradu aliquo eccleſiaſtico benedicendo quicquã muneris exigat, uel accipiat, no cũ Simone Mago particeps fiat. Illud autem quod ſpeciali deuotione eſt dignum, inuiolabili conſtitutione iudicamus foro

in perpetuum firmum,ut huius glorioſæ ſedis antiſtes, qui nunc eſt, uel quicunq; deinceps fuerit,ſemel aut bis ſi poſſe fuerit,ſibi per omnes plebes, quicunq; eas teneat, ad conſignandum,& Chriſtianitatem ſecundum canones perquirendum uadat:nullusque laicus aut clericus in hoc ei reſiſtat, ſed deuotè ei in his quæ Domini ſunt, obediat & miniſtret. Integram quoq; habeat in omnem ſuum clerum canonicè iudicandi ac diſtinguẽdi poteſtatẽ, tam in ciuitate quàm extrà,per omnes plebes & capellas,ut dum clerici fuerint, à ſecularis iudicij infeſtatione ſecuri, in diuina ſeruitute & canonũ auctoritate conſiſtant quieti, & archiepiſcopo ſuo obediant deuoti. Illos autem omnes clericos & laicos, qui contra Simoniacos & incontinentes clericos,ut per rectam fidem , ne hæc mala fierent, operam darẽt, iurauerunt, & per hoc incendia, depræda-tiones,ſanguinũ effuſiones, multasq; iniuſtas uiolentias fecerunt:omni modo prohibemus, ne hæc ulterius faciant:ſed ſemetipſos cuſtodiendo, & pro his qui ea non ſeruant, archiepiſcopo ſuo & ordinarijs huius eccleſiæ, ſuffraganeisq; epiſcopis,quod canonicũ eſt ſuggerẽdo,& cũ bono animo ſupplicando,in his operam tribuãt:hoc eſt,ſtudium habeant. Et nulla alicuius damni uel dedecoris,quod pro huius placiti cauſa alicui illatum eſt, ex aliqua parte amodò repetitio fiat, aut odium maneat:ſed pax Chriſti, quæ ſuperat omnem ſenſum , corda ueſtra poſſideat. Ad hæc igitur omnia conſeruanda, & perenniter ſtabilienda, quia aliquando nonnullos magis mundana quàm æterna pœna à malo retrahit, & ad bonum compellit. Si quis ex his omnibus, qui pro officio & poteſtate eccleſiaſtica uel munda na hæc agere debet & poteſt, ea ſtudere & fideliter perficere,ſicut promiſsũ eſt, neglexerit, aut noluerit: archiepiſcopus quidem de ſuo centum libras denariorum perſoluat:& ſi contempſerit,donec emendet, pro prio officio abſtineat: clericus autẽ uel laicus pro ordinis ac dignitatis ſuæ qualitate, hac poteſtate tali multetur damno,ut ſi qui dem de ordine capitaneorum fuerit, uiginti denariorum libras,uaſuaſorum autem decem, negociatorum quinq;,reliquorũ uerò pro qualitate & poſsibilitate componat ad utilitatẽ huius ſanctæ matricis Eccleſiæ: & ſicut pro treuga Dei fracta, per decem tot ciuitates riſcatam faciat. Si quis itaq; (quod non optamus,& Dominus auertat) hæc nõ obſeruauerit,& tranſgreſſor factus, ſicut ſtatutũ eſt, emendare contempſerit, incurrat æternæ maledictionis & anathematis uinculum, & cum Dathon & Abiron præſens, atq; cum Iuda traditore, Pilato & Caipha æternum ſubeat interitum, niſi reſipiſcat, & dignè ſatisfaciat. Omnipotens Deus, dulciſsimi fratres & filij, precibus beatiſsimi Apoſtolorum principis Petri, & glorioſiſsimi conſortis ſui Ambroſij,ab his omnibus malis uos cuſtodiat , & in bonorum obſeruantia corda ueſtra & corpora ita diri gat, ut ad promiſſam uobis æternæ beatitudinis hæreditatem peruenire concedat, Amen. Ego Mainardus Dei gratia Syluæ candidæ dictus epiſcopus, Apoſtolicæ ſedis legatus,huic conſtitutionis paginę à me factæ ſubſcripſi. Ego Ioannes ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis presbyter, atque eiuſdem legatus , huic conſtitutioni ſubſcripſi.

VVORMACIAE ALIA.

Erat quidem Vuormaciæ Synodus Anno Domini milleſimo ſexageſimo indicta: uerùm peſte in Gallia graſſante , epiſcopi eò noluerunt accedere. Quæ uerò fuerit occaſio,ignotum eſt,Schafnaburgenſis.

MANTVANA ALIA.

Mantuæ Heinricus Imperator Cõcilium indicit, Anno Domini milleſimo ſexageſimoſexto.ad quod cauſam præbebat pugna aliquot coruorum , inhiantium uni prędæ. nam Alexander & alij plures de ſede Petri, non linguis, non calamis , ſed cruentis haſtis atque gladijs decertãt. Sic ſcilicet itur ad Apoſtolatum : non quidem illum Chriſti miſellum & laborioſum,ſed Romanum. Alexander enim Romæ coactis ſuis manipularibus, Synodo decernit , & condemnat Honorium ambitus & homicidij, atq; diris eum deuouet. Honorius uiciſsim Parmæ ſuos aſſeclas congregat , Alexandrum ſimili ratione condemnat: quòd abſq; Cæſaris conſenſu pontificatum inuaſiſſet, eumque à Normannis precio emiſſet. Iſtis igitur furoribus, & ſæuis lanienis uulturũ Eccleſiæ Romanæ,modum conſtituturus Imperator, iubet ipſos in Synodo adeſſe Quinquagenalibus ferijs.

Ante hoc concilium Anno miſſus Romam , ad turbas iſtas ſedandas, primùm cum Alexandro & cardinalibus in conuentu grauiter contendit , quòd Alexander abſque Cæſaris conſenſu eſſet creatus pontifex: allegaris hiſtorijs,ex quibus demonſtrabat , contra conſuetudinem & priuilegia Cæſaris id eſſe. Sed Hildebrandus cæteris audacior & impudentior aſſurgens, contrà pugnat : Nequaquam id iuris ad Imperatorem , ſed ad Romanos pertinere. atque exempla atque priuilegia citat, cui reliqui præſules geſtibus & uoce ſuffragantur. Anno uidens ſe ſolum, ſtipatum ualidis ca-

dis canibus, metu debilitatus, de sua sententia cedit. Imperat tamen, ut Mantuæ concilium habeatur. Nauclerus.

Nunc propius ad Synodi actionem ueniamus, de quibus uisum est Auentini narrationem inserere. Anno, inquit, archimysta Agrippinensis, Vuentzelaus Altaichij inferioris in Boiaria præsul, annalium Boiaricorum scriptor, cum plerisque episcopis & principibus Franciæ, iussu Cæsaris Mantuam se conferunt. Romani, Itali, Longobardi frequentes coeunt. Honorius cum magno hominum numero ad Aquas nigras substitit, cumque mandatis ad Annonem mittit qui dicerent, Magistrum à discipulis doceri non oportere: Honorium nequaquam uenturum, nisi uicem Christi præsidendo defungi permittatur. Anno autem consilio habito, pauciss imis respondet: Magistrorum sacrosanctæ concionis, Ecclesiæque sententiæ parendum, diuinoque oraculo obtemperandum esse. Proinde Parmensis hisce sibi relatis, uenire Mantuam recusauit: cæterùm per speculatores fidos, singula acta diurna explorat. Alexander quidem præsto fuit. Postero die Quinquagenalium, episcopi, principes, præsules frequentes in templo conueniunt, opem Dei exposcunt, sacrificium rituale faciunt. His ritè peractis, Alexander multa de pace ac concordia Christiana disseruit. Vbi finem dicendi fecit, Anno surgit. Cæsar & Imperij proceres (inquit) fama & literis à plerisque certiores facti sunt, te Pontificatum emisse, atq; conscientia huius criminis stimulatum, cum Nordmannis reipublicæ hostibus amicitiam feciss e, aduersus Cæsarem conspirasse, ut eo etiam inuito, fretus armis inimicorum, nostrorum sacerdotium retineas. Nos ut ueritatem inquiramus, & hancce rem cognoscamus, hîc coiuimus. Suscipit Alexander: Si delatores ueri sunt, cur hîc in hoc celeberrimo Christiani orbis conuentu, sicuti ego, non apparent? & crimina quæ mihi falsò obijciunt, testibus, uti fas est, comprobant? Quod cum facere non queant, ego ut me purgem suspicione, uos falsa opinione expediam, Deum testor, per Spiritum sanctum, cuius ferias agimus, iuro, me inuitum atque reluctantem ab his penes quos copiam cooptandi pontificis maiorum more esse credimus, absque omni penitus ambitus scelere raptum esse. Quis innocens erit, si criminari satis est? De Nordmannorum amicitia iam nihil respondeo: quando illustris Dominus Cæsar, filius meus, Romam ueniet, re ipsa comperiet, nihil aliud magis à moribus meis alienum esse. Hæc ubi dixit, cuncti qui aderant, & quorum intererat, Honorium, quòd uenire grauaretur, abdicant: & Alexandrum, quem crimina legitimè diluisse, insontemque esse existimabant, pastorem recipiendum decernunt, atque ritu solenni renunciant. Deinde Deum optimum maximum; Christum seruatorem nostrum celebri carmine consalutant. Postridie rursus cum in templo patres consedissent, & Anno archimysta (quam ob causam, non traditur) abesset, hi qui Catochi rebus studebant, facto globo, excitatoque tumultu, strictis gladijs in ædem irrumpunt: Alexandrum hæreticum, & pestiferum erronem uociferantur, eidemque mortem intentant. Cæteri omnes diffugiunt, Alexandrum solum relinquunt. Vuenceslaus præsul Altaichij, Boiariæ monachorum antistes, qui probè mores Longobardorum norat (cùm minacissimi enim uerbis sint, ne digitulo quidem aduersarium attingunt) Alexandrum quoque sibi fuga consulere parantem retinet: eidem animum reddit, atque considere persuadet. Longobardos acriter increpat, maiestatemque tristi territat. Eodem quoque momento Beatrix uxor Gotfridi ducis, cum multis ad templum procedit: uix limen attigerat, Honoriani omnes aufugiunt. Cæteri redeunt, Parmensem episcopum curia pontificum mouent, atque deuonent. Auentinus libro quinto Annalium Boiorum. Platina inquit, precibus Imperatoris impetratum esse ab Alexãdro, ut ueniam Cadalo daret, & Gibertum Rauennatis ecclesiæ pontificem crearet. Idem Sabellicus scribit.

¶ Decreta ibi sancita fuerunt talia: Missam non esse audiendam à sacerdote concubinario.

Filios sacerdotis licere initiari sacris, interposita autoritate pontificia. Distinct. 32. cap. præter. Et cap. 18. Si quis amodò. Distinctione tricesimasexta, cap. Apostolica autoritate.

Scienter ordinatum à Simoniaco, remouendum esse à suo ordine. 1. q. 1. C. de cætero.

Monachos cœnobio destinatos, non esse admittendos ad officia clericorum. 16. q. 1. C. iuxta Chalcedonense.

Clericos non debere accipere Ecclesiastica beneficia à laico. 16. q. 7. cap. per laicos.

Omnes Ecclesiasticos ordines, & Ecclesiastica beneficia, gratis esse danda doctis & bonis: non uendenda uel precio, uel ullius honesti contractus specie. 1. q. 3. cap. ex multis.

Excommunicatum, non excommunicare

care alium. 14. q. 1. cap. audiuimus.

VINTONIAE
in Anglia.

Duo cardinales ab Alexandro secundo ablegati in Angliam, ad componendas res ecclesiæ turbatas, Vintoniæ congregarunt conuentum: ubi causis cognitis, quosdam epiſcopos & abbates ab officio remouerunt: inter quos fuit Stigantus Cantuariensis antistes, cui hæc crimina impacta sunt, quòd uiuo Roberto archiepiſcopo Cantaurienſem ſedem occupaſſet, quòd simul quoque Vintonienſem epiſcopatum poſſediſſet: quòd pallium accepiſſet à Benedicto Romano perperam electo, & à patribus repudiato. Polydorus libro nono, de Gulielmo.

TRIBVRIAE
alia.

Conuenerat inter primarios Germaniæ archiepiſcopos & principes, ut rege puero exiſtente, minuſque reipublicæ negotijs apto, ipſi alternis uicibus Imperio præeſſent. Bremenſis autem archiepiſcopus ſua defungens uice, diutius quàm licebat dominationem retinuit: ipſumque Imperatorem, quò magis eum ſibi deuinciret, ſuo more (prout iuuenilis ferebat animus ac libido) uiuere permittebat, eundemque ſolum in ſua poteſtate, excluſis reliquis collegis, tenebat. Quamobrem cæteri fremere, tributa, uectigalia, cenſumque debitum denegare. Hæcque de induſtria Bremenſis archiepiſcopi fiebant, quem omnes criminabantur, pro ipſius tantum arbitrio res Imperij adminiſtrari. Principes tandem atque epiſcopi (inter quos facilè primi erant Anno Colonienſis, Eberhardus Treuirorum, & Sigfridus Moguntinus) item cæteri Francorum optimates, frequenti ſenatu Triburiæ in ripa Rheni conuenerunt. Collatis ibi de morum licentia & uitæ turpitudine, quam authore & conſultore Bremenſi agat Imperator, ſententijs ipſe archiepiſcopus, niſi Cæſarem confeſtim reddat, iudicatur hoſtis. Cæſari quoque ad principes uenire detrectanti, regnum abdicandum eſſe decernitur: Anno milleſimo ſexageſimoſexto, iuxta Lambertum Schafnaburgenſem, & Auentinum libro quinto Annalium.

ROMANA
alia.

Romæ poſt Paſchalia more ſolenni Synodum coegit Alexander ſecundus: ubi Tridentinus pontifex, qui direptores ſui templi ſub Leone nono occiderat, homicidioque pollutus hactenus ab aris motus fuerat, uniuerſis deprecantibus ouili reſtituitur. Florentinus pontifex, & Otto Treuerenſis archimyſta, ambitus, hæreſeoſque, quam Simoniam uocant, poſtulantur: ille conuictus, claſſe pontificum extruditur, hic iureiurando abſolutus eſt. Auentinus.

MOGVNTINA
alia.

Imperator Heinricus exoſam habebat reginam ſuam: quia in enormi uitæ licentia educatus ab ipſis penè unguiculis, quod dicitur, uagas libidines potius, quàm coniugalem thorum ſectabatur. Tractat igitur ſecretò cum Moguntino epiſcopo, ut ſibi operam in diuellenda à ſe coniuge nauet: & quidem duo ipſi promittit. Primùm, ſe deinceps in ipſius poteſtate omni cum reuerentia futurum eſſe: deinde, ſe non modò authoritate, ſed armis quoque Thuringos coacturum, ut ipſi decimas, quas coruus ille Moguntinus per fas nefasque rapere moliebatur, perſoluerent. Nihil autem criminis Heinricus legitimæ coniugi impingebat, niſi quòd animus ſuus ab ipſa abhorreret, nec poſſet cum ea in ſocietate coniugali uiuere. Intactam hactenus eam à ſe manſiſſe, ſicuti uirgo ſibi tradita eſſet. Placet rapaci epiſcopo conditio: Synodum ad libitum Imperatoris, pro ſua dignitate indicit.

Accidit autem interea, cum bellum quoddam exardeſceret in Saxonia, mox ſacer ille epiſcopus claſsicum canit: imò manipulum latronum ſecum ducens, in Thuringia paſsim, quacunque incedit, cædem ædit. Hoc ſcilicet epiſcopi, & quidem primarij officium erat, innocentum cruore manus contaminare.

Repreſſus tamen eſt hac etiam uice Thuringorum fortitudine, conniuente nonnihil Imperatore.

Ad ſtatutum Synodi diem adſunt euocati epiſcopi. In profectione erat Imperator quoque. Præterea in Loresham præmiſſa fuerat regina, ut in uicino loco iudicium ſacri conuentus præſtolaretur. Verùm cum reſciret Imperator, adueniſſe pontificium legatum, qui diuortium diſſuaſurus eſſet, in Saxoniam properè conſtituit reuerti. Amicorum tamen conſilijs perſuaſus, ne fugiendo uidelicet iudicium, tam turpem maculã ſibi inureret, Francofordiæ ſubſtitit: eoque iuſsit omnes confluere, qui hac de cauſa acturi eſſent.

Ibi uerò Petrus Damianus, à pontifice ad hanc Synodum ablegatus, incipit hoc diuortium ſummis uiribus diſſuadere. Argumenta ſunt: 1. Quia eiuſmodi conatus foret contra leges humanas.

2. Contra sanctiones Canonum. 3. A' Christiano nomine alienus. 4. Ipsius Imperatoris famæ hoc facinus nociturum. 5. Secuturum scandalum ingens in uniuersa Christi Ecclesia. 6. Ipsius esse, punire eiusmodi flagitia in alijs: iam ipsummet ueluti signiferum scelerum futurum. 7. Si non parêret, se iuxta Canones uim Ecclesiasticam aduersus ipsum adhibiturum. 8. Se denegaturum Regi coronationem.

Principes amplexi consilium & autoritatem Papæ, Imperatori hortatores pariter omnes sunt, ut à consilijs diuortij desistat, animumque ad reginam adiungat. Obijciunt ei, atque exaggerant potissimùm hanc politicam causam, qua ipsius animum percelli omnium maximè sciebât: Cauendum esse, ne isto diuortio parentibus reginæ causa defectionis præberetur, grauissimumque incendium seditionis ac funesti belli exoriretur.

Hisce rationibus ac suffragijs retusus potius, quàm euictus Imperator, simulat sese in ipsorum sententiam concedere, reginamque in regni consortium admittere. Mox tamen quanta potest celeritate in Saxoniam properat: ac reginam, licet regni insignibus eam excellere permitteret, tamen à more atq; societate coniugali non est prosecutus. Hæc accidêre Anno Domini millesimo sexagesimonono. Schafnaburgensis.

MOGVNTINA ALIA.

Donauerat Heinricus Imperator Carolum quendam sibi familiarem, Constantiensi episcopatu: uerùm canonici & Simoniæ & furti ipsum reum asserentes, prorsus eum repudiabant. Res itaque ad Romanum defertur pontificem. is Moguntino, ut causam in Synodo cognoscat, iniungit: ac nisi de obiectis criminib. commodè se purgarit Carolus, minimè eum admittat. Synodus itaque ad Calendas Augusti Moguntiæ ab archiepiscopo indicitur. Compârent Carolus & Constantienses canonici. Hi actoris in Synodo partes sustinentes, magnum criminationum contra Carolum texunt catalogum: quas tamen ipse Imperator, qui tum Synodo aderat, uel refellebat, uel callidè eludebat: nonnunquam etiam aspero sermone canonicorum procacitatem reprimere, frontisque impudentiam oppositа autoritatis suæ maiestate infringere conabatur. Hisce contentionibus duo teruntur dies. Tandem canonicorum importunitate uictus Imperator, baculum à Carolo recepit: facta ipsi spe, quacunque oblata occasione, ipsius habitum iri rationem. Lambertus Schafnaburgensis.

ERFVRDENSIS.

Celebrauit Synodum Heinricus Quartus Erfurdiæ, tali occasione. Posteaquam Colonienſis episcopus ex aula se recepit in suum episcopatum, qui multis prauis cupiditatibus Heinrici obstiterat: Heinricus fœda licentia passim in omnes colles Thuringiæ arces extruxit. Cum autem necessarius uictus deesset illis quibus earum custodiam demandabat, ne tyrannicis expilationibus subditorum inuidiam sibi crearet, consusurrat & colludit cum archiepisco po Moguntino, ut is decimationes Thuringiæ seuerius, quàm unquam antea, postularet: seque autoritate & armis effecturum promittit, ut hæc ampla præda ipsi contingat: uerùm tali pacto, ut & ipsemet partem eius rapinæ recipiat, quæ regia magnificentia & tanto suo labore digna foret. Ouetus nationem leoninam. Hac spe Moguntinus inescatus, ne prędam cui inhiauerat diu, tanta occasione oblata è manibus dimitteret, protinus Synodum Erfurdiæ indicit VI Idus Martij.

Quomodo uerò hæc Synodus seu emunctio pecuniarum administrata sit, operę pretium est ex Schafnaburgensis narratione cognoscere.

Statuto, inquit, die aderat rex, aderat archiepiscopus, stipatus uterq; magno grege philosophorum, immò sophistarum, quos ex diuersis locis summo studio conscierât, ut Canones sibi non pro rei ueritate, sed pro episcopi uoluntate interpretarentur: & causam eius, quoniam ueris non poterant, sophisticis allegationibus roboraret. Assidebât ergo cũ rege & archiepiscopo Moguntino Herimannus Bambergensis, Hecelo Hildesheimensis, Eppo Citicensis, Benno Osenburggensis, episcopi: qui nõ ad discutiendam iuxta Ecclesiasticas leges causam fuerant euocati, sed ut id quod rex uolebat, arte dictionis & sententiarum pondere, postremò quaqua possent ratione & consilio obtinerent: quanquam plerique eorum, id quod rex moliebatur, uehementissimè improbarent: sed ne liberè, quod sentiebant, eloquerentur, & regis terrore & priuata archiepiscopi amicitia inhibebantur. Habebat præterea rex circa se armatorum copias non modicas, quibus eos, si qui fortè negotium interturbare conarentur, militari manu coërceret. Thuringorum spes & fiducia potissimùm in abbate Fuldensi, & Herueldensi quoq; abbate nitebatur, q̃ hi ecclesias decimales plurimas, & p̃dia infinita haberét in Thuringia:

Thuringia: & hi si causa cecidissent, sibi unà cadendum esse non obscurè animadueterêt. Hi igitur in publica illa discussione interpellati pro decimarũ redditione, primò per Deum rogabant archiepiscopũ, ut antiquitùs tradita monasterijs suis legitima, rata incõuulsaq; manere sineret, quæ & sedes Apostolica & ueteribus & recentibus scriptis crebrò sibi firmasset, & præcessores eius Moguntini summi pontifices ac sanctissimi uiri usq; ad Luitpoldum episcopum nunquam infringere tentassent. Ea uerò atroci respõso archiepiscopus repulit: scilicet, præcessores suos, sua ætate, pro suo arbitratu Ecclesiam Dei moderatos fuisse: eousq; rudibus in fide auditoribus, & penè adhuc neophytis, lac potũ dedisse, non escam: & sapienti dispensatione multa indulsisse, quæ processu temporis, dum in fide conualuissent, successorum suorum industria resecari uellent. Se iam adulta, uel potius senescente Ecclesia, spiritualia comparare spiritualibus: nec iam paruulis lac, sed perfectis solidum cibum ministrare, atque à filijs Ecclesię leges Ecclesiasticas exigere. Proinde esse eis aut ab unitate Ecclesiæ secedendum, aut legibus Ecclesiæ æquanimiter acquiescendum. Tum illi rursus per Deum orare, ut si in Romani pontificis authoritate, si in Caroli, aliorumque Imperatorum priuilegijs, si in præcessorum eius Moguntinorum pontificum indulgentia nihil sibi præsidij aut spei reliquum esset, ipsarum saltem decimarum eam ipse partitionem fieri sineret, quam & Canonum scita æquam iudicassent, & cæteræ per orbem terrarum Ecclesiæ usitatam haberent: scilicet, ut quarta parte ipse pro suo, suorumque missorum seruitio contentus, tres reliquas portiones ecclesijs, quibus antiquitùs attitulatæ fuissent, permitteret.

Econtrà episcopus, non ea mente se ait tantũ laborem triuisse, & iam per decem ferè annos laboriosum hoc saxum uoluere, ut tandem aliquando uoti compos effectus, ultrò iure suo cederet: & tanto molimine extortas eis decimas, ipsis pro libitu suo partiendas addiceret.

Primus ac secundus dies in hac concertatione iam fluxerat, ancipiti adhuc fortuna, utra pars utri cessura foret. Iamq; in eo res uertebatur, ut Thuringi improbata Synodo, sedem Apostolicam appellarét. Sed rex sub attestatione nominis diuini affirmabat, se in eum, si quis id præsumpsisset, capitali sententia animaduersurum: & omnia quæ eius essent, usq; ad internecionem dissipaturum, clademq; eius diei multis posteà seculis non abolendam. Ita abbas Heruelděnsis suorum periculo conteritus, quoniam aliud, in arctum conclusis rebus, non patebat effugium, rem consilio regis permisit, quatenus prout ipse bonum & æquum iudicaret, causam inter se & archiepiscopum terminaret. Diu igitur habita deliberatione, in hanc tandem pactionem, mediante rege, abbas & archiepiscopus consenserunt: ut abbas in decem suis decimalibus ecclesijs duas partes decimarum, tertiam archiepiscopus acciperet: in reliquis uerò eius ecclesijs, dimidia abbati, dimidia archiepiscopo contingeret: ubi uerò ecclesia decimalis propria archiepiscopi esset, tota illic ei decima cederet. Præterea ut omnes Dominicales archiepiscopi curtes, in quacunque essent parochia, ab omni penitus decimarum exactione immunes manerent. Sub iugum misso abbate Heruelděnsi, statim Thuringi omni spe adempta, eo quòd in illius prudentia & eloquentia plurimum fiduciæ sibi posuissent, non ultrà restiterunt, sed decimas in reliquum absque retractatione dare professi sunt.

Fuldensis abbas aliquantis postea diebus obstinatus in proposito perstitit. Sed cum nec regis gratiam recipere, nec ad sua redeundi licentiam impetrare posset, nisi in communem sententiam concederet: tandem rerum difficultate superatus, ad hanc conditionẽ non tam consilio, quàm imperio & metu regis coactus est, ut in cunctis decimalibus Ecclesijs suis partem dimidiam decimarũ ipse, dimidiam archiepiscopus acciperet: Dominicales autem curtes suas, sicut archiepiscopus, omnes ab omni decimarũ redditione liberas haberet. Tum rex sciens haud bene placitura Romano pontifici, quæ gesta fuerant, sub interminatione gratiæ suæ utriq; abbati præcepit, ut neque per seipsos, neque per nuncium, neque alio quouis modo, pro insimulãda Synodo Apostolicam sedem interpellarent. Atque ita omnibus quæ intenderat pro uoluntate exactis, concitus Ratisponam cõtendit, sanctum Pascha ibi celebraturus. Hæc gesta sunt Anno Domini millesimo septuagesimo tertio.

GALLIAE CONCILIVM.

Hildebrandus cardinalis, qui postea Romanus factus papa, Gregorij septimi nomen accepit, cum ad Gallos ab antecessore suo, ut apparet, missus esset, Concilium ibi contra Simoniacos egit: in quos grauiter pro authoritate pontificia, qua tunc fungebatur, animaduertit. Ac cum in quendam maximè insignem Simoniacum incidisset episcopum, qui

qui corruptis multo ære testib. per quos prius ad legatum pontificium delatus fuerat, cum factum negaret: Cesset (inquit legatus ad reliquum episcoporum astantiũ uulgus) humanum iudicium,& producatur in medium diuinitatis oraculum.Spiritus enim sancti donũ est episcopalis gratia: & quicũq; auro mercatur episcopatũ, contra Spiritum sanctum facit. Moxq; oratione ad accusatũ cõuersa ait: Si tu contra Spiritũ sanctum non feciſti,dic,Gloria patri & Filio & Spiritui sancto.Tũc ille intrepidus incipiens,cùm Gloria Patri & Filio dixisset,nullatenus Spiritui sancto dicere potuit,licet sæpius conaretur. Sicq; episcopatu indignus iudicatus, loco motus est. Martinus in Chronico.

ROMANA ALIA.

Ad põtificiam dignitatem euectus Hildebrandus, in Synodo Romæ coacta, presbyteris, diaconis, uniuersoque clero coniugio interdixit: &, ut Sigebertus ait, Simoniæ reos anathematizauit, Anno 1074. iuxta Schafnaburgensem, & Marianum Scotum.

ALIA ERFVRDENSIS, *de coniugio sacerdotum.*

Hildebrandus militi turbulento magis quàm pastori similis,& infausto ueluti lydere natus, ad uexandũ Ecclesiam & rem publicam Romanam, Romæ promulgat legem (sanctus apostolus Paulus apertè uocat doctrinam dæmoniorũ, 1 Timoth. 4) ut presbyteri uxores suas legitimas, quas habebant,aut dimitterent,aut sacerdotio se abdicarent. Etsi autem clerici opponerent uerba Christi,Non omnes capiunt uerbum hoc: item Apostoli, Qui se non continet,nubat: melius est enim nubere, quàm uri: item, quòd prohiberet consuetum naturæ cursum, & turpissimis fornicationibus frena laxaret: tamen ut erat militari & sæuo ingenio præditus, id quod tamen prodigiosa hypocrisi fucabat, minis & excommunicationis fulmine perrumpit. utque hanc dæmoniorum doctrinam, iuxta Paulum, etiam ad alias natiões propagaret,Galliæ episcopis præcipit, ut sub idem iugum suos sacerdotes absq; omni mitigatione mittant. Quomodo autem sese pij ac graues sacerdotes opposuerint, audi Lambertum Schafnaburgensem, qui sic scribit: Aduersus hoc decretum protinus uehementer infremuit tota factio clericorum, hominem planè hæreticum & uesani dogmatis esse clamitans, qui oblitus sermonis Domini, quo ait,Non omnes capiunt hoc uerbum,qui potest capere capiat: & Apostoli, Qui se non continet nubat: melius est enim nubere quàm uri:uiolenta exactione homines uiuêre cogeret ritu angelorum: & dum consuetum cursum naturæ negaret, fornicationi & immundiciæ frena laxaret. Quòd si pergeret sententiam confirmare, malle se sacerdotium quàm cõiugium deserere: & tunc uisurum eum cui homines sorderent, unde gubernandis per Ecclesiam Dei plebibus, angelos comparaturus esset. Nihilominus ille instabat, & assiduis legationibus episcopos omnes socordiæ ac desi diæ arguebat, & nisi ocyus iniunctum sibi negotium exequerentur, Apostolica se censura in eos arnimaduersurum comminabatur. Hæc ille.

Moguntinus itaque archiepiscopus, licet difficultatem tantorum conatuum in conspectu haberet: tamen istius Arctolyci latratibus perterritus, ne ipse graui aliquo damno afficeretur, passim suos uicinos commonefacit, ut sponte sua postulationibus Romani pontificis obsecundarent potius, quàm coacti:quia non fas esset, ipsius autoritatem detrectare. Concedit autem deliberandi spacium sex mendiæ, in octobri, Anno Domini millesimo septuagesimoquarto.

In Synodo Moguntinus postulata Romani pontificis proponit, cuius hæc erat sententia:ut sacerdotes aut coniugium abiurarent, aut altaris ministerio se abdicarent. Recitantur & tonitrua Papæ, de excommunicatione sequutura in inobedientes.

Sacerdotes unanimi uoce ex uerbo Dei proferunt illustria dicta, confirmantia sacerdotum coniugia. Deinde, exempla Ecclesiæ Christi. Tertiò, rationes plurimas, & consuetudinem ueterem atque diuturnam. Postremò, & supplices preces addunt,ne sese à complexu honestarum coniugum, & dulcium liberorum auellerent. Verùm illa fundamenta omnia, & lachrymabiles preces,unica autoritate & uolun tate Romani pontificis delere conatur: scilicet Romanum Hildebrandum uelle, ideo aliter fieri non posse. Synodo egressi sacerdotes, conferunt consilia inter se. Variè autem afficiuntur sacerdotes mariti: considerant honestas uxores, quibus pia conscientia diu conuixerant, mente tot liberos in honesto coniugio susceptos intuentur: prospiciunt insuper carnis imbecillitatem & pericula ingentia, si extra coniugium uiuendum esset. In eam itaq; sententiã eunt,se non reuersuros in Sy-

in ſynodum, ſed domum ituros, ne in tam impia decreta artibus Sinonijs aut tyrannica aliqua ui pertrahantur. Alij uociferantur inconditis clamoribus: Melius ſibi uideri, ut regreſsi in Synodum, hunc tam impium epiſcopum ſede ſua deturbarent, atque interficerent, prius quàm hanc diabolicam (ut Paulus priore ad Timotheũ quarto nominat) legem de prohibitione coniugij promulgaret, ut tali facinore edito æternum monumentum publicè extaret, ne quis poſthac talem (ut Schafnaburgenſis loquitur) ſacerdotali nomini calumniam ſtruere tentaret.

Epiſcopus celeriter de hiſce conſilijs à ſuis gnathonibus certior factus, abſque mora uulpinam caudam prætendit. Foras enim mittit, ac placidè rogat, ne detrectent in Synodum uenire: ſe prima quaque occaſione Romam eſſe miſſurum, ipſorumque cauſam ſumma fide acturum, ut Romanus præſul iſtam ſeueritatem mitiget, ipſosque patiatur in honeſto & pio coniugio tranquillè uiuere. Hac aſtutia ardorem ſacerdotum, hac quidem uice nonnihil reſtinxit.

Altero die inſtituit actionem uehementem contra Thuringos, de retentione diuturna decimarum: ac ſignificat ſe non conquieturum, donec eas recipiat. Hæc agit omnia tanto impetu ac faſtu, ac ſi nihil præterea hactenus effuſum eſſet ſanguinis, nihil in Gerſtingunſi pacificatione hac de re actum eſſet.

Thuringos autem iſta Moguntini iniuſta poſtulatio, & rapinarum cupido ſupra modum offendit. Diſsimulata tamen perturbatione, primùm pacatè reſpondent: Hæc omnia in Gerſtingunſi pacis formula tranſacta & compoſita eſſe manifeſtis uerbis, ne quis nimirum ſibi in ijs quæ uetere iure habuiſſent ut ſua, negotium faceſſeret. Epiſcopus autem iſta exibilans, fortius inſtitit, ut decimas ſibi redderent.

Hac indignitate Thuringi, qui aderant, irritati, foras prorumpentes, atque de importunis exactionibus epiſcopi grauiter conqueſti ſunt: parumq; aberat quin multitudine quadam contracta, in ipſam Synodũ irruiſſent, manuq; de tam auaro & iniuſto accipitre pœnas ſumpſiſſent. Verùm epiſcopi milites ſtipatorij (nam epiſcopus ille, ut dictum, plus Herodi armato, quàm Apoſtolo nudipedi ſimilis erat) nõ tam ui, quàm blandis alloquijs & dehortationibus ipſorum ferociam cohercebant.

Hoc pacto Synodus impuri & auari epiſcopi in tumultum exiuit. Nam cuncti aſſeſſores Synodi metu perculſi qua quiſq; poterat, fuga ſalutem ſibi quæritabat.

Epiſcopus igitur à clericis, reliquiſque Synodi aſſeſſoribus deſtitutus, irato animo diſcedit, atque in Helegenſtad ſubſiſtit. Ibi uerò non tacito murmure hanc repulſam, quam tulerat in Synodo, decoquit. Sed quoties feſtis diebus ſolennia Miſſarum celebrantur, toties ipſe eos qui Synodum turbarant, ad pœnitentiam uocat, ſub interminatione epiſcopalis banni, niſi ueniam maturè deprecentur. Sic inquietus epiſcopus ad nouas turbas concitandas tubam inflat. Hæc omnia Schafnaburgenſis optima fide memoriæ reliquit.

MOGVNTINA
alia.

Anno milleſimo ſeptuageſimoquinto, menſe Octobri, Moguntiæ Synodus coacta eſt, cui inter cæteros epiſcopos Curienſis interfuit, qui Moguntino, pro authoritate Hildebrandi Romani pontificis, cuius uices tum agebat, eiuſque literis & mandatis inſtructus erat, iniunxit, ut uniuerſis presbyteris ſibi parentibus, aut coniugio, aut ſacris ordinibus interdicat, ni ipſe ſua dignitate exui uelit.

Hoc fulmine territus Moguntinus, Pontifici morem gerere ſummis conatur uiribus. Sed clerici in ſynodum acciti, & uerbis pontifici os obſtruxerunt, & manibus totiuſque corporis commotione adeò in eum debacchati ſunt, ut ægrè Synodo exceſſerit uiuus. Sic tandem rei difficultate ſuperatus, hoc conatu deinceps ſuperſedendum ſtatuit Moguntinus, ipſiq; papæ relinquendam executionem. Lambertus.

ROMANA ALIA.

Synodum in Laterano celebrat Hildebrandus pontifex: in qua coram epiſcopis, cur Simoniacos excommunicarit, rationem reddit: ut Barnus ait. Præterea Robertum Guiſcardũ, eccleſiaſticarum poſſeſsionum in Marchia Anconitana inuaſorem, execratur. Interfuerunt huic concilio Guibertus Rauennas præſul, & maxima epiſcoporum Lombardiæ pars, Machthildis, & Siſulphus Salernitanus princeps. Soluto autem concilio, Guibertus Romæ aliquandiu ſubſiſtens, per Cintium (ut Blondus & Platina indicant) nouũ pontifici creauit malum. Nauclerus 2 uolum. trigeſimaſexta generatione.

VVORMACIENSIS
alia.

Romam ad Synodum in Quadrageſima celebrandam, ab Hildebrando uocatur Imperator, ut de obiectis criminibus reſpondeat: ſin uerò comparere detrectet, mox de Eccleſiæ corpore eum abſcin-

abſcindendum minantur legati. Imperator igitur ſibi non ſtertendum ratus, mox cunctos ſui regni epiſcopos (numero uiginti quatuor fuiſſe, Marianus Scotus & Sigebertus indicant) & abbates Vuormaciam in Dominica Septuageſimæ coire iubet. Ac cum & ſuam, totiusque Imperij ſalutem in eo cardine uerti uideret, ſi is non eſſet pontifex, ſtatim cum epiſcopis congregatis de Hildebrando deponendo conſilia tractare cœpit. His itaque conſidentibus, Hugo Blancus cardinalis Romanus ſuperuenit, cum literis eorum quos in urbe Roma pontifex habebat aduerſarios. Illæ in frequenti Senatu lectæ ſunt, in quibus Hildebrandum periurij & ambitus accuſant: eundemque pleraq; auarè, ſuperbè facere conqueruntur, hocque reiecto alium paſtorem poſtulant. Fit patrum conſultum huiuſcemodi: Hildebrandus, qui ſe Gregorium nuncupat, primus ſine conſenſu noſtro, aduerſus Imperatoris Romani, rerum Domini à Deo conſtituti, uoluntatem, contra morem maiorum, contra leges, contra auſpicia, pontificatum maximum, quem pridem ambiuit, & iudicio conuictus perpetuò abiurauit, inuaſit: monachus deſertor eſt, nouis dogmatibus ſacroſanctam philoſophiam adulterat, diuinas literas falsò interpretando ſuæ cauſæ ſeruire cogit, concordiam collegij ſcindit, ſacra, prophana, diuina, humana commiſcet: utrumque iuxtà polluit. Diabolis, hoc eſt acerbiſsimorum hoſtium ſpurciſsimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat & credit. Teſtis, iudex, accuſator, inimicus idem eſt. Maritos ab uxorib. ſeparat: ſcorta pudicis coniugibus, ſtupra, inceſtus, adulteria caſto præfert connubio: populares aduerſus ſacerdotes, uulgum aduerſus epiſcopos concitat. Neminem initiatum ritè eſſe docet, niſi qui ab eo ſacerdotium emendicarit, atq; ab eius auriſugis mercatus fuerit: uili plebeculæ gratificari ſtudet, uulgi imperiti auram captat, ſimulata religione decipit, defraudat, circumuenit: in ſenatulo muliercularum de ſacratiſsimis religionis myſterijs pertractat: ſupremi numinis legem, qua ſe idem quoque ligauit, ſoluit: utrumque, & Imperium & Pontificatum, ſicuti Decij & falſorum deorum cultores factitare conſueuerunt, uſurpat. Haſce ob cauſas, ſanctiſsimus Imperator, Pontifices, ſenatus, populusque Chriſtianus, illum Hildebrandum abdicandum, ſibi eundem non placere, neque oues lupo committendas, cenſent.

Damnationi Pontificis haud grauatim omnes qui tunc aderant epiſcopi, ſubſcripſerunt, præter Adelberonem Herbipolenſem, & Hermannum Mediomatricum epiſcopos: minus id conuenire, & Canones uiolari aſſerentes, quibus epiſcopus quiuis ſine generali concilio, ſine legitimis & probatis accuſationibus & teſtibus, necdum probatis quæ obijcerentur criminibus condemnari prohiberetur: multo magis Romanus pontifex, aduerſus quem nec epiſcopi nec archiepiſcopi quicquam haberet ponderis accuſatio. Verùm Traiectenſis præſul Vuilhelmus, monendo eos ut uel damnationi pontificis ſubſcriberent, uel fidei regis, quam ſancta atteſtatione promiſſent, renunciarent, utroſque tandem in reliquorum pertraxit ſententiam. Lambertus.

Omnium itaque nomine literæ ad Hildebrandum adornantur, quibus, commemoratis prius eius criminibus, pontificatu, quem contra leges hactenus uſurpaſſet, ſe abdicare iubetur. Verùm ipſas ſubijcimus literas.

¶ Cum primùm Eccleſiæ gubernaculum inuaſiſſes, etſi bene nobis cognitum eſſet quàm illicitam & nefariam rem contra ius & fas familiari tibi arrogantia præſumpſiſſes: diſſimulanda tamen, diſpenſatoria quadam taciturnitate, tam uitioſa introitus tui exordia putauimus: ſperantes uidelicet, tam criminoſa principia conſequentis regiminis tui probitate & induſtria emendata, & aliquatenus obliterata. Verùm nunc, ut lamentabilis uniuerſalis Eccleſiæ ſtatus clamat, & deplorat malis initijs tuis peiores actionum, decretorumque tuorum progreſſus, infelici reſpondens tenore & pertinacia. Cum enim Dominus & redemptor noſter, pacis & charitatis bonum quaſi ſingularem fidelibus ſuis characterem imprefſerit (cuius rei teſtimonia plura exiſtãt, quàm ut epiſtolari breuitate comprehendi ualeant) tu è contrario dum prophanis ſtudes nouitatibus, dum magis amplo quàm bono nomine delectaris, dum inaudita delatione diſtenderis, ueluti quidam ſignifer ſchiſmatis, omnia membra Eccleſiæ, quæ ſecundum Apoſtolum quietam & tranquillam uitam ante hęc tua tempora agebant, ſuperba crudelitate, crudelique ſuperbia laceraſti: flammasque diſcordiæ, quas in Romana eccleſia diris factionib. excitaſti, per omnes eccleſias Italiæ, Germaniæ, Gallię, Hiſpaniæ, furiali dementia ſparſiſti. Sublata enim quantum fuit, omni poteſtate ab epiſcopis, quæ eis diuinitus per gratiam ſancti Spiritus, qui maximè in ordinationibus operatur, collata eſſe dinoſcitur, omnique rerum Eccleſiaſticarum adminiſtratione plebeio furori per te attributa, dum nemo iam alicubi epiſcopus aut presbyter eſt, niſi

est, nisi qui hac indignissima assentatione, à fastu tuo emendicauit, omnem Apostolicæ institutionis uigorem, illamque pulcherrimam membrorum Christi distributionem, quam doctor gentium toties commendat & inculcat, miserabili confusione miscuisti: sicque per hæc tua glorioſa decreta (quod sine lachrymis dici non potest) Christi ferè nomen perijt. Quis autem illud pro indignitate rei stupeat, quòd nouam quandam, indebitamque potentiam tibi usurpando arrogas, ut debita uniuersę fraternitati iura destruas? Asseris enim, cuiuscunque nostrûm parochiani aliquid delictum ad te uel sola fama peruenire, ultra iam non habere quenquam nostrûm aliquam potestatem uel ligandi uel soluendi, extra & præter te solum, aut eum quem tu spiritualiter ad hoc delegeris. Quæ sententia quòd omnem insaniam excedat, quis in Sacris literis eruditus non uideat? Quia ergo per hos, aliosque præsumptionum tuarum spiritus Ecclesiam Dei tam grauiter periclitantem, immò ferè pessundatam, diutius tolerare omni malo deterius iudicauimus: placuit, ut communi omnium nostrûm cõsilio, tibi, quod hactenus tacuimus, innotescat: quamobrem nec modò possis, nec unquam potueris Apostolicæ sedi præesse. Tu ipse bonæ memoriæ N. Imperatori teipsum corporali sacramento obstrinxisti, quòd nunquam ipso uiuente Imperatore, aut filio eius domino nostro glorioso rege, qui modò summæ rerum præest, Papatum aut ipse susciperes, aut alium (quantum in te est) susciperе patereris, absque assensu uel laudamento patris, dum uiueret. Ad hoc sacramentum sunt hodie testes plerique episcopi, qui hoc tunc & oculis suis uidêre, & auribus audiêre. Illud etiam recordare, quomodo tu ipse aliquos ex cardinalibus, cum ambitio Papatus titillaret, ad tollendam æmulationem hac occasione & conditione, ut ipsi hoc idem facerẽt, sacramento te obligasti, quòd nunquam papatũ habiturus esses. Vtraque hæc sacramentorum quàm sanctè, quàm cautè obseruaueris, tu uideris. Præterea cùm tempore Nicolai papæ synodus celebraretur, in qua centum uiginti episcopi consederant, sub anathemate hoc statutum & decretum est, ut nullus Papa fieret, nisi per electionem cardinalium, & approbationem populi, & per consensum & autoritatem Regis: atque huius concilij seu decreti tu ipse autor, & persuasor, subscriptorque fuisti: atque hoc quasi fœtore quodam grauissimi scandali, totam Ecclesiam replesti, de conuictu & cohabitatione alienæ mulieris familiariori, quàm necesse sit. In qua re uerecundia nostra magis quàm causa laborat: quamuis hæc generalis querela ubiq; personuerit, omnia iudicia, omnia decreta per fœminas, in sede Apostolica actitari, denique per eas totius orbis & Ecclesiæ iura administrari. Nam de iniurijs & contumelijs episcoporum, quos filios meretricum, & cætera id genus indignissimè appellas, nulla querimonia sufficit. Quia ergo & introitus tuus tantis periurijs initiatus est, & Ecclesia Dei tam graui tempestate per abusionem nouitatum tuarum periclitatur, & uitam & conuersationem tuam tam multiplici infamia dehonestasti, obedientiam quam tibi nullam promisimus, nec de cætero ullam seruaturos esse renunciamus: & quia nemo nostrûm, ut publicè declamas, tibi hactenus fuit episcopus, ita nulli nostrûm amodò eris Apostolicus.

Hisce subscripserunt ecclesiarum episcopi plurimi: Sigfridus Moguntinus (qui, iuxta Sabellicum, concilij præses extitit) Vdo Treuerensis, Vuilhelmus Traiectensis, Hermannus Mediomatricum, Heinricus Lucensis, Richardus Viridunensis, Babo Tullensis, Hermannus Spirensis, Burchardus Halberstadiensis, Vuernerus Argentinensis, Burchardus Basilienſis, Ottho Constantiensis, Adelbertus Herbipoli, Rupertus Bambergæ, Ottho Ratisbonensis, Elingardus Fruxini, Vlricus Eichstadij, Fridericus Monasterienſis, Hezilo Hildesianus, Hildebertus Mindensis, Benno Osnaburgensis, Eppo Numburgensis, Immannus Padelbornensis, Thieto Brandenburgensis, Burchardus Losanus, Bruno Viennensis ad Rhodanum.

Ex eadem Synodo & ipse Imperator ad pontificem satis duras scribit literas, & alias ad clerum, uniuersumque populum Romanum: quibus pontificem sua excuti sede mandat, ut ex præcedentibus constat.

TICINENSIS, SEV *Papiensis.*

Vuormacienſis Synodi decreto, quod diximus, non solum Germaniæ, Galliæque, sed Italiæ quoque non pauci episcopi, conuentu Ticini acto subscripsêre: iuraruntque se nunquam pontificem maximum ist hoc nomine recepturos. Auentinus. Huic Synodo & ipse Imperator interfuisse, & Gerbertus Rauennas Hildebrandi successor designatus scribitur. Se-

basſt. Franck. Verùm hac de re infrà certiora in Romana Synodo proferentur.

IN OPPENHEIM.

Publicata per Hellebrandum in uniuerſo ferè terrarum orbe Imperatoris excommunicatione, principes apud Oppenheim prope Rhenum coeunt, quorum aliqui, ut Hugo Alſatius, omnia bellis ardere, quo ditarentur, expetebant: Rudolphus Burgundionum & Sueuorum dux, cum Berchtoldo à Zaringen genero ſuo, contra Imperatorem ſentire cœperunt. Vuelpho quoque Boiorum dux, noua molitur. At licet Sigfridus Moguntinus archiepiſcopus, Hermannus Mediomatricum, Albertus Vangionum epiſcopi, Vuilhelmus Hirſaugienſis abbas, Altmannus genere Saxo, Batauienſis, cum Gebhardo Sueuo Iuuanenſium, & Adalberone Vuürtzburgenſium paſtore, ut tranquillitati ſtudeatur, initiò conſulerent: tamen poſt longam conſultationem hi omnes ad Saxones, deſerta Cæſaris optimatumq; cauſa deficiunt, & ad prætextum mutatæ uoluntatis religionem obtendunt: quòd nimirum (ut Vrſpergenſis, Crantzius & Nauclerus exponunt) bis ad Romanam curiam pro dicenda cauſa ſua uocatus, non comparuiſſet. Eoque iuſtè anathematis fulmine percuſſum Heinricum, communi conſilio iurant: ſeque perpetuò eius fore hoſtes, quoad uita ſuppetat, iureiurando ſanciunt. Pòſt arma capeſſunt, Cæſari inſidiantur, eius rebus ſtudentes oppugnant. Auentinus libro quinto Annalium.

TRIBVRIAE ALIA.

Non Eccleſiæ, quæ minus hoc ſeculo curæ erat bonis illis uiris qui epiſcopi nomen ſibi arrogabant, ſed reipublicæ potius calamitatibus moti, Adalbero Herbipoleos, & Adalbertus Vangionum epiſcopi, cum Rudolpho Sueuorum, Vuelphone Boiorum & Bertholdo Carentinorum ducibus, Vlmæ coierunt, ibique de die & loco nouis comitijs tribuendo, inter ipſos conſtitutum eſt, nimirum Tributia: Anno milleſimo ſeptuageſimoſexto. Schafnaburgenſis.

Decimoſeptimo igitur Calendarum Nouembris, qui Triburianis comitijs dictus erat dies, frequentes confluxerunt, Sueuiæ, & inprimis Saxoniæ principes, obſtinatis mentibus (ut Schafnaburgenſis, cuius hæc eſt narratio, loquitur) ad ſubmouendum à negocijs regni regem Heinricum, & alium in quem communis electio conſenſiſſet, creandum. Aderant unà legati Apoſtolicæ ſedis, Sighardus patriarcha Aquileienſis, & Altmannus Batauienſis epiſcopus, cui Papa uices ſuas in diſpoſitione cauſarum Eccleſiaſticarum delegauerat. Et laici nonnulli, qui magnis opibus relictis, ultrò ſe ad priuatam tenuemque uitam propter Deum contulerant. Miſsi à Romano pontifice, ut palàm omnibus per Gallias conteſtarentur, iuſtis de cauſis excommunicatum eſſe regem, & ad eligendum alium Apoſtolici conſenſus & autoritatis ſuffragium pollicerentur: nec principi, nec priuato cuiquam, qui regi Heinrico dicto uel facto aliquatenus poſt excommunicationem cõmunicaſſet, communicare uolebant, donec publicè profeſſus pœnitentiam, per Altmannum uicarium Romani pontificis anathemate abſolueretur. Pari tutela eorum quoque communionem uitabant, qui presbyteris coniugatis, uel eis qui Eccleſiaſticas ordinationes precio compararant, in oratione communicaſſent. Per ſeptem itaque continuos dies conſilia conferentes, quid facto opus eſſet, quà ratione periclitanti & iamiam naufragium minitanti reipublicæ conſulendum foret, perquirebant. Replicabant ab tenero (ut aiunt) ungue, omnem uitæ regis inſtitutionem. 1. Quibus probris, quibus flagitijs exiſtimationem ſuam, decusque Imperij uix tum adulta ætate maculaſſet. 2. Quas iniurias ſingulis, quas in commune omnibus, ubi primùm pubertatis annos attigit, irrogaſſet. 3. Quòd remotis à familiaritate ſua principibus, infimos homines, & nullis maioribus ortos, ſummis honoribus extuliſſet. 4. Et cum eis noctes perinde ac dies in deliberationibus inſumens, ultimum, ſi poſsit, nobilitati exterminiũ machinaretur. 5. Quòd barbaris gentibus uocatione data, in ſubditos ſibi populos dedita opera ferrum diſtrinxiſſet, & in eorum nece hoſtili crudelitate graſſaretur. 6. Regnum quod à parentibus ſuis pacatiſsimum, & bonis omnibus florentiſsimum accepit, quàm fœdum, quàm deſpicabile, quàm inteſtinis cladibus infeſtum, cruentumque reddidiſſet. 7. Eccleſias & monaſteria deſtructa, uictualia ſeruorum Dei uerſa eſſe in ſtipendia militum: ſtudium religionis & rerum Eccleſiaſticarum tranſijſſe ad arma militaria, & ad munitiones extruendas, non quibus uis & impetus Barbarorum arceatur, 8. ſed quibus patriæ tranquillitas eripiatur, & liberæ gentis ceruicibus duriſsimæ ſeruitutis iugum imponatur. 9. Nullum uſquam eſſe uiduis & orpha-

orphanis ſolatium, nullum oppreſsis & calumniam ſuſtinentibus refugium, non legibus reuerentiam, non moribus disciplinam, non Eccleſiæ autoritatem ſuam, non Reipublicæ manere dignitatem ſuam. 10. Ita unius hominis temeritate ſacra & prophana, diuina & humana, fasque nefasque confuſa eſſe, & implicita. Proinde tantarum calamitatum unicum ac ſingulare ſupereſſe remedium, ut quantocyus amoto eo, alius rex crearetur, qui tamdiu terminos ſuos euaganti licentiæ frena inijceret, & mundi uacillantis ruinam ſubiectis humeris ſuſtentaret.

Rex Heinricus contractis in unum ſuæ partis aſſertoribus, in uilla quæ dicitur Oppenheim, ſe continebat, Rheni fluuio utraque caſtra dirimente: frequentesq; ad eos indies legatos mittebat, pollicens omnium quæ eos offenderant, in reliquum emendationem. Se ueterum iniuriarum memoriam ſequentibus beneficijs, ſi uita comes foret, aboliturum: nihilque deinceps circa rerum publicarum adminiſtrationem, abſque communi conſultu actuarum. Poſtremò, ultrò ſe iure ſuo cedere, eiſque gubernandi diſponendiq; pro ſuo arbitratu totius regni ius poteſtatemque facere, dummodo æquo animo patentur, ſola regij nominis, regijq; cultus rata ſibi manere inſignia: quæ ſemel legitimè accepta, ſine ſumma omnium eorum ignominia amittere non poſſet: nec ſinerent regni Teutonici ſplendorem, omnibus retrò ſeculis intactum, incontaminatumq; ſua ætate tam turpis exempli macula ſordeſcere. Quòd ſi uerba ſua difficilius admitterent, magnificis promiſsionibus toties eluſi, paratum ſe quibus ſacramentis, quibus uellent obſidibus fidem facere, quòd nulla unquam dies, nulla rerum uel caſuum mutabilitas, hanc ſuam in eos beneuolentiam corrumpturа foret. Ad hæc illi: Nulla, inquiunt, iam ſuperſunt argumenta, quibus tot ties recognita atq; ſpectata fides eius probari ultrà, uel obligari ualeat, quum toties morum ſuorum emendationem, coram oculis omnia cernentis Dei quàm ſanctè pollicitus, omnia quibus ſe obſtrinxerat uincula, ubi primùm calamitas, quæ ad præſens urgebat, præterijt, tanquam aranearum telas ruperit: & ſemper ſeipſo deterior, curſum mali operis, ſicut equus impetu uadens in prælium, effrena ta libertate repetiuerit. Neque nos præcipiti temeritate ad hæc extrema experienda prorupimus: omnes uias, omnia prius conſilia pertentauimus, ſi qua ratione rigidum obſtinatumque in malis deſperati hominis ingenium emoliri poſsit. Sed inueteratus morbus, atque imis penitùs iam inſidés uiſcerib. nihil ſpei, nihil admittit remedij, omnem artem, omnem euincens induſtriam medicantium. Quinimò dum leuitati eius impenſius morem gerere ſtudemus, & cunctis quæ perperam molitur religionis obtentu, muliebrem præbemus patientiam, ſtatus Reipublicæ euerſus eſt, tranquillitas Eccleſiarum perturbata, maieſtas Imperij ablata, autoritas principum euacuata, mores inuerſi, leges abolitæ: & ſecundum Prophetæ elogium, maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & ſanguis ſanguinem tetigit. Poſtremò, omnis iuſticiæ & pietatis, religionis & honeſtatis diſciplina ſitu atque incultu obſoleuit. Hæc quidem dum ſola uitæ temporalis detrimẽta, dum ſolam famæ & exiſtimationis labem minitarentur, tametſi uiris ferenda non eſſent, tulimus tamen, ne contra iuſiurandum, quo tenebamur, præcipitanter, impudenterq; uenire uideremur: & dũ gloriæ noſtræ conſulere conaremur, animæ naufragium pateremur. Nunc uerò cum ab Eccleſiæ corpore, propter flagitia ſua, Apoſtolici anathematis mucrone præciſus ſit, cum ei communicare ſine communionis Eccleſiaſticę damno & fidei iactura non poſsimus, cum fidem noſtram multis apud eum ſacramentis implicitam, Romanus pontifex Apoſtolica autoritate explicuerit: extremæ profectò dementiæ eſſet, diuinitùs oblatam ſalutis occaſionem, non obuijs (ut dici ſolet) manibus excipere, & quod iam diu præmeditatum ſit, ut agatur, tam opportuno tempore non agere: cum leges humanæ & Eccleſiaſticæ ſinant, cũ locus & tempus arrideant, quum denique omnia quæ paci uel bello uſui eſſe ſolent, conficiendę tantę rei fauorem ſuum pollicean tur. Quapropter contemptis inanium argumentorum cuniculis, quibus denuò in ceruices iugulosque noſtros uiam gladio ſuo affectat, immobiliter animo fixum teneamus, ut abſque ulla dilatione uirum nobis ſpuideamus, q præcedat nos, & prælietur bellum Domini ad expugnandam & deſtruendam omnem cuiuſcunque hominis altitudinem, eleuantem & extollentem ſe aduerſus iuſticiam & ueritatem Dei, & ſanctę Romanę eccleſię autoritatem. In hęc uerba legatos regis dimiſerunt. Iterum alios atque alios miſit, nullum ſupplicationis genus, quod impediendę tantę rei proficuum putaretur, prętermittens. Sed illi in eadem ſententia fixi,

tia fixi, obstinatique maneb ant. Lambertus Schafnab.

ROMANA ALIA.

Diem Imperatori Romanus pontifex, quo in concilio Romæ sub initium Quadragesimæ celebrando compareret, dixerat. Constituto itaque die conueniunt sacerdotes, equitatus, plebs & senatus. Ibi Guibertum Rauennatem, & Centium cum Hugone, (cuius suprà mētio facta est) anathemate ferit pontifex. Post Romanos blando admodum sermone compellat: Caput mundi (inquiens) Romani rerum domini, uictor gentium populus, & imperium & pontificatum, in quos libuerit, transferre potest: sicuti ante ducentos & septuaginta quinque annos, à Grę cis in Germaniam transtulit. Quemadmodum militem ignauum exautorare potest Imperator, ita militi ducem iniustum deserere licet. Vestrum munus est, Quirites, uestrum est beneficium, uestro sanguine et sudore partum, tantum Imperium: quod bonum, faustum, felixque sit, mecū filij charissimi discernetis, qui'nam Romæ posthac regnarit: nec me superstite, Rex libero populo, quem non crearit, imponetur. Posthæc quindecies talentorum milia uiritim, & opes Ecclesiasticas Centauris & Cyclopibus militiæ peritis distribuit. Hoc specioso libertatis nomine, & splendida talentorum distributione inescatos Romanos, facilè in suam pertraxit sententiam.

Dum hæc aguntur, Rulandus Parmensis sacerdos Concilij Vuormacienſis decretum deferens, tēplum ingreditur, & absque omni salutationis honore: Tibi (ad Hildebrandum inquit) Cæsar noster Christianissimus, sanctissimi Germaniæ, Galliæ episcopi, sacer ordo Christianus præcipiunt, ut te munere quod astu, pecunia, gratia occupasti, confestim abdices. Nec enim fas est, inuitis illis te aduersus autoritatem Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ decretum, ouili Dei ultrà incubare. Deinde ad cæteros uersus Pientissimi (inquit) fratres, pastorem iure uestro deligite: deinde sacratissimus consul, tribunus & princeps uester more maiorum autor fiat. Iste enim Hildebrandus neq; pastor, neq; pater, neq; pōtifex, sed fur est, lupus, latro, atq; tyrannus. Vix hæc fatus erat, & Ioannes Portuensis prosilit: Capiatur capiatur, ingeminat. Fit tumultus. Vrbis præfectus & cęteri Parmensem gladijs strictis circumsistunt, in temploq; confodere parant. Ille uix ope Gregorij euasit.

Synodi scripto exasperatus pōtifex, clādestinisq; quorundam Germaniæ episcoporum literis, fidē & operam in re tanta ipsi addicentium munitus, ut Nauclerus ait, in hoc suo concilio Imperatorem excōmunicat, proscribit, Cæsarea dignitate exuit, idq; per orbem terrarum omnibus Christianis atrocissimis bullis denunciat: ut Auentinus ex quodam Paulo Bernried annotat. Hoc anathematis fulmine Sigfridum Moguntinum, Vuilhelmum Traiectenſem, & Rubertum Bambergenſem, similiter percussos, scribit Lambertus.

BRIXIANA.

Cùm anno Salutis millesimo octuagesimo, triginta episcopi, multique regni proceres ex Germanis & Italis Imperatori addictis, ipsius iussu Brixiæ Noricæ conuenissent, seriò de Hildebrando pontificia sede excludendo agitatum est. Ac ut deponatur, ab omnibus denique comprobatum fuit, Vuigberto Rauennatensi simul nominato successore. Huius concilij decretum apud Vrspergensem tale extat:

¶ Quia (inquiunt) illum constat non à Deo electum, sed à seipso, in fraude ac pecunia impudentissimè obiectum, qui Ecclesiasticum subuertit ordinem, qui Christiani Imperij perturbauit regnum, qui regi catholico ac pacifico corporis & animæ intentat mortem, qui periturum dēfendit regem, qui inter concordes seminauit discordiam, inter pacificos lites, inter fratres scandala, inter coniuges diuortia, & quicquid quietè inter piè uiuentes stare uidebatur concussit: nos, autore Deo congregati in unum, legatis ac literis freti decem & nouem episcoporum, die sancto præteritæ Pentecostes Moguntiæ congregatorum, contra eundem Hildebrandum procacissimum, sacrilegia ac incendia prædicantem, periuria & homicidia defendentem, catholicam & Apostolicam fidem de corpore & sanguine Domini in quæstionem ponentem, hæretici Berengarij antiquum discipulum, diuinationum ac somniorum cultorem, manifestum necromanticum, phytonico spiritu laborantem, & idcirco à uera fide exorbitantem, iudicamus canonicè deponendum & expellendum: & nisi ab ipsa sede his auditis descenderit, in perpetuum condemnandum. Facta sunt autem hæc 7 Calend. Iulij, feria 5. Indict. 3. Idē testantur & reliquum historicorum uulgus.

ROMANA ALIA.

Heinricus extremum tandem remedium Imperij malis adhibiturus, Romam ac debrandus, nebulonum & luporum in ouile Domini grassantium facilè princeps, fugam arripuerat. Imperator mox inter ipsa ar-

ipſa arma Concilium indicit, rogatu ſenatus Romani, ad Calendas Nouembris: ubi Hildebrandus fugitiuus comparêre, & ad miniſtratæ prouinciæ rationem reddere iubetur. Verùm aufugit. Depoſito igitur tanquam prophano, ſceleſto, diſcordiæ amatore, uiro ſanguinario, & ſedis Apoſtolicæ per magiam inuaſore, communi ſenatus, tum epiſcoporum ſuffragio, ſua dignitate Hildebrando, Vuigbertus locum eius accepit, Anno milleſimo octuageſimo primo: ut habent Marianus Scotus, Vrſpergenſis, & Helmoldus, Auentinus lib. 5 Annalium.

SYNODVS A' COLONIENSI & MOGUNTINO EPISCOPIS CELEBRATA.

Miſſus fuerat in Germaniam ab Hildebrando, belli quod hoc ſeculo geſtum eſt, funeſtiſsimi face & tuba, Otto Hoſtienſis epiſcopus, ut igni oleum (quod uulgo dicitur) infunderet, nimirum animũ addendo ijs qui pontificijs contra Heinricum ſtudebant partibus. Hic in Saxonia tum longius aberat, in opprobrium Segiuini Agrippinenſis & Vuezilonis Moguntini archimyſtæ, contra inſtituta maiorum, alienam temerè ditionem uſurpans: ſuperſtitibus adhuc ueris paſtoribus Conſtantiæ, Bambergæ, Mindæ, Auguſtæ, Gebhardum, Heinricum, Reginardum, Vuigoldum nouos epiſcopos nuncupat. Is tamen ab archiepiſcopis ſuperioribus, de more atque ritu priſcæ religionis, celebri collegarum conuentu, cum exulibus pontificulis ab eo creatis, in numero impiorum ſceleratorumque computatur. Auentinus libro quinto Annalium. Hanc Synodum Moguntiæ coactam fuiſſe ex Vrſpergenſi haud obſcurè colligi poteſt, Anno 1085.

IN BERCHACH.

Eodem anno, cum de Imperatoris anathemate uariarent magnatum ſententię (alij enim Imperatori fauentes, iniuriam ipſi fieri aſſerebant: alij contrà, iuſtè eum excommunicatum contendebant) de uoluntate partis utriuſque conuentus indicitur in Berchach Thuringiæ oppido. Delecti fuêre ad hoc colloquiũ ij potiſsimùm, qui cæteris eruditione & ſapientia præſtare uidebantur: quos inter principem tenuêre locum Vuezilo Moguntinus & Gebhardus Salisburgenſis, quorum ille Imperatoris, hic uerò Hildebrandi pontificis ſtrenuè tutabatur partes. Vuezilo Imperatorem iniquo tum Romani pontificis, tum aliorum principum iudicio, regno & communione priuatum uolebat, cum Canuſij pontifici reconciliatus ſit, nec ipſum Saxoniæ limitibus eiectum, quam hæreditario iure tenebat: nec uel uocari, uel iudicari, nedum damnari iuxta canones debuiſſe, niſi prius in integrum reſtitutus ſit. Gebhardus contrà iuſto iudicio eum damnatum dicebat, quòd Romanæ ſedi, cui nemo non mortalium parêre cogatur, debitam non præſtiterit obedientiam. Per hoc uerò quòd Saxonia eiectus dicatur, diuinis legibus eum minimè exemptum. Domini enim eſſe uniuerſa mundi regna, qui ea pro ſuo diſtribuat beneplacito. Præterea ab Alexandro, & pòſt Hildebrando eum uocatum aſtruebat, antequam regno priuaretur. Sed re infecta tandem, cum neuter de ſua uellet diſcedere ſententia, inde diceſſum eſt. Vrſpergenſis, Crantzius lib. 5, capite 11 Saxoniæ.

EDVCENSIS.

Temporibus ſeptimi Gregorij, Educen ſe ſcribitur celebratum Concilium, cuius talis extat in decretis Canon: Nullus abbas uel monachus, canonicos regulares à propoſito profeſsionis canonicè reuocare, & ad monaſticum habitum trahendo ſuſcipere audeat, ut monachi fiant, quamdiu ordinis ſui Eccleſiam inuenire quiuerint, in qua canonicè uiuendo Deo ſeruire, & animam ſuam ſaluare poſsint. Quòd ſi temerario auſu id agere tentauerint, anathematis uinculo obligentur. C. decimo nono. q. 3.

BENEVENTANA.

Victor tertius paulo ante ſuum obitum, cum Apulię Calabriæque epiſcopis in Beneuentana urbe, menſe Auguſto Synodũ habuit, in eaque huiuſcemodi uerbis præſentes allocutus eſt epiſcopos:

¶ Nouit ueſtra dilectio, chariſsimi fratres coepiſcopi, neque latet orbem uniuerſum, ſancta Romana & Apoſtolica ſedes, cui, Deo autore, deſeruio, quot aduerſa pertulerit, quot denique per Simoniacæ hæreſeos trapezitas malleis, tunſionibusque perfracta ſit, adeò ut columna Dei uiui uideretur iam penè concuſſa nutare, & ſagena ſummi piſcatoris intumeſcentibus fluctibus diſrumpi, ac naufragij ſorte perire. Guibertus enim hæreſiarcha, qui uiuente ſanctæ memorię prędeceſſore meo Gregorio papa Romanam inuaſit Eccleſiam, Antichriſti prędurſor, & ſathanę ſignifer, oues Chriſti diſpergere, mactare, laniareq; non deſinit. Incitator enim, incentorque malorum factus, quantas Gre-

gorio Papæ iniurias, quas persecutiones, quot clades intulerit, referre quis possit? Excitauit contra eum coniuratos, ipse conspirationis autor, fugauit urbe, sacerdotio, quantum in se fuit, Simoniacus, periurusque priuauit. Commouit aduersus eum Romanum Imperium, concitauit gentes & regna: & quod à seculo est inauditum, excommunicatus ipse atq; damnatus, sanctissimum pontificem excommunicare p-sumpsit. Romanam urbem hactenus sacrilegijs, cædibus, periurijs, cõspirationibus, flagitijs, & uitiorum omnium ludibrijs prophanare non desijt: & Simonis magi perfidia incensus, nequitiæ suæ complices ad tam impium & execrabile facinus euocãs, coacto Imperatoris exercitu Apostolicæ sedis inuasor effectus est: contra præcepta Euangelica, contra Prophetarum Apostolorumq; decreta, contra Canonum & Romanorum pontificum iura, nullo cardinalium & episcoporũ præcedẽte iudicio, nullo Romani cleri approbante suffragio, nullo deuoti populi requisito consensu, in sancta Romana ecclesia totius nequitiæ, ac perditionis caput effectus est. Sed omnipotentis Dei potentia, cum iam dictum Gregorium pontificem post labores ac certamina plurima ad æternam requiem euocasset, & unanimi concordia episcopi & cardinales, prouincialeśque antistites unà cum Romano clero ac populo, paruitatem nostram modis omnibus contradicentem & renitentem, Apostolicæ sedi præfeciſſent, non timens æterni Imperatoris iudicium, nunc usque Christum & oues eius, pro quibus ille fudit sanguinem suum, persequi non omittit. Idcirco autoritate & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, omniumque Sanctorum, omni illum sacerdotali officio & honore priuamus, & à liminibus Ecclesiæ separãtes, anathematis uinculo innodamus.

Nostis præterea, & bene nostis, quos dolos machinati sint, quantasq; mihi pressuras intulerint Hugo Lugdunensis archiepiscopus, & Richardus Massiliẽsis abbas, qui pro fastu & ambitione sedis Apostolicæ, ad quam dudum clàm inhiabant, ubi uotis suis potiti non sunt, schismata in sancta Ecclesia fecerunt. Et Richardus quidem Romæ, nostram electionem cum cardinalibus & episcopis egerat. Hugo autem ad nos post paululum ueniens, affusus uestigijs, dum obsequium nobis summo pontifici debitum inuitis ac retractantibus exhiberet, legationem à nobis in partibus Galliarum postulauerat, & acceperat. Itaque donec paruitatem nostram electioni factæ, atque à se appro-batæ repugnare conspexerant, ipsi modis omnibus insistebant, ne onus pro utilitate Ecclesię nobis impositum abijceremus. Vbi uerò nos tandem cedere peruiderunt, conceptam diu flammam clibanus extuatus euomuit. Quapropter cementes sibi fratrum omnium unanimitatem constanter obluctari, ab eorum & nostra sunt continuò communione seiuncti. Verùm uobis Apostolica autoritate præcipimus, ut ab eis abstinere curetis: neq; illis omnino cõmunicetis, quia Ecclesię Romanę cõmunione sua se spõte priuarũt. Nã, ut beatus scribit Ambrosius, qui se à Romana Ecclesia segregat, uerè est habẽdus hęreticus.

Constituimus etiam, ut si quis deinceps episcopatum, uel abbatiam, de manu alicuius laicæ personæ susceperit, nullatenus episcopus uel abbas habeatur: neque ulla ei, ut episcopo, uel abbati, adhibeatur reuerentia. Insuper ei beati Petri gremium, & introitum Ecclesiæ interdicimus, quousque locum, quem sub tanto crimine ambitionis & inobedientiæ, quod est scelus idololatriæ, cœpit, resipiendo non deserit. Similiter etiam de inferioribus Ecclesiasticis gradibus, dignitatibusq; constituimus.

Si quis item Imperatorum, regum, ducum, principum, comitum, uel cuiusuis potestatis secularis, episcopatum, uel quamuis aliam Ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit, eiusdem sententiæ uinculo se astrictum nouerit: cum trecenti & octo patres in Niceno concilio, omnes huiusmodi uendentes & ementes excommunicauerint, censentes, ut qui dat, & qui recipit, anathema sit: cum huiusmodi igitur episcopis, abbatibus, aut clericis reliquis qui communicat, aut orat, aut ipsorum audit Missas, una excommunicationis sententia plectitur, qui ne sacerdotes quidem ritè putari possunt. Pœnitentia uerò & communio à nemine nisi à catholico suscipiatur. Quòd si nullus adsit catholicus presbyter, rectius est sine uisibili communione persistere, & inuisibiliter Domino communicare, quàm eam ab hæretico sumendo, à Deo separari. Nulla enim (ut ait Apostolus) conuentio Christi ad Belial, neque pars aliqua fideli cum infideli. Omnis autem hæreticus infidelis est. Simoniacus uerò, quia hæreticus, idcirco infidelis. nã sacram Christi communionem, quamuis uisibiliter & corporaliter catholici propter imminentes hæreticos habere non possunt: dum tamen mente Christo coniuncti sunt, eius communionem inuisibiliter sumunt.

Hæc

Hæc igitur omnia dum omnium episcoporum in Concilio adstantium fuissent susceptа iudicio,& autoritate probata, dissemi nata continuò ubiq; per orbem fuêre. Chrõ Casinense lib.3,cap.71.

GARSTVNGI.

Sublatis Gregorio & Victore, perniciosæ dissensionis capitibus, fessoq; tot cladibus orbe Christiano,placuit utriusq; partis episcopis,iure atq; literis,non armis atq; ferro more barbarorum disceptandum esse. Fit igitur conuentus Garstungi, tertiodecimo Calendas Februarij. Conueniunt episcopi Germaniæ, Galliæ utriusq; partis. Vbi consedere, Conradus episcopus Traiectensis ita uerba fecit: Ad pacem, quam nobis, Patres consulti, seruator noster abiturus reliquit, stabiliendam conuenimus: uim, temeritatem, uiolentiam, errores pestiferos eorum qui cœleste donum contaminare non erubescunt, gladio duplici, ense ancipiti ad uiuum resecare,utriusq; instrumenti testimonijs iuxta præceptum Christi refellere,operæprecium duximus. Iosue hostibus astutis, fallacibus iuramentum, quod mendaciter extorserant, seruauit. Nabuchodonosoro impio regi Iudæos reges,eorum fidem frangentes, immortalis cœli maiestas,per Hieremiam atq; Ezechielem uates suas coarguit,seq; spretum testatur. Qui iuramentum contemnit, fœdus spernit,pactum soluit, fidem frangit, illum despicit per quem iurauit: illi facit iniuriam, cuius nomini aduersarius credidit. Vino ego,dicit Dominus : iuramentum quod spreuit, fœdus quod præuaricatus est, ponam in caput eius. Numquid soluens pactum effugiet? Non considerandum cui, sed per quem iuraueris. Multò enim fidelior est ille qui propter nomen Dei tibi credidit,quàm tu qui occasione diuinæ maiestatis,hosti tuo,imò iam amico, moliris insidias. De Tiberio & Nerone, non solum leuissimis tyrãnis , sed impurissimis quoq; monstris , præceptum legimus : Reddite Cæsari,quæ Cæsaris sunt: &, Deum timete, regem honorate. Principibus, qui non sine causa gladium portant,etiamsi mali fuerint,non modò dicto audientes estote. ueràm proijsce supremum Deum deprecamini,quò tranquillam, quietamque uitam agamus. Omnis enim potestas à Deo est. Qui potestati resistit, diuinæ prouidentiæ repugnat. Idcirco ambitiosi & superbi sunt, qui illud Domini Deique nostri elogium (Quodcunque solueris super terram, erit & solutum in cœlis: & quodcunque ligaueris super terram, erit & ligatum in cœlis) perfricta fronte interpretando adulterant,suæ libidini seruire cogunt, & nobis ceu pueris atque omnium rerum imperitis astu illudere student. Quasi uerò nesciamus , peculiare esse sacris uatibus, diuinæ sapientiæ consultis , pro capacitate auditorum diuersis nominibus idem appellare, eandem rem pro diuersitate affectuum, modò proprijs, modò translatitijs uerbis,quod idem ualet, nunc figuratè , nunc simpliciter dicere: crebris similitudinibus,frequentibus prouerbijs atque exemplis,aptis comparationibus,& huiusce modi tanquam luminibus rem illustrare,animum atque aures tanquam stimulis ferire : & ut sunt uaria ingenia, uaria orationis sententiarumque supellectile homines instruere,docere,recreare,rapere, trahere , mouere, oblectare. Et ut D. Aurelius Augustinus docet, ueritas diuina ita tradita, ita ornatu tecta, plus mouet, plus delectat,plus honoratur,quàm si nuda absque ueste prostitueretur. Nempe animus noster, quamdiu mortali carcere clausus detinetur,nolit uelit, rebus fluxis,fragilibus,quæ uideri, tangi solent, nimium addictus est. Ad æterna & clara, quæ cerni, tactu sentiri nequeunt, cęcutit atque hebetatur , nisi igniculus ingenij hisce fomentis motus excitetur. Proinde pontifex æternus, id quod subobscurè de uinculo dixit, apud Ioannem apertè, apud Matthæum, Marcum, Lucam apertissimè explicat: Pax uobis, inquit, sicuti me misit pater, & ego uos mitto. Accipite spiritum sanctum : quibus remiseritis peccata, remittuntur: & quorum retinueritis, retenta sunt. Et ut concordiam assereret, & unum se uerum pastorem esse indicaret, uni dixit:Siquidem amas me,pasce oues meas: id est, Ite in mundum uniuersum, prædicate Euãgelium omni creaturæ: atq;, Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: ite ergo, docete omnes gentes, Hanc ob causam aperuit discipulis mentem cœlestis doctor, ut intelligerent scripturas, Mosen, Prophetas & Psalmos: iussitque eos in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicare apud omnes gentes,testesque horum esse. Has ergo ob causas Hildebrandus, ambitione in præceps abiuit : cum potestatem immortalis Dei, cuius nuncius duntaxat est, sibi usurpauit. Ita mores, ita tempora, ita homines sunt. Malè consuluisset rebus humanis suprema illa Maiestas , si ita gladium in manum mortalis cuiusquam traderet. Quis concupiscentiæ humanæ finem statueret? aut quis moderaretur?

Ne ſapientiſsimus quidem, æquo animo tantum onus tulerit. Non neceſſe habemus, ut quiſpiam nos doceat, quo'nam pacto ſpirituali poteſtate, uel (ut uerius dicam) diſpenſatione atque procuratione diuini peni (oraculorum enim cœleſtium ꝓmi atq; condi duntaxat ſumus) Petrus eiuſq́ue collegæ uſi fuerint. Clarius luce in libro quem de geſtis Legatorum Chriſti Lucas medicus ſcripſit, liquet: arma noſtræ militiæ, ſpiritus, non ferrum, neque rapinæ, cædes, homicidia, periuria ſunt. Nimirum lorica, thorax, galea, baltheus, enſis, ſcutum, ſunt pax, amor, iuſticia, ſpes ſalutis, ueritas, ſermo Dei, fides. Quæ munera diuina ſæpius Imperator noſter Chriſtianiſsimus ultrò Hildebrãdo obtulit, ſed ipſe recipere recuſauit. Non inficias imus, homo eſt ille, peccare ſolet.

Nam nemo uitijs ſine naſcitur, optimus ille eſt,
Qui minimis urgetur.

Nulla tamen illi, niſi ex permiſſo, uoluptas Veneris, iuxtaq́; naturale deſiderium uſus, quæ ſicut iuuenta irritari, ita ſenectute mitigari ſolent. Iam id fateor, peccatum quidem primum magnum, at humanum tamen: fecêre alij ſæpè, item boni. Et profectò rectè æſtimantibus principem noſtrum, liquet bona natura eius eſſe, uitia uel fortunæ uel ætatis: ingentia animi bona, illa indoles in rebus moliendis, conficiendis uelocitas, periculiſq́ue ſubeundis fortitudo, uis incredibilis animi, laboris patientia, conſilium par magnitudini animi, & quantam uix poteſt ætas eius capere ſolertia. Rei militaris, iuris, ciuilium morum, diuinarum, humanarumq́ue rerum peritia, fortitudo propemodum nimia, non modò inter reges excellens, ſed inter illos quoque, quorum hæc ſola uirtus fuit. Iam perpetuum pacis, pietatis atque religionis ſtudium, in pauperes liberalitas, maiora tribuentis quàm à Deo petuntur: clementia in deuictos, benignitas in amicos, erga milites beneuolentia, in nullo uſquam Romano Germano'ue tanta fuêre principe. Quòd ſi flagitioſiſsimus is foret tyrannus: tamen ei obtemperandum, nequaquam reſiſtendum eſſet. Prohibent humanę leges, decretaq́ue patrum aduerſarios, hoſtes, inimicos, accuſatores, teſtes atque iudices eſſe. Auguſtus tum in Italia, dum Hildebrando pacem facit, paucorum ſcelere atque perfidia Saxonia excidit: perfidus tyrannus, qui perfidiæ graues pœnas reddidit, ſpreta religione iuriſiurandi, uiolata affinitate, neceſsitudine, eam inuaſit. Nemini priuato, niſi antè in integrum reſtitutus fuerit, dica ſcribi poteſt. Hæc ubi dixit, librum dat pontificalem Vuezeloni archimyſtæ Moguntino, recitariq́ue legem iubet, qua non licet ſpoliatum rebus ſuis reſpondere, accuſari, nedum condemnari. Eundem codicem deinde Vuernherus Mersburgenſis pontifex accipit. De fœminis idem quoque cautum legit, ne ſcilicet eæ prius in ius amentur, quàm familiarem rem domi compoſuerint. Poſtquam hæc ita dicta factaq́ue ſunt, Gebhardus Salisburgenſis Boiorum, primarius epiſcopus, ætate, eloquentia, ſcientia, egregiè præter cęteros Hildebrandinos uenerabilis, cui ſocij reſpondendi prouinciam demandarant, omnino obmutuit, ac nehiſcere quidem potuit, &c.

Alius præterea conuentus in Maium, Moguntiacumq́ue edicitur, ubi lis ea componatur, paxq́ue confirmetur, utriuſque factionis conſenſu. Cęſareani peracto conuentu diſcedunt, Gregoriani manent, & inter ſe diſſentire cœperunt. Tetrarchæ Saxoniæ, Theodoricus ſororis Eckberti maritus huius gentilis Theodoricus, Vto Hildesheimenſis epiſcopus, frater eius Conradus, ſectam Hildebrandi uelut impiam, ſceleratamq́ue abiurant: quo magis pœnitentiam prioris ſectæ approbãt, ad Romanum pontificem, Imperatoremq́ue ſe transferunt. Cæteri epiſcopi numero quatuordecim, nimirum Gebhardus Salisburgenſis, Hartuicus Magdenburgenſis, Adalbero Vuürtzburgenſis, Altmánus Batauienſis, Bernhardus Mersburgenſis, Guntherus Citienſis, Benno Mœſianus, Albertus Vuormacienſis, Burckhardus Halberſtadienſis, Hermannus Mediomatricus: & hi quatuor deuoti ſuppoſiticij q̃; pontifices, per ſtudia partium facti, Reginardus Mindẽſis, Vuigoldus Auguſtanus, Gebhardus Conſtantiẽſis, Heinricus Bãbergenſis, deſerta Reipub. cauſa, ad priorẽ factionẽ redeunt. Auent. li. 5 Annaliũm.

QVEDLINBVRGAE.

Hildebrandini, quos Garſtungi poſt Cęſareanorum diſceſſum ſubſtitiſſe diximus, indicti apud Moguntiam Concilij tempus antecapere feſtinantes, Quintelburgi (ſic enim eam quam nunc Quedlinburgam appellamus, ſcripſerunt) cum Hermanno rege Saxonum, Ecberto Brunſuigę pfecto, Heinrico Craſſo, & Cõrado à Beuchlingẽ, filijs Ottonis, q Bauarię ducatu motus fuerat, & Ottone monacho Cluniacenſi legato Hildebrãdino, mẽſe Aprili cõueniũt, ad ꝓtextũ mutatæ uolũtatis dictũ quoddam Vuezilonis Mogũtini, ipſo hęreſiarcha nominato, calũniãtur, quaſi q iactaſſet, ſpolia tũ reb. ſuis legib. diuinis, nõ oportere pa-

rere.

rere. Deniq; se Ecclesiã sacrã esse causati, Ottonem, quem supra à Moguntino & Colonien. deuotum diximus, sibi imponunt, Vrbanum appellant. Auentinus ibidem. Vrspergensis Cæsareanos etiam huic conuentui interfuisse narrat.

MOGVNTINA ALIA.

Mense autem Maio, uti constitutum fuerat; Imperator, proceres, duces frequentes Mogunti coeunt. Item Petrus Portuensis episcopus, duo flamines Romani, legati Clementis tertij pontificis max. archimystæ hi, atq; minores pontifices Galliæ: Germaniæ Vuezilo Moguntinus, Angelbertus Treuerẽsis, Heinricus Leodiensis, Cõradus Traiectẽsis, Vdalricus Aichstetẽsis, Meginhardus Fruxinensis, Otto Reginoburgensis, Rupertus Bambergensis, Hermannus Spirensis, Otto Constantiensis, Burchardus Losanensis, Sigfridus Augustanus, Gebhardus Pragensis, Vto Hildesheimensis, Heinricus Badebornensis, Erpho Monasterij, Volckmarus Mindensis, Bibo Tullensis, Burchardus Basilensis, Otto Argentoratensis, cõueniunt: adsunt legati aliorum põtificum Galliæ, Italiæ, Germaniæ: communi omnium consensu, Hildebrandi secta, pietati Christianæ repugnans, explosa atq; exibilata est. Ottonem, qui & Vrbanus sacrilegij & irreligiositatis ijdem accusant, conuincunt, & in numerum impiorum computant. Superiores quoq; quatuordecim episcopos, albo pontificum eradunt, senatu sacerdotum mouent: crimine perduellionis, periurij, perfidiæ, homicidij, parricidij eosdem condemnant. Hermannum regem, Eckbertum Saxonem, Vuelphonem Boium proscribunt, eadem censura deuouent, senatusq; consultum perscribitur tale: Deuota capita, quæ numerauimus, uelut contagio ab omnibus uitentur Christianis: quandoquidem à nobis secessionem fecerunt, non nos ab illis: ad concionem sacram, quemadmodum promisere, uenire detrectant: pietatem Christianam polluunt, concordiam contaminant, quibus desertis ad hostes Reipublicæ profugiunt: ad bella, incendia, homicidia, parricidia, latrocinia, rapinas non solum cohortantur, uerùm etiam duces sunt. Crebrò benignè uocati, reuerti noluerunt: uersutos, obscuros, ueteratores, uafros se esse factis produnt, & nos experimentis sentimus. Egregij sanè pastores, qui bus gregem tuum crederes. Nemo oues persequitur, nullo uiso lupo tamen fugiunt. Quidnam designassent, si eos fortuna ad tempora Domitiani Decijq; sertassent?

In eodem Concilio, Pragensis ditio, sicut ab Imperatore Ottone secundo, Benedicto Octauo pontifice maximo, consensu D. Vuolfgangi Reginoburgensis episcopi instituta fuerat, certis limitibus describitur: in quibus Cracouia quoque comprehenditur. Auentinus libro quinto Annalium Boiorum.

Huius Synodi & Vrspergensis meminit, licet paucissimis uerbis, quæ etiam adscribimus: Anno Domini 1086. Synodus Moguntiæ habetur, cui interfuit Imperator: ubi præsentibus legatis Romanorum, omnes episcopi rebelles Imperatori, deponendi iudicantur: cæteri uerò anathemate, ut uidebatur, condemnantur. Ibi etiam communi consensu atq; consilio, constituta est pax Dei. Cæterùm & hoc Sigebertus addit, omnes quidem tum præsentes, ore & manu hoc decretum Synodi comprobasse, corde tamen plurimos Hildebrandi rebus addictos fuisse. O fidem Pontificum.

AD MELPHIM.

Cum pontificium conscendisset thronũ Vrbanus, ac Romanis, semper nouis studentibus rebus, diffideret: ad Melphim urbem se contulit, ibiq; Synodum celebrauit, ubi talia decreta sanxit. Primum: Constituimus, ut nemo ante annos quindecim aut quatuordecim subdiaconus ordinetur, nemo ante annos uiginti diaconus fiat. Id quod reprehensum est, quia uetustis canonibus sit contrarium, qui uetent id fieri ante annum uicesimumquintum: ut in Gestis cõtra Hildebrandum narratur. Deinde, Eos qui post diaconatũ uxoribus uacare uoluerint, ab omni sacro ordine remouemus, officio atq; beneficio Ecclesiæ carere decernimus. quòd si ab Episcopo commoniti non se correxerint, principibus indulgemus sententiam, ut eorum fœminas mancipent seruituti. Si uerò episcopi consenserint eorum prauitatibus, ipsius officij interdictione mulctentur. Distinct. 32. Rogerium etiam & Bohemundum de Apuliæ ducatu concertantes, eiusdem Concilij autoritate quiescere, idem pontifex iussit. Nauclerus.

TROIANA, PLACENTINA, *Turonensis.*

Expedita ad Melphim Synodo, Troiam, quæ Apuliæ urbs est, contendit, ac Synodum ibi conuocauit, ubi eiusmodi Canon conditus est: Si duo uiri, uel tres consanguinitatem iureiurando firmauerint, uel ipsi forte confessi fuerint, coniugia dissoluantur: si uerò neutrum contigerit, episcopi eos per baptismum, per fidem Christi, per Christi iudicium in uera obedientia obtestentur: quatenus palàm faciãt, utrũ se sicut est fama, recognoscãt esse cõsanguineos. si negã-

si negauerint, sibi ipsis relinquendi sunt: ita tamen, ut si aliud in conscientia habeant, se à liminibus Ecclesiæ, & corpore, & sanguine Domini, à fidelium communione nouerint segregatos, aut infames effectos, donec ab incesti facinore se de iudicio episcoporum segregauerint: qui iuuenes sunt, alia matrimonia contrahere non prohibeantur. cap. 25. q. 6.

Post Placentiam abijt, ibiq; nouum conuentum egit, cuius tale habetur decretum: Sanctorum canonum statutis consona sanctione decernimus, ut sine titulo facta ordinatio, irrita habeatur: & in qua Ecclesia quilibet intitulatus est, in ea perpetuò perseueret. Omnino autem in duabus aliquem titulari non liceat: sed unusquisque in qua titulatus est, in ea tantum Canonicus habeatur. Licet enim episcopi dispositione unus, diuersis præesse possit Ecclesijs: Canonicus tamen præbendarius, nisi unius Ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet. Si quæ tamen Cappellæ sunt, quæ suis redditibus clericos sustentare non possunt, ea cura aut dispositio præposito maioris Ecclesiæ, cui Cappellæ subiectæ esse uidentur, immineat, & tam de possessionibus quàm de Ecclesiasticis Cappellarum officijs ipse prouideat. C. Sanctorum. dist. 70. Cæterùm in utroque conuentu, Heinrici Imperatoris, & Guiberti antipapæ excommunicationem confirmatam, prodit Nauclerus.

Præter has Synodos, & Turonensis eadem tempestate celebratæ meminit Balęus libro quinto de Rom. pont. actis, in uita Vrbani. Ac in ijs omnibus, inquit, Hildebrandi pestilentissimi nebulonis acta confirmauit, & nouas leges Ecclesiasticas tulit Vrbanus, ne quid de pontificia autoritate, ui aut fraude acquisitum deperiret. Sanciuit, ne à quouis principe, beneficiorum inuestituram clericus reciperet.

PLACENTINA ALIA.

Anno Dominicæ incarnationis millesimo nonagesimoquinto, Calendis Martij, indictione tertia, celebrata est Placentiæ Synodus, præsidente domino Vrbano papa cum episcopis & abbatibus tam Galliarum, quàm Burgundiæ. Facta est autem consultatio de his qui Ecclesias uel præbendas emerãt: sed & de his qui schismate Guibertino fuerant ordinati. Et primo quidem ac tertio die, in campo concilium sedit. Tantus enim conuenerat populus, ut nulla eos ecclesia caperet: exemplo nimirum Moysi Deuteronomium commendantis, & Domini nostri Iesu Christi docentis in loco campestri. Septimo tandem die post transactionem diutinam, hæc sunt capitula prolata, & assensu totius Concilij comprobata.

1. Ea quæ sunt à sanctis patribus de Simoniacis statuta, nos quoque sancti Spiritus iudicio & Apostolica autoritate firmamus. Quicquid igitur in sacris ordinib. uel in Ecclesiasticis rebus uel data uel promissa pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam uires obtinere censemus.

2. Si qui tamen à Simoniacis se consecrari passi sunt, siquidem probare potuerint, se cum ordinarentur nescisse, esse eos Simoniacos, & tum pro catholicis habebantur in Ecclesia, talium ordinationes misericorditer sustinemus, si tamen laudabilis uita eos commendat.

3. Qui uerò scienter à Simoniacis consecrari se passi sunt, consecrationem omnino irritam esse decreuimus.

4. Quicunque sanè cupiditate parentum, cum adhuc paruuli essent, ecclesias uel episcopatus per pecunias adepti sunt, postquam eos omnino dimiserint, si canonicè in eis uiuere uoluerint, pro misericordia ibidem eos ministrare concedimus, neque pro hoc facto à sacris ordinibus remouemus, si aliàs digni inueniuntur.

5. Illi uerò qui per seipsos, cnm iam maioris essent ætatis, nefanda cupiditate eas emerunt, si in alijs Ecclesijs canonicè uiuere noluerint, seruatis proprijs ordinibus, pro maxima misericordia ibi eos ministrare permittimus. Quod si ad alias forte transferre non poterunt, & in eisdem canonicè uiuere promiserunt, omnib. ordinib. contemptis, ad sacros ordines non accedant, salua tamen in omnib. sedis autoritate.

6. Si qui ante emptionẽ catholicè ordinati sunt, cũ ea quę emerant dimiserint, & uitam canonicam egerint, in suis gradibus permittantur: nisi fortè eiusmodi Ecclesia sit, ut ibi primum locum debeát obtinere. primum enim & singularem officij locũ in emptis Ecclesijs eos habere non patimur.

7. Ordinationes quæ à Guiberto hęresiarcha factę sunt, postquam ab Apostolicę memorię Gregorio papa & à Romana ecclesia est damnatus, quęq; etiam à pseudoepiscopis per eum postea ordinatis perfectę sunt, irritas esse iudicamus. Similiter autem & eę, quę à cęteris hęresiarchis nominatis excõmunicatis factę sunt, & ab eis qui catholicorum & adhuc uiuẽtium episcoporum sedes inuaserũt, nec probare ualuerint, se cum ordinarentur, eos nescisse damnatos.

8. Qui

8 Qui uerò ab episcopis quondam catholicè ordinatis, sed in hoc schismate à Romana Ecclesia separatis, ordinationem consecuti sunt, eos nimirum cum ad Ecclesiæ unitatem redierint, seruatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi iubemus, si tamen uita canonica eos commendat. Qui uerò posthæc à prædictis schismaticis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ aduersarijs, se ordinari permiserit, nullatenus hac uenia dignus habeatur. Quamuis autem misericordiæ intuitu, nimiaque necessitate cogente, hanc in sacris ordinibus dispensationem cõstitueremus: nullum tamen præiudicium sacris canonibus fieri uolumus, sed obtineant proprium robur: & cessante necessitate, illud quoque cesset, quod factum est pro necessitate. Vbi enim multorum strages iacent, subtrahendum est aliquid seueritati, ut addatur amplius charitati.

ROMANA ALIA.

Extremam sanè Romanorum pontificum impudentiam Historiæ nobis produnt: de qua re certum perhibet testimonium Placentina, quam diximus, Synodus. Nam illa decreta, in faciem quidem speciem meilis habentia, interius uerò erroris ueneno humanum genus suffocantia, falsò sub Placentini concilij nomine ad deceptionem orbis, ad subuersionem fidei catholicæ, nouo proditionis genere per diuersas mundi partes hoc tempore diffusa sunt. Quæ cùm solis & nudis uerbis Turbanus noua præsumptione protulisset, omnium fidelium ore qui tum aderant, damnata sunt: & quidem tanta commotione, ut ægrè eorum manus euaserit pontifex: imò coactus fuit, ter erroris sententiam, quam solis uerbis proferre præsumpserat, condemnare: tantum abest, ut ea comprobata sint, ut impudenter illi nebulones pontificij nugati sunt.

Tandem cum in conuentu Romanæ ecclesiæ Vulcano hæc traderentur decreta, episcopi cum Cardinalibus subscribentes dixerunt: Ego Adelbertus sanctæ Romanæ Syluæ candidæ, in damnationem horum hæreticorum decretorum subscripsi.

Ego Ioannes Hostiensis episcopus, in damnationem horum hæreticorum decretorum subscripsi. Ego Hugo Prænestinus episcopus, hæc hæretica decreta damnans subscripsi. Ego Albertus Nephesinus episcopus subscripsi, Benno Cardinalis presbyter urbis Romæ, subscriptionem firmaui. Romanus Cardinalis, presbyter urbis Romæ, subscriptionem firmaui. Guido primus Cardinalis presbyter urbis Romæ, subscriptionem firmaui. Octauianus designatus Cardinalis, presbyter urbis Romæ subscriptionem firmaui. Hugo Cardinalis Diaconus ecclesiæ Romanæ subscripsit. Paulus Primicerius Romanæ ecclesiæ subscripsit. Nicolaus electus abbas sancti Syluestri, urbis Romæ subscriptionem firmauit.

CLAROMONTENSIS.

Petrus Eremita à Simone Hierosolymitano patriarcha, de tristi Christianorum in Terra sancta degẽtium cõditione edoctus, acceptisque ab eodem ad Vrbanum Romanum pontificem literis, Romam contendit. Qui audito Petro, lectisque quas ferebat literis, ad Claromontem cœnobium Alueriæ, seu (ut alij scribunt) Auerniæ, quę Galliæ regio est, concilium indixit, Anno millesimo nonagesimo quinto. Frequens eò sacerdotum monachorumque cõfluxit examen, trecentorum nimirum & decẽ, ut Annonius author est, multique secularis potestatis uiri. Statutum est autem in ea Synodo communi authoritate, ne à quouis principe beneficiorum inuestituram clerico reciperet. Deinde rex Galliæ excommunicatur cum pellice, quam uiuo adhuc marito suo Fulcone Andegauensi comite uxorem duxerat. Sigebertus Antoninus.

Ac ut horę Canonicę quotidie cantarentur, decernitur: ut Martini Chronicon habet. Maximè uerò sabbati quoquo die, præcipua deuotione populum Christianum easdem celebrare debere, ut ait Hector Boethius libro duodecimo Scoticæ historiæ.

Item de laicis quæstio facta est, qui morientibus episcopis, siue alijs clericis, res defunctorum inuasas Ecclesię, pauperibusque furripiunt: contra quos commune totius Concilij anathema prolatum est, ipso papa huiusmodi sententiam promulgante: Si quis post interdicti pręsentis cognitionem, episcoporum, seu presbyterorum, aut aliorum clericorum res inuaserit, usque ad satisfactionem excommunicetur. Episcoporum uerò deficientium res, per archipresbyterorum seu archidiaconorum manus secundum mortuorum iudicium, pro ipsorum salute in eleemosynas dispensentur, aut successori qui futurus est, reseruentur. Idipsum de presbyterorũ seu clericorum aliorum rebus per episcopum, uel supra dictas personas, aut cui deficiẽtes commiserint, fiat. Si quis autem aduersus ista præsumpserit, anathema sit. C. 12. q. 2.

Item 1 Proposita est nobis à quibusdam quæstio de Ecclesijs, uel Ecclesiasticis possessionibus, à clericis uel monachis usque in præsentiarum inconsultis episcopis acquisitis. Nos autem usi saniori consi-

consilio eorundem episcoporum, condescendẽtes pro tempore, prouidentes q; Ecclesiasticæ paci: uel quia aliter absque ineuitabilis scandali periculo, huiusmodi quę stio non potuerit procedere: autoritate Apostolica decernimus, ut ea quæ à clericis uel monachis à quibuscunque personis, prout potuerint, uel usque hodie fuerint acquisita, rata perenniter & inconcussa permaneãt: hoc tamen tenore, ne in posterum & inconsultis episcopis talia præsumant. C. 16. q. 7.

Deniq; totius ferè orbis Christiani principes, suadente Vrbano, in expeditionem pro terra sancta recuperanda, non modò tunc cõsenserunt, sed in actũ etiam rem deduxerunt, ut suo dicetur loco.

De hac Synodo Matthæus Parisiensis, Anglicus historicus, in hunc scribit modum: Anno millesimo nonagesimoquinto, Anshelmi prouidentia Vrbanus apud Clarum montem in Aluernia Concilium tenens, hæc fecit statuta inter alia: Quòd Ecclesia catholica sit in fide casta, & ab omni seculari seruitute libera, ut episcopi uel abbates uel clerici Ecclesiasticas dignitates de manu principum non accipiant, neque ab aliquo laicorum, sed tantum à Papa. Quòd qui cœperit episcopum, exlex fiat: & qui sacri ordinis uiros anathema: & qui morientium bona acceperit. Quòd qui ad Ecclesiam, uel crucem confugerit, immunitate gaudeat.

BARENSIS.

Ad Barum (Slauiæ urbs est) Concilium ad Calendas octobris Vrbanus Secundus indixerat, in quo Anshelmus Cantuariensis archiepiscopus, qui tum Anglia eiectus apud Romanum latitabat Pontificem, eiusdem hortatu Græcos, Spiritum sanctum à patre solum, non autem & à Filio procedere asserentes, grauiter conuicit, ut scribit Edinerus in uita Anshelmi.

ROMANA ALIA.

Posthæc idem pontifex, aliud quoddam Romæ concilium coegit, præsente eodem Anshelmo: ubi excommunicationis sententia tam laicos, qui inuestituras Ecclesiarum dant, quàm illos qui easdem de manibus eorum accipiunt, & qui sacris eos initiant, ferijt: ut idem autor annotat.

ROTINGEHAM.

In castro Rotingeham apud Anglos, hac occasione Synodus coacta est. Petierat Anshelmus ab Anglorum rege, ut sibi potestatem Romam eundi, pro impetranda sui muneris confirmatione, daret. Cui rex subiratus respondit: nemini in suo regno fas esse, Romanum summum agnoscere pontificem. Grauisque posthæc dissidij, hæc archiepiscopi petitio occasio fuit. Nam Synodo ad Rotingeham in medio Quadragesimæ indicta, Anshelmus à cunctis ferè, qui tum aderant episcopis, in regem blasphemus iudicatus est, quòd præter ipsius uoluntatem, Romanum illud adeò coleret idolum. Denique ad unicam saltem regis uocem asperiorem, omnes Angliæ episcopi ab obedientia & fide, suo primati olim sanctè promissa recesserunt. Ipse etiam rex omni eum iure, quod officij ratione tenebat, nisi animum mutaret, exuendum statuit: ut scribit Edinerus in uita Anshelmi libro secundo.

CAPVT X.

DE EPISCOPIS ET Doctoribus Ecclesiæ. *DE ASIATICIS Doctoribus.*

HIEROSOLYMITANI.

ORESTVS.

Resto Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopum agente, impius Aegypti Sultanus Calyphas, ipsius episcopi auunculus, templũ Hierosolymitanum solo æquauit. Tyrius libro 1 Sacræ historiæ, cap. 4.

NICEPHORVS.

Sub tempus restituti Hierosolymitani templi, quod factum circa Salutis annum millesimum quadragesimumoctauum, in eodem cœtu patriarchæ munus obijsse Nicephorum, idem libro eodem, cap. sexto testatur.

SIMON.

Simonis eiusdem ecclesiæ patriarchæ epistola ad Vrbanum secundum, totiusque Christiani orbis principes uiros, qua Terræ sanctæ suppetias ferri, eamque hostium imperio iterum forti excuti manu petit, apud Aemylium libro 4. de rebus gestis Francorum extat.

SERGIVS METROPOLITANUS *Damasci.*

Ecclesia sua deserta, Sergius Romam peruenit, atque permissu Benedicti Romani

mani pontificis, in basilica Bonifacij & Alexij sacerdotibus penè uacua, monasterium constituit, in quo uitam longè pòst finijt. Petrus Damian. in epistola ad Nicolaum Papam.

ANTIOCHENI.

AEMILIANVS, NICEPHORVS.

Aemiliano Antiocheno patriarchæ successit Nicephorus cognomēto Maurus: teste Zonara tomo 3. in uita Nicephori Botaniatæ.

MICHAEL EPHESINVS.

Michael Constantini Ducæ filius, impetio à Botaniate per seditionē deiectus, tonsa coma fit monachus: deinde uerò suffragijs concilij metropolitanus Ephesi renunciatus est: quam cū semel inuisisset, in monasterium Manuelis reuersus est, ibiq; uitam degit moribundus. Zonaras tomo 3.

MACHARIVS ARNENVS.

Ex Armenia Gandauum uenisse tradunt Machariū episcopum: atque ab Eremboldo præsule benignè susceptum, anno Domini 1010 : ibiq; sequenti anno uitam cum morte commutasse, autor est Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.

DOCTORES *Africani.*

THOMAS CARTHAGINENSIS.

Ad Thomam Carthaginensem metropolitanum perscripsit epistolam Leo nonus, in qua ei autoritatem ordinandi presbyteros, & conuocandi Synodos, quod iuxta Grummitanus episcopus sibi arrogarat, tribuit.

PETRVS, IOANNES.

Extat epistola quædam eiusdē Leonis, ad duos Africæ episcopos Petrum & Ioannem, in qua Carthaginēsis metropolitani autoritatem acriter tuetur.

DOCTORES EVROPAEI BVLGARI.

DAVID.

Maria Ioannis Bladisthlabi mortui uxor, Dauidem quendam Bulgariæ archiepiscopum misit ad Basilium Imperatorem Constantinopolitanum uictorem: eiq; & se, liberos ac regnum subijcit. Zonaras tomo 3.

LEO.

Atridę metropoleos Bulgarorum archiepiscopum fuisse Leonem, apparet ex epistola quadam ad Ioannem Trainensem episcopum scripta, in qua de azymis, & de ieiunijs sabbati contra Latinos differit: cuius disputationis & Sigebertus meminit sub annum millesimum quinquagesimumtertium.

CONSTANTINOpolitani.

ANTONIVS, NICOLAVS.

Antonius Studites patriarcha Constantinopolitanus, suo munere, quod sex annos & dimidium tenuit, sponte se abdicauit: quo breui pòst mortuo, uacua stetit sedes annis quatuor & dimidio, cuius successor Nicolaus Chrysoberges, annos sedit duodecim, & menses octo. Zonaras tomo tertio.

SISINNIVS.

Ab ineunte ætate literis honestis imbutus Sisinnius, ecclesiam Constantinopolitanam pòst Nicolaum rexit triennium. ibidem.

SERGIVS.

Manuelis cœnobij rector Sergius, substituitur Sisinnio, Photio patriarcha genere coniunctus: qui sedit annos 20, teste Zonara tomo 3.

EVSTACHIVS.

Inter sacerdotes ædis Palatinæ principem locum tenens Eustachius, pòst Sergium patriarchatum tenuit annis octo. Zonaras tomo 3.

ALEXIVS.

Moribūdo Basilio, sacrum caput Ioānis baptistæ obtulit Alexius monasterij studij gubernator: ideoq; ab eo appellatur successor Eustachij. quam electionem cum Ioannes Spado & alij sacerdotes improbarent, ut quæ sola Imperatoris autoritate, sine communibus suffragijs peracta esset, respondit Alexius: Si me contra canones patriarcham factum esse asseritis, etiam à me electi loco moueantur. Hoc responso illi deterriti, Alexio deinceps non fuēre molesti.

Zoe imperatrice tertiò nubente, nuptiale sacrum peragere detrectat Alexius, nuptias eiusmodi improbans : postridie tamen coronationis ritum solenniter peregit. Cæterùm sedit Alexius annos octodecim. cuius thesaurum, qui ad uiginti quinque centenarios auri erat, Imperator Monomachus ex cœnobio abstulit. Zonaras.

MICHAEL.

A morte Alexij, in sedem collocatus est Michael cognomento Cerularius. Iuuerat is nō modò, sed incitarat etiā Cōnenū, ut contra Michaelē senē Imperatoriā dignitatē arriperet. Cuius ipse beneficij memor, patriarchæ potestatē fecit creādi ecclesiastici carū rerū procuratorē, & uasorū custodē, q prius ab Imperatore designari solebāt: atq; fratrueles patriarchæ ad magnos honores euexit. Cū aūt Cōnenus pleraſq; anteceſſorū largitiones in sacerdotes factas reuocaret, & monasterijs dicata præter necessarios sumptus, ad se pertraheret: patriarchæ

incurrebat reprehensionẽ: q deniq; cũ monitis locus non daretur, minabatur, se eadem facilitate, qua contulisset, regnũ ipsi erepturũ. Quod Comnenus ægrius ferés, missa militum cohorte, Michaelem sacrorum celebrandorum gratia ad monasteriũ suum euntem, cum nepotib. intercipit, & in exilium mittit. Hinc de abrogando illi patriarchatu cùm alij sacerdotũ principes, tum Psellus in primis strenuam nauabant operam. hic enim uaria, & absurda etiã crimina, contra Michaelem in oratione quadam comportat, ac per quosdã exulẽ monet, ut simulet se ultrò sua cedere dignitate, quam uel inuitus cum publica infamia, si uidelicet crimina in uulgus spargantur, sit amissurus. Quod cum se facturum negaret Michael, magis sollicitus redditur Imperator. Interim de obitu patriarchę nũciũ affertur: quo audito, Comnenus mutata sententia largas profudit lachrymas: & cadauer ab exilio, honorifico cum comitatu reuocatum, in cœnobio ab eo condito sepelijt, nepotesq; eius pristinæ dignitati restituit. Zonaras tomo 3.

Calamitatum Michaelis Sigebertus longè diuersam annotat rationem. Schisma enim ait fuisse inter Constãtinopolitanos & Romanos, quòd illi de azymo, de ieiunio, & sacerdotum coniugio diuersum ab his sentirent. Præterea Nicetas quidã cognomẽto Pectoratus, Studẽsis monachus, publico scripto id negociũ contra Romanos magna libertate agebat. Leo itaq; nonus Humbertum cardinalẽ, Petrũ Amalphitanorũ archiepiscopũ, & Fridericũ Leuitam & cancellarium Constantinopolin mittit: graviterq; apud Impatorẽ de schismaticis, quos foueat, queritur. Nicetas coram Imperatore errorũ conuictus, librũ suum igni tradere cogitur. Michael uerò cum pontificijs sermonem non modò conferre respuens, uerùm & plebem contra ipsos, & deniq; etiam Imperatorem hospitũ negocio fauentem concitans, Imperatoris excidit gratia. De schismate sanè, cũ & Nicetæ, & contrariũ Humberti scriptum extet, res certa est: at de Michaele, apud Zonaram, fide certè digniſsimũ, nihil tale reperimus.

CONSTANTINVS LICHVDES.

Multis annis in aula Imperatoria uersatus fuerat Constantinus Lichudes, nobili loco natus: qui & ob facundiã, regendęq; ciuitatis industriam, princeps senatus dicebatur: sed à Constantino Monomacho, cuius edictis parum honestis, reiq; publicę minimè salutaribus sæpè aduersatus erat, dignitate & loco cedere iussus est. Deinde uerò præses & protoquestiarius ac Manganorum curator factus, tanta fide omnia administrauit, ut Monomachus ei tabulas de Manganorum immunitate concrediderit. Has aũt tabulas Isaacius Comnenus Imperator, à Lichude legitimis iam suffragijs electo patriarcha, hoc commento extorsit: Dici quædam de eo, ait, quæ sacra eum tractare prohibeant: & nisi in synodo ea diluat, non patêre ipsi ad unctionẽ patriarchatus aditum. Verùm si Manganorũ iura tradat, se ad criminationes cõnicturum, & ut consecratio peragatur daturum operam. Lubi Lichudes, cum ad priorem dignitatis locum sibi peruenire non liceret, sic uerò permanere turpe fore putaret, Imperatoris annuit postulatis, tabulasq; tradit. Dein nemine obstante, pontificio ritu initiatur, seditq; annos 4 & dimidiũ. Zonaras tomo 3.

IOANNES XIPHILINVS.

Ioanni Xiphilino, qui Lichudæ in sacro successerat regimine, Constantinus Ducas syngraphan, qua Eudociam uxorẽ acstrinxerat ut secũdis abstineret nuptijs, ne ex ipso nati liberi Imperatoria exuãtur dignitate, cõmisit. Verùm is ab eunucho quodam falsò persuasus, iterato Eudociæ coniugio, regnum ad nepotem suum Bardam tandem deferendum, syngraphan Imperatrici remisit. Posthæc illa Diogeni nupsit. Præfuit Xiphilinus annos undecim, & mẽses septem. Zonaras tomo 3.

COSMAS.

Post Xiphilinum Cosmas monachus, literarum quidem rudis, sed uirtutibus ornatus, & hac de causa Michaeli Imperatori Ducæ filio admodum gratus, designatur patriarcha. Is cum Alexium Comnenum exactionum & rapinarũ nullũ ponere modum, omnemq; emendationis spẽ prorsus sublatam uideret, ministro quadã die dixit: Tolle Psalteriũ, & sequere me. & simul æde sacra egressus est: in quam nunquam redijt, quamuis Imperatores id magnopere flagitarent. Fidelem autem populum pauit annos 5, menses 9. ibidem.

EVSTRATIVS.

Neq; eruditus, neq; in rebus pro officio gerendis exercitatus, sed simplex ociijq; ac solitudinis amans, erat Eustratius monachus, qui Cosmæ suffectus est. Hic ubi triennio patriarchatum tenuisset, ab Imperatoribus, incertum qua de causa, sacra æde eductus est. ibidem.

NICOLAVS.

In Eustratij locũ uenit Nicolaus monachus cognomento Grammaticus, qui cognitioni rerum plurimum temporis impẽderat, solidam tamen eam sibi nõ comparauerat. Ecclesiam aũt Constantinopolitanam rexit annos 27. Cuius funus Imperator Alexius Comnenus honore magnifico prosecutus est. Post hunc ipse Imperator diaco-

diaconum quendam, ab ineũte ætate sacris & prophanis literis imbutum, cuius patrus Chalcedonensi Ecclesię tum præerat, designat patriarcham. ibidem.

DE EPISCOPIS Italiæ.

ROMANI.

IOANNES XIX.

De scriptorũ uarietate, in recensendis huius nominis pontificibus, superiori seculo sub Ioãne duodecimo obiter lectorẽ monuimus. Nã non pauci (inter quos Benno cardinalis, Martinus in Chron. & Palmerius) omisso illo, qui contra quintum Gregorium electus fuerat, hunc 18 constituunt. At nos Platinæ, Stellæ, Balæi, aliorumq;, quib. non minus fidei, quàm cæteris habendum, ductum secuti, hunc 19 constituimus.

Fuit autem Ioannes iste, Romæ in uia Beretica obscuris natus parentibus, & Siccus cognominatus: teste Onuphrio, de Romanis pontificibus.

Antichristi nota apud Stellam & Ioannẽ de Oppido hac insignis habetur, quòd festũ omnium Animarum ab Odilone excogitatum, approbarit: & ab uniuerso deinceps orbe, postridie omnium Sanctorum obseruandum statuerit. Huic & aliam ex Ioánis Bacontorpij cuiusdam prologo in 4. Sentẽt. quæst. 10 adijcit Balæus, quòd uidelicet clerici sui persuasione, Romanũ populũ pontificis electione priuauerit, adiectis his clausulis: Docendus est populus, nõ sequẽdus. Maior est dignitas legis quæ regitur Spiritu sancto, quàm legis secularis.

¶ Munere suo fũctus est mẽsib. ferè quinq;: quib. memoria dignũ nihil quicquã gessit, ut Platina refert. Veneno sublatus à domesticis putatur, Bẽnone testãte: anno 1001, secundũ Palmeriũ: pridie Calend. Nouemb. Onuphrius. Sigebert. annũ habet 1003. Cadauer eius in æde S. Sabinæ, quæ in Auentmonte est, tumulatur. Onuphrius.

IOANNES XX.

Ioãnes uigesimus, qui & Phasanus, teste Onuphrio, dictus, patria Romanus, anno 1003 (iuxta Sigebertum) pontificiã cõscendit sedem, 14 Calend. Ianuarij. Antecessorũ aũt calamitate edoctus, nullis se implicuit difficultatib. sed ocij & tranquillitatis potius amans, totum se uoluptatib. dedit, ut Simoneta lib. 5, cap. 52 testatur.

Monachorum fautor non uulgaris extitit, iuxta Onuphriũ: qui etiã ecclesias ruinã minitantes, per eũdẽ reparatas scribit. Pontificatum annos tenuit quatuor, & menses totidem: Platina & Nauclero testãtib. licet hic unũ adhuc mẽsem adijciat. Mortuus est Romæ 12. Calẽd. Augusti: anno 1008: Sigebertus, nõ sine ueneni suspicione. Post hũc uacauit Romana ecclesia gubernatore, diebus 19, iuxta Platinam.

SERGIVS QVARTVS.

Ioãne è uiuis exẽpto, Sergius quidã eius nominis quartus, ex patre Martino Romano ciue natus, pontificia potitur dignitate. Extant eiusdem apud Scriptores præclara encomia, quorum tamen fides penes lectorem sit. Inquit enim Platina: Fuit Sergius uir sanctissimę uitę, gratęq; conuersationis, & ante pontificatum, & in pontificatu. In pauperes liberalis, in amicos & familiares iucundus, in delinquentes clemens, in cõtumaces modestus. Tantę præterea prudẽtiæ fuit, ut toto suo pontificatu nil commissum sit, quod meritò reprehendi gubernantis negligentia possit. In Deum enim omnẽ mentem cõuertens (quod facere pontifices omnes deberent) iustè atq; integrè omnia, ex animi sui sententia bene natura & morib. instituti, gubernabat. His & reliquũ pontificiorum scriptorũ uulgus adstipulatur. Prętерea huius consilio & monitionib. Italiæ principes Saracenos Sicilia expulisse dicũtur. Sedit annos duos, dies quindecim. Plat. Ioánes de Oppido, p̃ter duos annos, menses sex: Scotus uerò septẽ habet. Benno integrum ei adscribit triennium, à quo parũ dissentit Onuphrius. Mortuus est Romæ anno Christi 1012, Calendis Iunij, & sepultus in templo beati Petri. Platina.

BENEDICTVS VIII.

Benedictus octauus patria Thusculanus, Gregorio patre ortus, conditione laicus, ut Benno ait, magicis artib. Theophylacti nepotis, qui Syluestri secundi insignis nigromantici olim discipulus fuerat, ad papatũ puenit, eodẽ quo anteceſſor eius obijt anno.

Rogatus aũt ab Heinrico Imperatore, ut templum quod Bambergę struxerat, in cathedralẽ consecraret ecclesiam: ea lege annuit postulatis, ut quotánis ea Ecclesia Romano pontifici census loco numeraret centum argenti marcas, cum equo albo ac phalerato.

Cæterùm uiuente Heinrico Imperatore, quem imperiali (Sigeberto & Platina referentibus) donauerat diademate, tranquilla fuit eius gubernatio in sede Romana. Verùm eo extincto, mox cardinales pontificię dignitatis appetentissimi, Benedictum eiecerunt, alijq; eius demandarũt partes. Graui itaq; schismate in Romana tum Ecclesia laboratum est. Sed non multò pòst, aureo aduersarios cœpit hamo: ijsq; placatis, adulterinus pontifex eijcitur: & Benedictus magna cum pompa, populiq; applausu pristinam recuperat dignitatẽ. Præfuit Ecclesiæ annis undecim, mense uno, diebus tredecim.

decim. Platina. Romæ in basilica S. Petri tumulatus est, iuxta Stellam, anno 1024. Contractus.

Non multo post obitum, episcopo cuidã, quo familiariter in uita usus fuerat, hic pontifex nigro equo insidés apparuit, multis lachrymis de tormentis quæ apud inferos patiatur cõquerens: ac fratrem qui iam ijsdem fruebatur dignitatibus monere iussit, ut aurum sub terra à se olim effossum, in pauperes eroget, quo se liberatum iri speret: ut alibi etiam retulimus.

IOANNES XXI.

Ioannes uigesimus primus ijsdem quib. frater antecessor, Romanã sedem per Theophylactum magum, conscendit artibus. Neophyti cognomen habuit, fortè quia nullis prius sacris ante susceptum munus pontificium initiatus fuisse scribitur: ut Platina annotat. Magicis enim artibus & diabolicis operationibus, cuncta in Romana ecclesia hac ferè ætate peracta esse, Benno testis est.

Notas Antichristi haud obscuras ei historiæ tribuũt, qui eũ principib. solẽnes eleemosynas, sacerdotib. missas, & populo ieiunia indixisse: præterea Ioannis baptistæ & Laurentij martyris ieiunia, orbi Christiano pro sua autoritate obtrusisse indicant.

Ab hoc Conradus imperij diadema accepit: eumque à Romanorum uiolentijs, qui & clandestinis motibus, apertoq; Marte sæpius eum uexarunt, defendit. Volaterranus, Stella. Pontificatum tenuit ad annum ferè undecimum. Vitam eius pluribus prædicari, Platina ait, uerùm sine ulla uirtutum & præclarè factorum mentione.

BENEDICTVS IX.

Theophylactus Benedicti & Ioannis, de quibus iam diximus pontificum, ex fratre Albarico nepos ad pontificiam dignitatem magia, qua insignis habebatur, euectus, Benedictum se appellauit: estque eius nominis Nonus. Literarum autem adeò rudis fuit, ut collegam qui suo loco sacra tractaret, secum consecrari uoluerit. Verùm pluribus id fieri improbantib. ab incepto destitit. Martinus in Chronico. Ignauum, & nullius precij hominem uocat Onuphrius. Mulieres, quascunque appetebat, suis incantationibus in turpes trahere poterat amplexus.

Antichristi præterea uicarium egit strenuè, dum sibi summum in Romano Imperio constituendi gubernatorem arrogat potestatem. Mortuo enim Conrado, ipse ad Petrum Vngariæ regem id honoris fastigium transferre amissus est, missa ei corona hoc uersu insigni:

Petra dedit Romam Petro, tibi papa coronam.

Cæterùm cum in ciues crudelis esset, sede deiectus est, anno millesimo quadragesimoquinto, eiusque locum Ioannes Sabinensis, episcopus accepit. Benedictus autem, agrestium & amicorum manu undecunque collecta, stipatus Romam pergit: Ioannem, qui se Syluestrum nominarat, quadragesimo sui pontificatus die, ex Lateranensi patriarchio exturbat. Qui mox ad S. Petri ædem fugiens, ui & armis aliquandiu dignitatem suam tutatus est, pontificatus sui iura exercens, ut Onuphrius annotat. Verùm Benedictus suo iam loco restitutus, eademq; deinceps semper sibi metuenda pericula facilè animaduertens, Ioannem quendam presbyterum, quem Platina archidiaconum uocat, laborum primo socium sibi adiunxit. Verùm is postea 1500 libris auri erogatis, sibi soli pontificium munus mercatus est, Gregorij sexti se appellans nomine. At Benedictus Lateranense palatium, totus uoluptatibus & luxui deditus incoluit: ut Benno & Onuphrius testantur. Hanc ob uenditionem, inquit Platina, ab omnibus accusatus erat Benedictus, ac iudicio diuino damnatus.

Per interualla sedit hic magus annis decem, mensibus quatuor, diebus nouem: iuxta Platinã & Stellam. Onuphrius annos habet duodecim, menses quatuor, dies uiginti. Tandem in syluis à quodam dæmonum, quorum familiari sæpius uti consueuerat colloquio, suffocatus est. Benno.

Referunt historici (inter quos sunt, Martinus Polonus in Chronico, Platina De pontificum uitis, & Petrus Damianus) Benedictum istũ prope molendinum à quodam eremita horrenda imagine uisum. Erat enim corpore ursо, cauda atque capite asino similis. Et cum interrogaretur ab eo, unde in eam incidisset metamorphosin, respondisse fertur: Hac specie oberro, quia in pontificatu sine ratione, sine lege, sine Deo uixi, & omnibus probris Romanam sedem inquinaui. Hæc isto in loco ad commendationem personę repetenda fuêre.

SYLVESTER III.

Dignitate sua Benedicto, ut diximus, exuto, Ioannes Sabinensis episcopus, largitione sedem tumultuante plebe occupauit, mutato in Syluestrum tertium nomine. Eò enim (inquit Platina) pontificatus deuenerat, ut quibus largitione & ambitione, non dico sanctitate uitæ & doctrina ualeret,

leret, is tantummodo dignitatis gradum, bonis oppressis & reiectis, obtineret: quē morem utinam aliquando non retinuissent nostra tempora. Sed hoc parum est, peiora (ni Deus caueat) uisuri aliquādo sumus. Ad Sylueſtrum redeo, cardinalem Sabinum, pontificem creatum, non dico à collegio patrum, quod tolerabilius fuisset, sed largitione, ut quidam tradunt: quo quidem pulso (ac meritò, cum non per ostium, sed per posticum intrasset ut fur atque latro) Benedictus denuò restituitur, tumultuante urbe, & nunc unum nunc alium appetente: quod fieri ab his populis consueuit, qui duce & rectore carent, quique malos pluris quàm bonos faciunt.

Et graui tum schismate (inquit Benno) feralibus bellis & immensis cædibus, his (pontifices de suo iure dimicantes intelligit) autoribus laniata est Ecclesia, ac hæretis nefandissimis propemodum suffocata. Ad propriam tandem sedem, ab Imperatore, anno millesimo quadragesimo quinto redire compulsus fuit, in eaque permansit. Benno.

GREGORIVS VI.

Ioannes Gratianus, magus insignis, ad portam Latinam archipresbyter, papatum à Benedicto, cui ob eximiam magiæ peritiam, admodum gratus erat, emit: ac Gregorium se appellauit sextum.

Antecessorum negligentia Romanæ ecclesiæ bona ab Harpyis miserè distracta, cùm minis & monitis locus daretur nullus, ui armisque non modò in integrum restituisse, sed multo etiam auctiora reddidisse scribitur, trucidatis illorum bonorum raptoribus. Ob hæc sæuitiæ, Simoniæ & crudelitatis à cardinalibus accusatur: & cum aliquando ægrotaret, Ecclesiastica sepultura indignus iudicatur. Quibus ille, inter cætera respondit: Bellum alijs indixi, ut ciuium damno gloriam emerem clericorum: & hæc rependitis? sed paulo pòst reualuit, ut ex Petro Præmonstratensi Balæus refert.

Tragicam rerum pontificiarum eius temporis turbationem suprà recitauimus.

Platina Romæ Gregorium defunctum, & in D. Petri basilica, resilientibus ultrò ad cadauer eius templi repagulis, non sine magna sanctitatis nota sepultum scribit. Verum quomodo hæc superioribus consonent, æquus Lector iudicet: cum Romam eū ab exilio reuersum, nusquàm à certis autoribus tradatur.

CLEMENS II.

Trium Romanorum pontificum de suo iure concertātium pugnis, non solum ipsa Roma, sed tota penè Italia concussa est. Hosce ut Imperator Heinricus tertius compesceret, motus quàm maximis collectis copijs in Italiam contendit. Cui Gregorius (ut Frisingensis testatur) Placentiæ occurrens, placandi ipsum gratia, magni ponderis auream offert coronam: eumque satis benignè uicissim excepit Imperator. Romam ubi deuentum esset, Imperator in frequenti episcoporum Synodo causam cognoscit: ac trib. illis loco motis, Sindigerium Bambergensis ecclesiæ episcopum, consentientibus Romanis, alijsque (ut Cō tractus ait) constituit pontificem, anno millesimo quadragesimosexto, mense Ianuario: qui mutato nomine Clementem se cundum se appellauit.

Fuerat Sindigerius in aula Imperatoris epistolarum aliquandiu magister: quod munus cum fideliter & dextrè obijsset, episcopatum Bambergensem adeptus est. Post quartum uerò eius annum, ad summum illud honoris fastigium conscendit Imperatoris autoritate: quem mox Imperij diademate, & Augusti nomine donat.

Eadem tempestate Imperator Romanos conceptis uerbis iurare coegit, nullum se deinceps pontificem uel electuros uel consecraturos, nisi quem Imperator dedisset. Onuphrius. At Platina, Romanos ait iuramento obstrictos, ne electioni quidem, nisi iubente & permittente Imperatore, unquam se interfuturos. Eius uerò decreti causam fuisse uterque asserit, quòd Imperator uiderit eò rem deuenisse, ut factiosissimus quisque, & uirib. maximè pollens, corruptis suffragijs, nulla uel doctrinæ uel pietatis habita ratione, ad fastigium dignitatis Ecclesiasticæ eueheretur. Idque in electione quatuor subsequentium pontificum seruatum, scribit Otto Frisingensis libro sexto, capite trigesimosecundo. Quod & suprà recitauimus.

Abeunte uerò Imperatore, Romani ad ingenium redière: ac iurisiurandi immemores, Clementem, quem absque suis suffragijs creatum dicebant episcopum, nono pontificatus sui mense ueneno necarunt. Cuius facinoris alij, Stephanum qui illi succesit, autorem faciunt. Platina. Benno uerò Gerardum Brazutum, Theophylacti & Hildebrandi amicum, huius necis reum agit.

DAMASVS II.

Stephanus Bagniarius, natione Bauarus,

rus, ingenij astuti & uersuti (iuxta Onuphrium) post Clementem, cuius ipse cancellarius fuerat (ut Crantzius libro quinto, capite primo Metropoleos indicat) Romanam sedem, sine ullo uel cleri uel populi consensu, per uim accepit, indito sibi Damasi secundi nomine. Sed uigesimo tertio sui pontificatus die, per Brazutum uenemo sublatus est.

LEO NONVS.

Post Imperatoris ex Italia discessum, Benedictus (quem patrum autoritate loco motum, & ab Imperatore exilio mulctatum, paulo antè diximus) Romam reuersus, ad pristinam dignitatem per fas nefasque iterum aspirabat, ac in urbe non exiguas dabat turbas. Romani itaque cardinalium consilio, legatos ad Imperatorem, petitum pontificem mittunt. Horum postulatis annuens Imperator, Brunonem Alsatium, comitem de Dagsburg, & Tullensis ecclesiæ episcopum, uirum sanè bonum & simplicem, ijs dedit pontificem.

Is cùm pontificali habitu Romam contenderet, abbatem Cluniacensem & Hildebrandum monachum obuios habuit: qui ex habitu, apostaseos eum incusant, quòd ab Heinrico Imperatore, penes quem id iuris minimè esset, sine cleri & Romani populi suffragio se designari pontificem esset passus. Bonus ille uir meliora, ut ipse credebat edoctus, depositò solèni illo habitu, consueto cultu Romã uenit: ac coram cunctis Hildebrandi consilio, qui ut commoda occasione iterum Romam uenire posset, in eius se comitatum callidè ingesserat, delictum suum fatetur. Hunc Romani, liberè pontificis electionem ad clerum, non ad Cæsarem pertinere profitentem, obuijs accipiunt ulnis, eique Ecclesiæ gubernationem haud grauatim tradunt, ac Leonem nonum appellant.

Scripta.

Scripsit ad Constantinum Monomachum, de hæreticis extirpandis, librum unum.

Ad patriarcham Constantinopolitanum, de eadem re lib. 1.

Contra errores Græcorum, librum unum.

Ad episcopos Africæ & Aegypti, librum unum.

Epistolarum ad diuersos lib. 1. Trithemius De illustribus uiris.

Epistolam ad Venetiæ & Histriæ episcopos, ut Aquileiæ antistitem suum patriarcham agnoscant, & debita reuerentia colant.

De multis quoq; sanctis cantus compositi. Sigebertus.

Doctrina & errores eius.

Extat epistola eius ad Petrum Antiochenum, in qua suæ fidei rationem reddit, quam suprà de Symbolis adscripsimus.

De uera corporis & sanguinis Christi in cœna præsentia, idem inquit in epistola ad plebem Constantinopolitanam: In quibus isti (talia negantes) ignorantiæ tenebris, in quo hactenus desidiæ torpore iacuerunt, ut nec auditu discerent, uel lectione cognoscerent, quòd in Ecclesia in omnium ore tam consona est, ut nec ab infantium linguis ueritas corporis & sanguinis Christi, inter communionis sacramenta doceatur: quia in illa mystica distributione spiritualis alimoniæ hic impertitur, hoc sumitur, ut accipientes uirtutem cœlestis cibi in carnem ipsius, qui caro nostra factus est, transeamus. Idem est cibus refectionis, & cibus sanguinis: sicut enim caro Domini uerè est cibus, ita sanguis uerè est potus. Idem est corpus, de quo dictum est: Caro mea uerè est cibus, & sanguis meus uerè est potus. Circa hoc corpus aquilæ sunt, quæ alis circumuolant spiritualibus. unde & idem corpus Christi edimus, ut uitæ æternæ posimus esse participes. Idem: Cuius clarè argumentis utimur, suis utamur exemplis, incarnationis quoque exemplo astruamus mysterij ueritatem. Quid hic quæris naturæ ordinem in corpore Christi, cum præter naturam sit ipse Christus partus ex uirgine? de consecr. distinctione secunda. In quibus.

Panem azymum ut necessarium in distributione Eucharistiæ contendit, sacerdotumque coniugium damnat, in epistola ad Constantinopolitanum episcopum.

Romanæ ecclesiæ primatum in omnibus quæ extant Epistolis, acriter tuetur, præsertim ad Constantinopolitanos.

Opera eius in pontificatus administratione.

Publicæ pacis amantẽ fuisse, ex eo uidere licet, quòd Andream Vngarorum regem cum Imperatore æquis propositis conditionibus, in gratiam redire detrectantem, anathemate ferijt. Hermannus Contractus.

In re-

In regno Antichristi stabiliendo, non parum laborauit. Romanis enim ius eligendi pontificem explosa Imperatore restituit. Beneuentum urbem ab Imperatore impetrauit, cui uicissim annuum censum à Bambergensi ecclesia soluendum remisit, eiusque episcopum pallio donauit.

Putridorum ossium extitit superstitiosus uenerator. Nam imaginum cultum ex tertiæ synodi Nicenæ collaudatione eum probasse, manifestum est. Præterea Gerhardum Tullensium episcopum, ut eorum acta testantur, & Vuolfgangum Ratisbonę quondam episcopum, in diuorum retulit numerum. Crantzius in Metropoli.

Attamen laudem in eo meretur Leo non exiguam, præ multis suis antecessoribus, quòd sub initium statim Berengarianæ hæreseos, in synodo Romana eam cum authore damnauit.

Et paulo pòst alia Synodo Vercellis collecta, cui legati pontificij præsedêre, idem factum Lanfrancus testatur.

Ludicra uerò & impia sunt, quæ in synodo quadam Moguntina, præsente Imperatore statuta, apud Nauclerum leguntur: ne clerici uel canes uel aues alerent ad uenationem, ne tractarent profana negocia: ne reciperetur aliquis ad monasticam uitam, nisi sponte & sub legitima ætate subiret cœnobium. Digna certè synodo decreta.

Simoniam, quæ erat, beneficia Ecclesiastica à laicis recipere, & sacerdotum coniugia in perpetuũ damnata hac Synodo, Crantzius libro quarto, capite quadragesimotertio, & Nauclerus testantur.

Prętерea clericorum domus ut prope templa extruerentur, sanxit.

Cóntra Normannos utrunque gladium strinxit. nam Theophylacto & Hildebrando instigantibus, exercitum in Normannos, Apuliam iure belli tenentes, duxit, Imperatore suppetias ferente.

Verùm Theophylacti dolo, qui Normannis pontificis consilia per internũcios clàm communicabat, in hostium manus uiuus deuenit. Vnde retractata prius excommunicatione illorum, & obiectis Teutonicis copijs trucidandis, non multo pòst liberatus est.

A' pietate, innocentia, benignitate, gratia, hospitalitate, supra modum eum prædicat Platina: qui domum eius peregrinis & pauperibus, nunquam non patuisse: & leprosum quendam ad fores aliquando iacentem, iussu ipsius in suum lectum delatum esse, prodit. Qui cum postea iterum non conspectus esset, Christum pauperis nomine eò loci recubuisse creditum fuit. Sed fides penes Lectorem esto.

Symbolum ei fuisse, tradit Onuphrius: Misericordia Domini plena est terra.

Mors.

Romam ex captiuitate Normannica reuersus, hausto, quod Brazutus miscuerat, ueneno, post quinque papatus annos diem clausit extremum, anno millesimo quinquagesimoquarto: ut ex Bennone Balæus annotat.

VICTOR II.

Sublato Leone, Romani suo tandem malo edocti, legatos, inter quos & Hildebrandus erat, ad Imperatorem in Germaniam petitum pontificem mittunt. Platina, Onuphrius. Verùm Benno cardinalis diuersum tradit: Hildebrandus, inquiens, nouus Protheus, nouis tergiuersationibus præsumens, de Roma ad Imperatorem, & de Imperatore ad Romam, absque Romanæ ecclesiæ consilio discurrebat. Et si quis alius interea in papatum eligeretur quàm ipse, mox aderat Brazutus familiaris eius, qui breui illum ueneno suffocaret.

Sed utut se res habeat, Hildebrandum omnem, quò ipse pontificia potiretur sede, mouisse lapidem, certum est. Authoritate enim legationis fretus, Heinricum iuniorem Imperatoris filium patri successorem in Moguntina synodo, ubi de Leonis successore tractandum erat, designauit. Sed sua eum spes fefellit, Gebhardo succedere iusso.

Dum Roma aberant legati, Benedictus nonus parentum potentia fretus, ut Benno ait, denuò ad papatum aspirauit, magnasque in urbe Roma turbas dedit, & occupatam denique sedem mensibus ferè undecim tenuit. Sed sub Victoris aduentum expirauit, in Petri basilica sepultus. Onuphrius.

Erat Gebhardus nobilissima comitum familia à Kalb apud Bauaros, patre Hartuico, matre uerò Birzella natus, Imperatori sanguinis necessitudine iunctus. Ob singularem autem sapientiam, & morum grauitatem, licet ętate iuuenis, Aichstadianũ episcopatum anno millesimo quadragesimosecundo, unanimi canonicorum cõsensu sortitus est. Fuitque eius authoritas apud Imperij proceres semper maxima, adeò ut ipse Imperator sæpius eum in consilia adhibuerit. Et Chuno Bauariæ dux in Pannonias iter faciens, totius regni administrationem ei credidit. At decimotertio sui apud Aichstadianos administrati muneris anno, in Moguntinis comitijs, pśentibus Romanorũ legatis,

totius penè Germaniæ episcoporum suffragijs, Leoni surrogatus est. Bruschius de episcopis Aichstadensibus. Romam cum legatis profectus, Idibus Aprilis anno millesimo quinquagesimoquinto, à clero populoque Romano pontifex maximus, per Meinardum archidiaconum consecratus est, Victorque secundus appellatus. Onuphrius, & Sigebertus. Quin & Aichstadensem episcopatũ usque ad uitæ finem simul reseruauit, ut Schafnaburgensis annotat.

Antichristi notam in eo agnoscis, quòd in Florentina Synodo, uxoratos episcopos suis exuit dignitatibus. Platina, Sabellicus, Nauclerus. Inde in Germaniam regressus, Goslariæ cum Imperatore principibusque plurimis S. Mariæ natiuitatem tanta solennitate peregit, ut totius Imperij opes eò congestas fuisse crederes. Romam redire contendens, Florentiæ (ut Onuphrius testatur) mortuus est, quinto Calendas Augusti. Schafnaburgensis.

In pontificatu excesit biennium, mensibus tribus. Platina, Benno: qui à Brazeto ueneno eum absumptum scribit.

STEPHANVS IX.

Fridericus Gothelenis Lothariniæ ducis filius, Godefredi frater, à puero excultioribus deditus literis, & Ecclesiasticæ disciplinæ assuefactus, canonicus Ecclesiæ S. Lamberti apud Lotharingos factus est. Pòst à Leone nono cardinalium numero adscriptus, sedis Romanæ cancellarij accepit munus. Constantinopolim cũ Huberto Syluæ candidæ episcopo, ad Græcorum errores confutandos, ab eodem missus est. Vnde reuersus, in monasterio Casinensi S. Benedicti regulas amplexus est. Elapso biennio, monachorum suffragijs, & Victoris comprobatione, abbatis ei delegantur partes. Paucis interiectis diebus, mortuo Victore, à clero & Romano populo, non explorata prius Imperatoris uoluntate, pontifex creatur, quarto nonas Augusti, qui Stephano papæ & martyri sacer est dies: unde & ipse quoque Stephani nomen assumpsit. Platina, Onuphrius.

Ne quid autem de Romanorum pontificum autoritate & primatu decederet, incubuit sedulò. Mediolanensem ecclesiam, quæ ultra ducentos iam annos ab ipsorum imperio immunis fuerat, sibi subiecit. Per Hildebrandum, cuius opera utebatur plurimum, passim per Italiam & Burgundiam Ecclesias Symoniaca hæresi infectas purgauit. Sic enim appellabant, si quis Ecclesiasticum munus à laico, & nõ ab ipsis acciperet. Et Heinricum Imperatorem eiusdem criminis reum, quo primum Romanorum pontificum autoritati derogaretur, damnauit: ut Platina testatur.

Cæterùm breue admodum eius fuit curriculum: septimo enim pontificatus sui mẽse, cum Florentiæ Synodum de Simonia, sacerdotum coniugio, & beneficiorum pluralitate tollendis, acturus esset, ueneno quod Brazutus ipsi propinarat extinctus, & in cathedrali ibidem ecclesia sepultus est, anno millesimo quinquagesimooctauo: ut Nauclerus, Onuphrius & Balæus testantur. Quo cognito, Hildebrandus omissa legatione, quanta potuit celeritate Romam reuersus, omnis ordinis clericos conuocauit, præsentesque iuramento adegit, ne quenquam patiantur in põtificem eligi, nisi omnium atque adeò suo etiam consensu fuerit designatus. Posthæc Florentiam contendit.

BENEDICTVS X.

Benedictus decimus, Ioannes Mincius prius appellatus, patria Campanus, Guidonis cuiusdam filius, episcopus Veliternus, & à Leone nono, in cardinalium numerum ascitus, per turbam Stephani iocum sortitur. Plebi enim tumultuanti, & ex sua gente designari pontificem exigenti, cardinalium ac clericorum quidam, licet numero pauciss imi (inter quos & Gregorius Lateranensis, comes Tusculanus, Gerardus Galerensis, & alij nonnulli patricij ordinis uiri) gratificantes, contra fidem Hildebrando paulo antè datam, Benedictum decimum salutarunt pontificem. Aegerrimè hanc electionem tulit Hildebrandus absens: Romamque, comitante eũ Gerhardo Florentino episcopo, uenit, expostulatum cum cardinalium uulgo, quòd nouum pontificem sibi dari passi fuissent: simulque ut Gerardo illæ partes darentur, autor est. Verùm cum Romæ ob plebis furorem, nouum creare pontificem non esset tutum: Senas simul profugiunt, ibique rem perficiunt. Posthæc Benedictus nouem mensium & dierum uiginti pontifex, factionis ultro cedẽs, cum esset pacis & quietis amans, ad gubernationem ecclesiæ Veliternæ consensu successoris redijt. Platina, Onuphrius.

NICOLAVS II.

Gerardus patria Allobrox, Florentinus episcopus, qui (ut iam diximus) Senis pontifex Hildebrando instigãte creatus, Nicolai secundi nomen assumpserat, Romam

Romam pergens Sutrij subſtitit : coactoque concilio, Benedictum pontificatu exuit, anno milleſimo quinquageſimonono, iuxta Platinam. Romam ingreſſus, per Mainardum archidiaconum in D. Petri eccleſia conſecratur.

Antichriſti notas ferè cum ſuis anteceſſoribus communes habet, quòd pro uirili ſuæ eccleſiæ authoritati patrocinatus eſt: eiſque rebelles forti manu, cum anathematis nihil poſſet, compeſcuit.

Petrum & Paulum Apoſtolos, ut ſuorum decretorum uiolatores puniant, inuocat.

Poſthabito iuſto regni hærede Bogellardo, Robertum Calabriæ ducem (quod Imperatoris eſt) miſſo ei uexillo, deſignat, poſtquam iuramento & ſyngrapho pontifici debitam reuerentiam & ſubiectionem promiſiſſet.

Opera functionis.

Nouam de eligendo pontifice inuenit rationem Nicolaus, qua cardinalibus primas tribuit. Si quis, inquit, pecunia, uel gratia humana, aut populari militariue tumultu, ſine concordi & canonica electione cardinalium fuerit in throno Petri collocatus, is non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, id eſt, à ratione deficiens, meritò uocetur: liceatque cardinalibus, clericis & laicis Deum colentibus, illum ut prædonem anathematizare, & quouis humano auxilio à ſede Apoſtolica propellere: atque quouis in loco, ſi in urbe non licear, catholicos huiuſce rei cauſa congregare. Platina.

Saluo tamen (inquit) debito honore & reuerentia dilecti filij noſtri Heinrici, qui nunc rex habetur, & futurus Imperator Deo concedente ſperatur. Et huius decreti uiolatores atrocibus uerbis, diris deuouet: ut alibi exponitur.

In eodem Lateranenſi concilio Berengariana hæreſis damnata: author errorem faſſus, & ore inſcripto palinodiam cecinit. Quæ laus Nicolai tota eſt, ut Lanfrancus ait.

Bagellardum, Godfridi Apuliæ & Calabriæ comitis filium, orphanum, quem pater moriens regni hæredem conſtituerat, non ſolum ſuo patrocinio deſeruit, ſed omni prorſus exuit regno. Robertus enim Godfridi frater, neporem ſibi prælatum ægrè ferens, hæreditate paterna eum excuſſit, Apulia Calabriaque occupatis. Quibus & Beneuentum, Troiamque, quæ Romano parebat pontifici, adiecit. Hunc pontifex ob captam Troiam, mox anathemate ferijt. Robertus poſtea per legatos petit, ut pontifex in Apuliam ad placandas res turbatas, uenire non grauetur. Quorum poſtulatis non grauatim annuit, ſperans ſe hac occaſione exterorum opibus & uiribus pontificiam dignitatem, de omnium rebellione uindicare poſſe. In Apuliam ueniens, Robertum anathemate ſoluit : ducemque Apuliæ & Calabriæ, neglecto Bagellardo hærede legitimo, deſignat, ſed hac lege, ut Beneuentum Troiam Apuliæ, & quicquid ad ſedem Romanam pertineret, reſtitueret : ſuisque copijs, quantaſcunque haberet, Romano pontifici, neceſsitate id exigente, ſemper præſto eſſet. Accipit conditiones Robertus, ſeque Romanæ ſedis ſubditum profitetur. Roberti copijs inſtructus pontifex Romam redit, ſibique rebelles petit: & primùm Prænestinos, Tuſculanos, Numentanos compeſcit: deinde traiecto Tyberi, Galeram, & alia Gerhardi comitis caſtella, ad Sutriũ uſq; expugnat. Naucl erus, Syluius, Platina.

Dum Florentinum ageret epiſcopum, Petro Damiano eum comitante iter aliquando fecit, noctu uerò in diuerſorio cum Petrus lectum petiiſſet, ipſe epiſcopus cum reliquo ſodalitio Schachthorum ludo in multam uſque noctem inuigilauit. Reprehenſ-s ea de cauſa à Petro, patienter id tulit, pœnitentiamque ſibi pro arbitrio imponi poſtulauit : ut ipſe Petrus Damianus teſtatur in epiſtola quadam, ubi ipſum mitem & perſpicacis ingenij hominem appellat.

Sedit annis duobus, menſibus ferè ſeptem, Benno, qui eundem per Brazutum ueneno ſublatum ſcribit, Anno milleſimo ſexageſimotertio. Sigebertus, Schafnaburgenſis.

ALEXANDER II.

Nicolao è uiuis exempto, Anshelmus patria Mediolanenſis, ex Lucenſi eccleſia, ubi epiſcopi munus obierat, ob eruditionis, benignitatis & humanitatis ſingularem opinionem, abſens ad Romanæ eccleſiæ faſtigium, uerùm inconſulto Imperatore, uocatur: eique Alexandri ſecundi nomen inditum fuit. At Longobardorum epiſcopi, ex ſuo potius numero pontificē deſignari poſcentes, Imperatorem ut pro ſua authoritate alium conſtituat papam urgent. Illi accepta ab Imperatore poteſtate, in concilio quodam (Baſileæ, præſente Imperatore id factum, Balæus teſtatur) Parmenſem epiſcopum Cadolum Nicolao ſubſtituunt : reclamante tamen Agnete imperatrice. Accitus itaque Romam ab Alexandri aduerſarijs Cadolus, magno eam obſedit exercitu: ſed Gotfridi copijs ſtrenuam Alexandro operam nauantibus, cum ſuis fugam arripuit. Platina, Ioannes Stella.

Cæte-

Cæterùm ſententijs hic uariant autores. Cardinales, inquit Béno, Hildebrandi ambitionẽ nõ ignorantes, Imperatorẽ multis precibus coegerunt, ut eis in electo ſuo Parmenſi epiſcopo Cadolo, fauorem & auxilium præſtaret. Quod factum, cor Hildebrandi altius percuſsit, & manifeſtè factus eſt illo die Imperatoris inimicus: omnia iuratæ fidelitatis uincula diſrupit. & facta conſpiratione cum inimicis Imperatoris, & cum Normannis, ut quem Cadalo à cardinalibus electo opponeret, Anshelmum Lucenſem epiſcopum decepit, & eum in papam eligi à quibuſdam Romanis fecit: ipſumque, mutato nomine, Alexandrum Secundum uocauit. Anshelmum igitur, quem ſub dolo Romani elegerant, pariter & Parmenſem epiſcopum Cadolum, quibus poterat artibus Hildebrandus uexauit, qui utrique ſuccedere anhelabat. Hæc Benno. Aliter Schafnaburgenſis, qui hiſce uixit diebus, commemorat. Ait enim, poſt Nicolai obitum, Imperatoris & quorundam Germaniæ principum electione Parmenſem epiſcopum ſubſtitutum, ac per Bucconem Halberſtadianum epiſcopum Romam deductum: qui loco præmij bene adminiſtratæ legationis, pallium, aliaq; archiepiſcopatus inſignia reportarit.

Romani porrò obtrudi ſibi pontificem indignè ferentes, dèfectionẽ meditati ſunt. Eius rei gratia Romam ire iuſſus Colonienſis antiſtes, cùm rebus turbatis uideret remedium aliud ſupereſſe nullum, Parmenſis electionem, Romanis non conſultis factam, irritam iudicauit, & Anshelmum Lucenſem ſubſtitui comprobauit. Colonienſi ad ſuos reuerſo, Parmenſis armato milite cinctus, ui alterum opprimere conatus eſt: cui cum fortiter ex altera parte contrà iretur, infinita hominum multitudo utrinque cecidit. Anshelmus tamen factione ſuperior, locum ſuum obtinuit. Alter uerò, etſi per contumeliam repulſus, tamen quoad uixit, de ſuo cedere iure noluit, aduerſarium ſuum Eccleſiæ Dei adulterum & pſeudoapoſtolum appellans.

Miſſas quoque ſeorſim celebrauit, ordinationes fecit, & ſua per eccleſias decreta & epiſtolas more ſedis Apoſtolicæ mittere nõ deſtitit. Schafnaburgenſis. Eius autẽ uarietatis ea nõ poſtrema cauſa fuit, quòd autorum alij, uel pontificum uel Imperatorũ cauſæ plus æquo addicti ſunt. Sed Lectorũ hæc permittimus iudicio.

Colonienſem tamen omnium conſilio, ut afflictis Romæ rebus opem ferret, eò iuiſſe, omnium teſtimonio certum eſt: qui cũ, ut Platina ait, grauiſsimis uerbis in Alexandrum (quòd contra conſuetudinem, & ſacroſanctũ Cæſaris decretum, & præter fidem à Romanis Imperatori datam, ſedem conſcendiſſet) legationis ſuæ autoritate fretus inueheretur: mox Hildebrandus diaconus, Eccleſiæ & reipublicæ ætate illa ipſiſsima peſtis, interrupit ſermonem, ac in Heinrici Terrij conſtitutionem acerrimè debacchatus eſt: electionemque Romani præſulis, antiqua conſuetudine & iure ad cleros ſolummodo Romanum pertinere, pluribus contendit: ac Colonienſem in ſuam, fortè nimia importunitate, pertraxit ſententiam: qui, ut in Synodo primo quoque tempore cogenda aliquid certi ea de re ſtatuatur, auctor eſt. Deligitur itaque Mantua, ubi tandem ſchiſmate compoſito, & Alexandro cunctorum uotis cõfirmato, Cadolus intercedente Imperatore reconciliatur: & Gibertus Parmenſis cancellarius, prædiues & maximæ apud ſuos autoritatis uir (cuius conſilio & opera Cadolus in opprimendo aduerſario cuncta geſſerat) à pontifice, licet inuito, Rauennas conſtituitur epiſcopus. Platina, Stella. Anno milleſimo ſexageſimooctauo, iuxta Sigebertum.

Antichriſtum, præter uiolentam ſuæ dignitatis uindicationem, plurima eius decreta produnt. In Synodo enim, quam diximus, Mantuana, epiſcopos, presbyteros, diaconos maritos ſuis beneficijs priuari uoluit. Sacerdotum tamen filios, interpoſita Romani pontificis autoritate ſacris initiandos permiſit. Papam à ſolis cardinalibus eligendum. A' ſeptuageſima uſque ad Paſcha, Alleluia (ut uocant) ſuſpendi præcepit: teſte Hermanno Gigante. Licet hoc decretum multo antè promulgatum fuiſſe, ex Michaelis Conſtantinopolitani epiſtola quadam appareat.

Dum pontifex Concilio occupatur, Richardus Normannus cum filio Guilielmo Capuam cœpit: Beneuentum & Ceperanum oppugnauit. Obſeſsus Hildebrandus, Mathildis comitiſſæ ſtipatus copijs, auxilio à pontifice mittitur. Quibus ut ad officium redirent coactis, uictor Hildebrandus, Piſas, ubi eum pontifex expectabat, uenit: unde digreſsi unà Romã rediêre. Syluius, Sabellicus. Verùm ea coniunctio non fuit diuturna, ſi Benoni credendum, qui in hunc modum ſcribit: Vbi Alexander tandem intelexit, ſe dolis & arte ab Hildebrando, & inimicis Imperatoris, electum atq; inthroniza tum, die quodã cum intra Miſſarũ ſolennia ſer-

sermonem haberet ad populum, prædicauit, se nolle sedere in sede Apostolica, absq; licentia Imperatoris. Et publicè dixit, se literas huius rei gratia missurum ipsi Imperatori. Quo audito, Hildebrandus multa murmurãdo, uix manus, donec Missa compleretur, abstinuit. Missa uerò expleta, ipsum Alexandrum cum militari manu ab altari duxit in cameram: & nondum exutũ pontificalibus indumẽtis, pugnis durè colaphizauit, increpans & improperans quòd uellet inquirere gratiã Imperatoris. Et statuit Hildebrãdus, ut ex eo die non darentur ei amplius quàm quinq; solidi Lucensium denariorum. Et extunc Hildebrandus omnes redditus Romanæ ecclesiæ sibi retinuit, (Alexandro in uincula coniecto) & immensam pecuniam congregauit. Et sub hoc miserabili Hildebrandi iugo, nõ sine ueneni suspicione, Anno 1074 diem clausit extremum. Benno. Anno 1075, iuxta Sigebertum.

GREGORIVS VII,
qui & Hildebrandus.

Hildebrandus, qui põtificatu impetrato Gregorius Septimus appellari uoluit, natione Hetruscus, patria Senensis, Bonicij cuiusdam fabri (ut Crãtzius testatur) filius, miris (ut dicemus) emersit artibus.

Ab ineunte ætate monasticen amplexus, ad prioratus dignitatem apud Cluniacenses conscendit. Verùm angustiarum claustralium pertæsus (ad maiora enim aspirabat animus) relicta sua statione Romam profugit. Ibi cum Laurentij cuiusdam archidiaconi se insinuasset amicitiæ, magiam ab eo auidissimè & perfectissimè percepit, ut omnes facilè antecelleret: ac in primis scintillarum ex manicis per magiam excussione, simplicium animos percellens, diuinæ plane sanctitatis opinionem sibi parabat. Ingenium tamen turbulentum omnino occultare non ualuit. Cum Gregorio enim sexto pontificię sedis inuasore, iussu Heinrici Tertij ad Germanos in exilium deportatur. Illo defuncto, Hildebrandus Gregorianæ perfidiæ (ut Benno ait) & pecunię simul hæres extitit. Dum enim in aula Imperatoris, quæ erat exilij locus, uersaretur, Benedicto nono, qui iam post abitum Imperatoris nouas in urbe Roma turbas ciebat, Imperatoris actiones & consilia per literas prodebat.

Leonem uerò Romã ab Imperatore missum, adeò sua hypocrisi & astutia fascinauit, ut ipsum cardinalium cœtui adsciuerit, & altaris sancti Petri custodiã demandarit: unde loculos breui impleuit, atque ut pecuniam illam ad quotidianum lucrum alicui cõmitteret, cuiusdam Iudæi filium, nouiter baptizatum, sed nummulariorum mores adhuc retinentem, familiarem sibi fecit. Insuper iam diu sibi conciliauerat alium quendam incõparabilibus maleficijs assuetum, Gerhardum Brazutum, Theophylacti amicum: qui subdola familiaritate sex dicitur Romanos pontifices, intra spacium tredecim annorum, ueneno sustulisse. quorum hæc sunt nomina: Clemens secundus, Damasus secundus, Leo nonus, Victor secundus, Stephanus nonus, & Nicolaus secundus. Et ipsum postea Theophylactum, antiquum dominum suum ac magistrum, pœnitentiam magnam simulantem, idẽ Hildebrandus Leoni papæ dolosè reconciliauit, ita ut eius etiam consilio in pluribus duceretur. Imò Leone contra Normannos Apuliam tenentes exercitum ducente, Hildebrandus & Theophylactus non solum cõsilia hostibus produnt, sed ipsum tãdem põtificem uiuum ipsis tradunt, ut Benno Cardinalis refert.

Ad Imperatorem, post Leonis obitum, successorem petitum à Romanis missus, legationis authoritate, filium ipsius patri successorem decernit: quod officij, pontificiæ dignitate sibi remunerari cupiebat. sed spe sua (ut dictum) excidit.

Sub Stephano deinde nono per Italiam ac Burgundiam Simoniacam hęresin extirpan di gratia uagatur: ubi magnum auri pondus, magnis se redimentibus reis, collegit. Romam regressus, à Nicolao, quem suis artibus potissimum ad illum dignitatis gradum euexerat Hildebrãdus, archidiaconus creatur. Qua de re in hunc modum Benno scribit: papatum adipisci nõ potuit, ad archidiaconatum inuadendum se conuertit. Et Mancium, tunc archidiaconũ Romanæ ecclesiæ, multis iniurijs afflixit & circũuenit. Qui uictus contumelijs & dolis, atq; eius Hildebrãdi pecunia deceptus, ad ultimum concesit, ut illius uice archidiaconatu fungeretur. Hac cõcessione arrepta, Hildebrandus papam Nicolaũ ex improuiso aggressus, coegit inuerecundis precibus, & militũ minis, quos pecunia collegerat, metum mortis etiam quibusdam terribilibus significationibus incutiendo, ut eum archidiaconum ordinaret & constitueret. Quid porrò sub Alexandri electionem molitus fuerit, paulò antè ex eodem adscripsimus.

Verùm & hoc pontifice defuncto, quodam uespere, (ut idem author est) eadem hora Hildebrandus à suis militibus, sine assensu cleri & populi est inthronizatus, timens ne alius per moram eligeretur. In cuius electione nullus Cardinalium subscripsit. Ad quam cum ueniret abbas Casinensis, ait ipse Hildebrandus: Frater nimium tardasti. Respondit abbas: Et tu

Hilde-

Hildebrande nimium festinasti, qui nondum sepulto domino tuo papa, sedem Apostolicam contra canones usurpasti. Hoc modo inthonizatus Hildebrandus, qualiter uixerit: qualiter à se cardinales, qui testes uitæ & doctrinæ eius esse debuerant, remouerit: quàm miserabiliter uexauerit: quantis hæresibus mundum corruperit, quanta periuria, quàm immensas proditiones consecrauerit, uix à multis describi potest. Clamat tamen altius sanguis Christianorum, eo authore & incentore miserabiliter effusus.

Ex hisce satis superque manifestum est, electionis formulam, quam Platina habet, suppositiciam esse. Reclamant & ipsius Imperatoris epistolæ ad clerum & populum Romanum, ac ipsum Hildebrandum scriptæ, ubi inter cætera ait: Dominus noster Iesus Christus nos ad regnum, te autem non uocauit ad sacerdotium. Tu enim his gradibus ascendisti, scilicet astucia (quod monachica professio abominatur) pecuniam, pecunia fauorem, fauore ferrum, ferro sedem pacis adijsti, & de sede sedem pacis turbasti. Obiter hîc Lectorem monendũ censemus, à Bennone plerunq; diuersum tradi, quàm Platina, Stella, alijq; pontificij adulatores annotarunt.

Antichristum tũ decreta, quę contra Ecclesiæ libertatẽ sanguine Christi partã promulgauit impia, tum opera totius gubernationis haud obscurè produnt.

Scripturas sanctas uiolenter detorsit in adiutorium falsitatis, ut Benno ait.

Verã & realẽ corporis Christi in cœna p̃sentiã in dubiũ uocauit: ideoq; indicto cardinalib. ieiunio, diuinitus per signum aliquod de ueritate edoceri uoluit. Idem.

Petrũ & Paulũ apostolos inuocat, ut ex formulis excommunicationis apud Platinam constat, quas alibi adscripsimus.

Die sabbati omnibus Christianis carnium esu interdixit. De cons. dist. 5. cap. Quia dies.

Episcopatũ & abbatiam non à laico (Imperatores intelligit) sed à solo põtifice Romano accipienda: qui cõtrà faciat, sit excõmunicatus, & inter episcopos & abbates lorum non sortiatur. 16. q. 7. C. si quis. Platina in uita eius.

Fornicarios (sic sacerdotes cõiuges hac ætate appellabãtur) ad sacra recipi officia uetuit. dist. 32. C. Multorum.

Impium missæ spectaculum non solum suo comprobauit suffragio, sed etiam oblationes fieri præcepit, malè diuinum allegans præceptum: In conspectu Domini Dei tui nõ apparebis uacuus. de consecratione, distinctione prima, capite, Omnis Christianus.

Tota hebdomade Paschatis & Penteco stes, Psalmos & lectiones ternas, alijs diebus festis nouenas, dieb. prophanis duodenos psalmos & lectiones ternas, at Dominicis diebus octodenos recitandos psalmos. de cons. dis. 5. capite, In die resurrectionis.

Festum Liberij papæ, quem Eusebius hæreticum appellat, instituit. Benno.

Damnauit docentes, non licere die sabbati operas facere. de cons. dis. 3. cap. peruenit.

Magistratus contemptor extitit pertinacissimus.

De magia ipsius Benno memoratu dignam refert historiam, quam adscribere libuit: Die (inquit) quodam, cũ de Alba no Romam ueniret Gregorius, oblitus est ferre secum familiarem sibi librum necromanticæ artis, sine qno nusquam aut rarò incedebat. Quod cum in itinere ei ad memoriam redijsset, in introitu portæ Lateranensis, festinanter uocauit duos de familiaribus suis, assuetos & fidos ministros scelerum suorum: & ut eundem librum citissimè sibi afferrent, præcepit: ac terribiliter interminatus est, ne librum in uia aperire præsumerent, nec ulla curiositate secreta eius inuestigarent. Sed quando amplius inhibuit, tanto uehementius eorum curiositatem ad inuestiganda eiusdem libri arcana accendit. Igitur dum in reditu librum referassent, & diabolicæ artis præcepta curiosè legerent, subitò affuerunt angeli satanæ: quorum multitudine & horrore duo illi iuuenes propè effecti amentes, uix ad se reuersi sunt. Et (ut ipsi retulerunt) malignis spiritus instabant, dicentes: Ad quid nos uocastis? quare fatigastis? Citò præcipite, quod nos agere uultis: alioquin insurgemus in uos, si nos diutius tenueritis. Ad hoc alter iuuenum, festinanter (inquit) muros illos deijcite. Et hæc dicens, manu ostendit muros altos uicinos Romæ, quos in momento maligni spiritus deiecerunt. Et iuuenes sanctæ crucis signo se signantes, tanto terrore exterriti, trementes & palpitantes, uix Romam ad dominum suum peruenerunt. Hæc Benno.

De horribili & pernicioso schismate, quo totum Romanum Imperium Hildebrandus turbauit atque deformauit, capite octauo est dictum. Vnam tamen historiam crudelitate pontificia plenam hîc repetere uisum est.

Quintius Stephani præfecti filius, quem pontifex in carcerem missum, uasi aculeis

aculeis ueſtito incluſerat (ut Benno teſtatur) Hellebrando negocium faceſsit. Nam ab altari eum, dum ſacra perageret, uiolenter abſtractum, in carcerem mittit. Facto autem ciuium concurſu, ædes Quintij ſolo æquatæ ſunt. Verùm ipſe cum Pontifice aliò ſe occluſerat. Lambertus Quintium ob rapta Eccleſiæ bona excommunicatũ, hæc mala Pontifici retuliſſe ſcribit. Ex ea captiuitate liberatus Hellebrandus, reis publicè peccatum remiſit, quia hoc pactus fuerat Quintius. ſed paulo pòſt contra fidem data, Quintiũ atrociſsimè perſequi cœpit, nouemq; de ipſius familia in patibulis ſuſpendio interfecit, antè portas ſancti Petri: planè ſcilicet ut Petrus ille piſcator factitare ſolebat, cui illi Romani autocratores (præſules debebamus dicere) ſunt tam ſimiles, quàm eſt coluber colubro.

Memorabilis & hæc hiſtoria eſt. Filius cuiuſdam uiduæ, captioni eius interfuerat: cui quidem, cum multis alijs, pœnitentiam atque exilium unius anni indixit. Eo autem expleto, uidua ampliori ſatisfactione uolens placare animum Hellebrandi, funem collo filij ſui immittit: quo eum trahens, pariter cum filio ad pedes Hellebrandi ſe prouoluit, dicens: Domine papa, de manu tua uolo recipere filium meum, qui exilium unius anni, & pœnitentiam à te iniunctam præſtitit. Ad hæc Hellebrandus: Vade uade, inquit, fœmina, dimitte me in pace. Poſtea miſsis apparitoribus, filium uiduæ iudicibus obtulit, ut eum ad mortem condemnarent: qui uno ore reſponderunt, ſe ulterius non poſſe damnare, qui ad iudicium papæ confugiſſet, & pœnitentiam atque exilium unius anni ab ipſo papa iniunctum iam impleuiſſet. Hellebrandus iudicibus iratus, præcepit abſcindi pedem filio uiduæ: quo dolore poſt triduum mortuus eſt. Hoc eſt abſoluere peccatores claue Petrina, quæ in gladium carnificis per Hellebrandum conuerſa erat.

Tandem Roma eiectus autoritate Synodi, Salernum in exilium abijt, ubi & uitam finijt. de cuius pœnitentia in hunc modum ſcribit Benno Cardinalis: Hildebrandus in extremis ſuis uocauit ad ſe unum de cardinalibus duodecim, quem multum diligebat præ cæteris: & confeſſus eſt omnipotenti Deo, & toti Eccleſiæ, ſe ualde peccaſſe in paſtorali cura, quæ ei ad regendum erat commiſſa. Atque hunc confeſſorem ſuum miſit ad Imperatorem, & ad totam Eccleſiam, ut optarent illi ueniam.

CLEMENS III.

Guibertus, clericus Parmenſis (quæ ipſi patria erat) eloquentiæ & eruditionis opinione in aula Imperatoris locum ſatis honeſtum accepit. Huius autem inſtinctu Cadolus Alexandrum ſecundum oppugnauit: quibus reconciliatis, Guibertus Rauennas epiſcopus, rogatu Imperatoris, à pontifice, licet inuito, deſignatur. Platina.

Ab Hildebrando, quòd partium eſſet Imperatoris, excommunicatus, ad altiorem dignitatis gradum conſcendit. In Brixienſi enim ſynodo, cunctorum ſuffragio, Hildebrando, hominum ſceleratiſsimorum facilè principi deiecto, ille ſurrogandus cenſetur, indito ei Clementis tertij nomine. quem poſtea Imperator forti manu Romam deductum, in cathedram ponit: ut Friſingenſis teſtatur. Ab hoc Imperator cum Bertha coniuge, Imperiali diademate ornatus eſt. Vrſpergenſis anno milleſimo octuageſimotertio, iuxta Marianum Scotum: uel milleſimo octuageſimoquarto, ut Sigebertus habet. Verùm Roma abeuntem Imperatorem, Senas uſque comitabatur Clemens, ibiq; ſuam figebat ſedem. Platina.

Eodem ferè tempore, quo Vrbanus II, cum quo continuæ ipſi de Pontificatu erant lites, uitam finijt, circiter Domini annum 1100. Onuphrius.

VICTOR III.

Dauſerius, Beneuentani principis filius unicus, relicta ſponſa ſua intacta, inſcijsq; parentibus, Caſinum monaſterium ingreſſus, Deſiderius dictus eſt. Dein abbas factus, per Nicolaum ſecundum inter Cardinales locum accepit: ut Onuphrius ſcribit. Mortuo autem Salerni Gregorio exule, à Mathilda & Roberto Normanno, odio Clementis, qui autoritate Imperatoria ſedem tenebat, pontifex eſt deſignatus, Victoris tertij ei impoſito nomine.

Gregorij, cuius antea familiariter uſus erat amicitia, ueſtigijs inſiſtere anniſus eſt ſedulò. Capuani enim & Salernitani principum copijs ſtipatus, Clementem, quĩ ſancti Petri eccleſiam armis tutabatur, inde expulit.

In ſynodo Beneuentana, cui Apuliæ & Calabriæ intererant epiſcopi, Clementem ſacerdotali honore ac officio priuauit, & anathematis uinculo conſtrinxit, aliasq; præterea Antichriſtum haud obſcurè redolentes condidit leges: ut ſuprà de Concilijs annotauimus, ex Chronici Caſsinenſis libro tertio, capite ſexageſimoſeptimo & ſeptuageſimo primo. Sed non paſſus eſt Deus hunc diu Antichriſti ſoliũ tenere. Primo enim anno in uiuis eſſe deſijt. Alij dyſenteria, alij uerò (ut Platina) ueneno,

Imperatoris instinctu, sacro permisto uino, sublatum scribunt. Verùm his omnibus Casinense Chronicon (ubi annis 29, mensibus 4. abbatem egerat) contradicere uidetur, ubi in Beneuentana Synodo morbo correptus, Casinum deportatus scribitur: ibique Oderisio Casinensi abbate, & Otthone Hostiensi successore, & loco sepulturæ Casini designato uitam finisse, anno electionis primo, Christi 1089, consecrationis uerò die septimo quinti mensis: libro tertio, capite septuagesimotertio. Extat ibidem Epitaphium mausoleo inscriptum, tale:

Quis fuerim, uel quid, qualis, quantusq; docerí
Si quis fortè uelit, aurea scripta docent.
Stirps mihi magnatum, Beneuentum patria, nomen
Est Desiderius: tuq; Casine decus.
Intactam sponsam, matrem, patriamq;, propinquos
Spernens, huc propero, monachus efficior.
Abbas dehinc factus, studui pro tempore, totum
(Vt nunc aspicitur) hunc renouare locum.
Interea fueram Romana clarus in urbe
Presbyter, Ecclesiæ Petre beate tuæ.
Hoc senis lustris, minus anno, functus honore,
Victor Apostolicum scando dehinc solium:
Quattuor & senis uix mensibus inde peractis,
Bis sex lustra gerens: mortuus hic tumulor.
Solis uirgineo stabat lux ultima signo,
Cum me sol uerus hinc tulit ipse Deus.

VRBANVS II.

Ottho Gallus, Castilio (Remensis diœceseos oppidum est) oriundus, ex monacho Cluniacensi Hostiensis episcopus per Hildebrandum factus (ut Onuphrius refert) eorundem ope qui antecessorem in Romanam collocauerant cathedram, quinto à morte Victoris mense, euehitur: ac Clementi, qui tum adhuc in uiuis erat, opponitur: ac Vrbanus secundus, quasi ab urbe Roma (ut Auentinus ait) penetrali religionis domicilio electus sit, appellatur: licet exclusus Roma, profugus oberrauerit diutius. Qua de re hoc extat distichon:

Diceris Vrbanus, cum sis proiectus ab urbe:
Vel muta nomen, uel regrediaris in urbem.

Plures oberrando, tum in Italia, tum Gallia (nusquam enim tutum ipsi erat hospitium, ut Platina scribit) Synodos celebrauit: quibus & Clementem, & ipsum etiam Imperatorem excommunicauit. Cranzius libro quinto, capite uigesimooctauo Metropoleos, & ille uicissim à Clemente, Vincentio teste, excommunicatus est. Imò in Moguntina Synodo, præsentibus episcopis pluribus, & ipsius Clementis legatis, sacrilegij & irreligiositatis accusatus & conuictus, in impiorum numero computatus est. Auentinus libro quinto.

In Synodis, quas diximus, Vrbanus uagabundus decreta ferè innumera, ad cõstabiliendum Antichristi regnum, edidit.

Hildebrandi (cuius pedisse quum eum appellat Benno cardinalis) ratas haberi uoluit leges impias.

Horas canonicas instituit, quotidie à clericis dicendas. Stella.

Sabbato Missam celebrandam, in laudem D. uirginis Mariæ. Nauclerus.

Neminem ad sacros ordines admittendum, nisi sit cœlebs, uel probatæ castitatis. Antonius.

Presbyteros & diaconos coniuges suas non deserentes, ab omni officio sacro remouendos. distinct. 32. c. eos qui.

Presbyterorum filios ad sacra officiandõ admittendos, nisi monachi uel canonici regulares fiant. distinction. 56. c. presbyterorum.

Excommunicato non esse seruandum iuramentum, etiam à subditis. Deo enim magis obediendum, quàm hominibus. 15. q. 6. iuratos.

Ne coniuges eundem simul è baptismo leuent in antem.

Ordinationem à Simoniaco, sciente ordinando, factam, irritam habendam. 1. q. 1. c. si qui à Simoniacis.

Per S. Benedictum, qui Casini colebatur, morbo aliàs incurabili, magna impietate in priuilegio quodam ijsdem monachis concesso, se liberatum asserit.

Nouum huius seculi monachorum, quos Carthusanos uocant, institutum sua autoritate comprobauit: teste Platina.

Et principibus gentium dominari uoluit. Rogerio enim & Boemundo de Apuliæ ducatu concertantibus, ut ab armis discedant, & quisque sua sorte contentus sit, imperat.

Toletanum archiepiscopum in sua uerba iurantem, pallio & priuilegijs donauit, totiusque Hispaniæ primatem constituit. Suessionensem Heinricum, cui à Francorum rege collatus erat episcopatus, specioso Simoniæ nomine, sua dignitate priuare conatus est. Verùm illo promittente, nunquam se Romanæ Ecclesiæ hostibus, ab eaque excommunicatis communicaturum, saluus ei suus manst honos. Platina.

Cum Clemente perpetuas simultates, contentiones & bella habuit, (qua fortè de causa, nec immeritò, Turbanus à Benone appellatur.) Ex Claramontana enim Synodo, anno 1095, ubi sacram expeditionem suscipiendam totius ferè Christiani orbis principibus persuaserat, reuersus, eorundem

eorundem principum ope Gibertum urbe eiecit, sedemq; conscendit: Crescentij nihilominus arcem militibus eius fortiter defendentibus, quam pòst Clemens auro expugnauit: ut Frisingensis libro septimo, capite sexto testatur. licet alij per Conradum Heinrici quarti filium id factum uelint. At Gibertus cum Richardo principe Capuano, qui & Beneuentum tenebat, Albam occupat, ut suo quasi conspectu Romanos terreret. Hac re consternatus Vrbanus, in ædes Petri Leonis, ciuis præpotentis, se contulit: suadentibus amicis, ut à Lateranensi habitatione prorsus abstineret: ibique integrum biennium occultatus moritur, anno pontificatus sui duodecimo: Sigebertus. Christi 1100, iuxta Sigebertum. Corpus eius clàm per Transtyberinam regionem, ne in Gibertinorum manus ueniret, ad S. Petrum in Vaticano, marmoreo incluſum est monumento, hac (ut Onuphrius ait) inscriptione:

VRBANVS SECVNDVS AVTOR EXPEDITIONIS IN INFIDELES.

CARDINALES ROmani, aliiq; Italiæ Episcopi.

HVMBERTVS.

LEo nonus Humbertum Lotharingum conterraneum suum, ob eruditionem & ingenij acumen, ex cœnobio Tullensi Romam secum perduxit: & archiepiscopum Siciliæ ad docendum uerbum Dei, postea uerò cardinalem Syluæ candidæ, seu S. Rufinę fecit. Lanfrancus, pro sacramento Eucharistiæ. Deinde Constantinopolim ad confutandos errores Niceteæ misit. Disputationem eam Dialogo complexus est, in quo Romanus & Constantinopolitanus colloquuntur. Edidit etiam epistolas complures, & alia, teste Trithemio de uiris illustribus. Iussu Synodi composuit formulam, qua Berengarius suam opinionem de sacramento Eucharistiæ damnauit. Lanfrancus.

HVGO.

Hugo Candidus, Romanus, presbyter cardinalis, à Gregorio septimo, quòd Vuipperto Rauennati adhæreret, sua dignitate priuatus, Roma abijt in Germaniam, dum Synodus Vuormaciæ esset, anno 1076: de Hildebrandi ferocia Romanorum nomine conquerens. Fecit hic Hugo Tragœdiã, in qua originem, primam institutionem, profligatos mores, ambitionem, & memoratu turpissima scelera & impia facta Hildebrandi scenicis figmentis depinxit. Onuphrius, & Chronicon Hirsaugiense.

MAINARDVS.

Mainardus episcopus, cardinalis Syluæ candidæ, Stephanum nonum & Nicolaum secundum pontifices consecrauit. Onuphrius.

PETRVS DAMIANVS.

Ingenium Petri Damiani Itali, Casinensis cœnobij alumni, ita admiratus est Stephanus nonus, ut eum episcopum cardinalem Hostiensem designaret: sed à Benedicto decimo, cuius electionem improbabat, uestibus sacris exutus, monasterij & episcopatus prouentibus spoliatus, in uinculis tribulationes uarias Romæ perpessus est. unde solutus, deserto cardinalatu heremiticam uitam egit. Quod cum Nicolaus pontifex & Hildebrandus archidiaconus ei pòst probrosè obijcerent, Apologiam sui facti, triginta sex patrum, quorum uestigijs se insistere ait, exemplis munitam conscripsit. Edidit etiam alia opuscula.

Librum de correctione episcopi & papæ, ubi exemplis Petri, Actorum undecimo, & Galat. secundo: Dauidis, 2 Regum 12: Samuelis, 1. Regum 12: ipsius Dei, & sanctorum: nec non dicto, Dic Ecclesiæ: ostendit, reprehensionem etiam ab inferiori factam, patienti & grato animo à superioribus accipiendam esse, & ferendam.

Item de perfectione monachorum, de contemptu seculi, de Symonia, contra eos qui Simoniacos ad nouam ordinationem compellere consueuerant.

Librum contra Iudæos.

Librum de ordine regulæ heremiticæ: quam adeò rigidè seruauit, teste Antonino, titulo decimosexto, capite octauo: ut lorica ferrea pro interula, & duobus ferreis circulis pro cingulo uteretur. Honorius de scriptoribus Ecclesiasticis, & Hermannus Schedelius.

De quibusdam Christianæ religionis capitibus, non incommodas suis Epistolis sæpius interspergit sententias.

De diabolo: Insatiabilis homicida diabolus, omnia scrutatur, omnia mundi uelut unius agri loca perlustrat, ne quid infœcundum à liuidi fomitis satione prętereat. In epistola ad Vdalricum Firmianum episcopum.

De lapsu diabolorum: Et perditionis spiritus, qui dixisse legitur, In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus aquilonis, ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo: nequa-

quam hæc labijs protulit, nimirum qui cor ne non tegitur, sed in cogitationem sacrilegam tyrannus erupit. Item: Sublimis angelus idcirco irrecuperabiliter perijt, nõ quia contra uniuersitatis autorem protulit quælibet praua, uel fecit, sed tantum quia per nequitiam cogitationis intumuit. Et: Diabolus per superbiam cœlum perdidit, quod tenebat. In Epistola quadam.

De oratione: Auribus occulti iudicis non tam strepitus uocis, quàm clamor insonat cordis. Hinc est quòd per prophetam dicitur: Desideria cordis eorum exaudiuit auris tua. ibidem.

Næuos etiam haud uulgares habet. De satisfactionibus enim ait: Præcepi Florentino episcopo, qui Schachtorum ludo præfuerat, ut ter Psalterium meditando percurreret: ac duodecim pauperum pedes sub totidem numismatum erogatione, eorumq; recreatione, lauaret, &c.

Monachorum etiam flagellationem approbat, inquiens: De disciplinis uerberum, quas sibi fratres consuetudinaliter inferunt, ubi detractionis pedẽ diutius impressisti, cum Dei omnipotentis auxilio respondemus. Hocitaq; disciplinæ genus nequaquam modernis est studijs nouiter adinuẽtum, sed ex sacræ Scripturæ potius autoritate prolatum. Nouimus enim, Dominum saluatorem à præsidis militibus uerberatum, beatos Apostolos in cõcilio à sacerdotum principibus cęsos, nonnullos etiam sanctorum martyrum legimus uerberibus durioribus laniatos. Paulus etiam gloriatur, quia ter uirgis cæsus est, & quia quinquies quadragenas una minus accepit. Quod utiq; tale est. Præcepit in Deuteronomio Moises dicens: Si eum qui peccauerit, iudices dignum uiderint plagis, prosternent, & corã se facient uerberari. Vbi & mox additur: Pro mensura peccati, erit & plagarum modus, ita duntaxat, ut quadragenarium numerum non excedant, ne fœdè laceratus ante oculos tuos obeat frater tuus. Quod uidelicet illi populo legale præceptum, nobis est allegoricè mysterium. Et Apostolus ait: Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo. Et sancti ludibria & uerbera experti sunt. In epistola ad Paulum quẽdam.

Incommoda est & de Romanæ ecclesię primatu, Petri sententia: Quod non fert Ecclesia cuiuslibet infimæ dignitatis, perferat illa quæ mater est & magistra totius Christianæ religionis. In epistola ad Cadolum. Ibidem, sedem Apostolicam uocat omniũ Ecclesiarum caput. Item: Sedes Romana quo pacto honore indiget paruuli hominis, quæ laudes atq; pręconia ipsius ore sorta est Saluatoris?

Sacerdotum coniugium damnat: Si Daui dem, inquit, coniugale commercium à panis propositionis compescebat accessu, quanto magis ab hoc sacrosancto mysterio remouendus est pellicatus? In epistola ad Nicolaum pontificem.

Legationem nomine Romani pontificis ad Mediolanenses obijt, quos Romanæ iterum sedi subiecit: ut testantur eius Synodi acta. Et Alexandri iussu, circa Salutis annum 1069 in Germaniam abijt, ut diuortio Imperatoris cum regina contradiceret: cuius oratione ille motus, ab incœpto destitit. Schafnaburgensis.

BENNO.

Extat Hildebrandi, qui Gregorius septimus assumpto pontificatu dictus est, uita à Benone cardinale archipresbytero Romanæ ecclesiæ descripta, qui eo uixit tempore. ubi miranda de multis Romanorum pontificibus referuntur, quæ nullus historicorum prodidit, neque Platina, neque quisquã alius. Quædã ex ipso nos passim historiæ interspersimus, suis in locis.

DEVSDEDIT.

Deusdedit cardinalis presbyter (ut Onuphrius testatur) ab Hildebrando creatus, Canonum uolumen, iubente Victore tertio, in ordinem redegit. Platina.

PETRVS.

Ad Petrum Lateranensem archipresbyterum, extat Petri Damiani epistola, qua ipsius laudat studium, quòd à clero noctu mulierculas arceat: eique de cœlibatu librum inscribit.

AQVILEIENSES.

POPPO, EBERHARDVS.

ANno Christi 1042, Poppone Aquileiæ patriarcha è uiuis exempto, Eberhardus successit. Hermannus Contractus.

GOTSBOLDVS, DOMINICVS.

Gotsboldum epistolarum magistrum, Heinricus Tertius Aquileiensem nuncupat patriarcham, circiter annum 1050. Auẽtinus libro quinto. Cuius tamen breue admodum fuit curriculum. Leo enim nonus in quadam epistola, episcopos Histriæ & Venetiæ monet, ut Dominicum Grandensem, seu nouæ Aquileiæ, suum primatum & patriarchum agnoscant.

RAVENGER.

Rauenger patriarcha Aquileiensis, obijt anno millesimo sexagesimoseptimo. cui Sigehardus cancellarius successit: teste Schafnaburgensi.

LAMBERTVS FLORENTINVS.

Hunc Lambertum relicto pontificatu, monachum

monachum induisse cum summa hominum admiratione & laude, testatur Petrus Damianus, in epistola ad Nicolaum papã.

LIVTVLPHVS CALLENSIS.

Scribit Petrus Damianus, in epistola apologetica ad Nicolaum secundum, Liutulphum sua ætate Callensem episcopum, nominato prius successore, loco suo cessisse, ut perfectiorem ageret pœnitentiam.

ALPHANVS SALERNITANVS.
Salernitanus.

Ex monacho Cassinensi abbas, pòst Salernitanus factus est archiepiscopus Alphanus, cum philosophiæ & theologiæ cognitione insignis haberetur, circa annum Domini 1038: teste Bergomensi. Chronicon Cassinense lib.3, cap.7.

Scripsit de unione uerbi Dei & hominis, librum 1.

De unione corporis & animæ, lib.1.

De quatuor humoribus corporis, lib.1.

Trithemius, de scriptoribus Ecclesiasticis.

RAVENNATES.

VVIDGERVS.

RAuennatensem sedem Vuidgerus nondum consecratus, ineptè & crudeliter administrauit biennium: quo comperto, Heinricus Imperator, anno 1045, eum deposuit. Hermannus Contractus.

HVNFRIDVS.

Post diremptionem litis quæ inter Romanam & Rauennatem ecclesiam, de iure quodam intercesserat, Hunfridus Rauennas archiepiscopus ueneno sublatus putatur, anno Domini 1051. Idem.

HEINRICVS.

Eidem ecclesiæ ab Imperatore præficitur Heinricus, Anno 1052. Idem.

MEDIOLANENSES.

HERBERTVS, VVIDO.

VVido, qui Hereberto in Mediolanensi ecclesia anno 1045 successerat, ut Contractus annotat, suã ecclesiam Romano pontifici Nicolao subiecisse legitur, in epistola quadam Petri Damiani.

THEOBALDVS.

Theobaldus, eiusdem sedis archiepiscopus, cum plerisq; prouinciæ Cisalpinæ præsulibus fauit partibus Giberti, contra Gregorium septimũ. Platina in uita Gregorij.

ARNVLPHVS.

Arnulphus Vuidonis archiepiscopi nepos, uir honestus & prudens, clericus ibidem fuit: teste Petro Damiano in actis Synodi Mediolanensis.

PANDVLPHVS MARSORVM EPISCOPVS.
Marsorum episcopus.

Stephani noni temporibus, Cassinum uenit Pandulphus Marsorum episcopus, & largitione proximam à Romano pontifice sedem in quolibet cõuentu Cassinensi impetrauit. Chronicon Cassinense libro secundo, cap.99.

VERONENSES.

VVALTERVS, DIETHBOLDVS.
Diethboldus.

HEinricus tertius, mortuo Vualtero, Diethboldum Veronensibus dat episcopũ. Auentinus lib. 5 Annalium.

HARTVICVS, HOSVVARTVS, BRVNO.
Hartuicus, Hosuuartus, Bruno.

In eadem ecclesia, Hartuico Cæsar, anno 1070, suffecit Husuuartum: quo paulo pòst mortuo, successit Bruno. Idem.

AVERSANVS GVIMONDVS.

Ex monacho S. Lanfredi Normãniæ, factus est episcopus Auersanus Guimondus, literarum non ignarus: qui tres contra Berengarium libros, & alia opera edidisse dicitur, ut refert Iohannes de Oppido.

PATAVINI.

EILBERTVS, ALTMANNVS.
Altmannus.

DEfuncto Eilberto, Altmannus Imperatricis sacellanus, ipsa nimirum intercedente, in Patauina sede succedere iubetur, anno 1066. Schafnaburgensis.

VERCELLENSES.

GREGORIVS.

ANno 1052, Leo pontifex Gregorium Vercellensem episcopum, quòd cum auunculi sui sponsa adulterium commisisse, & periuria perpetrasse diceretur, Romæ in synodo absentem, & accusationis ignarũ excommunicauit: quem tamen pòst satisfactione coràm promissa, in integrum restituit. Contractus.

VENERICVS.

Venericus natione Teutonicus, ex clerico Treuerensi factus est episcopus Vercellensis, uir omni doctrinarũ genere insignis. Nam cum Treuiri adhuc esset, ex persona Theoderici Viridunensis episcopi, ad Gregorium septimum scripsit librum, in quo eum reuerenter monet cùm de alijs, tũ de ijs maximè quæ contra fas & æquum aduersus Heinricum quartum fecit, hoc præfixo titulo: De discordia regni & sacerdotij. Trithemius, de Scriptoribus Ecclesiasticis.

ALBANENSES.

BONIFACIVS.

BOnifacius Albanensis episcopus, temporibus Damasi secundi uixit: ut apparet ex Chronici Cassinensis libro secundo, capite 98.

PETRVS IGNEVS.

Corpore & uestibus illæsis, per rogum

ardentem transiens Petrus, eiusdem ecclesiæ episcopus, Symoniæ reum comprobauit Petrum Florentinorum episcopum: unde postea Igneus est appellatus. Obijt anno Domini 1088, iuxta Vrspergensem.

RICHARDVS.

Richardo episcopo Albanensi, & Romanæ Ecclesiæ legato, epistola quadam Iuo de Symoniæ hæresi se purgat.

GVALTERVS.

Anshelmus duabus epistolis, (quæ tamen in uoluminibus eius Venetijs anno 1549 editis, non extant) Gualterum episcopum Albanensem mirum in modum rogat, ut se apud Romanum pontificem excusset, quòd negocia Anglica ob domestica disidia minus rectè curarit.

TRIDENTINI.

VLRICVS, HATTO.

HEinricus tertius Vlrico in ecclesia Tridentina suffecit Hattonem, anno 1055. Auentinus lib. 5.

HEINRICVS.

Pontifex Romanus Heinricum Tridentinum, qui ob cædem sacrilegorum manu sua perpetratam, ab aris remotus fuerat aliquandiu, precibus eorum quos Heinricus quartus ad censum agendum in Italiam ablegârat, ouili suo restituit. Idem libro quinto.

ALBERICVS CVMANVS.

Cumanum episcopum Albericum, epistola quadam consolatur Berno abbas Augiensis, ac monet ne ob mortem Heinrici regis nimium turbetur: & ut cum alijs Italis illud antiquum, Idem uelle & nolle, tueatur.

BRIXIANI.

HERVICVS.

SEdem episcopalem Heruicus Sabona, quæ Noricorum urbs est, ad decem millia passuum traduxit Brixiam: idq; oppidum mœnibus cinxit, circa annũ Domini 1038. Auentinus lib. 5.

EKHARDVS.

Heinricus tertius circa annum Domini 1055. Ekhardum constituit episcopum Brixiæ. Ibidem.

ADELMANNVS.

Ex clerico Leodicensi factus est episcopus Brixiensis, Adelmannus, à peritia denominatus Grammaticus. Hic antistes contra Berengarium, cuius condiscipulus sub Fulberto Carnotensi episcopo antè fuerat, edidit librũ de corpore & sanguine Domini, & epistolas complures: teste Trithemio de Virisillustribus.

DE GALLICANIS Episcopis & doctoribus.

CARNOTENSES.

FVLBERTVS.

FVlbertus literarum scientia, prophetiæ dono & sanctitate insignis, ex ludimoderatore episcopus Carnotensis factus est.

Cantiones (quarum initia sunt, Stirps Iesse, Sol iusticiæ, Chorus angelorum) composuit: teste Heinrico de Erfordia. Librum epistolarum ad diuersos, & librum de laudibus Mariæ: Trithemius de scriptoribus Ecclesiasticis.

Idololatra insignis fuit. nam Mariam Dei genitricem supra modum coluit, ut testantur cantiones in eius laudem compositæ: tum quòd fanum in honorem eiusdem à fundamẽtis eductum, miro lapideo tabulato construxit. Et ad eam rem Canutus Angliæ rex, precibus Egeluoti, qui Fulberto erat amicissimus, misit sumptus. ideo in quadã epistola ei agit gratias, quòd largitatis suæ uiscera in expensis ecclesiæ Carnotensis effuderit. Vincentius lib. 25, cap. 15. ubi etiam nugatur, Fulbertum ægrotum à Maria uisitatum, quæ suo lacte eum recrearit. Claruit circa annum Domini millesimum.

GAVFRIDVS.

Gaufridus episcopatum ultrò reddidit Carnotensibus, propter diutinos labores: quod factum improbans Vrbanus pontifex, per literas clerum & populum monet, ne in eum locum quem ante episcopatum tenuerat, Gaufridum restituant.

IVO.

Iuo S. Quintini Beluacensis canonicorum regularium Augustinianæ professionis præpositus, diuinarum Scripturarum non ignarus, & Canonum sanctorum patrum, generaliumque Conciliorum interpres solertissimus, ut Trithemius loquitur, ab Vrbano Romano pontifice creatus est episcopus Carnotensis, anno 1092: teste Sigeberto.

Hic ex uolumine Isidori de decretis Apostolicis, compendium excerpsit: quod capitulis distinctum, sententijs patrum aliquibi auxit: (Heinricus de Erfordia.) cui titulum fecit Panormiam, quo libro Iureconsulti usque ad tempora Gratiani sunt usi.

Scripsit item Epistolarum ad diuersos librum unum, teste Trithemio.

Præterea orationes de sacramentis dedicationis,

dicationis, de sacramentis neophytorũ, de excellẽtia sacrorũ ordinũ & uita ordinãdorũ, de significatione indumentorũ sacerdotalium, de conuenientia ueteris & noui sacerdotij. In his autem allegoricis explicationibus non sine superstitione confirmat ritus & cæremonias, quarũ ea ætate in Antichristi regno usus fuit in dedicationibus templorum, in administratione baptismi, in ordinatione ministrorum Ecclesiæ, & in Missa.

Extãt tamen in ijs quæ diximus scriptis commodæ sententiæ, de quibusdam capitibus doctrinæ Christianæ. Nam Christum Deum & hominem esse ait, ut inter nos & patrem mediator esse possit. Et ad eundem accommodat multos Sanctorum typos ueteris Testamenti: in primis uerò de uacca rufa, de agno paschatis, de uitulo, de columba & turture, de similia, &c. Ista (inquiens) multa erant, & sæpius iterabantur, quia non poterant perfectum facere seruientem. At Christus semel oblatus, peccata originalia & actualia purgauit, & cœlestia ac terrestria pacificauit. In tractu de conuenientia ueteris & noui sacerdotij.

Item: Beneficia quæ pro saluandorum reconciliatione Saluator in terris exhibuit, ecclesia quotidie cõmemorat, ut per fiduciam exhibitorum fidenter interpellet mediatorem, ad impetrandam indulgentiam commissorum. ibidem.

De homine: Homo ad imaginem Dei à Deo sexto die plasmatus est, & per Christum ad eandem Dei imaginem reformatus est.

De reliquijs peccatorum manentibus in sanctis: Sacerdotes uestri quamdiu uiuunt, se immundos esse iudicant, ut b. Iohannes ait: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ueritas non manet in nobis. Et Dominus in Euangelio: Cum feceritis omnia, &c. Item: Omnis homo post remissionem peccatorum permanendo in hac uita, contrahit aliquid unde sit immundus, usque ad eiusdem uitæ finem.

De præsentia corporis Christi in cœna: Domini carnes cum sunt comestæ in terris à populo, & sanguis eius bibitus, ipse tamen usque in tempora restitutionis omnium in cœlestibus ad dexteram patris integer perseuerat uiuus. Si quæris qualiter id fieri possit, breuiter respondeo: Quia sacramentum fidei est, salubriter credi potest, inuestigari nisi periculose nõ potest. In sermone de cõuenientia ueteris & noui sacerdotij. Itẽ: Sacramenta Dominici corporis & sanguinis, alijs non sunt communicanda, nisi his qui regnum quinque sensuum superarint. hoc est, qui se uitijs & cõcupiscentijs crucifixerint. ibidem.

De usu baptismi: Fonte salutis abluti estis, & per trinam immersionem Christo consepulti estis, ut quemadmodum semel ipse in carne est mortuus, & resurgens ex mortuis, iam non moritur: ita & uos à peccatis abluti, & prima resurrectione regenerati, morte animæ, hoc est peccato non subijciamini. In tractatu de sacramentis dedicationis.

De pœna animæ post mortem: Manet pœna animæ etiam post mortem, si cum uiuit, mundata non fuerit sacramento baptismi. de sacramentis Neophytorum, & de conuenientia ueteris & noui sacerdotij.

Næuos uerò plurimos habet. Nam in tractatu de sacramentis neophytorum ait: Populus acquisitionis, cuius caput est Christus, per fidem generatur, per charitatem in uirum perfectum nutritur, spe æternitatis in eadem fide & charitate solidatur.

De cœna: Offertur principaliter à ministris panis & uinum, in corpus Christi sacerdotali benedictione commutanda. de Conuenientia ueteris & noui sacerdotij. Dominus noster Iesus Christus post cœnam panem & uinum in corpus & sanguinem suum commutauit. de Excellentia sacrorum ordinum.

De sanctorũ intercessione & meritis. Sacerdos de meritis suis non præsumens, orat ut sanctorum meritis assequamur, quæ nostris meritis non ualemus. de Conuenientia ueteris & noui sacerdotij.

Item: Inter orationes adhibẽtur suffragia sanctorum. ibidem.

De aduentu Eliæ & Enoch ait: Euangelium prædicatur, donec introeat plenitudo gentium, & tandem sub Elia & Enoch ad fidem ueniant reliquiæ Iudæorum. de Conuenientia ueteris & noui sacerdotij.

Cum aut Philippi regis Francorum improbaret coniugium, periculum sibi accersiuit. A' Senonensi enim archiepiscopo ad colloquium uocatus, de insidijs structis queritur. Tandem in carcerem coniectus est. Vnde cum primates Carnotenses eum ui liberare molirentur, à proposito eos dehortatur per epistolam, monetque ut orationibus potius ad Deum rem agant.

CAMERACENSES.

GERARDVS.

GErardus Cameracensis episcopus non minus in palatio Heinrici secundi Imperatoris,

toris, quàm in Ecclesia ualuit: ac uixit sub annum 1004. Sigebertus.

LIETBERTVS.

Lietbertum, postquam Cameracensis factus esset episcopus, anno 1049, grauis excepit calamitas. Donatus fuerat simul ab Imperatore totius urbis regimine: quod ægrè ferens Iohannes Atrebas, qui se eius urbis aduocatum dictitabat, excluso pontifice, principatum in urbe arripuit. Ea de re certior factus Balduinus, conscripto milite, episcopum in urbem sedemq; suam reduxit, atque Atrebatensem possessionibus multatum in exilium egit.

Virum aũt fuisse grauem & constantem, uel inde apparet, quòd Balduino non multo pòst, & Rachildi coniugi eius, à Leone pontifice iussus, sacris interdixit: quòd sede Apostolica in consilium non adhibita, matrimonium in gradibus prohibitis contraxissent.

Monasticen etiam pro uirili auxit, nouum Cameraci, sepulchro Domini dicatum, extruendo cœnobium, anno 1064. Absoluit & cœnobium D. Andreę apostoli: Regulares monachos instituit ad D. Aubertũ, & in monte D. Eligij.

Vix iam Balduini funus curatum fuerat, ac noua episcopo suboritur tempestas. Hugo enim Oziacensis, nocte quadam intempesta sicariorũ stipatus cohorte, in episcopi domicilium impetum fecit: trucidatisque cubicularijs Lietbertum cæpit, Oziacumque perductum in uincula coniecit. At Rachildis uidua, Arnulpho filio natu maximo, qui Flandriæ iam præerat, adiuuante, Oziacum ui & armis expugnat, liberatumque inde episcopum dignitatis loco restituit, anno 1070. Post septimum deinde annum mortem obijt, diuorumque ob pietatem Catalogo inscribi meruit: ut testatur Iacobus Meyer in Flandriæ Chronico.

GERARDVS, GVALCHERVS, *Manasses.*

Cameracensi ecclesiæ, post Lietbertum, Gerardus quidam præfuisse scribitur, qui obijt anno millesimo nonagesimoquarto. Cui Gualcherus successit: quo statim reiecto, Manasses ordinatus est episcopus, teste Sigeberto.

PARISIENSES.

GOTHOFREDVS.

PArisiorũ episcopus Gothofredus, eiusque frater Eustathius Bononiæ comes, multis muneribus à Richilde corrupti, Francorum regi per ætatem imprudenti, autores fuerunt belli contra Flandros mouendi. Iacob. Meyer in Chronico Flandriæ.

GVILLERINVS.

Guillerinum in ecclesia Carnotensi nutritum, Parisienses communibus suffragijs elegerunt episcopum, qui Iuonis cõsilio id susceperit. Sed cum iustos annos nondum attigisset, à Romano pontifice petijt, ut promotiones ad gradus Ecclesiasticos per interualla differre liceat. Iuo in epistola ad Vrbanum pontificem.

FVLCO.

Parisiensis ecclesiæ decanum Fulconem, obiurgat Iuo in epistola quadam, quòd paganum à se excommunicatum in communionem receperit. deinde factum eius comprobat, quòd ancillam dominis recalcitrantem excommunicarit.

SVESSIONENSES.

ARNVLPHVS.

TIdigemo (Flandriæ est uicus, Schaldemo fluuio uicinus) oriundus parentibus nobilibus Arnulphus, licet à Balduino comite militari donatus esset baltheo, optauit tamẽ potius militare Christo. Recluditaque in cœnobio D. Medardi, superstitionum plena exercitia susceperit: tum toto triennio & sex mensibus nulli mortalium uerbum fecit. Suessionensium ex abbate episcopus factus, iussu Gregorij septimi Robertum Frisiæ comitem, & Balduinum Montensem, de Flandria continenter bella gerentes, pacis conditiones amplecti permouit. Cæterùm obijt Arnulphus anno Domini millesimo octuagesimoseptimo, decimooctauo Calendas septembris, Addenburgij, ibique in æde D. Petri sepultus. Iacob. Meyer.

HENRICVS.

Ad Vrbanum secundum profectus Henricus Suessionum episcopus, pontificatum, quem à Philippo rege acceperat, pontifici tradidit. Nefas enim esse, à laico episcopatum haberi, Romani pontifices tum contendebat. Verùm pontifex restituit ipsum, iuramento se obstringentem, quòd à communione eorum quos Romana sedes excommunicasset, abstinere, & consecrationibus eorum qui à laicis ad dignitates Ecclesiæ eueherentur, nunquam interesse uellet. Paulus Aemylius lib. 3.

HVGO.

Ad Hugonem Suessionensium episcopum extat epistola Iuonis, qua eum hortatur, ut iuuenilem ætatem honestis exercitijs, lectioni, orationi, & sacrarum literarum meditationi impendat.

MORI-

MORINI.

BALDVINVS.

MOrinorum episcopum Balduinũ, cum Roderico monacho fuisse reformatorẽ cœnobij D.Bertini,in Chronico Flandriæ scribitur.

DROGO.

Morinorum pontifex Drogo, uir doctus & superstitiosus, qui miracula ad reliquias D.Leuuinnæ edita literis mandauit, anno 1079 in uiuis esse desijt. Chronicon Flandriæ Meieri.

HVBERTVS.

Drogonis successor Hubertus, à Taruanensibus breui post electionem sauciatus, & urbe pulsus, reliquam ætatem expers episcopalis muneris degit cum cœnobitis Bertinicis:ut idem annotat.

NOVIOMAGENSES.

HARDVINVS.

NOuiomagenses, instigante suo episcopo Harduino,regium quendam prẹfectum tyrannidem exercentem , anno Domini centesimo uigesimoseptimo urbe expellunt, arcemq; eius iuxta episcopi curiam euertunt : ob quod facinus Robertus rex Hartvuinum sede eijcit. Reconciliatus autem per Barbatum Flandriæ principem , eiusq; filium regis generum, episcopus deprecatoribus suis decem altaria Flandriæ tradidit.Idem.

HVGO.

Hugo eiusdem sedis antistes, conuentui Aldenardensi,ubi de pace Flandriæ actum est,interfuit, anno millesimo trigesimo,iuxta eundem.

BALDVINVS.

Balduinus Nouiomagensium prẹsul, miris modis sanctorum ossa inquisiuit & coluit.In cœnobio enim Blandinien si,corpora D.Florberti , primi illic abbatis, & duarum uirginum de numero undecim millium:in Gandensi uerò,D. Bauonis ossa leuauit, templumque Bauonis Gandaui anno 1067 dedicauit.Ibidem.

RATBODO.

Ratbodonem, eiusdem ecclesiæ antistitẽ,tantum templorum consecrationibus occupatum fuisse,idem tradit. Claruit anno 1072.

METENSES.

THEODORICVS,
Adalbero.

ANno Domini 1046, Theodoricus Metensium antistes uita defunctus est: cui Adalbero fratruelis eius successit,uir prudẽs & integerrimus,teste Sigeberto : qui anno Christi millesimo septuagesimosecundo ex hac uita euocatus scribitur, succedente Hermanno Leodiensi præposito.Schafnaburgensis.

HVGO LVGDV-
nensis.

Hugo Lugdunensis archiepiscopus, & Romanæ sedis legatus , Anselmo,ut nomen suum duobus opusculis præfigat,autor est: ut ipse Anselmus testatur in proœmio Prosologij. Extant & ad eundem epistolæ Anselmi.

REMENSES.

REINOLDVS.

REinoldus Remẽsis archiepiscopus Concilium conuocauit,in quo clericus quidam Franciæ errorem suum (quòd Pater & Spiritus sanctus cum Filio incarnatus sit) abiurauit. Anshelmus , de incarnatione uerbi, capite primo.

GERVASIVS.

Regnante Heinrico quarto, Geruasius Remensium metropolitanus, Guidonem Beluacensem cõsecrauit præsulem.Vincentius lib.25,cap.42.

RADVLPHVS.

Ad eiusdem sedis archiepiscopũ Radulphum Iuo scripsit epistolam , in qua docet, licere mulieri,quæ infra duos aut tres menses à nuptijs peperit,in coniugio manere.

GVIDO.

Ambianorum episcopus Guido, testis & obsignator fuit donationum,quas Balduinus templo D.Petri in Insula contulit.Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.

AVRELIANENSES.

REINERVS.

REineri Aurelianensis episcopi , sub anno 1070, in Chronico Flandriæ fit mentio.

SAMSON.

Extant duæ epistolæ Iuonis,ad Samsonẽ Aurelianensem episcopum:in quarũ priori ait,sibi à fide dignis relatum,quòd simonia & ui munus inuaserit.In posteriori uerò eũ obiurgat, quòd inclementius tractet clericos:sibiq; hoc imputari, quòd ipsi imposuerit manus.

IOHANNES.

Archidiaconus quidam Turonensis Iohannes,sui episcopi & Philippi regis autoritate Aurelianensis factus est episcopus. Huius meminit Iuo in quadam epistola ad Hugonem Lugdunensem, quòd fuerit cuiusdam Turonensis episcopi succubus, & à nobili quodã scorto ipse Floræ nomen acceperit. Et quòd tandem ætate prorsus immatura episcopatu,quo uerè indignus censendus erat, potitus sit.

MARBODVS RHEDENSIS.

Marbodus Euanx ex Cambria Britanniæ oriundus, à puero ingenium literis excolens, non uulgarem sibi eruditionem comparauit. Fugiens autem sæuitiam Danorum, qui tum Britanniam tenebant, ad Armoricanos Britones traiecit, à quibus ob famam eruditionis statim episcopus Rhedensis appellatus est. Scripsit oratione soluta & ligata,

In Cantica canticorum,	librum 1.
Passionem Thebæorum,	librum 1.
De lapidibus & gemmis,	librum 1.
Carmina sententiosa,	librum 1.

Citatur aliquando à Vincentio, Alberto, & alijs. Claruit autem sub annum Domini 1059, ut autor est Balæus Scriptorum Britaniæ Centuria secunda, capite quinquagesimo.

PETRVS.

Petrum Narbonensem episcopum, Gregorius septimus censura anathematis damnauit: teste Platina.

PETRVS PICTAVIENSIS.

Ad Petrum Pictauiensem episcopum, epistolam perscripsit Iuo: in qua eum obiurgat, quòd monachos clericis præferat, & clericum expetitum & missum ad regularis Ecclesiæ gubernationē non admiserit.

BARTHOLDVS *Tullensis.*

Bartholdus nobilibus Alemanniæ natalibus ortus, uotis cleri & populi designatus episcopus Tullensis, in hoc totus fuit, ut reditus templorum, numerus monachorū, & ornatus sacer auctior & splendidior redderetur: cœnobium S. Saluatoris in saltu Vosago construxit: quod ornamentis splendidissimis dotatum, uiginti monachis incolendum dedit. Basilicam Vedasti cum fano, Geneuefæ uirginis condidit atque alias ædiculas marmore, gemmis, auro, argento & preciosis uestibus ditauit. Sedit autem annos uigintiduos. Catalogus Tullensium.

BIBO TOLOSANVS.

Anno Domini 1064, Bibo cancellarius Tolosano episcopatu potitus est, teste Schafnaburgensi. Strenuè autem Heinrici partes, contra pontificem Romanum sectatus est, ut Auentinus scribit.

BELVACENSES.

ROGERVS.

ROgerus episcopus, cum Beluacensem ecclesiam non uulgaribus auxisset bonis, obijt, anno 1024. Sigebertus.

GVIDO.

Sub Heinrico quarto Guidonem decanum, custodemque ecclesiæ S. Quintini Viromadensis, & archidiaconum Lauduneusem, Beluacensium episcopum creatum, & ab eo S. Quintini ædem in suburbio Beluaci constructum, asserit Vincentius libro 25, capite 42.

FALCO.

Ad Falconem eiusdem sedis episcopum extat epistola Anshelmi, in qua se liberat suspicione de archiepiscopatus affectatione. Apud hunc Iuo suam præfecturam S. Quintini resignat.

ADEMARVS PODIENSIS.

In sacro bello, diuino cultui, Romani pontificis autoritate, Podiensis episcopus Ademarus præesse iubetur, anno 1096. Sigebertus: Annonius libro 5, capite 49.

SENONENSES.

LEOTHERICVS.

SYluestri secundi, Magi insignis, discipulus, teste Martino Polono, Leothericus Senonum archiepiscopus factus, suos sacerdotes & templa contra Bernhardi comitis iniurias ui & armis defendit. Ganguinus lib. 5 de gestis Francorum.

LAMBERTVS.

Iuo in epistolis, Lambertum Senonum archiepiscopum, reuerendum senem, & suum metropolitanum uocat.

GVALTERVS MELDENSIS.

Ad Gualterum Meldensem aliquot Iuonis leguntur epistolę. Interfuit concilio cuidam Stampensi, ut ex ijsdem apparet.

LAMBERTVS ATREBATENSIS.

Quod dulces cum eo conferre sermones locorum interuallo prohibeatur, in epistola quæritur Iuo ad eundem.

PHILIPPVS CATALAVNENSIS.

Philippi Catalaunensis episcopi, meminit Iuo in epistola ad Paschalem Romanū.

IOHANNES TARVANENSIS.

Iohannem Taruanensem episcopum literis monet Iuo, ut suggerat metropolitaneo suo Remensi, ut clericos Beluacenses hortetur, iuxta Canones eligere episcopum.

GERMANIAE episcopi & doctores.

COLONIENSES.

HERIBERTVS.

ANno Dñi 1000, Euergero succelsit Heribertus, q eregione urbis ad Rhenum

num fluuium, ex destructo castro fecit monasterium Tuitium, & Benedictinis incolendum dedit. Hirsaugiēse Chronicon. Imperij insignia post mortem Otthonis tertij, cui fuit intimus à consilijs, aliquandiu retinuit, donec Heinricus secundus ei cōciliaretur Coloniæ. Catalogus episcoporum Colonienſium. Anno Christi 1020 decessit Heribertus, & in monasterio Tuitiensi sepelitur: ut est in Chronico Hirsaugiensi.

PILGRINVS.

Pilgrinus ex sacerdote rusticano, per Heinricum secundum post Heribertum episcopus Colonienſium designatus, monasterium Apostolorum Coloniæ construxit, congregationemque 40 Canonicorum instituit, atque opera Heriberti confecit. Tandem uerò dira imprecatione Heliæ & aliorum Scotorum, quos ob superstitiosam & nimis exquisitam disciplinam urbe pellere in animo habuit, mortuum autumant, anno Domini millesimotrigesimosexto. autores sunt Marianus Scotus, Hermannus Contractus, Catalogus Colonienſium.

Berno Augiensis, in dedicatoria epistola libelli de Tonis testatur, Pilgrinum quatuor Matheseos disciplinarum & sacrarum literarum haud insciū fuisse.

HERMANNVS.

Catalogus episcoporum Colonienſium, hunc Nobilem uocatum asserit. peruenit autem ad episcopatum anno millesimo tri gesimoseptimo, teste Sigeberto. Obijt anno millesimo quinquagesimosexto. Schafnaburgenſis.

ANNO.

Illustri comitum de Dassela genere oriundus Anno, in schola Bambergensi humanarum & diuinarum literarum fundamentis iactis, in aulam Heinrici tertij peruenit: ubi propter ingenij, linguæ & corporis dotes sibi animos multorum conciliauit: ac in primis sua uirtute, qua in bello Vngarico, ut est in catalogo Colonienſium episcoporum, eminuit, fauorem Imperatoris meruit: à quo præposituræ Goslarienſi, & postea Colonienſi archiepiscopatui præfectus est. Sed promotoris coniugi & filio pessimam reddidit gratiam. Rebus enim inter principes Imperij, uiduæ & Heinrici regis pueri dominium detractantes, ad seditionem spectantibus, Anno dolo quodam, ac (si uenia tanti pontificis dicere liceat) furto totius Imperij gubernationem de consilio Eberti comitis & Otthonis Bauarorum ducis sibi uendicauit. Nauigio enim per Rhenum ad S. Suitberti insulam, ubi tum commorabatur rex, delatus, inter pocula eum, ut nauiculam suam mirifico opere exornatam contemplaretur, rogat. Nihil subesse doli autumans rex, morem gerit homini fraudulento: ac cum simul in eam conscendissent, inde discessum est. Rex subita nauis solutione territus, uimque & necem sibi paratam arbitratus, in flumen spe salutis se conijcit: sed inde per Ecbertum sese in aquam præcipitem agentem ægrè extractus, blanditijsque delinitus, Coloniam tandem cum regijs insignibus perducitur. Cætera multitudo, quę ad nauim usq; suū comitata fuerat regem pedestri itinere, grauiter episcopum perfidiæ & læsæ maiestatis incusans, subsequitur. At pontifex suæ famæ & existimationi consulturus, ne priuati arbitrij, emolumentique sui in primis, sed potius boni publici & tranquillitatis causa id fecisse crederetur, aut potius ut factione aliqua se muniret, suæ farinæ hominibus episcopis permisit, ut quisque suæ diœceseos negocia, ad Imperatorem alioquin referenda, dijudicet, ne interim Respublica ob ætatem regis aliquid detrimenti, quod pòst uix ulla ratione compensari possit, capiat. Schafnaburgenſis. Annum millesimūsexagesimūsecundum Cōtractus annotat: omnisq; imperij gubernatio, penes Colonienſem aliosq; paucos consistebat.

Cum ex ephebis excessisset Imperator, excusso que episcoporum iugo, ad quorum hactenus uixerat nutum, arma tractaret, in Colonienſem suæ uirtutis robur oblata occasione primùm experiri omnino decreuerat: quòd matri suæ olim subtractum, in uitæ periculum coniecisset, multaque regni negocia minus æquè sub regio nomine ipse curasset, nisi mater obstitisset. Ac licet aliquandiu pontifex rebus Imperatoris, quamuis inuitus, contra Saxones in primis studuerit: tamen ad hostes tandem, Vuezilonis Magdeburgici & Bucconis Halberstadiani antistitum amore, erectis signis transijt. Nam Gerstungi (oppidum est in Thuringiæ & Hasiæ confinio) quo pacis ineundæ causa cum Saxonibus ab Imperatore missus fuerat, in Rudolphi electionem, Heinrico repudiato, contra legationis suæ fidem consentit. Verùm eam perfidiam egregiè in Colonienſi, paucis interiectis diebus, ultus est Deus. Adfuerat ei in Paschali solennitate Mimigardeuordēsis episcopus: quo abitum parante, de naui qua commodè ad sua redire posset, per satellites iubet inqui

ri archiepiſcopus. Illi ſui Domini autoritate freti, mercibus quandam onuſtam ad litus ſibi dari à nautis poſtulant. Quibus recuſantibus, illi uim intentant. Concurritur mox ad arma: eaq; occaſione ex fauilla maximum enatum eſt incendium. Tota enim urbs armis correptis, in archiepiſcopum cum ſuo hoſpite cœnantem magno furore irruit, miniſtri menſę aſtantes ex equo trucidantur: ipſe archiepiſcopus ægrè per medium hoſtium agmen, ſuorum ope, in D. Petri templum perducitur, archiepiſcopi bona prædæ patent omnia. Poſthæc templum oppugnare incipiunt, ſibiq; epiſcopum tradi, ſi ſuæ ſaluti conſultum uelint, expoſcunt. Interim epiſcopus per clandeſtinos meatus, per muros ciuitatis elabitur: ſed quarto expulſionis die militum ſtipatus multitudine, urbem ſine labore recuperat. Tanta uerò immanitate à militibus, inſcio (ſi tamen credere fas eſt) archiepiſcopo, ſęuitum eſt, ut in ſolitudinem ferè urbs, alioquin populoſiſsima, redacta ſit.

Porrò celebratur Annonis in pauperes liberalitas, in augendis clericis ſtudium, & munificentia erga eoſdem, in orando ſuauitas, in iudicando iuſticia, ſeuera ſuperſtitio in monachorum diſciplina aſtringēda. Siquidem monachorum Fructuariæ degentium mores, ſilentium & geſtus, ſuis imitandos propoſuit: parêre detrectantes, cœnobijs expulit. Inſtituit præterea congregationes S. Mariæ ad gradus, & S. Gregorij in urbe Sigebergum, Grafſchaft & Salueld. Atq; duorum Euualdorum martyrū, qui in eccleſia Chunberti humati erant, oſſa eruta capſulis impoſuit: ut eſt in catalogo Colonienſium.

Vlcere tandem fœtido in utroque pede exorto, & in crura ac fœmora uſq; ſerpente, caro putreſcens ita depaſta eſt, ut oſſa nudarentur: quo morbo diu tortus, expirauit 2. nonas Decembris, anno Chriſti 1075. iuxta Schafnaburgenſem: ſecundum Marianum uerò, 1077. Corpus eius Sigebergum, quod monaſterium ipſe fundauit, & ab alluente fluuio denominauit, delatum, in medio templi ſepultum eſt. Nauclerus uolumine ſecundo, generatione 36, ſcribit, eum in Lombardia defunctum, & inde oſſa eius ſub Friderico primo Sigebergum traducta, ipſumq; ſanctis annumeratum.

HILDOLPHVS.

Annoni Imperator ſuffecit Hildolphum, canonicum Goslarienſem, hominem deformem: teſte Schafnaburgenſi, & catalogo Colonienſium. quem anno 1079 mortuum aſſerit Trithemius, in Chronico Hirſaugienſi.

SIGEVVINVS.

Canonicus Eccleſiæ maioris Sigeuuinus, iuxta Annonis olim præſagium, poſt Hildolphum creatus eſt præſul Colonienſis: ſeditque annos 10. catalogus Colonienſium.

HERMANNVS.

Diues uulgò dictus eſt Hermannus, Sigeuuini ſucceſſor, cuius opulētia Eccleſiæ plurimum profuit: ibidem. Obijt autem anno Domini 1099, teſte Dodechino.

MOGVNTINI.

ERBO.

ERbo Bauarus, comes de Hohenuuart, non integrum poſt Vuillegiſum in Moguntina ſede egit annū: ut Bruſchius de Epiſcopis teſtatur.

HARINBALDVS.

Harinbaldus, quem & Erchenbaldum uocat Schafnaburgēſis, genere Saxo, S. Bauuardi Hildesheimenſis agnatus, ex abbate Fuldenſi Moguntinæ eccleſiæ præſul cōſtitutus, & à Baruuardo (quem diximus) conſecratus, ſanctæ Crucis collegio ſuum poſteris nomen commendauit. Idem. Moritur anno Domini 1020. Schafnaburgenſis.

ARIBO.

Ex familia Palatinorum ad Rhenum natus Aribo, tum aliarum diſciplinarum, tum Theologiæ peritiſsimus, in quindecim Pſalmos Dauidis, qui à Gradibus denominantur, teſte Trithemio, commentatus eſt. Dicuntur & alia quædam eius monumenta latêre. Obijt anno ſui regiminis undecimo, qui fuit Domini 1031. Bruſchius de Epiſcopis.

BARDO.

Poſt Aribonem, in Moguntinam ſedem conſcendit Fuldenſium abbas Bardo Vuederouianus, nobili familia Oppershouia, ex patre Alberto & matre Chriſtina ortus: uir prudentia, ingenij acumine, eruditione & eloquentia adeò inſignis, ut Chryſoſtomi nomen apud uulgus obtineret. Huius tempore Synodus celebris fuit Moguntiæ, cui Romanus pontifex Leo nonus, & Heinricus tertius Imperator cum 42 epiſcopis interfuerunt. Actum eſt ibi de pace Galliæ reſtituenda, quæ paſsim bellis & factionibus ardebat. Feliciter ſuam functionem adminiſtrauit annis uiginti, rebus humanis anno 1051 exemptus. Schafnaburgenſis.

LVITPOLDVS.

Luitpoldus Bardonis ſucceſſor, monaſterij S. Iacobi extra Moguntinæ urbis mœnia fundatione celebris eſt. Obijt anno 1059. Schafnaburgenſis.

SIGEFRIDVS.

Baro de Eppenstein, & abbas Fuldensis Sigefridus, Luitpoldo surrogatur. Hic tertio gubernationis suæ anno, cũ multis alijs profectus est spectatum Domini sepulchrum: inde reuersus, collegium S. Mariæ condidit: ac Rudolphum Bauariæ ducem, Imperatorem solenni ritu renunciauit. Ea de causa ab Heinrico quarto uictore, quem antè acriter oppugnarat, loco motus, Hasungi (quod est cœnobium Hasiæ) in exilio uitam finijt, anno pontificatus 24, Domini 1084. Bruschius de Episcopis.

VVETZILO.

Vuetzilo eruditione, pietate & facundia insignis, Sigfrido succedere iussus, partes Heinrici quarti, cùm aliàs, tum in conuentu Berchacensi acriter defendens, aliorum episcoporum odium adeò incurrit, ut multis sæpe iniurijs & calumnijs ab ijsdem peteretur. Moritur anno administrati muneris quarto, Domini 1089. Crantzius libro quinto, cap. undecimo Saxoniæ. Bruschius de Episcopis.

RVTHARDVS.

Ruthardus, quem Richardum Dodechinus uocat, abbas cœnobij S. Petri Erphurdiensis, eodem quo Vuezilo obijt anno, locum apud Moguntinos sortitus est. Inde per quartum Heinricum eiectus, octenniũ ferè apud Thuringos & Saxones exulauit. A' quinto restitutus, Ringouiæ Iohanni sacrum condidit cœnobium: ubi post mortẽ tumulatus est, anno 1109. Idem.

TREVIRENSES.

LVDOLPHVS.

LVdolphus Treuirorum episcopus, cum quod officij ratione ageret, fortè non haberet, urbem suam muro uestiuit. Præclarum sanè opus episcopi, ouiculas suas nõ septis, sed muro firmissimo munientis.

MEGINGAVDVS.

Post Ludolphum Adelbero, Imperatricis frater, episcopatum ui inuasit. Verùm Heinricus illo repudiato, Megingaudum anno 1008 suffecit. Contractus. Qui de Ecclesiæ bonis multos sibi concilauit amicos, & episcopatum Confluentiam transtulit: ut in catalogo Treuirẽsium annotatur. Obijt anno 1015. Contractus.

POPPO.

Megingaudi successor Poppo, Ludolphi Austriæ ducis filius, ut Antichristi charactere insignior esset, pallij & crucis sibi præferendæ usum à Romano pontifice impetrauit. His & aliæ accesserunt notæ, quibus lupum sub ouina pelle latentem prodidit: superstitiosa nimirum in Terram sanctam peregrinatio, putridorum ossium cultus, & Simeonis monachi cuiusdam Palæstini in deorum album relatio. eiusmodi enim opera Trithemius in Hirsaugiensi Chronico prædicat. Mentitur Treuirensium episcoporum Catalogus, per hunc Danos miraculosè conuersos esse. diuersum enim testantur historiæ, quæ superiori seculo sub Otthone primo id factum asserunt, & à Bremensi Danis missos doctores. Pontificatum tenuisse scribitur annis 41. Ibidem.

EVERHARDVS.

Illustri natus loco Euerhardus, ex præpósito canonicorum in urbe Vangionum, Treuerensium factus est episcopus, Poppone è rebus humanis exempto, anno 1057. Hic quoq; characterem bestiæ accepit. Nam à Leone & Victore secundo ecclesiæ suæ privilegia confirmari curauit, & ab illo præterea mitram Romanam in sacris gestandam accepit. A' baptismi consecratione aliquando in templi aditum reuersus, ad crucem ibi depictam infulatus subitanea morte corruit. O' iustum Dei, in blasphemum, iudicium. Ibidem.

CONRADVS.

Euerhardo rex Conradũ, Goslariensem præpositum, inuitis clero & ciuibus, suffecit, anno 1066. Quare ad ecclesiam suam ipsum tendentem, Theodoricus quidã comes ditionis Treuirensis, captum, quatuor militibus necandum dedit. Qui cum terna ex præcipitio in terram deiectione, præter luxatum brachium, nullum membrum læsisset, militum quidam pœnitentia ductus, ab eo facti condonationem impetrauit. Alter uerò collum episcopi amputaturus, maxillam eius tantum abscidit: ex quo uulnere tandem expirauit, Calendis Iunij: & Doleiæ, cœnobij nomen, est sepultus. Contractus.

VDO.

Heinrici quarti, cleri populiq; suffragijs ad eam dignitatem euectus, Imperatori malam rependit gratiam Vdo: dum ab ipsius communione, in gratiam Antichristi Romani (teste Schafnaburgensi) abstinuit. Templi cuiusdam D. Petro sacri extructionem perfecit. Anno 1077, in obsidione castri Tuuinglię obijsse scribitur, in Catalogo Treuirensium.

ENGELBERTVS.

Engelbertus natione Bauarus, Heinrici causæ in primis addictus, ex præposito, per eundem, post Vdonem, episcopi locum sortitus est, & à Verdunensi Theodorico consecratus. Vt ecclesiam suam bonis augeret, prima ei cura fuit, & ob liberalitatem in egenos commendatur. Obijt anno 1101, cũ

pontificatum administrasset annis 22. Ibidē.

BVRCHARDVS.

Burchardum Treuirensem præpositum, Heinricus Imperator ad Rutenorum regem ablegat: ut pro Demetrio, qui regno eiectus fuerat, restituendo laboret. Qui re feliciter expedita, multo onustus auro ad suos redijt. Claruit autem sub annum 1075. Schafnaburgensis.

CONSTANTIENSES.

LAMBERTVS, RVTHARDVS.

LAmbertus Petershusensis monachus, post Gebhardum ad Constantiensem ecclesiam accitus, phthirasi (ut Bruschius annotat) perijt, anno 1017, iuxta Contractum. Post quem Ruthardus, ad annum usque 1022, eidem præfuit ecclesiæ. Ibidem.

HAYMO.

Haymonis consilio, qui post Ruthardū egit episcopum, principes de Imperatoris electione dissentientes, post multa demum iurgia Conradum in imperij fastigium substituunt: teste Bruschio. Altero abhinc anno, qui fuit Christi 1026, in uiuis esse desijt. Contractus.

VVARMANNVS.

Comes Dillingensis Vuarmannus, inter monachos Augię diuitis, eruditione, morū integritate, prudentiaq; adeò fuit celebris, ut Hermannus ducis Bauariæ filius ipsi erudiendus traderetur. Quæ res occasio fuit, ut ad Constantiensis ecclesiæ gubernationem uocaretur, cui annos octo præfuit. Bruschius de episcopis Germaniæ.

EBERHARDVS.

Antecessoris frater Eberhardus, sedit annos 13. Romę, quò cum Imperatore ad tollendum trium pontificum schisma se contulerat, nocte natalem Domini sequente subitò expirauit: atq; in porticu S. Petri sepultus est, anno Domini 1047. Hermannus Contractus, & Bruschius.

THEODORICVS.

Aquisgrani & Spiræ præpositum egit aliquandiu Theodoricus: sed ab Heinrico tertio, apud quem & capellani & cancellarij munera simul obierat, Constantiensi Ecclesiæ præfectus est. Consilium papæ de causa quadam graui expetiturus, Romam abijt: uerùm à reditu intra paucos dies apud Constantienses defunctus est, & in æde S. Stephani humatus, anno Domini 1051. Schafnaburgensis, & Bruschius.

RVMOLDVS.

Ob ingenij dotes, & uitæ castimoniam, Hericus tertius Imperator Rumoldo (quē alij & Grimoldum appellant) filiam suam Mathildem docendam & informandā dedit. Fuitque aulæ capellanus, & Goslariæ præpositus, tandem Imperatore annuente in episcopatum Constantiensem irrepsit. Templum collegij, ipso episcopo existente collapsum, maximis statim sumptibus (ne uidelicet Baalitico cultui quid decederet) restaurauit, latiusq; & splendidius reddidit. Vitam cum morte commutauit anno Domini 1069. Bruschius.

CAROLVS.

Carolus patria Thuringus, & Magdeburgēsis canonicus, ab Heinrico quarto ad gubernationem ecclesiæ Constantiensis missus, in magno apud suos Canonicos subinde tiū fuit precio. Erat enim corpore procero & suspiciēdo, in oratione, actionib. & consilijs cautus & grauis. Pòst à Canonicis ad Alexandrum secūdum delatus, quòd simoniæ reus, suaq; cōmoda Ecclesiæ saluti præferret, ab Alexādro Moguntiā ad synodum uenire iussus est: inqua à Sigifrido eius loci archiepiscopo, applaudentibus cæteris, in monasterio S. Martini, ubi patrum erat consessus, munere suo abdicatur, nec ei Imperatoris uel præsentia uel studium prodesse potuit. Magdeburgum inde reuersus, mœrore animi paulo pòst contabuit, anno Christi 1071. Testes sunt Marianus Scotus, & Bruschius.

OTTHO.

Eiusdem, quam diximus, Synodi authoritate, Carolo Ottho canonicus Goslariensis, de consilio quidem Imperatoris, substituitur: quem Moguntinus sacris pro more ceremonijs initiauit. Cæterùm hoc Otthone ad ecclesiam suam ablegato, fecerunt Imperatorem ad familiares suos dixisse: Constantiēses sapientiam & prudentiam Caroli ferre non potuerunt, ideo nūc eis stultum mittimus. Sed uidentur hæc ficta ab æmulis. Non enim prorsus ineptum tanto muneri fuisse, uel inde satis apparet, quòd decretis Romanorum tyrānorum de cœlibatu sacerdotum nequaquam subscripserit, sed ut impietatis plena improbarit & reiecerit, teste Nauclero. Expulsus inde iussu Gregorij septimi, à Rudolpho & alijs, Basileam se contulit, anno administrationis suę tertio: atq; illic in exilio, quod episcopatui Cilimbresi à Cęsare obtato antepositum fuit, diem clausit extremū.

Exulante Otthone, Cæsar primò Rubertum, post hunc Bartoldum, capellanos suos, Constantiam misit: sed neuter à canonicis benignè exceptus est. Annis sex uagati sunt, nunc hanc nunc illam diœcesis partem occupantes; sed inde non tam ipsorum

ipſorum, quàm Cæſaris odio, qui pontificis ſtatuta improbaret, eiecti ſunt. Bruſchius, de Epiſcopis.

BERNOLDVS *Presbyter.*

Sub Heinrico quarto Bernoldus quidã Conſtantienſis eccleſiæ presbyter, Romanum ordinem compoſuit. Honorius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis.

BVRCHARDVS BASILEENSIS.

Moguntini antiſtitis camerarius Burchardus, Baſileenſis factus eſt epiſcopus, anno Domini 1072, teſte Schafnaburgenſi: qui unà cum alijs, Hildebrandi ſectam exploſit. Auentinus lib. 5.

AVGVSTANI.

SIGEFRIDVS.

ANnis ſex & dimidio præfuit eccleſiæ Auguſtanæ Sigefridus, parumq; laudis (teſte Bruſchio) inde reportauit. Defuncto anno Domini 1009, & in antiquo choro templi Mariani, ad latera anteceſſorum humato, tale Epitaphium quidam fecit:

Omnia ſubſidunt, ater cinis omnia ſumit,
Omnia nata ruunt, omnia prætereunt.
Ecce Luitolphum, Gebhardum, tum Sigefridum,
Non uetuére mori forma genuſq; ſui.
Vrbis præclari requieſcunt hic tumulati,
Qui docuêre greges, ordine pontifices.
Modò ſublati uiuant in pace beati,
Qua ſine nocte dies, qua ſine fine quies.

BRVNO.

Heinrici ſecundi Imperatoris frater, Bruno, à clero creatus epiſcopus Auguſtanus, ædificationibus, quam primam ſui muneris putabat curam, plurimùm occupatus fuit. Collegium enim S. Afranij conuertit in monaſterium Benedictinorum, S. Vldarico dicatum. Καμήλια autẽ Afraniana, collegio S. Mariæ cõtribuit. Iniquius tulit Bambergenſis epiſcopatus cõſtitutionem: eoq; fratri moleſtias ſæpius creauit, qui patientia & diſſimulatione eũ tandem uicit. Nauclerus uolumine ſecundo, generatione 34. Huius pontificis temporibus, Auguſta à Guelphone Bauariæ duce expugnata & direpta eſt. Verùm Conradus Imperator ex Italia reuerſus, Guelphonem ad compenſanda urbi & Eccleſiæ illata damna compulit, epiſcopo urgente: cui Imperator interea filij curam commiſerat. Diem ſuum in comitijs Ratiſponenſibus, ab Imperatore indictis, obijt: ibiq; in templo S. Mauricij ſepultus, anno 1031. Bruſchius de Epiſcopis.

EBERHARDVS.

Eberhardus, qui & Eppo & Gebhardus à nonnullis nuncupatur, ſedit annos 18. Idem.

HEINRICVS.

Heinricus robore & uenuſtate corporis atq; acumine ingenij præſtans, ab Heinrico Tertio, cui ab intimis fuerat cõſilijs multis annis, eccleſiæ Auguſtanæ poſt Eberhardum præfectus eſt. Sed inſolentia, ſeueritate & faſtu, multorum animos à ſe auertit. Ad hæc, nimis familiariter, remotis arbitris, cum Imperatoris coniuge Agneta conuerſari uiſus eſt: quæ res non modò ſuſpicione non caruit, uerùm ipſi extremum attulit exitium. Imperator enim re cognita, epiſcopo uim intentat: miſſoq; milite, eum capere iubet. Qui cum in arcem Falckenſtein ſe abdiſſet, obſidione cinctus eſt. Etſi autem locus iſte ſatis eſſet munitus, & ſecum 500 circiter armatos uiros haberet epiſcopus: tamen uitam pactus, deditionẽ facit. Rex quidem reliquos impunè abire permittit: at epiſcopi pudenda, lignea cuſpide transfigit, ſicque Auguſtam redire iubet. Verùm in itinere ex uulnere interijt Heinricus, anno Chriſti 1063: ut referunt Hermannus Contractus & Schafnaburgenſis.

IMBRICVS.

Ex comitibus Leiningenſibus originem traxit Imbricus, præpoſitus Moguntinus: quem propter aſtutiam & orationis lepõrem, Heinricus quartus fecit Auguſtanũ epiſcopum; eumq; quotannis tum fauoris, tum conſilium in arduis negocijs petendi gratiâ, intuſſere ſolitus eſt. Tantum etiam apud reliquos Imperij proceres autoritate & eloquentiâ ualuit, ut diſſentientes ſæpius oratione ſolum flecteret, litesque dirimeret. A Longobardis, ex legatione qua Imperatoris nomine fungebatur, interceptus, linguæ facundia ſe liberauit.

Ædificauit præterea cœnobium Martinianum, & ſacellum S. Gertrudis, nec non monaſterium Vlricanum auxit, & eius pulcherrimum templum dedicauit. Pauperibus eleemoſynas larga manu erogauit. Deceſſit anno 1077, & in collegio ſepultus eſt. Bruſchius.

SIGEFRIDVS.

Illuſtri comitum familia ortus Sigefridus, plurium canonicorum uotis eligitur epiſcopus, reliqua multitudine Vuigoldum quendam expetente. Quæ diſſenſio maxima urbi & diœceſi peperit mala. Sigefridus enim Auguſtæ, & Vuigoldus Fuſsij ſedem habuit: & uterq; ſibi finitimos adiunxit, quorum præſidio ſe rerum potiri poſſe ſperabat. His de dignitate diſceptantibus, Leopoldus Auſtriæ & Hermannus Sueuiæ duces, Cæſaris in Italiam profectione freti, urbem obſident, expugnant, diripiunt, & incendio maximam

ædium priuatarum & sacrarum partem perdũt. Erat enim Sigfridus pluribus inuisus, quòd Imperatoris contra Romanum pontificem faueret partibus. His cum præda uix porta egressis, Vuigoldus cum suis in urbem irruit, ab alijs relicta rapit: canonicosque, à quibus antea spretus erat, indignis modis tractat. Reuersus autem Imperator in Germaniam, ad compensationem damnorum compulit duces, & cum Sigfrido urbem ingreditur. Cuius beneuolentia & promissis erectus episcopus, diruta restaurat, & ablata quacunque ratione recuperat. Exinde nondum quadriennio pacis exacto, Guelphus, quem Sigfridus ecclesiæ suæ patronum exemplo maiorum non agnoscebat, Augustam obsidione premit: ac licet ab expugnatione semel atque iterum repulsus esset, tamen proditione secunda feria Paschatos, anno millesimo octuagesimo octauo ea potitus est. Commissum est intra mœnia prælium atrox. multis denique trucidatis, episcopus captus est. Post hæc Vuigoldus denuò in urbem redijt, & Guelphum patronum ecclesiæ Augustanæ salutat: sed deformitate rerũ commotus, mox Fulsium regreditur, ubi intra paucos menses rebus humanis exemptus est. Huic Guelphus suffecit Vuernerum quendam, qui antequam Augustam inuiseret, expirauit. Post hunc Eberhardus abbas diuitis Augię uocatus est: sed in itinere morbo correptus, domumque reportatus, paulo pòst expirat. Eadem fuit & abbatis de Campis fortuna. Tandem post integrum ferè triennium, grandi ære ex captiuitate redemptus Sigfridus, Augustam reuersus est: nec inde multos uixit annos. Mortuus est anno Christi millesimo nonagesimo sexto, suæ uerò administrationis decimo octauo ut Bruschius refert.

ARGENTINENSES.

VVERNHERVS.

VVernherus Argentinensis, templorum ædificia & ornatum præcipuè curauit, ut in cathedralis ecclesiæ structura magnificentissima uidere est: & Burgundos prædas agentes, ex sua diœcesi expulit. Mortuus est anno Domini milesimo uigesimo nono, cum præfuisset annis 21. Schafnaburgẽsis & Bruschius.

VVILHELMVS.

Vuilhelmus à clericis communi uoto Vuernero substitutus, eiusdemque uestigijs insistens, templorũ ornatui solùm studuit. Nam monialium cœnobium Eschouiam locupletius reddidit: & S. Thomæ ædem fulmineo igne combustam, & Columbani famũ collapsum instauauit, cuius tutelam S. Petro cõmisit. Prouinciam suam annis nouẽ administrauit. Sepulchro eius hos uersus incisos, testis est Bruschius:

Mille quater denos & septem uiderat annos
Christus, Guilhelme hoc cum tegeretur solo.
Argentinensis fueras qui præsul, & octo
Fratribus hanc ædem denuò munieras.

HEZELO.

Hezelo nouum collegium à Guilhelmo anteceſſore inchoatum, ædificijs & numero canonicorum auxit. nam sex canonicis, totidem adiecit. Literis publicis maiorum exemplo ita nomen suum solebat præfigere: Dei gratia Hezelo indignus pastor Argentinensis. Sedit annos octodecim, & sepultus est in templo noui collegij sancti Petri, anno Domini 1065, ibidem. Sub annum Christi 1051, Herrandum ab Imperatore suffectum Vuilhelmo, testis est Hermannus Contractus.

VVERNERVS.

Vuernerus, illustri comitum Habsburgensium genere ortus, succedit propinquo suo Hezeloni, anno ætatis suæ quadragesimo: & post decimum quartum annum in uiuis esse desijt. De genere mortis eius diuersæ sunt autorũ sententiæ. Alij eum Constantinoplin in exilium ire iussum ab Heinrico quarto, & in itinere obijsse aiunt. alij uerò, eum ex equo delapsum, cum Hirsaugiensibus monachis bellum intentaret, perijsse asserunt. Chronicon Hirsaugiense, & Bruschius de Episcopis Germaniæ.

DIPOLDVS.

Dipoldus, seu (ut alij uolunt) Theobaldus Argẽtinensis, interfuit concilio, quod Heinricus quartus Brixiæ contra Gregorium septimum habuit, ubi Rauennatensi Romana sedes attributa fuit. Obijt anno 1084. Bruschius.

OTTHO.

Otthoni comiti de Hohenstauffen, post Dipoldum, Henricus quartus, cùm propter singulares ingenijs dotes, tum propter Friderici fratris petitionem, eundem episcopatum gubernandum dedit. Hierosolymis post peractum feliciter bellum sacrũ reuersus, præpositurã S. Fidis Schletstadij condidit, eique S. Crucis nomen indidit, quòd templi Hierosolymitani repræsentaret imaginem. Anno Domini 1100 è rebus humanis excesit. Ibidem.

SPIRENSES.

GVALTHERVS.

GValtherus Spirẽsis episcopus uigesimus quartus, adeò Hẽrico & Cõrado Imperatorib. charus fuit, ut in gratiã ipsius & bonis & nouis

nouis templorũ extructionibus, episcopatus ille mirum in modum ipsorum crescere beneficio. Mortuus est autem Gualtherus anno Christi 1031, pontificatus uerò sui 26. Bruschius de Episc. Germaniæ.

SIGFRIDVS, REGENHARDVS.

genhardus.

Gualtherum secuti sunt Sigfridus & Regenhardus: quorum hic menses duos, ille uerò undecim locum tenuit. Ibidem. Sigfridum inopinata morte surreptum, in Spirensi historia scribitur.

REGINBALDVS.

Reginbaldus comes à Dillingen, primus apud Augustanos ad S. Vlricum monachorum abbas, ob eruditionis & pietatis opinionem à clero Spirensi anno 1032 ad munus episcopale accitus, singulis diebus Dominicis cõmissum sibi gregem diuino uerbo erudijsse dicitur. Ipsius etiam opus est magna illa corona, quę in templo ibidẽ dependet. Idem. Anno 1039, mense Octobri, rebus humanis exemptus est. Contractus.

SYBICHO, ARNOLDVS, *Conradus.*

Annis undecim Sybicho ecclesiam Spirensem gubernauit: & anno 1051, 13. Calendas Martij (teste Bruschio, de Episcopis Germaniæ) obijt. In Spirensi uerò historia, ob reliquiarum curam cultũq; celebris est. Huic Arnoldus succesit, de quo nihil memoria dignum in literas relatum est, prẽter obitus annum 1056. Contractus. Et de successore Cõrado proditum est, quòd annos ferè tres sederit.

EINHARDVS.

Ex Lympurgensi abbate, à clericis Spirensibus ad gubernationem Ecclesiæ uocatus Einhardus, ab Henrico IIII cõfirmationem omnium priuilegiorum, quibus ecclesia Spirẽsis superioribus sẽculis donata fuerat, impetrauit: & solũ in id toto gubernationis tempore, quod annorũ fuit octo circiter, incubuit, ut bonis temporalibus sua ecclesia augeretur: de religione, ut uidetur, parum sollicitus. Iuxta Schafnaburgẽsem, 1067 ex hac uita decesit.

HEINRICVS.

Familiaris fuerat Heinrico IIII puero, Goslarienſis præpositus Heinricus. Mortuo itaque Einhardo, Imperator eum ętate ad tantum munus non satis maturum, ecclesiæ Spirensi, inuitis canonicis obtrusit. Ab antecessoribus collecta & emendicata bona luxu & prodigalitate ita diminuit octennij spacio, quo Ecclesię præfuit, ut anhui reditus uix ad semestre sufficerent. Subitanea autem interijt morte, anno 1075, teste Schafnaburgensi.

ROTGERVS.

Nobili & uetusta Hutzmannorum familia Spiræ natus Rotgerus, post prodigum (quem diximus) unanimi consensu à clero & populo patriæ suæ eligitur episcopus, Heinrico quarto comprobante. Huius beneficio & parsimonia, ecclesia bonis suis exhausta, nonnihil cœpit melius habere. plura enim per Imperatorem recuperauit bona. Posthæc ad patriæ incrementum & decus se conuertit, ac suburbium cum fluuio ipsis mœnibus urbis inclusit, anno Domini 1084. Defunctus est Rotgerus anno Christi 1090, & in choro S. Guidonis humatus. Bruschius de Episcopis.

IOHANNES.

Iohannes, Heinrici IIII ex filia nepos turbulentissimo tempore ad ecclesiæ Spirensis gubernationem accessit. Durabat enim tum schisma inter Imperatorem & Romanos põtifices. Antecessoris exemplo tãtum bonis acquirendis operam dedit, ab eoque cœpta ædificia perfecit. Obijt anno 1104. Ibidem. Iudęorum patronum pecunia corruptus egit acrem: in quorum gratiã etiam Christianorum aliquos, hæc catharmata molestantes, interfecit. Historia Spirensis.

VVORMACIENSES.

BVRCHARDVS.

BVrchardus, nobili apud Hessos genere natus, industrius, eruditus, & compluribus charus fuit. Ex cœnobio Laubachensi Moguntiam à Vuilligiso uocatus, monasterij Victoriani præpositus factus est. Cuius uirtutes cum & apud uulgus decantarentur, Otthò tertius Franconi Romę olim factam promissionem in mentem reuocans, hunc Burchardum Vuormacienſibus dat episcopum, à Vuillegiso consecratum.

Suæ pietatis specimen editurus episcopus, Heinrico Cæsare sumptus suppeditante, duo monachorum collegia erexit, alterum S. Petro, alterum S. Andreæ sacrum. Bruschius de Episcopis. Prẽterea Canonum uolumen ex uarijs autoribus, opera Osberti Gemblacensis abbatis, sui olim magistri, congestum, edidit sub annum Domini 1008. Sigebertus in Chronico. Scriptorum Catalogum, unde collectio facta, ipse suo operi præfixit.

Ex canonibus, q corpus Canonũ uocantur.
Ex Apostolorum Canone.
Ex transmarinis concilijs.
Ex concilijs in Germania, Gallia, Hispania celebratis.
Ex Romanorum pontificum decretis.
Ex Euangelicis Apostolicisq; scripturis.

Ex ueteri Testamento.
Ex libris S. Gregorij.
Ex Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Benedicto, Basilio Magno, Isidoro.
Ex pœnitentiali Romano.
Ex pœnitentiali Theodori.
Ex pœnitentiali Bedæ.

Anno Domini 1025 dysenteria, cum iam multis annis paralysi laborasset, mortuum, in uita eius scribitur, atq; hoc ei epitaphiũ factum ait Bruschius:

Robora Burchartus ex nomine denotat artis:
Et quod nomen habet, maxima facta probant.
Vangio nam per eum fossas & mœnia, turres,
Aedificat rursus depopulata prius.

AZECHO.

Azechonis, qui episcopatum post Burchardum tenuit annos 19, tale Epitaphium extat apud eundem:

Sobrius Azecho sua pocula miscuit unda,
Nam fuit à Nassau nobilitate satus.
Vangionensis apex titulum cum nomine prodit,
Illustris mundo, talis in æde poli.

ADELGERVS.

Adelgerus ab Heinrico III, cuius cancellarius & intimus cõsiliarius erat, missus est ad regendam ecclesiam Vuormacienſem, cui uix semestre præfuit. Sub hoc canonici superflua rerum copia luxuriantes, deposito habitu monachali, facti sunt sacerdotes seculares. Anno 1044, uiuere desijt Adelgerus. Ibidem.

ARNOLDVS.

Arnoldus Adelgeri successor, obtinuit episcopatum annis 20, mensibus 8. Huius tempore præsentibus Heinrico III Imperatore, & Leone 9, insignis tum principum tum episcoporum conuentus Vuormaciæ fuit, unde uersus illi ad nostram usq; ætatẽ conseruati sunt:

Præsul ut Arnoldus partes pastoris agebat,
Nonus papa Leo te Vangio sanctificabat,
Natalem Domini cultu celebrans meliori,
Ergo Deus tribuit sat tempore te meliori.

ADELBERTVS.

Adelbertus frater Rudolphi ducis Sueuiæ, corpore monstroso (altero enim pedũ claudus) supra modum uorax, & corpore ita obeso & crasso fuit, ut aspicientibus incuteret horrorem: atq; ipsa adipis mole tandem suffocatus est, anno 1070, 8. Idus Augusti. Chronicon Hirsaugiense.

ADELBERTVS.

Adelbertus per Heinricum quartum episcopus Vuormacienſis factus est: sed ab eodem postea, quòd aduersariorum tueretur partes, loco motus, in exilio multos annos uixit. nam à quinto demũ Heinrico ad prior rem dignitatis locum iterũ peruenit. Sub annum Domini 1108, in uiuis esse desijt. Bruschius.

VVIRTZBVRGENSES.

HEINRICVS.

HEinricus Herbipoleos episcopus, & Bernuuardi antecessoris agnatus, ob corporis staturã iusto minorem uulgò dictus est Hezeling. Pietatis hypocriticæ opera sunt, duo rũ in suburbio Herbipolensi monasteriorũ fundatio: quibus alia duo, alterum Onoldesbachij, alterũ uerò in Laufensi arce ad Necharum, adiecit. Doctrinæ & fidei uestigia nulla extant. Decessit anno Domini 1018. Bruschius de Episcopis.

MAYNARDVS.

Charus erat Maynardus Henrico II: eoq; tum priuilegijs multis, tum monetam cudendi facultate donatus est. Mortuus est anno Domini 1033, episcopatus sui 15, mense 10. Ibidem.

BRVNO.

Bruno, Conradi Carinthiæ ducis filius, Conradi Imperatoris (cuius patruelis erat) beneficio Herbipolensium factus episcopus, hoc præ suis antecessoribus peculiare habet, quòd Sacrarum literarum magis studiosus fuerit. Ex patrũ enim scriptis, totius Psalterij enarrationem non sine labore comportauit: & Athanasij symbolum explicuit. Ac licet suprà Capite quarto, quid de doctrinæ Christianæ capitibus senserit, inde testimonia adscripserimus, pauca tamen hic etiam annotare uisum fuit.

De Deo inquit: Iustus iudex dicitur Deus, quia tribuit unicuique in fine quod gessit. Fortis, quia nullus ualet resistere uoluntati eius. Et patiens, quia quotidie expectat, ut conuertat se peccans in pœnitentiam. Irasci enim iudicum more dicitur, cum illud in diuinitate non inuenitur. Per singulos dies, id est, cunctis momentis, quibus peccata committimus. Nam ubi esset gloriosa patientia, si mox sequeretur sua uindicta culpam? In Psalmum 7. Item: Deus nullo indiget adiutorio. Nam licet angeli & multi iusti faciant mirabilia, non soli tamen, sed adiuuante Domino perficiunt.

De Christo: Intellectus iste certus est, ut cum Dauid patrem dicamus Domini Christi (ut cæcus in Euangelio, Miserere mei fili Dauid) secundum carnem intelligamus: secundum diuinitatem uerò, seruum fateamur esse ipsum Dauidem Christi: sicut ipse ait, Dixit Dominus Domino meo. in Psal. quinquagesimũ quartũ. Et non in Christo naturarum

naturarum commixtio est, ut uel diuinitas mutaretur in naturam humanitatis, uel humanitas conuerteretur in naturam diuinitatis: sed utriusq; naturæ manet sua proprietas in perpetuum. tanta tamen coniunctio est naturarum, ut idem qui æternaliter ex Deo patre genitus est, sit homo uerus: & ille qui natus est temporaliter ex uirgine, Deus sit uerus: propter susceptum hominem, homo uerus. Personam quippe Filij Dei, non ex duabus naturis existere credimus: dicere autem, duabus personis compositam, ut nephas uitamus. Super Symbolum Athanasij. Item: Christe Domine, uerbum patris, per quem cuncta creata sunt, & creantur. in Psalmum 44. Item: Deus salutis significat Christum, per quem salus piè credentibus datur. in Psalmum 50.

De lege: Lex dicitur, eo quòd animos nostros ligat, suisq; teneat obnoxios constitutis. In Psalmum 1.

De fide: Ante omne opus necesse est, ut fides præcedat: ante omnem operationem, ante omnem inchoationem, ante omne principium, unicuique opus est ut teneat catholicam fidem: dicente Apostolo, Sine fide impossibile est placere Deo. Vnde Abacuc propheta ait: Iustus autem ex fide uiuit. Fides, credulitas est, qua scilicet uera citer credimus, id quod nequaquam uidere ualemus. unde Apostolus ait: Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. Dicitur namque fides, eo quòd sit inter Deum & homines. Istam fidem, istam credulitatem, ante omnia opus est habere nobis: quia fides fundamentũ est omnium uirtutum. & ideo prius ædificamus fidem, quę est fundamentum: & super eam cæteras uirtutes, quia sine fide nullus saluus esse potest. In expositione Symboli Athanasiani.

De oratione ait: Omnia Deus agnoscit, etiam cum non rogatur. Festina, sic dicitur, quasi misericordia diuina tardaret: sed tardum uidetur ei auxilium, qui de huius seculi clade liberari festinat. In Psalmum 69. Item: Non aliud cogitandum est, quando clamatur ad Dominum. In sola enim religiosa cogitatione debet totus Spiritus occupari, ne mens diuisa nequeat, quod postulat, impetrare. In Psalmum 118.

Cruce homines ad preces moueri. Tunc, inquit, adiutorium poscimus, quando periculis subiacemus: ut tali remedio subleuati, calamitates diuersarum passionum uincere possimus. in Psalmum 69.

De Antichristo inquit: Talem intentionem habebit Antichristus, ut Christianum nomen de orbe terrarum funditùs deleatur, nesciens misereri. Quia dum sanctos Christi necare cupit, sanctorum numerum assidua persecutione complebit. Super Psalmum 82.

Cum reliquis huius ætatis errat, patrocinia defunctorum suis precibus ad Deum miscẽs. ut in fine Psalmi octogesimi octaui: Anticipa nos Domine misericordia tua, priusquã zelus iræ tuæ desæuiat, ut adiuti patrocinijs beatorũ, quorum propter te sanguis effusus est, propitiationem tuam cum peccatorum uenia mereamur.

Reliqua administratæ prouinciæ opera, cum cæteris communia habet. Cathedralẽ enim S. Chiliani ecclesiam magnificè extruxit, alijsq; templorum ædificijs ornatum addere non neglexit.

Cum Mediolanum oppugnaret Conradus Imperator, Bruno, qui tũ ei militabat, aliquando sacris missarum peractis, sub quibus aeris intemperies suborta fuerat maxima, Imperatorem adijt: & sibi D. Ambrosium urbis olim præsulem apparuisse ait, & extrema quæq; interminatum ipsi, nisi discedat. quo prodigio (aut, si mauis, commẽto) obsidio soluta est.

Anno Christi 1045, cum Heinrico III in Vngariam profecturus, ruina cœnaculi, ubi ex itinere fortè diuerterant, cum multis alijs ita compressus est, ut septimo die expirarit. Cadauer Vuirtzburgum reportatũ, in æde S. Chiliani sepultum est: ipseq; Sanctorum catalogo adscriptus, ut referunt Bergomensis lib. 12, Hermannus Contractus, & Bruschius de Episcopis.

ADELBERO, MEginhardus.

Arnoldo Bauaro comite Laimbachensi patre, & regina matre natus Adelbero, canonicorum calculo ad episcopatum peruenit: in quo maiorum exempla imitatus est. Ex collegio enim S. Stephani cœnobium triginta Benedictinorum fecit, & monasterium Schuuartzachense collapsum reparauit. Verùm quod Romani pontificis partes strenuè ageret, ab Heinrico IIII, circa annũ Domini 1084, eiectus est sede: in eamq; Meginhardus quidam, ingenio & pietatis studio celebris, repositus. At Hermãni Lotharingi opera, post profligatas ex agro Herbipolensi Cæsaris copias, pulso Meginhardo eandem recuperauit. Anno sequẽti denuò occupata à Cæsare urbe, Adelbero in Laimbachense cœnobium à parentibus fundatũ profugit. Vnde cũ ab ipso Imperatore post Meginhardi obitum, anno Christi 1088, ad priorẽ dignitatis locum reuocaretur, ociũ monasticum turbis seculi prætulit, & in eo decessit, anno Domini 1090: teste Bruschio de Episcopis.

FRISINGENSES.

EGILBERTVS.

NObiliſsima Mersburgenſium comitũ ſtirpe ortus eſt Egilbertus Friſingenſium epiſcopus decimustertius. Is circiter annum Chriſti 1021, cum Heinrico 2 Imperatore monaſterium in monte Friſingæ uicino, Benedictinis conſecrauit, prædijsque non paucis dotauit. Obijt anno Chriſti 1039, ſuæ uerò gubernationis trigeſimoquarto: teſte Bruſchio de Monaſterijs.

NIZO.

Nizonem Friſingenſem epiſcopum, hominem ſuperbum & faſtuoſum, Rauennæ ſubita morte perijſſe, anno Domini 1052, Contractus annotat.

ELLENHARDVS.

Ellenhardus ſub Heinrico tertio, ſacellum Andreæ ſacrum Fruxini dedicauit. Auentinus lib. 5.

MEGINHARDVS.

Meginhardus quidam Friſingenſis epiſcopus, obijt anno 1098. cui ſucceſsit Heinricus, teſte Bruſchio de Monaſterijs.

EICHSTETENSES.

MEGINGOSVS.

MEgingoſus Eichſtetenſium epiſcopus, per quem Vuillibaldus primus eius ſedis antiſtes in Deorum numerum (more gentilium) relatus eſt, obijt anno 1014. Bruſchius.

GVNDECHARVS.

Megingoſi locum Imperatoris autoritate Gundecarus, uenationum ſtudioſiſsimus, ſortitus eſt: cuius permiſſu, Imperator nouo Bambergenſi epiſcopatui plura Eichſtadiano ſubtracta bona artribuit. Ibidem.

HERIBERTVS.

Natalibus, eruditione & prudentia celebris Heribertus, ſucceſsit Gundecaro: qui hymnos & cantiones complures, in eccleſia Eichſtetenſi decantari poſtea ſolitos, compoſuit. Templum collegij à fundamento eductum, latius & elegantius reddidit. Familiaris fuit Leodegario comiti Lechſgemundenſi, qui in augendis ædificis & bonis cœnobij S. Vualpurgis, quod in urbe eſt, eum adiuuit. Romam ab Imperatore ad põtificẽ miſſus Heribertus, exitinere reuocatus eſt. quod adeò iniquè tulit, ut ueſtigiò inciderit in ægritudinem: qua non ita multo pòſt, apud Friſingenſem epiſcopum amicum ſuum, ad quem languens diuerterat, extinctus eſt, anno Chriſti 1042. Funus uerò Eichſtadium relatum. Ibidem.

GEZMANNVS.

Anteceſſoris frater Gezmannus, communi cleri calculo electus, ſedit menſes duos. Hic cum Brunone Vuirtzburgenſi, dedicauit templũ S. Vualpurgis, & triduo pòſt obijt, 17. Octobris. Schafnaburgenſis, & Bruſchius de Epiſcopis. Cuius locum Gebhardus accepit, qui Romanus factus eſt pontifex, ut ſuo loco diximus.

GVNDECARVS.

Gundecarus Agnetæ Imperatricis ſacrificulus, ab Imperatore Eichſtetenſi ſede donatus, tribus turribus ſummum exornauit templum, lapideumq; pontem præterlabenti flumini impoſuit. Rebus humanis exemptus eſt anno Domini 1075, & funus ei factum eſt in ſacello Iohannis, ab eodem conſtructo. Magnam eius literæ humilitatem præ ſe ferre uidentur, quibus ſe peccatorem, & minimum inter S. Vuilibaldi fratres profitetur. Ibidem.

VDALRICVS.

Vdalricus, qui poſt Gundecarum ſedit, præter nomen ad poſteros nihil memoria dignum tranſmiſit: cum tamen curriculum ipſius ſatis fuerit longũ, uiginti nimirum & trium annorum. Obijt anno 1098.

RATISBONENSES.

GEBHARDI DVO.

ANno ſalutis 1023, acceptam Ratisbonenſem ſedem, uſque ad annum 1036 Gebhardus tenuit. Cuius ſucceſſor, eiuſdem fuit nominis. De quibus, præter nomina, nihil nouit poſteritas.

OTTHO.

Sub annum Domini 1060, eiuſdem Eccleſiæ gubernationem Ottho ſuſcepit, teſte Schafnaburgẽſi: qui deinde elapſo quinquennio, Hieroſolymam cum alijs, non ſine periculo uitæ adijt. Contractus.

CVRIENSES.

RVPERTVS, VLRICVS.

Rupertus, Curienſis epiſcopus, obijt anno 1005. poſt quem Vlricus annis decem ſedit. Bruſchius.

HARTMANNVS, *Dithmarus.*

Hartmannus, ex abbate Fabarienſi epiſcopus Curienſis, mortuus eſt anno Domini 1039. Poſt quem Dithmarus, compõbãte Imperatore, electus, annis triginta eãdem rexit nauiculam. Idem.

HEINRICVS.

Heinricus, Augiæ diuitis monachus, Dithmaro ſucceſsit. Hic licet concilio Moguntino contra Gregorium Septimum coacto interfuerit, tamen magis ſtetit à partibus papæ quàm Imperatoris. Cui ut moleſtias faceret Imperator, Guelphos, ut in perfidum ſuo nomine animaduerterent, incitauit

incitauit.qui cum rapinis, cædibus & igne diœcesin Curiensem fœdè popularentur, episcopus mœrore animi extinctus est, anno Domini 1078.Ibidem.

NORDBERTVS.

Nordbertus Bauarus, filius comitis de Hohenvuart, Augustani collegij præpositus, episcopatum à Guelphis occupatum ære grandi emit. Verùm in conuentu quodam Quedelburgensi, sede indignus iudicatus, exturbatusque est, anno 1085. In cœnobio Heppach post abdicationem à se constructo, uitam finijt: ut idem testatur.

BAMBERGENSES.

EBERHARDVS.

SAtis superq; nouo Bambergensi episcopatui, ab Heinrico 11 Imperatore, eiusque coniuge, fundatoribus locupletato, Eberhardus quidam omnium primus, anno 1007,ab ijsdem præfectus est,suamque gubernationem ad annos triginta quinque extendit.historia Bambergensis.

HARDVICVS, ADELBERO.

Eberhardo quarto sui episcopatus anno, ad Romanam sedem euecto, Harduicus aulæ cancellarius ab Imperatore in locum eius surrogatur, eique ad annum usque 1054 præfuit. Post hunc eandem ecclesiã gubernauit annos sex, & paucos insuper menses,Adelbero Bauarus, illustri loco natus.Historia Bambergensis.

GVNTHERVS.

In collegio Bambergensi à puero enutritus Guntherus, proceritate corporis, morum grauitate, linguarum cognitione facundiaque insignis, post administratum aliquandiu in aula Cancellarij munus,episcopali sede potitus est.Is ne Baalitico cultui defuisse putaretur, in honorem B. Mariæ uirginis & Gangolphi templa extruxit. Circa Salutis annum 1065, cum Moguntino alijsque episcopis in Palæstinam profectus,multas prægustauit calamitates. Bononiæ, cum iam ad suos pedem referrent peregrinatores, animam efflauit. Cuius exuuiæ Bambergam relatæ sunt anno 1066.Ibidem,Schafnaburgensis.

HERMANNVS.

Moguntinæ ecclesiæ alumnus Hermannus,Sigfrido episcopo ob singularem in rebus administrandis industriam charus, maximæ apud quosuis suæ diœceseos autoritatis, cum Guntherum (quem diximus) ex lõginquo itinere,cuius & ipse subierat unà molestias,exhaustum,mortiq; uicinum animaduerteret,legatos ad suos familiares domum præmisit, petitum ut quaqua ratione ad episcopatum Bambergensem aditum sibi patefaciãt.Quod (inquit Schafnaburgẽsis) illi sedulò fecerunt, profuso in coemptionem eius, argenti & auri inæstimabili pondere.

Graue ipsi certamen fuit cum clericis Iacobitis,extra suæ urbis mœnia: quos sedibus exturbârat, monachisque tradiderat. Eiecti enim eum restitutionem,quam anxiè flagitabant, impetrare non possent, principum opem implorant.Quibus etiam frustra opportunè & importunè,ut est hoc hominum genus impudens,tentatis, Romanum pulsant pontificem: ubi faciles eis præbentur aures.Accusatur,præter eiectionem, Hermannus de Simonia, periurio, malè acta uita, usuris, bonorum ecclesiæ profusione,& nescimus quibus alijs criminibus.Ea de causa à Romano pontifice excommunicatur: per legatos subditi iuramento, quo suo episcopo adstricti fuerant,ac per literas soluuntur, eiectique suo restitui loco iubentur. Hermannus à suis circumuentus,Moguntinum accessit, quo placatum iri aduersarios sperabat. uerùm tantum abfuit ut remissius agerent clerici, ut etiam arbitrum conuicijs incesserẽt grauissimis, quòd iure deiectum suo iuuaret patrocinio. Quin & apud Romanum pontificem pro eodem intercedens Moguntinus, penè gratia excidisset, quòd Simoniacum ordinasset episcopum. Hermannus lachrymis pontificem locum daturum ratus, Romam profectus, ad pedes pontificis supplex ueniam petit. Quibus adamantino pontificis corde uix moto,in monasterio reliquũ uitæ tempus transigere iubetur: utque ibi deinceps à cunctis in perpetuum actibus cessans, scandalizatam sua ambitione ecclesiam digna satisfactione defleret. Domum reuersus Hermannus,cum suis satrapis, quos multos ex Ecclesiæ bonis sibi deuinctos habebat,rem communicat: qui indignum asserentes,infimæ conditionis hominem indicta causa,nedum episcopũ,damnare,esse rẽ noui exempli:eamq; iniuriam nõ ad ipsum solum, sed omnes Bambergẽsis ecclesię defensores spectare: hortantur, ut ne latum unguem de suo cedat iure. Se enim quoduis periculũ potius uelle subire, quàm suæ ecclesiæ autoritatem pessimo hoc exemplo diminui.His ille erectus pollicitationibus,in urbẽ redijt,suumq; munus episcopale ultra tempus menstruum,ut prius,administrauit,ab altaris solum officio abstinens. Interea in urbe cessarunt sacra canonicis, ne pontificis fortè uel communione uel cõtagio inficerentur, discedentibus. Posthæc ipse quoque urbe relicta, in suorum primatum

tum uillis delituit. Tandem omni recuperandi episcopatum spe sublata, in Suartzachense se abdidit monasterium. Inde cum Ecberto abbate Romam profectus, acta pœnitentia anathemate liberatus est: accepta denuò potestate, præter pontificalem dignitatem, ad quoduis sacerdotale munus accedendi. Schafnaburgensis. Anno 1076 depositum Hermannum, in Bambergensi scribitur historia.

RVPERTVS.

Deposito Hermanno, crebris literis tum à Romano pontifice, tum clero Bambergensi, de dando successore solicitatur Imperator. ac licet ab Hermanno, cuius hactenus fidem & operam perspexerat, non esset alienus: tamen eo postposito, ut uidelicet de Vuormaciensi alijsque nonnullis, qui ab ipsius desciuerant fide, uindicandis (eum enim uulgi tum fuisse sermonem, Schafnaburgensis testatur) quoquo modo sterneretur uia, Rupertum Goslariensem præpositum, in Andreæ festiuitate consecrari fecit episcopum, hominem pessimæ fidei: quo duce, quicquid tandem præter regiam magnificentiam in Republica gestum hactenus fuerat, usus erat Imperator. Primates quidem ditionis Bambergensis alium episcopum, minus legitimè damnato adhuc superstite, sibi imponi, indignius ferebant. At clerici, licet & ipsis præter opinionem hoc acciderat, hunc tamen Imperatori intimum amplecti, quàm illum alterum papæ inuisum, cuiusque uitæ institutionisque lugubrem tragœdiam toto mundi theatro decantandam uulgauerant, recipere maluerunt.

Rupertus ut antè, ita & post assumptum episcopatum, Imperatoris partes non inter postremos egit. Iuuit enim suo suffragio, Gregorij septimi in Synodo Vuormaciensi damnationem: & ob id pontificis fulmẽ incurrit. Schafnaburgensis. Cum sedisset annos 26, obijt: anno 1102. Bruschius.

LEODIENSES, QVI ET *Tungrenses.*

BALDRICVS.

LEodiensium episcopus quadragesimus septimus, Baldricus, anno Domini 1008 factus, superstitione tumens, prædijs, decimis & reditibus alijs ecclesias & monasteria auxit, etiam in detrimentũ cognatorũ. Quin & comiti Arnoldo, eiusq; uxori Luitgardæ persuasit, ut pro animarum remedio Ecclesiam suorum bonorum hęredem facerent. Ac in Insula cœnobium S. Iacobo dedicatum constructum, anno 1014. Interceserit ei simultas quædam cum Lamberto Louanensium comite, quòd castellũ in uilla Hugardi erigi hic iniquius ferret. Vnde cũ ad arma peruentum esset, Leodiensium plurimi capti, & cæsi sunt. Baldricus uerò ipsa prælij hora, intra domesticos parietes expirauit. Catalogus Tungrensiũ, anno 1013: iuxta Sigebertum.

GOLBODVS.

Godfrido duce Montano, & Iohanna comitis Flandriæ Balduini iunioris filia ortus Golbodus, seu Volbodo, à teneris annis literis instructus, primò factus est monachus Stabulanicus, hinc decanus Traiectẽsis: postea, ob eruditionem, & duriorũ corporis exercitiorum ac libertatis famã Heinrici Imperatoris sacerdos, & cancellarius regni, & demũ episcopus Leodiẽsis, teste Iacobo Meier: anno 1017, iuxta Sigebertum.

De superstitiosa eius pietate, ex operibus licet iudicare. Nam ex minoribus templis in ædem summam, celebrioribus festis processiones, quibus plurimum dignitatis & sanctitatis inesse rudioribus persuaserat, fieri instituit. Aspera hyeme, in sacellis nudipes pernoctauit: continenti interorandum geniculatione callos poplitum obduxit, ut Iacobus Meier annotat. In angulis & ad aras inuentos munieribus affecit, pauperibus passim eleemosynas distribuit: quibus eam etiam pecuniam erogauit, quam iussu consiliariorum ad Imperatorem offensum sibi reconciliandum collegerat. Moribundus uilem lectum, psalmodiam astantium, & asperfionẽ aquæ cõsecratę, sibi in tantum prodesse putauit, ut Satan, quem præsentem agnouit, nihil in eum iuris habere posset. Mortuus est anno 1021. Acta Tungrensium episcoporũ. Chronicon Flandriæ, unũ annum minus habet.

DVRANDVS.

Humili genere natus Durándus, post Golbodum episcopatum regendum suscepit: quòd, inquit Sigebertus, quasi fabula in theatro mundi fuit, hominem scilicet seruilis conditionis, dominis suis carnalibus dominari. Hunc ferunt prædia & dona ab antecessoribus Ecclesiæ attributa, militibus distribuisse, aut in proprios usus conuertisse. ac cũ per Volboldum in somnis admonitus, ea in integrum restituere negligeret, morbo grauissimo correptum fuisse: quo tandem uicto, ad saniorem redijsse mentẽ. Vt autem Ecclesiæ de damno accepto satisfieret, unum prædium restituit, atq; ut extra ædem S. Laurentij terræ mandaretur petijt. Catalogus Tungrensium. Cæterùm obijt anno 1024.

RAGINARDVS.

Durando Raginardus Bonnensis canonicus successit, anno 1025, iuxta Sigebertum. Cum autẽ largitione diceretur suffectus ab Imperatore, Romę munus ultrò resignauit:

gnauit: quod tamen pontifex ei, uel inuito scilicet, restituit. Canonicis collegij Bartholemæi adiecit cœnobium D. Laurentij renouatum, idq; bonis & numero monachorum regularium auxit. Commendatur ob hospitalitatem, liberalitatem, mansuetudinem & zelum. Diem clausit extremũ anno 1036. Catalogus Tungrensis.

RICHARDVS.

Antecessoris ex fratre nepos Richardus ex custode maioris templi, suffragijs cleri & populi ad episcopatum peruenit, cui præfuit annos quatuor & dimidium: quod tẽpus acquirendis & cumulandis Ecclesiæ bonis & ornamentis ut pluriumum tribuit. Ibidem.

VVATTO.

In Leodiensi ecclesia per gradus ad culmen peruenit Vuatto. Nam sub Notgero fuit capellanus: huic Scholæ gubernator fidelis & prudens, liberalisque. unde decanatus ei delatus est. Enata autem fortè inter ipsum & Iohannem præpositũ, ex ambitione quadam, simultate, in aulam Imperatoris se insinuauit Vuatto, factusque est capellanus. At è medio sublatis aduersarijs, ad episcopatum Leodiensem euectus redijt. Ibidem. Obijt autem anno 1048. Contractus.

DITHVVINVS.

Illustri loco natus, multisq; uirtutibus insignis Dithuuinus, episcopatum Leodiensem tenuit ad annum Christi 1075: quo uita excesit. Schafnaburgensis, & catalogus Leodiensium.

HEINRICVS.

Heinricus, Verdunẽsis antea canonicus, gratia & precibus ducis Gozelonis, cui sanguine iunctus erat, ab Imperatore designatur Leodiensis episcopus: eodem autẽ quo Dithuuinus, obijt anno. Schafnaburgensis. Pacis studiosum fuisse, & anno 1091 mortuum, in catalogo Tungrensi annotatur.

ELIMANNVS, ENGELRAMVS.

Anno 1095, Elimannum eiusdem Ecclesiæ antistitem rebus humanis exemptum, eique Engelramum surrogatum, testatur Sigebertus.

TRAIECTENSES.

ANSFRIDVS, ADELBOLDVS.

ANsfrido, qui abiectis armis (illustri enim comitum Bratuspantium natus erat prosapia) monachum induerat, & ob religionis zelum tandem Traiectensium episcopus factus fuerat, Sigeberto teste, surrogatur Adelboldus Benedictinæ professionis monachus: quem Romæ aliquandiu uixisse, Berno in libro de aduentu Christi autor est: anno 1010, iuxta Schafnaburgẽsem.

Scripsisse fertur uitam Heinrici secundi, laudes Mariæ uirginis, & sanctę crucis. Varios præterea sermones de sanctorum laudibus. Trithemius.

Nouam D. Martino ecclesiam, ueteri diruta, construxit: ut refert Lambertus Hortensiius lib. 1. rerum Vltraiectensium.

VVILHELMVS.

Vuilhelmus Traiectensium episcopus. anno Domini 1065, cum alijs episcopis & proceribus Germaniæ in terram Sanctam profectus, ab Arabibus (præter reliquas calamitates, quæ cum cæteris comitibus ipsi communes erant) & uulnus accepit. Heinricum quartum contra Romanum pontificem in omni ferè cœtu ariter defendit: Gregorium septimum periurum, adulterinũ & pseudoapostolum appellans. Vnde in uulgus emanauit fama, eum post cantatam in agone palinodiam, horrendo cum boatu expirasse, anno Domini millesimo-septuagesimosexto: ut refert Schafnaburgensis. Sed fides sit penes æquum Lectorem, & pontificiarum fraudum non ignarum. Cùm enim iure uel aperto Marte quid perficere Pontificij non ualent, ad alterum patris sui confugiunt telum, nimirum ad mendacia.

CONRADVS.

Vuilhelmi successor Conradus, acrem orationem in Hildebrandum impium, periurum & crudelem tyrannum, habuit: ad quam pontifices aduersarij ne hiscere quidem ausi fuerunt. Auentinus libro quinto. Feria quarta Paschæ, anno Domini millesimo nonagesimonono, à negociatore quodam Frisio, post celebrationem Missæ, crudeliter occiditur: ut tradunt Dodechinus & Sigebertus.

MIMIGARDEVORDENSES, *seu Monasterienses.*

SIGFRIDVS.

HEinrici secundi temporibus præfuit ecclesiæ Mimigardeuordensi Sigfridus, qui singulari studio præbendas & bona Ecclesiæ auxit: & non pauca domi foris que, in meliorem redegit ordinem: teste Cranzio libro 5, capite 5 Metropoleos.

HERMANNVS.

Pietatis opinione insignis Hermannus episcopus, magnificum trans aquas fundauit monasterium, absolutumque opus Marię uirgini dedicauit: quod breui adeò celebre factũ est, ut abolito ueteri nomine, deinceps Mimigardeuord tã urbs quàm ecclesia diceretur Monasteriẽsis. Crãtzius lib. 4, cap. 14. Metropol. Hunc Hermãnum anno Christi 1042 obiisse, testatur Schafnab.

ROBER-

ROBERTVS.

Hermanno succesſit Robertus: quem multis bonis ditaſſe ſuam eccleſiam, Cranzius lib.4, cap.24 Metropoleos teſtatur.

FRIDERICVS.

Fridericus Miſnię marchionis frater, Magdeburgicæ eccleſiæ præpoſitus, ad epiſcopale munus à ſuo clero uocatus eſt. Verùm Engelberto iuſſu Imperatoris ſurrogato, ipſe per eundem, Monaſterienſem regendum ſuſcepit epiſcopatũ. Repulſę autem memor, ſuam cum Saxonibus contra Imperatorem coniunxit operam. Schafnaburgenſis. Templum D. Mauricio ſacrum, extra urbis mœnia, Friderico Cranzius adſcribit, lib.5, cap.8 Metropoleos.

OSNABVRGENSES.

THITMARVS. MONCHERVS.

Horum nomina tantum apud Crantzium libro 4, capite 13 Metropoleos extant, ubi Thitmarum pontificem illuſtrem uocat: ſed nihil præclari à Monchero quatuor iſtis annis, quibus Eccleſtæ præfuerit, geſtum. Mortuum autẽ anno Imperij Conradi ſecundo.

ELVERICVS, VVE-
rincherus.

Eluericus Conradi Imperatoris filius, ab Heinrico III eccleſiæ Oſnaburgenſi præfectus, annis quindecim eam obtinuit. Deceſsit anno Chriſti 1052, 13 Calendas Maij. Crantzius libro 4, capite 18 Metropoleos. At Vuerincherus eiuſdem eccleſię antiſtes, anno 1068 in uiuis eſſe deſijt. Ibidem capite trigeſimooctauo.

BERNHARDVS.

Benno, qui & Bernhardus, origine Sueuus, ab ineunte ætate Deo deuotus, in collegio Hildesheimenſi Theologiæ operam dedit, cuius ibidẽ poſtea profeſſorem egit. Epiſcopatu uerò Oſnaburgenſi à quarto Heinrico donatus, pro officij ſui ratione moniales laſciuientes ad regulæ obſeruationem ſeuerè coegit. Monaſterium prę terea Benedictinorum ad Iborg arcẽ, quã muro ueſtituit, extruxit. Durante inter Romanum pontificem & Imperatorẽ cruento bello, ipſe ſuo conſulens ocio, neutralem egit. Gliribus etiam ſua diœceſi interdixit: qui intra annos trecentos eò non rediiſſe feruntur.

MARQVARDVS.

Ex abbate Corbeienſi factus eſt epiſcopus Oſnaburgenſis Marquardus: ſed poſt ſextum annum loco motus eſt. Ibidem capite 36.

BREMENSES, SEV HAM-
burgenſes.

VNVVANVS.

VNvuanus, uel Vuymarus, patre nobili & prædiuite ortus, ex collegio Paderburnenſi ad epiſcopatum Hamburgenſem, non ſine ſuſpicione largitionis accitus eſt. Fertur enim opum, quas habuit ampliſsimas, unã partem Imperatori, à quo uirgam paſtoralem accepit: alterã cognatis, tertiã Eccleſię ceſsiſſe. Pallio à Benedicto 8 donatus eſt.

Cultus Baal ſtudioſum fuiſſe, opera teſtantur. Nam ut ſacellum S. Viti in ſuburbio Bremæ extrueretur, alterum uerò S. Villehadi combuſtum repararetur, autor fuit. Monachis & clericis omni conſuetudine mulierum interdixit. Cùm familiarius cum Danorũ rege, & Vtone ac Sederico Vandalorum principibus conuerſaretur, malè apud ſuos audijt quòd temerè ſacram profunderet pecuniam.

Triſtis calamitatis ſpectator fuit. Nam cum Bernhardo Saxonum duci bellum eſſet cum Imperatore, diœceſes Bremenſis Hamburgenſisque, quòd Imperatoris partibus faueret epiſcopus, miſerè uaſtatæ ſunt. Verùm graui Vnuuani oratione motus Bernhardus, non tantum reconciliatus Imperatori, ſupplex ab utroque ueniam petijt: ſed animum quoque cum uniuerſa gẽte ad religionem adiecit. Hac occaſione plurima apud Slauos templa extrui cœperunt. Obijt Vnuuanus anno adminiſtrati muneris Eccleſiaſtici decimoſexto, qui fuit Chriſti 1029.

LIBENTIVS.

Libentius ſecundus natione Italus, Libentij quem ſuperiori ſeculo eidem eccleſiæ præfuiſſe diximus, ex fratre nepos, doctrina excellens, præpoſitus & xenodochij curator (teſte Crantzio libro 3, capite 42 Metropoleos) Gislæ Imperatricis opera epiſcopatũ poſt Vnuuanũ obtinuit: Conrado uirgam, & Romano pontifice pallium concedente.

Vehementer ab eodem ob liberalitatem in pauperes commendatur, quòd nunquã eis ſua opera defuerit. At clericos ſuis concubinis priuauit, quas in uillis paſsim in uincula conijci curauit. Attamen, ut eoſdẽ ſibi nonnihil cõciliaret, triginta quotannis cõuiuia, ex uici cuiuſdã Bremę uicini, ſuoque ære empti reditibus, ſplẽdidè parauit. Animam reddidit anno 1033, octauo Calendas Septembris. lib.4, cap.11 Metropoleos.

HERMANNVS.

Libentio Hermannus Halberſtadianus præpoſitus ſucceſsit, eorundem ſuffragijs quibus anteceſſor comprobatus. Nimium iſtius patuerunt aures adulatoribus domeſticis. nam Marconis cuiuſdam conſilio, ipſe epiſcopus furum manipulo ſtipatus, urbem ingreſſus templum ſpoliauit, neque deinceps eò uenit. In eo ſanè aliquid meretur

retur laudis, quòd Guidonem, insigné sua ætate musicum, Bremam accersiuit, à quo canendi rationem canonici ibidem percepperunt. Episcopatus sui anno 3 Bremẽsem urbem muro cingere cœpit: sed iactis uix primis fundamentis, rebus humanis exemptus est, 4 Calendas Octobris. Idem lib. 4, cap. 16 Metropoleos.

BEZELINVS.

Bezelinus, cognomẽto Alebrandus, eruditione & uitæ integritate cõspicuus, à suffraganeis alijsq; septem Saxoniæ episcopis Hamburgi consecratur episcopus, Conrado Cæsare & Romano pontifice annuentibus. Hic totus templorum & urbium ędificijs, tum ad ostentationem & ornatum, tũ ad munitionem faciẽtibus, occupatus fuit. Quin & suorum canonicorum gulæ maximè consultum uoluit. Conuiuia enim, quæ Libentio autore cœpisse diximus, adiectis decimis quibusdam splẽdidiora reddidit. Febri extinctus est in Buccensi præpositura. Cadauer Bremam delatum, in medio nouæ basilicæ, cuius ipse anno superiori iecerat prima fundamenta, reconditum est, anno 1043, episcopatus uerò decimo. Idem lib. 4, capitibus 22, 23, 25 & 27. Schafnaburgensis annum habet 1045.

ALBERTVS.

Bezelino succesit Albertus Halberstadianus præpositus, nobili genere comitum apud Bauaros ortus, ingenij acumine, memoriæ præstantia, linguæ suauitate, corporis pulchritudine, castitatis & liberalitatis opinione ita commendatus, ut Heinricus Tertius præsentibus procerum regni compluribus, Aquisgrani ei uirgam pastoralem tradiderit, atque duodecim episcopi manum imposuerint.

Ambitiosum uerò, popularem & fastuosum fuisse hominem, inde constat: quòd antecessores obscuros ignobilesq; uocitando, superciliosè præ se omnes contempserit, & se uel Apostolica sede dignum iactando: ideoq; nihil non, quod ad augendam autoritatem & potentiam suam facere putabat, tentauit.

Primo suæ gubernationis anno, murũ, turrim & claustrum Bremæ à Bezelino constructa demolitus est, & eorum lapidibus tẽplum perfici curauit: iactitans, se breui hoc uicissim diruto, aliud magnificentius constructurum: cum tamen 24. annis uix prius illud absoluerit.

Multas legationes & expeditiones ipse cum Cęsare Heinrico tertio, in Vngariam, Vandaliam, Italiam, Flandriam, &c. nõ sine maximis sumptibus & incõmodo suæ diœceseos suscepit, nulla alia de causa, nisi ut gratia atq; ope Cæsaris, procerumq; regni, sibi ad maiora priuilegia, dignitates & diuitias patêret aditus. Eamq; ob causam ex Italia anno Domini 1046 redeuntem Cæsarẽ, ac secum Bremam adductum regio excepit apparatu, ut Saxonibus & Danis, quãta sua esset apud Imperatorem autoritas, ostentaret. Cæsar autem ut uicissim suam beneuolentiam erga Albertum declararet, ipsius Ecclesiæ comitatum Frisię, canonicis uerò prædium Balgam donauit.

Collegia autem complura erigere conãtus est Albertus: ut tria Bremæ. primum, S. Vuillehadi, cuius famulum se esse sæpius gloriabatur: secundum, S. Stephani: tertiũ, S. Pauli: quartum uerò Lismonæ, quintum Stadij, sextum Sullenbergi, septimum Aspici, octauum iuxta Salam fluuium, ubi nunc est abbatia Golsicana, quę à parẽtibus eius fundata fuerat. Præter ea adhuc alia quædam ædificauit, quæ ipso adhuc superstite, uel præpositorum negligentia corruerunt, uel alijs turbationibus dissipata sunt. Postea cum Hamburgi patriarchatum constituere in animo haberet, per legatos cum regibus Daniæ, Noruuegiæ & Sueciæ amicitiam ineundam sibi parauit: literisq; suis passim Septentrionales populos, & in primis sacerdotes, ad Ecclesiarũ extructiones & conuersionem paganorum tentandam hortatus est. Regem Noruuegiæ & Daniæ Suenonem legatis & literis Romani pontificis induxit, cum consobrina facere repudium. Ac ne apud Danos autoritatem hoc pacto amitteret, Zuenonem postea Slesuici conuiuio octo dierum sumptuosissimo, & mũneribus multis sibi reconciliauit: atq; ut cum Imperatore Heinrico tertio perpetuã amicitiam Sueno iungeret, autor extitit.

Acephalum Osmundũ ab archiepiscopo quodam Polonię consecratum archiepiscopum Noruuegię, Albertus regno eijci facit, substituto Adaluuardo.

Cum in Synodo Moguntina, anno 1051, magnum Alberti esset nomen, & Imperator ei collegium quoddam Goslariense subiecisset, spem animo concepit, fore ut comitatu Aldenburgensi, & quos Egbertus & Bernhardus tenebant, cœnobijs insuper Corbeia, Lauriſſa, & prædijs Suitico, Phisna, Grouingmor, Dispergo, Lismona, alijsque potiretur: sed spe uana tũ excidit. Mortuo dehinc Cæsare, cum ob Heinrici pueritiam, & Agnetę cõtemptum essent in imperio distractiones & delacerationes, Albertus Bremẽsis generis nobilitate & canicie inflatus (ut Schafnaburgensis ait) tantũ sibi sumpsit in administrando regno, ut ex eius consilio & decretis omnia pendere uideretur. In tanto honorum fastigio, maior spes patriarchatus ipsius animo affulsit.

Dehinc ut dignitatem ſuæ eccleſiæ commendaret, Hamburgum uocat fœcundiſsimam matrem gentium, & omni deuotionis officio uenerandam, quòd crebrius paganorum incurſiones pertuliſſet: ut autem deinceps à Vandalis eſſet tutior, in præruptо monte Sullenberg caſtellum magnis ſumptibus & operis fecit, eique præſidium impoſuit. ſed cum inde crebra fierent latrocinia, caſtellum ſolo à Nordalbingis æquatum eſt: quos epiſcopus, cum armis reſiſtere non ualeret, anathematis fulmine ferijt.

Aldenburgenſem epiſcopatum proprio arbitrio, ſine Imperatoris conſenſu (cuius tamen autoritatem ſemper ſuis prætendebat factis, ut Schafnaburgenſis haud obſcurè indicat) partitus eſt in tres diœceſes: & Iohannē Scotum Megapolenſi, Ariſtonem Ratisburgenſi præeſſe iuſsit. præterea Ordulphum Saxoniæ ducem, & Hermānum fratrem eius, qui multa Eccleſiæ bellis dāna intulerant, ut ſatisfacerent coegit.

Deniq; & abbatias comitatusque illos quos diximus, ſuæ diœceſi contiguos, occaſione ſummæ cum Imperatore familiaritatis in ſuam redegit poteſtatem. Magnam enim auri uim pro ijſdem, Imperatori eius que coniugi ſpopondit. Verùm cum ſoluendo non eſſet, ex eccleſiæ theſauris ornamētisq; hinc inde collectis, argentum cudit: & quāuis ne dimidiā debiti partē corradere poſſet, tumido tamen ore iactitare non uerebatur, ſe ex argentea auream facturum eccleſiam, & cuiq; ablatum decuplo remuneraturum. Hinc omnium bonorum odiū reprehenſionemq; cum ſuis incurrit epiſcopus. At perfrictæ frontis homo, ea omnia nihili ducebat. Tandem cū ſatis ſuperbè regia, ut diximus, autoritate cuncta pro ſua tantū libidine pontifex adminiſtraſſet, Imperij principes omnes ſumpto animo, eū in Triburienſi ſynodo, præſente Imperatore, communē omniū hoſtē omnibus (ut Schafnaburgenſis habet) oppugnarunt ſtudijs: regiq; denunciarunt, aut ipſi regno cedendū, aut Bremenſis familiaritate & amicitia carendū. Moleſtè quidē erat Imperatori, ab amico diuelli: at regni cauſa principibus morē gerendū eſſe, facilè perſpiciebat. Re cū epiſcopo cōmunicata, conſilium is quod in prōptu erat, ſuggerit: regēq;, ut aſſumptis Imperij inſignibus clā noctu diſcedat, monet. placuit quidē conſiliū: uerū eo per indicium prodito, non ſucceſsit. Reliqua enim multitudo regiū hoſpitiū circūfuſa, omnes obſeruabat aditus: ac niſi regia obſtitiſſet maieſtas, actū de pontificis ſalute fuiſſet. Excluſus itaq; nō ſine ignominię nota, conuentu, & ſimul regni adminiſtratione, ſeu (ut Crtāzius uocat) cōſulatu epiſcopus, regio cinctus milite, ne fortè in itinere uis aliqua ei intentaretur, ad ſuos redijt. Acta hæc ſunt anno 1067, iuxta Schafnaburgenſem.

Admodum auditu iucundum hoc erat Ordulpho, Hermanno fratri, Saxoniæ ducibus: ac ut ipſi quoque pro uirili epiſcopo ægrè facerent, nullā certè occaſionem neglexerūt. In primis Magnus Ordulphi filius ipſi infenſus, collecta manu agrū eius miſerè uaſtauit, ipſumq; diœceſi ſua pepulit: qui Goslariam fugiēs, in uicino prædio Loctana, ſemeſtri ſpacio delituit, donec una epiſcopatus parte ab Vdone, altera à Magno pacē redimeret. Tertia pars perexigua, ægrè māſit epiſcopo: quā ipſe poſtea in regis amicos, ſpe fortè priſtinā recuperā di dignitatē, profudit. Necdum ab infeſtationibus ceſſarunt duces.

Ad extremam tandem paupertatem redactus epiſcopus, ex bonis Bremenſis xenodochij uixit: cum interea pauperes graſſante fame, in plateis etiam concidērent mortui. Exacto uerò expulſionis triēnio, cū Colonienſi & alijs reſarta gratia, redijt ad priorem dignitatis gradum: quem largitione, adulatione & ambitione ſplendidiorē reddere animo ita obfirmārat, ut duodecim ſubiectis epiſcopis diſtributas ſedes aſſignaret: Palmam, Helginſtadiū, Raceburgū, Adelburgum, Megapolin, Stadium, Liſmonam, Vuildeshuſium, Bremam, Verdam, Ramſolam, & locum quendam Friſiæ. Quę ſpes tamen euanuit.

Etſi autē morbo & ætate exhauſtus, uix ſpiritū traheret: tamē Imperatorē quoquò uerſus euntē, lectica uectus, non ſine tū ſuo tū aliorū onere ſecutus eſt. Amētia enim ex cōtumelia adēpti cōſulatus cōtracta, multa ſtolidè & impiè peregit, noctē uigilijs & diē ſommo tribuit: oblitus pauperū, bona diſtribuit adulatorib. ira cōmotus, nōnullos manu pcuſsit, ut ſanguine ſtillaret: probris nō minus alios quàm ſeipſum inceſſit, relicta ſæpius ueritate ad fabulas & ſomnia ſe cōuertit, fratris monita de emēdatione morū ſupercilioſe aſpernatus eſt. Fuit ei præ cęteris familiarior Nothebaldus quidā adulator mēdax, & incātator, qui & artē ſuā epiſcopū docuiſſe, & demētaſſe, habitus eſt. Nā cū uatidica mulier omnib. prędiceret, ab equo grauiter delapſum archiepiſcopū intra bieniū moriturū, niſi pœnitētiā ageret, idēq; medici teſtarentur: magis fidē habuit Nothebaldo, qui uanum uaticiniū aſſerebat: facta inſuper ampliſsima ſpe, episcopum omnium prius aduerſariorum colla ſuo ſubmiſſurum iugo. Suffitu aromatum, & tonitru altè boantium uocum deletabatur. Moribus præterea à communi hominum

hominum consuetudine alienis utebatur, non modò priuatim, sed etiam in ecclesia.

Potionibus, phlebotomia & dysenteria tabescés, nulla ualetudinis habita ratione, Goslariam ad tractanda politica negocia abijt. Episcopos consolationis gratia accedentes exclusit, dicens, se ob morbi immundiciem hominum aspectu indignum. Adamato medico Salernitano post triduum prædicenti exitum, minimè credidit, Nothebaldi promissionibus fretus. Nec à quoquam se erigi aut sustentari passus est.

In agone demum crebris suspirijs repetijt, Heu me, inquiens, infelicem & miserũ, qui tantas largitiones in uanum effudi. potuissem esse beatus, si in usus pauperum ea conuertissem, quæ pro seculi gloria me distraxisse nunc nimis doleo. Nunc autem illum adhibeo testem, cuius oculus intuetur abyssi profunda, quòd nil aliud spectarim semper, quàm exaltationem ecclesiæ meæ: quæ licet mea culpa exigente, uel odio inimicorum superante, extenuata nimis uideatur, sunt tamen amplius quàm bis mille mansi, quos ex hæreditate uel labore meo gratulor adiectos Ecclesiæ. Reliquis autem prandentibus, pontifex sine arbitris expirauit, anno Christi 1072, 17. Calendas Aprilis. & in thesauro tãti uiri nihil inuentum est præter libros, sanctorumque reliquias, & sacras uestes. Corpus eius Goslaria ductum est Bremam: & die à morte decimo, in medio chori nouæ basilicæ sepultum. Sedit uerò annos 30. testis est Albertus Crãzius libro quarto & quinto Metropoleos.

LEIMARVS.

Leimarum Bauarum literis probè instructum, Heinricus quartus Alberto substituit: quem suffraganei consecrarunt episcopum Hamburgensem, & Bremensem. parum emolumenti attulit ei Imperatoris familiaritas. Nam odio illius Gregorius septimus, cunctos Daniæ, Noruuegiæ & Sueciæ episcopos, qui longa iam, & ab Alexandro secundo confirmata consuetudine Hãburgensi paruerant episcopo, ab obedientia ipsius exemptos uoluit. Et ab eo tempore Hamburgensis archiepiscopi nomen desijt, Bremensi substituto. permansit tamen nihilominus in fide erga Imperatorẽ intinctus Leimarus, strenuecq; in Vuormaciensi Synodo Romani pontificis depositionem iuuit, nec uitæ periculum pro suo Imperatore subire dubitauit. Affuit enim ei in oppugnatione arcis Glichen, ubi à Ludero quodam Supplinburgensi comite captus est: sed tradita ipsi urbis Bremensis politica iurisdictione, ac trecentis insuper argẽti martis, uitam redemit.

Cæterùm turbulento illo seculo bellis occupatus, Ecclesiæ rebus operam suam, ut debuit, nauare non potuit. præter templi enim quod antecessor inchoârat, continuatam ædificatiouem, in literas nihil de eo relatum est. Ecclesiæ præfuit annis ferè triginta. obijt anno 1101, mense Maio. Crãzius lib. 5, cap. 18, 20. 21 & 22 Metropoleos.

VERDENSES.

BERNARIVS.

DEcimus octauus Verdensium fuit episcopus Bernarius, omni uirtutum genere, maximè uerò pietate, insignis. Huius etiam amore ab Heinrico secundo, qui in delicijs eum habebat, plurima suæ ecclesiæ accesserunt priuilegia. Causa quæ ei cum Libentio Hamburgensi de prædio Ramsola fuit, pontificis Romani autoritate excidit, ut suprà diximus. Crantzius lib. 3, cap. 48. Anno Christi 1013, sub finem Augusti mẽsis, uiuere desijt: ut refert Bruschius de episcopis Germaniæ.

VVICKGERVS.

Virum magnificum & celebrem appellat Crantzius Vuickgerum, Bernarij successorem. Templum is collegij multo amplius splendidiusque quàm prius erat, reddidit. ac in eo summum altare cum alijs tribus, quibus sanctorum reliquias indefesso studio conquisitas inclusit magna superstitione, ipse superstitionum magister dedicauit, anno Domini 1028, nona Decembris. Eidem Conradus Imperator prædium Romesleuense donauit, anno 1031. Crantzius lib. 4, cap. 12 Metropoleos. Obijt 1038. Bruschius de Episcopis.

DITHMARVS.

Paucos annos diœcesin Verdensem tenuit Dithmarus, uir simplex & prudens. Crantzius Metropoleos lib. 4, cap. 23.

BRVNO.

Nobili genere ortus Bruno, Munchenburgi monachus: sic satis turbato & infelici tempore, ad gubernatiooem ecclesiæ Verdensis perueuit. Sæua enim tum pestis & fames grassata est: nec non Sclaui duce Godescalco, diœcesin Verdensem armis infestam reddidêre, quorum examen ibidẽ etiam sedes suas fixit. Cranzius libro quarto, capite 29 Metropoleos, & Chronicon Hirsaugiense.

SIGEBERTVS.

Sigebertũ Verdẽsem episcopũ adeò charũ habuit Imperator Heinricus quartus, ut ei arcem Hermensburg, & Magdheydernemus donarit. Defunctus est anno Domini 1060, 9 Calẽdas Nouẽbris. Crãzius lib. 5, capite 19 Metropoleos. Bruschius de episcopis Germaniæ.

RICBERTVS.

Nobili familia Ricbertum natum, inde coniectat Cranzius in Metropoli lib.5,cap. 28:quòd cum ea ætate ab Imperatore designati fuerunt episcopi,primas tulerint aulici, & nobili genere procreati: quodq; ipse Ricbertus, consentiente Gebhardo comite, suo ex fratre nepote, Verdensi ecclesiæ contulisse dicatur prædium Honstedium, aliaq; bona.

MINDENSES.

THEODORICVS, ALBERICVS, *Sigebertus.*

ANno Domini 1022, Theodoricus Mindē sis præsul, 16 Calendas Martij obijt. post quem Albericus electus quidem fuit: sed morte præuentus, neq; cōsecrationem, neque cathedram accepit. In cuius locum Sigebertus quidam suffectus est, ut in manuscripto quodam Chronico habetur. Sigeberti meminit Crantzius lib. 4 Metropoleos, cap.37, quod D. Martino templū quod dam extruere cœperit.

BRVNO.

Decimussextus Mindensium episcopus, ex canonico Magdeburgensi factus est Bruno, anno 1037. Monasticum studium non postremæ curæ ei fuit. Nam S. Mauricij cœnobium haud procul ab urbe, à se fundatū, Magdeburgo accitis monachis repleuit, anno 1042. Hinc quadriennio exacto, Kemmenadense consecrauit monasteriū. Non uulgaris fuisse existimationis uirū, ex hoc patet encomio:

Victrix Minda dole, tanta uiduata tyrone:
Ex multis talem uix habitura patrem.

Anno pontificatus sui decimooctauo, qui fuit Christi 1055, longo cōflictatus cum morbo, interijt. Crantzius lib. 4 Metropoleos, cap.21.

ENGELBERTVS.

Engelbertus Bauarus, Bamberga, ubi canonicū agebat, ab Imperatore tertio Heinrico, ad Mindensem uocatus est episcopatum. Magni in sua urbe incendij, quo tum sacræ tum ciuium ædes quàm plurimæ in cineres redactæ sunt, spectator fuit. Sacrū damnum Imperator Heinricus IIII multo auro restituit: uerùm parum gratus ei fuit. Nam inter socios coniurationis contra ipsum factæ, apud Schafnaburgensem numeratur. Prouincia annis 25, mensibus octo, diebus 19 administrata, è medio sublatus est, anno 1080: & in Martiniana æde sepultus. cuius tumbę hos barbaros uersus inscriptos refert Crantzius lib.4, cap.37 Metropoleos:

Præsul Engelbertus, ipseq; prior Sigebertus,
Hic fundatores, hilaresq; fuēre datores:
Ergo Dei pietas, dedit his sedes requietas,
Et tibi Martine conregnabunt sine fine.

REINVVARDVS, *Volmarus.*

De sede Mindensi post Engelberti obitum, acriter pugnarūt Reinuuardus, & Volmarus canonicus Hildesiensis, cognatorū ope & potentia fretus. Verùm ipsi Mindenses Reinuuardi partes agentes, alterum ui repulerunt. Durauitq; hoc bellum ferè annis quinq;, cui tandē tragica Volmari mors finem imposuit. Noctu enim lecto decumbens, trucidatus est. Post hæc Reinuuardus ad annū usq; 1089 tranquillè præfuit. Crantzius lib.5, cap.25 & 35 Metropoleos.

PADEBORNENSES.

MEINVVERCVS.

MEinuuercus autoritate Imperatoris, Goslariæ Padebornensibus designatus episcopus, & à Moguntino alijsq; episcopis, qui tū Imperatori aderant, ritu solenni pro more Antichristiano inauguratus, obuijs ul nis à suæ diœceseos hominib. exceptus est.

Superstitionibus autem & ciuilibus negocijs totus fuit deditus. Templorū enim muros, quos ipsius antecessor nō sine multo labore posuerat, ipse demolitus est totos, splēdidioresq; substituit. Perfectū post septenniū opus præsentibus Moguntino, Colonienſi & Herbipolensi episcopis consecrauit. Heruordiæ quoq; D. Virgini nouam constructit ædem. Præterea Vuerbensem comitatum suæ eccleſiæ ab Imperatore emendicauit: à quo, interueniente sanguinis propinquitate, nihil non obtinuit. Vualonem Corbeianum abbatem, episcopi censurā de uitiosis cœnobij moribus repudiantem, loco mouit.

Papiæ cum in præsentissimo uersaretur periculo, quod & Imperatori cōmune erat, inter medios hostes, uirtute duce incolumis euasit. Eodem itinere deflexit ad Clusniacense cœnobium: & inde tredecim monachos traduxit Padebornā, ubi monasterium construxit. Præfuit usq; ad annum Domini 1036, quo obijt, pridie Pētecostes: ut referunt Crantz. lib. 4, cap. 4 Metropoleos: & Bruschius de episcopis Germaniæ.

ROTHO.

Rotho, qui & Rothardus (Schafnaburgensis uerò Rodolphū uocat) natione Geldrius, comite Burensi prognatus, abbatiam Hersueldensem primò tenuit: postea uerò cum uiri doctrina & pietatis opinione conspicui inquirerentur, qui afflicto Ecclesiæ statui opē ferrent, Conradus Saliquus hūc Rothonem Padebornensi præfecit. Sedit autem annos 16: ut narrat Crantzius lib. 4, cap.15 Metropoleos.

IMADVS.

Imadus, qui anno 1052 Padebornensem ecclesiam

cleſiam regendam autoritate Imperatoris ſuſcepit, à Moguntino conſecratus eſt. Laudatur autem à Crantzio, quòd eccleſiæ curam geſſerit quàm maximam: fortè quia urbis ſuę partē aliquam, & monachorū contuberniū, neſcimus quo caſu, igne abſumptū fuerat, reparauit: & quòd religionis cultū magno ſtudio fouerit. Verùm morte præuētus, ultimam operi manū imponere non ualuit. Obijt autem uigeſimoquinto gubernationis ſuæ anno, qui fuit Chriſti 1077. lib. 4, cap. 30. Schafnaburgenſis inter hoſtes Imperatoris eum connumerat.

POPPO.

Qui Imado ſucceſsit, Poppo Herbipolēſis præpoſitus, ipſius etiam ueſtigijs inſiſtere omnino laborauit. Ædificia enim ab anteceſſore cœpta & continuauit, & pro more conſecrauit. Imperatorē præterea in gratiam Romani monſtri, aperto etiam Martē impugnare nō eſtueritus. Sed dignā reportauit mercedē. Ferro enim in acie cecidit, cum ad Vnſtrot Thuringiæ flumē confligeretur. Crantzius lib. 5, cap. 14 & 15.

HEINRICVS.

A' morte Popponis, exorta eſt diſſenſio non leuis de ſucceſſore. Hermannus enim dux Lutzelburgenſis, quem tum Saxones elegerant regem, Heinricum comitis de Aslo filium, conſentientibus canonicorum pluribus, præfecit eccleſiæ Padebornenſi. At Heinricus Imperator, ut nullum non æmuli ſui ſubuerteret factum, alium eiuſdem nominis, comitem de Vuerle, altera canonicorum parte conſentiente, eccleſiæ præeſſe uoluit. Multos durauit hoc ſchiſma annos. Et archiepiſcopus Moguntinus Heinrico de Vuerle, quòd partes Cæſaris acriter tueretur, ſacris interdixit. Verùm oppreſſo Hermanno rege, ipſius etiam autoritate conſtitutus epiſcopus Aslo, pulſus eſt. Alter uerò qui Heinrico Imperatori adhæſerat, ſumma rerum potitus eſt ad decrepitam uſq; ætatem. Obijt enim anno Chriſti 1126, adminiſtratæ prouinciæ quadrageſimoſecundo. Crantzius in Metropoli lib. quinto, cap. 23.

HILDESHEIMENSES.

BARVVARDVS.

BAruuardum comitem de Sommerſchēburg (Helmſtadio arx uicina eſt) propter eruditionis & ingenij admirationem Otthone III primò capellanum ſuum, deinde uerò Hildesheimenſem fecit epiſcopum, defuncto Gerhardo. Bruſchius de Epiſcopis. Prædicatur à Crantzio lib. 3, capite 49, Baruuardi in obeundo munere fidelitas, & uitæ ſanctimonia, quodque miraculis tam mortuus quàm uiuus claruerit. Præclarum illud S. Michaelis cœnobium Hildeſiæ ſuis ferè ſumptibus erexit, conſecrauit & ditauit. Obijt autem, iuxta Schafnaburgenſem, anno 1022. cui Benno puer, Hildeſiæ tum bonis literis operam dans, hoc Epitaphij ſcripſit:

Hac tumuli foſſa clauduntur præſulis oſſa
Bernuuardi, miri magnificiq; uiri.
Qui propter ſtemma radians uelut inclyta gemma,
Magna fuit patriæ gloria lausq; ſuæ.
Nam fuit Eccleſiæ condignus epiſcopus ille,
Quem Deus Emanuel diligit, & Micael.
Tandem biſſenis undeno menſe calendis,
Felix hanc uitam mutat in angelicam.

GOTHARDVS.

Apud Bauaros illuſtri loco natus, & ſanguine Imperatori iunctus Gothardus, ex Altachenſi & Hirſueldiano abbate, ut Bruſchius ait, Hildeſienſium factus eſt epiſcopus, eodem quo anteceſſor obijt anno: iuxta Schafnaburgenſem. Scholarum monaſticarum ſuæ diœceſeos inſpector fuit aſſiduus, ut in uita eius ſcripta habetur. Antichriſti quadam nota inſignis fuit, quòd in Tremonienſi conuentu operam ſuam in hoc decreto conſcribendo adhibuit, quo Eccleſiaſtici triginta Miſſarum ſacrificijs quemque fratrem mortuum iubentur proſequi. Huic & illa acceſsit, quòd in loco ubi uicino ad ſeptentrionem, Bartholemęo: in auſtrali uerò monte, Mauritio ſacra extruxit cœnobia. In eo ſuam meretur laudem, quòd pauperum cura & ſollicitudine affectus, ibidem eis conſtruxit xenodochium. Crantzius libro quarto, cap. 7 Metropoleos. De Gandersheimenſi cœnobio multum moleſtiarum ei creauit Moguntinus.

In primis Imperatori charus fuiſſe putatur, cum in gratiam epiſcopi plures eccleſias prædiorum donationibus auxerit: ut Auentinus lib. 5. annalium Boiorū teſtatur.

Miraculorū dono prędítus fuiſſe, in uita eius ſcribitur. Nam ad eius aduentū in Logingaha quodam pago, immūdus ſpiritus à fœmina exijt. In Huginhuſen puerum paralyſi, & lepra laborantē, claudumq; ſanitati reſtituit. Sed tamē qua arte morbos curarit, uel hinc colligi poteſt, quòd mulierculæ cuidā ex oculis laboranti flores rubicundos celaſtri cruce inſignitos miſit: Affer, inquiens puero, hos floſculos matri tuæ amicæ meæ, ut illos in mei memoriam ſecū habeat, & à Deo ſalutis remedia poſcat: quos ut illa ſuperſtitioſa mulier oculis admouit, ſtatim omnis ceſſauit dolor, & oculi ſanitati reſtituti ſunt. Pòſt ſacro oleo, eodē iubente, à presbytero quodam iniuncta eſt, ne non ſatisfieret ſuperſtitioni. Anno 1038, inuiis eſſe deſijt. Schafnaburgenſis.

DITHMARVS.

Dithmarus Danus, animo & carne nobilis, ut Crantz. ait lib. 4, Gothardo surrogatus est, Gunilde Danorum regina intercedente. Fuit is magni incendij, quo Hildesianum collegium interijt, spectator. episcopatum rexit annos circiter sex. Bruschius.

ASELMVS.

Aselmus, Heinrici tertij sacellanus, Hildesiana sede potitus est, cui ad annum usq; decimum insedit. Crantzius lib. 4, cap. 26. Bruschius. Obijt anno 1054, iuxta Schafnaburgensem, qui Azelinum eum uocat.

HECELO.

Hecelo Ecberti Misniæ marchionis frater germanus, ex Goslariensi prępositio Hildesianus post Dithmarum factus episcopus, supra modum & superstitione & ambitione intumuit. nullis enim sumptibus in Baalitico cultu tum ornando tum propagãdo pepercit. Summam ædem æreis texit laminis, & insigni illa corona in medio pendente templo donauit. Adhæc, Virginum collegium S. Mauricio dicatum, & aliud S. Crucis condidit: quorum illud paucis à diebus mutata sententia, canonicis boantibus concesit. Crantzius lib. 5, cap. 4 Metropoleos: & Bruschius de Episcopis Germaniæ.

De ambitione satis superque testantur duo illi, de loci dignitate in Hildesiano tẽplo, cum Fuldensi abbate maximè cruenti conflictus, præsente Imperatore anno 1063, ut suo loco diximus. Obijsse dicitur anno 1079, & in collegio Mauriciano sepultus. Bruschius.

VDO.

Post mortem Hezelonis, Vdoni comiti de Aluensleue episcopatum Hildesheimẽsem tradidit Heinricus quartus, cuius partes dum strenuè defendit, compluriũ principum odia incurrit, & in primis Ecberti Saxoniæ marchionis, qui pleraq; diœcesis oppida & arces sibi subiecit. At illo interẽpto, tranquilliora tempora nactus episcopus, sedit annos (iuxta Crantzium) 35. & decesit anno Domini 1114.

ALDENBVRGENSES.

VOLCKVVARDVS.

VOlckuuardus, qui post Eziconẽ ad episcopatum Aldẽburgensem peruenit, in persecutione à Misteuone & Mizzudrag Vuinulorum principibus, in ultionem Bernhardi ducis Saxoniæ excitata, eiectus Slauia traiecit in Noruuegiam: ubi multis ad Deum & ueram fidem amplectendã cõuersis, in Germaniam redijt, & Bremæ exul obijt. Helmoldus lib. 1, cap. 17. Crantzius lib. 2, cap. 43 Vandaliæ, sub annum Domini 1008. Chroniçon Saxoniæ,

REGINBERTVS.

Volckuuardo suffectus est ab Vnuuano archiepiscopo Hamburgensi Reginbertus: qui Vandalorum animis nonnihil mitigatis, zelo ardens, prædicationi uerbi diuini reliquum ætatis suæ tribuit. Helmoldus libro primo, capite decimoseptimo: Crantzius libro secundo, cap. 43 Vandaliæ. Chronicon Saxoniæ.

BENNO.

Septimus Aldenburgensium episcopus fuit Benno, ab Vnuuano Hamburgensi eò ablegatus. Is mota de reditibus episcopo pendendis quæstione, omnium inuidiam & odium sibi conflauit: ac licet apud ducem non sine fastidio instaret, uix pauca recuperauit, ex quibus Buzouu & Nemetza annotantur. Iussi sunt præterea totius Obotritorum prouinciæ patresfamiliãs, bi nos quotannis eidem soluere nummos. At coram Imperatore Vuerbenæ conuentum agente, instante Bennone, integrum censum per Otthonem Imperatorem ecclesiæ olim deputatum, se soluturos quidem promittunt Obotriti: sed domum reuersi, non modò promissis nõ steterunt, sed & in præsentissimo uitæ periculo apud eos uersaba tur episcopus. Quare arrepta fuga ad Barduardum Hildesiam uenit, qui amicè & liberaliter exceptum hospitem aliquandiu benignè fouit. Ex turbæ autem cõpressione, cum sinistrum templi D. Michaelis consecraretur latus, ibidem expirasse dicitur. Helmoldus lib. 1, cap. 18.

MEINERVS, *Abelinus.*

Ad difficultates, quibus cum Benno conflictatus fuerat, Meineri & Abelini temporibus, accesit tum principum, & aliorum etiam qui abiecta religione ad uomitum redierant, in Christianos odium & uis manifesta, quæ in ipsos quos diximus gregis Christiani pastores non potuit non simul redundare: ut Helmoldus capite 19 & 20. testatur.

EZO.

Decimus Aldenburgensium episcopus fuit Ezo, ab Adelberto Hamburgico surrogatus, ut scribit Helmoldus lib. 1, ca. 22. Inde per Vandalos expulsus, uigesimo secundo episcopatus anno, qui fuit Christi sexagesimus sextus supra millesimum, ad Hirsfeldenses se contulit monachos. Ibi enim Heihrici Imperatoris filium baptizauit anno 1074, teste Schafnaburgensi. Ac cessauit ab eo tempore episcopatus Aldenburgensis ad annos 48: iuxta Crantzium in Metropoli libro 4, capite ultimo.

IOHANNES MEGA-
polensis.

Plurimorum episcopatuum Albertum Hamburgensem patriarchæ nomen, ut diximus, affectantem, in Aquilonari plaga autorem extitisse, suprà indicauimus: inter quos & Megapolensis fuit, cui Iohannem quendam monachum uagabundum, qui nuper ex Scotia ad ipsum deflexerat (ut Helmoldus ait libro primo, capite 22.) præfecit episcopum: ubi uiuo Godscalco principe, qui Christo iam nomen dederat, non exiguam lucratus est plebeculam, uerbi diuini prædicatione. A' Sclauis autem ad auitam religionem relabentibus, miseranda morte interijt. Fustibus enim cæsus, omniumq; ludibrio in Slauorum uicis circumductus, expositus fuit. Tandē manibus pedibusq; truncatur: caput uerò resectum, & conto affixum, suo idolo Radigasto barbari immolarunt. Corpus in plateis omnium pedibus calcandum expositum fuit. Hęc in metropoli Sclauorum Rethre gesta sunt, 4. Idus Nouembris. Helmoldus cap. 23. Anno, ut ex superioribus liquet, 1066, uel circiter.

HALBERSTADENSES.

ARNOLDVS.

ARnoldus Hiluuardi successor, obtinuit episcopatum Halberstadensem annos 27. multisq; bonis operibus fertur excelluisse. Prædia ecclesiæ ita auxit, ut non admodū sentiret detrimenta suarum rerum, etiamsi ad Magdeburgēsem episcopatum transferrentur haud uulgares portiones: ut Crantzius in Metropoli lib. 3, cap. 5 refert. Dedicauit monasterium Vualbecēse, ut in Chronico Saxoniæ annotatur. Mortuus est anno Domini 1023. Bruschius.

BRANDO.

Brandonem, qui & Brandago, ex cœnobio Fuldensi, ubi abbatem in annum usque decimumseptimum (iuxta Munzerum) agebat, Heinricus secundus ad gubernationē ecclesiæ Halberstadensis uocauit, cui præfuit annos 13. Duo collegia extruxit. unum Halberstadij, dicatum Iohanni baptistæ: alterum uerò Bosleuen, S. Bonifacio. Obijt anno 1036. Chronicon Hirsaugiense, Crantzius lib. 4. cap. 10 Metropoleos. Bruschius de Episcopis Germaniæ.

BVRCHARDVS.

Burchardus, gente Bauarus, & Conradi comitis Voburgi filius, successit Brandoni anno Domini 1038, ut est in Chronico Saxoniæ. Duobus is (ut Crantzius ait) comitatibus suum auxit episcopatum: quos Norturigem & Stopudesem uocat libro quarto, capite 20. Tragico mortis genere obijse scribitur. Ad dirimendam enim litem, quæ ipsi cum monachis Heruelden sibus de decimis intercesserat, Synodum indixerat: quò cum citato equo tenderet, confestim apoplexia tactus in terram decidit. Reportatus deinde in cubiculum, recepto animo, presbyteros accersitos per Deum obtestatus est, ut decimas monasterio redderent, neque de ijs pòst ullam litem mouerent. fore enim, ut quicunque suum in ea re imitaretur exemplum, eodem modo periret. Cæterùm episcopis Magdeburgensi & Hildesheimensi, qui eum decumbentem consolationis gratia accesserant, multis lachrymis cōfessus est, se ad tribunal Dei iam iam rapi, ut de inuasione alienorū bonorum ratione reddat: eosq; graui obtestatus est oratione, ut missis Heruel diam nuncijs, ueniam delicti sui peterent. Nec multo pòst, diruptis miserabili mortis genere intestinis expirauit: ut narrat Lambertus Schafnaburgensis.

BERNHARDVS.

Bernhardus, quem Saxoniæ Chronicon Burchardum, Schafnaburgensis Buccononem, & Hedio Buggonem appellat, ex præposito Goslarien si duodecimus Halberstadianæ ecclesiæ designatus est episcopus. Burchardum uocat & Crantzius, eique Buco cognomen fuisse ait, libro quinto, capite quarto Metropoleos. Et cap. 24. Buccam eundem uocat. Hic odij, defectionis & belli, quibus Heinricum quartum insectatus est, iustissimas dedit pœnas. Goslariæ enim inter turbas, cum alijs in æde summa de rebus belli agentibus, obtruncatur: ut est in Chronico Saxonico. Cadauer eius Ilsenburgi, quod cœnobium Benedictinorum ipse erexerat, humatum est, anno Domini 1088, 3 Idus Aprilis: teste Bruschio. Annos 28 penes hunc ecclesiæ guber nationem stetisse, Crantzius loco suprà citato refert.

DITMARVS.

Ditmarus uirtutum & iusticiæ in primis studiosus, dissentientibus suffragijs peruenit ad episcopatum, seditq; tantū dies sedecim. Nō sine ueneni suspicione è medio sublatus creditur. Bruschius.

HERRANDVS.

Successit Ditmaro Herrandus abbas Ilsenburgensis, qui & Stephanus à nonnullis dictus est. Is tanto odio persecutus est Heinricum quartū, ut cum alijs Saxoniæ principibus sua coniunxerit arma, & regia dignitate omnino deturbandum iudicarit: ut ex epistola eius, nomine Ludouici comitis, quem Vualramus Numburgicus episcopus ab Heinrici Imperatoris insectatione dehortatus fuerat, scripta apparet.

Obijt Herrandus anno Domini 1101. & Reinhardi brunni, ubi antea monachũ egerat, sepultus est. Bruschius.

MAGDEBVRGENSES.

DAGO, VVOLDARDVS.

GIselero, anno Christi 1004 uita defuncto, canonici Magdeburgenses surrogarũt Vuoldardum præpositum, licet inuitum. Imperator uerò Heinricus secũdus, sui iuris esse, ecclesijs præficere præsules, asserens: hoc repudiato, cancellarium suum Dagonem substituit. Crantzius lib. 4, capite 3 Metropoleos. Hic munere episcopali functus, Vuigbertum tertium Mersburgensibus, de consilio Imperatoris, episcopum inunxit: ut Chronicon Saxoniæ, & Mersburgense lib. 2, cap. 6. habent.

Valde commendatur in Chronico Magdeburgensi Dago, ob religionem, quòd singulis uidelicet diebus Missas celebrarit, iusticiam, modestiam, sobrietatem, castitatẽ: quæ eum in primis Vuolfgango Ratisponensium olim episcopo, quo præceptore usus fuerat, commendarit. Vuoldardum Dago postea moriturus, suum iussit obtinere locum, pari conuentualium fratrum (ut idẽ Chronicon loquitur) suffragio. Verùm denuò reiectus, ab Imperatore Mersburgẽsi ecclesiæ præficitur. Sed octauo electionis Magdeburgicæ mense, ut Chronicon Saxonię habet, rebus humanis excesit, nec eius inter Merspurgicos episcopos ulla fit mentio. Anno 1012.

GERO, THEODORICVS.

Canonicorũ autoritate Theodoricus in Magdeburgica succesit sede. Quod indignè ferens Imperator, Geronem suæ aulæ sacellanũ substituit, Theodorico uicissim Geronis locũ occupãte. Crãzius lib. 4, ca. 6.

Opera eius pastoralia hæc ferè fuisse morãtur in Chronico Saxoniæ: urbis Magdeburgicæ mœnia perfecit, ne lupi suis nocerẽt ouibus. Collegiũ S. Sebastiani fundauit. Aliud item in honorẽ D. Mariæ. Deniq; xenodochium Rotterstorpense, ab Otthone Magno olim conditum, ipse ex cineribus restituit.

Mortuus est Vadderodæ, iuxta idẽ Chronicõ (qui uicus iã est in agro Mansfeldico) gubernationis suæ anno decimo, teste Crãtzio: Christi uerò, 1023. Schafnaburgenses.

MEINFRIDVS.

Meinfridus, seu ut Schafnaburgẽsis uult, Hunfridus, per Imperatorem Geroni surrogatus, D. Nicolao & Petro cultum instituit, constructis in honorem ipsorum nouis collegijs. templum præterea Mauricianum, præter ædificia, etiam multis prædijs ab Imperatore emendicatis auxit. Post uigesimum septimũ uerò annum, Romanæ sedis autoritate loco cedere iussus est, eo quòd Rauennatis episcopi, cũ quo Romano pontificiis erat, partes defenderet. Crantzius libro quarto, capite uigesimo octauo Metropoleos.

ENGELHARDVS.

Post Meinfredum, Imperatoris iussu Engelhardus Herbipoli accitus monachus, sedem susceptit regendam, anno 1051, iuxta Schafnaburgensem: eiq; annis 12 præfuit. Crantzius lib. 4, cap. 28 Metropoleos.

VVERNERVS.

Turbulentissimis Saxoniæ rebus, Vuernerus, qui nonnullis Vesilo est, Annonis Colonienſis frater germanus, Magdeburgensibus ab Imperatore obtruditur episcopus: ut habet Saxoniæ Chronicon. Sed parum ei gratus extitit. Inter primos enim fuit, qui iugulũ Imperatoris petebant. Verùm deuictis tandẽ Saxonibus, ipse in fuga trucidatus est, anno 1078. Alij strangulatũ scribunt. Cranzius lib. 5, cap. 7. Vrspergenſis.

HARDVICVS.

Rodulphus rex Harduicum quendã nobilem Francum, ex Magdeburgicis canonicis Vuernero suffecit: qui sui promotoris partes summo conatu tutatus est, teste Crãzio libro 5, capite 16. Verùm addit Magdeburgense Chronicon, abbatem Hirsfeldianum eiusdem nominis, ab Heinrico eadẽ donatum dignitate: qui cũ aduersario de loco gladijs certarit, modò in hoc, modò in alterum latus belli fortuna se inclinãte.

ERICVS *Hauelbergenſis.*

Mortuo Dragone archiepiscopo, Heinricus secundus Imperator per Ericum Hauelbergensem episcopum Magdeburgicis electione interdicit, & à se solo succesſoré expectare iubet. Chronicõ Magdeburgense.

MERSBVRGENSES.

VVIGBERTVS.

NObili genere in Thuringia natus Vuigbertus, per gradus ad episcopatum uenit. Magdeburgi enim exludi moderatore archipres byter, pòst capellanus Heinrici secundi factus: cuius ope ecclesia Mersburgẽsi potius est, Dragone Magdeburgico eum consecrante. Fuit is uir doctus & eloquẽs. non modò Germanicè, sed etiam Vandalicè, per interpretem concepta concione, Euangelium docuit: ac utà Zuttiberi cultu reuocaret Zorabos, lucum quendam ei idolo destinatum excidit, & in tantam redegit planiciem, ut nullum eius uestigium nunc accolis appareat, extructo eo in loco S. Romani sacello.

Mortuus est anno 1012, cum sedisset annos

annos 5, menſem unum. Chronicon Mersburgenſe libro 2, cap. 6.

DITHMARVS.

Patre Sigfrido, comite quodam Saxoniæ, & matre Chunigũde procreatus Dithmarus, ad Mersburgicum epiſcopatum euectus eſt ab Heinrico ſecundo: cuius fidem, eruditionem & facundiam ipſe probarat. Aulæ enim capellanum egerat aliquandiu.

Fertur hic epiſcopus ſeptem libris Chronicorũ, res geſtas ſub Otthone primo & ſucceſſoribus, uſq; ad annum Domini 1021, cõgeſsiſſe, qui in cœnobio S. Petri Mersburgẽ ſi adhuc hodie latêre dicuntur.

Idem prædium paternum Eichdorpiũ, & alia, dedit Eccleſiæ Mersburgenſi: atque ſyluam Suencouiæ uicinã, ab Egberto marchione Saxoniæ orientali occupatam, recuperauit: & cum gratia plurimum apud Cæſarẽ poſſet, perſuaſit ei, ut ædis ſummæ fundamẽtales lapides anno Dñi 1015 poneret, extructionẽ ſuis impenſis iuuaret, & cãpanis duab. maximis iuuaret. Deceſsit Dithmarus anno Chriſti 1021, 3 Calendas Decembris. ibidem.

BRVNO.

Bruno, quem Heinricus ſecundus Imperator, & Gero Magdeburgenſis antiſtes, quintum crearunt epiſcopum Mersburgẽſibus, ædẽ à Dithmaro incœptã confecit & dedicauit. Mortuus eſt Bruno anno Chriſti 1040, ſexto Idus Auguſti. Ibidẽ lib. 2, cap. 8.

HVNOLDVS.

Hunoldus Thuringus, Halberſtadenſis canonicus, & aulæ Imperatoris capellanus, Brunoni ſuccedere iuſſus, ab Hunfrido Magdeburgico inunctus eſt. Sed fuit hic ſolum inſtaurationibus & extructionibus chori, fornicis, & turrium ſummæ ædis, tẽpli S. Sexti, alijsq; ineptijs, ſuæ gubernationis tẽpore occupatus. Deceſsit anno Chriſti 1050. Ibidem libro 2, cap. 10.

ALBERICVS.

Albericus Hunoldi ſucceſſor, primus eſt canonicorum ſuffragijs electus, comprobante factum Heinrico tertio. Defunctus autem eſt anno Chriſti 1054.

ECKELINVS.

Ex Bauaris ducibus ortus Eckelinus, Hẽrico III, cuius capellanus erat, fauente, in epiſcopatu ſurrrogatur. Fuit Theologiæ & literarum gnarus, conciones ipſe ad populum habuit: accubuit ſæpe communi mẽſæ cum canonicis, ubi inter epulas libri ſacri prælecti fuerunt. In ſcholis rectè iuuentutem inſtitui curauit, & quoſdam peritiores in templo unà canere uoluit, quibus uictum & ſtipendiola numerauit: coniugij uerò ſacerdotum acerrimus hoſtis. Vita functus eſt Eckelinus anno 1060, ſexto Calendas Nouembris. Ibidem libro ſecundo, capite 11.

ONOFFRIVS.

Offonem, ſeu Onoffrium Bauarũ, Eichſtetenſem canonicum, Heinricus quartus Mersburgicis epiſcopum dedit, anno 1065. Fertur fuiſſe caſtus, prudens, liberalis erga pauperes. Horũ enim theſauros uocauit, quicquid ſibi ſupererat: ſeuerus erga delinquentes canonicos, & ſacerdotes petulantes. Mortem cum uita commutauit anno Domini 1070, decimoſexto Calẽdas Maij. Ibidem cap. 12.

VVINTHERVS.

Vuintherus, nobilis & longè ditiſsimus Franco, poſt Onoffrium Mersburgenſis epiſcopus, uir animi fuit faſtuoſi, uoluptatũ & ſplendoris magnifici appetens, iuſticiæ contemptor, ſuarum opum dilapidator, ut tandem bonis Eccleſiæ grandi ære oppignoratis deceſſerit, anno 1072.

VVERNERVS, EPPO.

Vuernero canonico Goslarienſi, à Mersburgenſibus canonicis, & ab Imperatore Heinrico quarto traditus eſt epiſcopatus: cui præfuit tempore turbulentiſimo. Saxonibus enim & Sueuis fauens, prælio cũ Hẽrico quarto ad Vnſtrot in Thuringia & alibi ſæpius contendit. Ea de cauſa Heinricus uictor, Vuernero eiecto ſubſtituit Epponem ſeu Hippolytum quendam: uerùm is haud multis interpoſitis diebus iterum excluſus eſt, redijtque ad ſuam ſedem Vuernerus, quam uſque ad annum Chriſti 1100 tenuit. Ibidem.

MISNENSES.

REGINERVS, CRAFTO.

REginerus quidã Miſnẽſis epiſcopus, anno Chriſti 1066 deceſsit: cui Crafto Goslariẽſis præpoſitus ſubrogatus eſt, qui auariciæ pœnas luit atroces. Suſcepto enim epiſcopatu, Goslariã reuerſus, à prandio cubiculum, in quo ingentes theſauros antea clã occuluerat, ingreditur. Vbi dum diutius ſolito, ſomno indulgere ſuideretur, famuli, qui neq; pulſu oſtij, neq; uociferationibus dominum excitare poterant, effractis foribus irrumpentes, inueniunt hominem exanimem, fracta ceruice, atro colore, theſaurisq; miſerabili modo incubantem: ut refert Schafnaburgenſis.

BENNO.

Craftonis ſucceſſor Benno, inter Heinrici Imperatoris numeratur oppugnatores à Schafnaburgenſi, ſub annum milleſimum ſeptuageſimum tertium.

CICEN-

CICENSES.

CATHELO.

CIcensis episcopus Cathelo, uita excessit anno 1045. cui Eppo successit, Heinrici quarti à Saxonibus exagitati indiuiduus comes: teste Schafnaburgensi.

GVNTHERVS.

Guntherum, quem Rudolphus rex ex Magdeburgico canonico Cicensem fecerat episcopum, ut Chronicon Magdeburgense habet, inter confœderatos Heinrico rebelles, Auentinus recenset libro quinto Annalium.

VVALRAMVS *Numburgensis.*

In appendice Mariani Scoti historiæ affixa, cuius autor Dodechinus est, extat quædam epistola ad Ludouicum comitem, qua ipsum à rebellione contra legitimum magistratum dehortatur, tum Scripturæ dictis, tum exemplis recentioribus punitę cõtumacię, in Rodolpho, Hildebrando, Eggeberto, & alijs. Ad quam satis atrocibus uerbis respondit Herrandus Haluerstadensis. Extat ibidem & Anshelmi Cantuariensis, ad eũdem Vualramum de processione Spiritus sancti epistola, in cuius capite ipsum fautorem Heinrici uehementer redarguit.

EPISCOPI BOhemiæ.

PRAGENSES.

SEVERVS.

PRædislao diripiente Gnesnam, milites in templum irrupturi, statim percutiuntur cæcitate: qua per triduanum ieiunium, à Seuero Pragensi indictum sublata, Bohemi sacras opes distrahũt, & quinq; corpora sancta auferunt: ut tradit Martinus Cromerus de rebus Poloniæ lib. 4. sub annum Domini 1038.

GOBEARDVS.

Bratislai ducis Bohemiæ filius Iaromirus, postquam inuitus tonsuram accepisset, autoritate Heinrici Cæsaris creatus Pragensis antistes, uocaturq; Gobeardus. Falsa is delatione fratris pontificatu excidisset, nisi Mathildis consanguineæ patrocinio, pontifici Gregorio septimo reconciliatus fuisset. Bonfinius lib. 3 Decadis 2 rerum Vngaricarum. Æneas uerò Syluius capite 22 Bohemiæ, testatur, Gobeardum amplitudine ecclesiæ ita intumuisse, ut præsente fratre rege sacris interesse renuerit. Ideo permissu Alexandri secundi à Bratislao collegium canonicorum regularium in arce Pragensi institutum, cuius etiam subdiaconus intra sacrorum ministerium ornamentis episcopalibus uteretur. Magis deinde insolescentem episcopum à Morauis in exilium pulsum, Strigonij obijsse, eique Cosmum suffectum.

IOHANNES MORAVO*rum episcopus.*

Hac etiam ætate Morauorum ecclesia, Iohanne episcopo rebus humanis exempto, Pragensi unita est. Æneas Syluius cap. 22 historiæ Bohemicæ.

CRACOVIENSES.

RACHELINVS.

RAchelinum sextum Cracouiensem episcopum uocat Cromerus lib. 4.

AARON.

Familiaris fuerat Casimiro Polono, apud Cluniacenses exulanti, Aaron quidam monachus, doctrina & morum integritate clarus. Regno igitur restitutus Casimirus, hũc Tinecensi præfecit cœnobio. Pòst mortuo Rachelino, petenti Cracouiẽsi collegio, ab eodem conceditur episcopus.

Baaliſmi nõ postremam ei fuisse curam, argumento est, quòd precum formulas psalmodias q; in diœcesi seruandas præscripsit: ut narrat Cromerus libro 4. Præterea ipsam Romanam bestiam magna deuotione coluit, quæ eum multis huius mundi regnis donauit. Benedictus enim archiepiscopali dignitate donatũ, cunctis eũ totius Poloniæ episcopis dominari iussit, anno 1045: teste Crantz. lib. 2, cap. 37 Vandaliæ. In uiuis esse desijt Aaron, anno 1059.

LAMBERTVS.

Integrum ferè biẽnium ab Aaronis morte, propter diuersa eligentium suffragia, destituta fuit pastore ecclesia. Tandem Lambertus Zula Polonus sede potitus est. At quia pallium Romanum non redemerat, archiepiscopali dignitate penitùs priuata fuit Cracouiensis ecclesia.

STANISLAVS.

Stanislaus cognomento Sciepanouius, nobili Borussorum familia oriundus, ob singularem pietatis opinionem Lamberto suffectus est. Hic cum pro officio regem Boleslauum amicis primùm, pòst uerò acerbioribus admoneret uerbis, ut ſquitiam, expilationes, adulteria, luxum, & in rebus administrandis socordiam & ignauiam exueret, frustra sæpius monuisset, anathematis uinculo eũ cõstrinxit. Tulit hęc iusto ęgrius rex: & capta occasione episcopum in templo magna immanitate obtruncauit, discerptasq; corporis portiones foras canibus ueſcendas obiecit. Accidit hoc anno Domini 1079, octauo nonas Maij, cum uix triẽium sedisset Stanislaus. Cromerus de rebus Poloniæ lib. 4. Crantzius lib. 3, cap. 13 & 14 Vandaliæ.

LAMBER-

LAMBERTVS.

Sacris à Romano pontifice interdictum erat Polonis, ob Stanislai cædem. Vuladislaus itaq; Boleslai frater, Lambertum Craconiensem canonicum, equestri apud Polonos genere prognatum, Romam ueniam petendi causa mittit: quem episcopum designatum, re feliciter simul cõfecta, ad suos remisit septimus Gregorius. Cromerus lib. 5 de rebus Poloniæ.

GNESNENSES.

BOZENTA, STEphanus.

BOzentæ Polono Stephanum in episcopatu Gnesnensi succesisse, testatur idem de rebus Poloniæ lib. 4.

EPISCOPI VNgariæ.

ASTRICVS.

DEuotione Stephani regis permotus Astricus quidam, cum discipulis profectus est in Vngariam: & ad radices montis ferrei, permissu & opera Stephani, cœnobium Benedictinũ extruxit. inde ad gubernationem episcopatus Colecẽsis nuper fundati uocatus, Anastasius dictus est. Hic mandato regis Vngariam pontifici Romano, inter alia legationis mandata, subiecit. Bonfinius libro primo Decadis 2 rerum Vngaricarum.

SEBASTIANVS.

Ex monacho cœnobij S. Martini, Strigonienſis metropolitanus primus factus est Sebastianus, ob ingenij dotes regi mirè gratus. Qui cum triennium uisu orbatus, sacra operari nõ posset, Astricus interea eius partes egit: ut idem testatur.

MAVRVS.

Emericus Vngarorum regis filius, à puero literarum studijs & superstitionibus deditus, cœnobium D. Martini montanum ingressus, monachis impari numero oscula fixit. cuius rei causam quærẽte patre Stephano, respondit: Continentię discrimẽ se hoc pacto ostendisse. Cum autem filius Maurum septies exosculatus esset, (qui numerus perfectionis est) pater eum Quinqueecclesiensi præfecit episcopatui. Ibidem.

GERARDVS.

Gerardus natione Venetus, ex eremo in Budensi agro ad Chanadiensem episcopatum euectus est. At Vngaris Scythicam restituentibus religionem, sub initium regis Andreæ, martyrio ad Danubium affectus est. Bonfinius lib. 2. Decadis 2.

BEZTERTVS, BVLDVS.

Hi quoq; Vngariæ episcopi, cum Gerardo interempti à Bonfinio scribuntur.

BENETHA.

Benetha alicubi in Vngaria episcopus, cũ Gerardo trucidãdus, Regulorũ intercessione ex hostium manibus ereptus est. Ibidẽ.

NICOLAVS.

Iaurienſis episcopus Nicolaus, Germanorum literas ad Andream Vngarum delatas, interpretatus est. Idem.

DESIDERIVS.

Strigonienſis metropolitanus Desiderius, ultimo anno regni Geysæ, qui fuit Christi 1077, uel circiter, in Saxardia de fraterna concordia, de humana charitate, atq; de publica pace & ocio, in natali Domini habuit concionem: qua Geysa inductus, coram ecclesia fassus est, se præter fas & æquũ Salomoni eripuisse regnum: & cum de feriendo fœdere legationem mittere uellet, mors eum præuenit. Bonfinius lib. 4 Decadis secundæ.

DOCTORES BRItanni.

CANTVRIENSES.

ETHELGARVS. SIRICIVS.

CAntuariensem ecclesiam ad annum usq; Domini 1018 tenuisse Ethelgarum & Siricium, testis est Polydorus lib. 7 Anglicæ historiæ.

ELPHEGIVS.

Elphegius ingenuis parentibus ortus, literarum cognitione instructus, in loco deserto, qui Balneum dicitur, casam constituxit. Etsi autem concursu & opera hominũ superstitiosorũ, alia longè amplior & splendidior sit erecta domus: ipse tamen intra angustias sese continuit, alteri cuidam œconomię cura demãdata. Inde uerò extractus, Vintonienſem episcopatum administrare iussus est. Exacto dein quinquennio, Cantuarienſi ecclesiæ præficitur. ubi liberalitate egenis exhibita, sibi multorum animos conciliauit.

Monachorum regulas mendacijs confirmauit. Nã monachũ quendã noctu non urgente necessitate, cibo se reficientem, à diabolo discerpi se uidisse cõmentus est: ut Vincentius nugatur lib. 25, cap. 12, & sequentibus. Capta autem & direpta Cantuaria à Danis, circa nonum Canuti regis annũ, qui fuit Christi 1025, uel circiter, dum propagãdæ religionis studio temerè in densos hostium cuneos irruit, & barbaros ad uerę pietatis cultum inter armorum strepitus, pluribus hortatur: capitur, & post multa tormentorum genera lapidibus obruitur, sexto administrati pontificatus anno: sepultusq; est Londoniæ, & in sanctorum numerum (more ethnico) relatus. Polydorus lib. 7 Anglicæ historiæ, Chronicon Hirsaugiense.

LIVINGVS.

Elphego succesisse Liuingum, autor est Vincentius lib. 25, cap. 15.

ACHELNOTVS.

Achelnotus, seu Egelnotus, iuxta Vincentium, Cantuariensis ecclesiæ decanus, mortuo Liuingo, in locum eius surrogatus est: fortè Canuti regis ope, cui (teste Polydoro in fine libri septimi) charissimus fuit, ut eius opera & ingenio in rebus agendis præ cæteris sæpius uteretur.

Edidisse scribitur librũ de laudibus Marię, in quo non sine blasphemia, Fulbertum ægrotantem Mariæ ubera suxisse nugatur. Et de Augustino librum ad Leofricum, epistolas q; ad diuersos, ut Balæus refert.

Superstitionibus deditissimũ fuisse, uel ex hoc unico facto eius constat, quòd Papiæ, cum Romam pallij petendi gratia pergeret, D. Augustini brachium, uno auri & centum argenti talentis redemit: ut Vincentius lib. 25, cap. 15. & Henricus de Erfordia narrant. Obijt anno 1038.

EDSINVS.

Trigesimus Cantuariensis ecclesiæ episcopus, Achelnoto defuncto, Edsinus Edouardi regis, Malmesburio teste, præceptor successit, seditq; annis undecim. Polydorus libro 8.

ROBERTVS.

In locum Edsini substitutus est Robertus, Normãnus gente, episcopus antè Londinensis, regi Edouardo primùm mirè gratus: sed cum ei persuasisset, ut Emmam matrem cogeret de suspicione stupri se purgare per ignem, & illa eo minimè læderetur, timore perculsus, fugit in continentem: ubi mœrore animi, anno sui pontificatus secundo extinctus est. Idem libro 8 historiæ Anglicæ.

STIGANDVS.

Stigandus homo improbus, quòd uiuo Roberto antecessore sedem Cantuariensem inuaserat, quòd Vintoniensem cum Cantuariensi episcopatum simul tenuerat, quodq; à Benedicto decimo pontifice adulterino pallium acceperat, anno sui pontificatus decimoseptimo, in quadam Angliæ Synodo, præsentibus Romanis legatis, loco cedere coactus, non ita multo pòst Vintoniæ in carcere perijt: ut refert Polydorus Vergilius lib. 9 Historiæ Anglicæ.

LANFRANCVS.

Papia oriundus Lanfrancus, in Abriacensi, uel (ut Bergomensis ait) Lutetiana urbe, scholastico munere functus est: inde ad Beccense monasterium profectus, eximiæ eruditionis laude quæ in omnium ore ferebatur, multos ingenij excolendi gratia eò allexit: inter quos & Anshelmus fuit. Ex Cadomensi autem abbate, tandem archiepiscopus Cantuariæ factus est.

Tantę apud quosuis fuit existimationis, ut ipse Romanus pontifex Romam ueniẽti non sit ueritus assurgere: magno tamen fastu addens, quòd tantum honoris non archiepiscopo, sed ingenij dotibus, quibus excelleret, deferret. Cuius ad pedes cum uicissim se deuolueret Lanfrancus, nihil non à sanctissimo patre, scilicet, impetrauit.

Librorum quos scripsit catalogum Balæus congessit, Centuria 13 Scriptorum Britanniæ.

In omnes epistolas Pauli,	lib. 1.
Homelias & sermones,	lib. 1.
Elucidarium rerum,	lib. 1.
Super casibus in Missa,	lib. 1.
Dialogum contra Berengarium,	lib. 1.
De corpore & sanguine Domini,	lib. 1.
Commentarios in Psalterium,	lib. 1.
De ceremonijs monachorum,	lib. 1.
Epistolas ad Anselmum,	lib. 1.
Epistolas ad diuersos,	lib. 1.
Decretales epistolas,	lib. 1.
In regulam monachorum,	lib. 1.
Regulam sui cœnobij,	lib. 1.
Consuetudinarium Ecclesiæ,	lib. 1.
Ad Alexandrũ secundum papam,	lib. 1.
Scintillarium quoddam,	lib. 1.
Gesta ducis Guilhelmi,	epist. 1.
Ad episcopos Hyberniæ,	

Et alia plura: Omnes (inquit Bostonus Burienſis) ueteris ac noui Testamenti libros, qui uitio scriptorum corrupti erant, nec non & scripta sanctorum patrum, secundum orthodoxam fidem correxit atq; emendauit.

Extat in Orthodoxographis, ipsius de Eucharistia scriptũ quoddam: in quo dum Berengarij impiũ dogma, realem atq; corporalem Christi in cœna sacra præsentiam negantis, damnãdo, Scyllam euitat, in Charybdim incidit, transsubstantiationis (ut nunc uocant) errore inuolutus. Sed cum de utroque plura cap. 4 testimonia adscripserimus, hic repetere uisum non fuit, ne Lectori fastidium pariamus.

Romanæ Ecclesiæ primatum agnoscit, inquiens: Tu es Petrus, &c. Quę tametsi de pastoribus sanctæ Ecclesię dicta esse credãtur, & à quibusdam Catholicis exponantur: præcipuè tamen de Romana ecclesia intelligenda esse, sacri canones & pontificum decreta testantur. Ibidem.

Cæterùm in suspicionem uenerat Lanfrancus, literis quibusdã à Berengario sparsis, quasi clàm ipsius foueret errorem: sed in Romana quadam Synodo, prę sidente Leone pontifice, praui dogmatis maculam à se abstersit, ut de seipso scribit, & ea occasione contra

contra Berengarium calamum ipsum strinxisse, haud obscurè colligi potest.

In Becco autem docens, inuidiam sibi conflauit uicinorum sacerdotum, & præcipuè capellani Guilhelmi comitis Normanniæ. is enim ante Lanfranci aduentum, non exiguam sibi eruditionis laudem cum fastu aliquo arrogauerat. Sed ubi ille ad ferociam eius retundendam, alphabeti eruditam explicationem flagitasset: adeò irritatus fuit capellanus, ut omnem, quò in exilium ire monachus à comite iuberetur, lapidem mouerit. Verũ hoc contra Lanfrancũ edictum iam promulgandum, nescimus quibus ipsius ineptijs, retractatũ fuit: tum quòd equo candido, non sine comitis cachinno, in aulam uenisset: tum quòd ipse forma præstans, sales lepidissimos sermoni miscere consueuisset. Fuisse enim Lanfrancum facetum, & forsan etiã leuem, adulatoremq; , hinc petere licebit, si uera sunt quæ Ranulphus prodidit: quòd Vuilhelmum Angliæ regem, non pro officio grauiter & seriò, si quid deliquisset, reprehendere, sed iocis potius, quæ sui essent muneris, monere solitus sit. Hinc rex totus ab archiepiscopo pependit, eiusq; nutu ad Ecclesiasticas dignitates uiris patebat aditus. Huius arbitrio non modò conuentus regni agebantur: sed & decreta promulgata sunt, cæteris qui antea regi familiarissimi fuerant posthabitis. Præterea non rarò, archiepiscopi autoritate, facinorosis non capitis pœna, licet delictum maximè id exigeret, sed pecuniaria mulcta irrogabatur. Regi enim prætendebat ille, argento, quod bellorum neruus est, ad regni defensionem opus esse.

In eo etiam sua dignitate abusus est, teste Polydoro (qui tamen in laudando ipso nimius aliàs esse uidetur) quòd Vulstanum Vigornienſem episcopum, uirum & doctum & integrum, loco suo, præterius & æquum (ut suæ farinę hominem aliquem Normannum substitueret) mouit. Verùm paulo pòst miraculo quodam & rex & Lanfrancus territi, ut dignitatem recipiat Vulstanus, multis precibus instant.

At monachos à uenationibus, aucupio, potationibus, & pompis secularibus, quibus hac ætate Angli monachi prorsus diditi erant, ad regulæ suæ obseruationem constrinxit: ijsque adempta restituit prædia.

Sub initium sui pontificatus, grauis eum excepit controuersia. Nam Thomas Eboracensis, ijsdem ferè diebus factus archiepiscopus, de primaria dignitate acriter cum eo pugnabant: attamen regis fauore fulcitus Lanfrãcus, superior extitit. Præterea, cum in aula, ipsius solummodo arbitrio cuncta administrarentur, plurimorum, ut fit, odia incurrit: inter quos Odo Baiocensis episcopus maximè eminuit, qui ut ægrè homini faceret, nullam non arripuit occasionem. Hunc uicissim Lanfrancus adeò regi exosum reddidit, ut in carcerem coniectus sit: ut Polydorus commemorat.

Porrò commendatur Lanfrancus, ob largas in pauperes erogatas eleemosynas, humilitatem, affabilitatem, hospitalitatem, & denique comitatem: à Ranulpho libro septimo, capite sexto Polychronici. Ac quid laudato uiro deesse potest, si uera sunt quæ Polydorus de eo memoriæ prodidit? Fuit, inquiẽs, Lanfrancus uir tam diuinis quàm humanis literis doctus, in rem diuinam domi foriśque augendam gnauiter incubuit: in rebus uerò agendis nemo homo hoc uno castius consuluit, sanctius egit, impensius quod è republica esset, omni tempore fecit: quapropter & de regno & regibus mirum in modum bene meritus est, quasi communis patriæ pater. Sua enim prudentia atque animi pietate, sæpius tum Normannis, tum Anglis, magno rerum turbine fluctuantibus, prę́sidio adfuit. Leniuit Guilhelmi regis semper duriciem: fouit Anglos mira charitate: precibus, pollicitationibus & præmijs in officio eosdem continuit: cohercuit feram Ruffi naturam, rabiem & furorem, cuius iuuentutem ratione, consilio & præceptis rexit: conciliauit pari studio Anglorum animos eidem. Crimini tamen eidem datum est, quòd de Ruffo, cuius naturæ peruersitatem non ignorasset, rege creando nimium laborauit: & quòd Vulstanum pontificia priuauit dignitate. Ac demum de huius uiri pietate testantur etiam, templorum restauratio, & duæ domus hospitales, haud longè ab urbe conditæ.

Cæterum non fuit Lanfranco, aulæ (quã diximus) felicitas perpetua. Ruffi enim animus fortè æmulorum industria ab eo alienior factus est: quo comperto, ipse in febrim acutissimam incidit, eaq́ue expirauit: quod maximè antea in uotis habuisse scribitur, ut aut febri aut dysenteria uitam sibi finire liceret, quòd hisce linguæ usus minimè subtrahatur: ut Ranulphus libro septimo, capite sexto, in Polychronico narrat.

Obijt autem anno pontificatus decimonono, qui fuit regni Guilhelmi Ruffi tertius, Christi uerò 1090, circiter. Polydorus.

ANSHELMVS.

Nobilibus parentibus Gundulfo & Ermenberga, Augustæ (quæ Longobardorum & Burgundorum finium ciuitas est) natus Anshelmus, Maurilij Rothomagensis episcopi & Lanfranci discipulus: quorum hoc in primis in Beccensi monasterio utebatur præceptore admodum familiariter, ubi monachum induit anno ætatis uigesimoseptimo. Pòst uerò & Prioris & abbatis munus tanta administrauit fide, ut apud quosuis maxima ipsius esset existimatio: ut in uita ipsius scribitur. Abbas autem factus est sub annum salutis 1080, iuxta Sigebertum. At quarto, ut Polydorus ait, post Lanfranci obitum anno, in Cantuarie si ecclesia à rege accitus, ipsi successit: qui fuit Christi 1094, ut Dodechinus refert.

Multorum autem opusculorum autor fuit, quæ hoc ordine Balæus recenset:

De fermento & azymo, lib.1.
De conceptione Mariæ, lib.1.
Cur Deus homo, contra gentes, lib.2.
De sancta Trinitate, lib.1.
De incarnatione uerbi, lib.1.
Prosologion, lib.1.
Monologion, lib.1.
In Cantica canticorum, lib.1.
De Spiritu sancto contra Græcos, lib.1.
De casu diaboli, lib.1.
De diuersitate Sacramentorum, lib.1.
De pace & concordia, lib.1.
De uoluntate Dei, lib.1.
De libero arbitrio, lib.1.
De gratia & arbitrio, lib.1.
De beata uita, lib.1.
Dialogum de ueritate, lib.1.
De similitudinibus, lib.1.
De mensuratione crucis, lib.1.
De beata sufficientia, lib.1.
Meditationes redemptionis, lib.1.
Meditationes de passione, lib.1.
Stimulum amoris, lib.1.
De bona occupatione, lib.1.
Pro insipiente, lib.1.
Contra insipientem, lib.1.
De concitando timore, lib.1.
De laudibus Mariæ, lib.1.
De Antichristo, lib.1.
Dialogum Christiani & gentilis, lib.1.
De 14 beatitudinibus, lib.1.
In Hexaemeron, lib.1.
De membris Deo attributis, lib.1.
De officijs diuinis, lib.2.
De domo conscientiæ, lib.1.
Ad Lanfrancum archiepiscopum, lib.1.
De Grammatico, lib.1.
Ad Guilhelmum Hirsaugiensem, lib.1.
De assumptione Mariæ, lib.1.
De Iohanne baptista, lib.1.

Epistolas 367 ad diuersos, lib.1.
Aliud epistolare, lib.1.
Dialogum de morte Christi, lib.1.
De peccato originali, lib.1.
De æterna beatitudine, lib.1.
De beatitudine & miseria, lib.1.
Planctum amissæ uirginitatis, lib.1.
De uita monachorum, lib.1.
Orationes ad sanctos, lib.1.
De excellentia beatæ uitæ, lib.1.
Parabolarum seu prouerbiorum, lib.1.
De monte humilitatis, lib.1.
Super Psalterium, lib.1.
De corpore Christi, lib.1.
De uoluntate Dei, lib.1.
De uoluntate propria, lib.1.
De scientia animæ Christi, lib.1.
De motione altaris, lib.1.
In Euangelium Matthæi, lib.1.
In Euangelium Ioannis, lib.3.
Soliloquium de Trinitate, lib.1.
De septem uirtutibus, lib.1.
De moribus humanis, lib.1.
De timore mortis, lib.1.
In Apocalypsin Ioannis, lib.14.
In epistolas Pauli, lib.1.
Sermones aliquot, lib.1.
De mysterijs Ecclesiæ, lib.1.
De prædestinatione & præscietia, lib.1.
De origine animæ, lib.1.
De fide Christiana, lib.1.
De 7 gradibus humilitatis, lib.2.
De imagine mundi, lib.1.
Versus heroicos,

Atq; alia. Balæus Centuria 13.

Græcè & Hebraicè doctum fuisse, inde apparet, quòd ex linguarum quas diximus collatione, plurimum lucis Scripturæ sacræ accedere innuit, in 5 caput prioris ad Corinthios.

De doctrina uerò eius, & næuis insignioribus, ex capite Quarto iudicium sumi potest. Vnam tamen atque alteram ipsius opinionem hic annotare libuit. Si Pilato, inquit, Christus soluisset quæstionem, Quid est ueritas? eum utiq; liberasset, & ideo genus humanum redemptum non fuisset. In dialogo de passione Domini. Item: Patrem per angelicam creaturam baptizato filio hanc emisisse uocem, Hic est filius meus, &c. in enarratione Euangeliorum. Et: Christum in infernum descendisse pro liberatione iustorum, qui ibi tenebantur captiui. in 10 caput ad Romanos. Descendebant tunc omnes iusti in infernũ, ibiq; quiescentes expectabant Redemptoris aduentum. In 11 caput ad Ebræos. Item, Dæmones ait ignorasse, quòd per passionem Christi redimendum esset genus humanum: in 2 caput prioris ad Corinthios. Eliam & Enoch

Enoch Deus reseruat, ut filios Israel ab Antichristi seductione liberent. In 4 cap. prioris ad Corinth. Et: Deus posuit Enoch in aliqua secreta regione, ubi in magna carnis ac spiritus quiete uiueret: donec circa finem seculi cum Elia ueniet reliquias Israel ad finem conuertere. in epistol. ad Hebræos capite undecimo. Item: Omnes in peccatis mortuos, dempta solummodo matre Dei. in 5 caput posterioris ad Corinthios. Item: Licet antiqui sancti scirent gentes ad fidem uenturas, tamen nescierunt quòd ad eandem uitæ sublimitatem forent uenturæ, ad quam Iudæi, culturam habentes unius Dei. Sed & hoc latuit eos, quia sine lege forent saluandæ. in 3 caput ad Ephesios. Item: Sicut Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non consensit inductus, sed cessit obstrictus: nec Salomonem credibile est putasse, errorem non esse idolis seruire, sed blanditijs fœmineis ad illa sacrilegia fuisse compulsum: ita credendum est, Adamum suæ fœminæ ad Dei legem transgrediendam, nõ tanquam uerum loquenti credidisse, seductum, sed sociali necessitudine paruisse. in 2 epistol. capite 1. ad Timoth.

Dictum Pauli, Vnius uxoris maritum, exponit: id est, qui unam uxorem habuerit, non habeat secundam. & pro corroboranda hac sententia, Hilarium & Germanum Antisiodorensem adducit testes. in 3 caput prioris ad Timotheum.

Nimium monachos multis in locis extollit: eorum opera Deo gratiora, quàm hominis cuiusquam secularis, esse asserens: capite octuagesimoquarto, de Similitudinibus. Et Helinandum auunculum suum monet, ut relicto clericali habitu, perfectioris uitæ statum, hoc est monasticen amplectatur. epistola prima.

Porrò multæ lectionis hominẽ fuisse apparet. Sępius enim Augustini, Bedę, Clemẽtis, Maximi, Origenis, Ambrosij, Hilarij Pictauini, Heluidij, Chrysostomi, Dionysij Areopagitæ, Isidori, Iosephi, Eusebianę historiæ, item Socratis, Aristotelis, Virgilij, in suis meminit scriptis.

De libris suis, in præfatione Monologij ait: se in tractatione sacræ Scripturæ nihil dixisse, quod non catholicorum patrum, & maximè B. Augustini scriptis cohæreat. Et si cui uidebitur, inquit, quòd in eodẽ opusculo aliquid protulerim, quod aut nimis nouum sit, aut à ueritate dissentiat, rogo ne statim me aut ut præsumptorem nouitatum, aut falsitatis assertorẽ exclamet: sed prius libros B. Augustini de Trinitate diligenter perspiciat, deinde secundum eos meum opusculum dijudicet. Item: Certus sum, si quid dico quod sacræ Scripturæ absque dubio contradicat, quia falsum est: nec illud tenere uolo, si cognouero. libro primo Cur Deus homo, capite decimooctauo. Et libro uigesimo primo, capite uigesimosecundo ait: Si quid diximus quod corrigendum sit, non renuo correctionem, si rationabiliter fit. Si autẽ testimonio ueritatis roboratur, quod nos rationabiliter inuenisse existimamus, Deo, non nobis attribuere debemus, qui est benedictus in secula. Et de aliorum libris inquit: In libris sanctorum doctorũ, quos autenticè legit Ecclesia, nonnunquam inueniuntur quædam praua, uel hæretica, non tamen pro his uel libri uel authores damnantur. Perlegat eorum libros prudẽs lector, & inueniet esse uerum quod dico. In 3 caput prioris ad Corinthios.

Præ infinita autem sui seculi episcoporum multitudine, magis ipsi religio curæ fuit. Nam in sacrarum expositione Scripturarum, haud uulgarem nauauit operam, ut scripta eius testantur: ac hæreticis tam nouis quàm ueteribus grauiter contradixit. Origenis sententiam, qua post multa secula omnes damnatos saluandos asserit, damnat capite 12 in Matthæum. Manichæos, Christo ueram carnem detrahentes, in 6 caput ad Romanos: Arium & Macedonium, in 12 caput prioris ad Corinthios, & in 5 caput ad Ephesios. Montano & Nouato multis contradicit uerbis in 6 caput ad Ephesios. Et Græcos, processionem Spiritus sancti de filio negantes, refutat, eorumque obiectiones diluit, in epistola de processione Spiritus sancti. Et cõtra Gentiles libellum, cui titulum fecit, Cur Deus homo, edidit.

Incidit autem gubernatio eius in admodum tristem & turbulentum rerum Anglicanarum statum, prę sertim in ecclesijs: quarum bona, mortuo aliquo uel episcopo uel abbate, integra rex in suum redigebat fiscum, cæteros immodicis premebat exactionibus: ut nihil præterea de extrema in promiscum uulgus immanitate dicamus. Anshelmus itaque pro suo munere aulam ingressus, regem ut ab incœpto, nisi æternum sibi exitium accersere malit, desistat, grauiter monet. Sed tantum abfuit ut rex locum daret monitionibus, ut etiam omnem ferè bilem in Anshelmum, minus grata aulæ, quam Harpyarum tum plurimæ incolebant, dicẽtem effunderet: cum prius tanto à rege exceptus fuisset honore, quali nullus unquam suorum anteceſſorum. Sed morbus, quo rex implicitus fuit, rei moram iniecit.

De hac aulæ infelicitate sæpe apud suos

familiares queri solitus est episcopus. Sicut bubo, inquiens, dum in cauerna cum pullis suis est, lætatur, & suo sibi modo bene est: dum uerò inter coruos aut corniculas, seu alias aues est, incursatur ac dilaniatur, omninoq; sibi malè est: ita & mihi. Quãdo enim uobiscum sum, bene mihi est, & grata ac singularis uitæ meæ consolatio: quando uerò remotus à uobis, inter secula res conuersor, hinc inde uariarum me causarum incursus dilacerant: & quæ non amo, secularia negocia uexant: ut in uita eius scribitur.

Promiserat quidem rex morbo detẽtus, uitæ emendationem: &, si cõualesceret, nouarum legum contra maiorum edicta promulgatarum abrogationem. uerùm sanitati restitutus, non modò promissis non stetit: sed uictoria contra Robertum fratrẽ regni fastigium appetentem elatus, multo superbius agere cœpit. Denuò igitur regẽ, ut suæ salutis habeat rationem, hortatus Anshelmus, in exiliũ ire iussus est. Polydorus. Verùm in uita eius scribitur, quod à rege facultatem Romam eundi pro pallio petierit: quo commotus Rex, cum Romani pontificis primatũm nullum agnosceret, Synodum episcoporum indixerit: quorum iudicio Anshelmus cùm suæ firmiter insisteret sententiæ, suo sit abdicatus munere. Ex Anglia itaq; multo cum periculo digressus, Romã petiturus, Lugduni ob aduersam ualetudinem residere cogitur. Sed urgente Romano pontifice Vrbano, qui de Anshelmi aduentu edoctus fuerat, cœptum iter persequitur. Romæ à pontifice multa cum beneuolentia exceptus, menses ferè sex uixit. Pontificem ad Barensem Synodum comitatus, Græcos de processione Spiritus sancti ex filio perperã sentiẽtes, solidis deuicit argumentis: quo omniũ in se & animos & oculos concitauit. Posthæc Romano concilio, ubi excommunicationis fulmen in laicos inuestituram Ecclesiarum dantes, & episcopos accipientes missum est, interfuit. Inde Lugdunum regressus, in annum usque tertium exul apud Hugonem eiusdem ecclesiæ pontificem degit: ut in uita eius scribitur. Ac ut maior huic narrationi sit fides, epistolæ ipsius Anshelmi fragmentum, ad Paschalem Romanum pontificem scriptæ, subijcimus. Videbam, inquit, in Anglia multa mala, quorum ad me pertinebat correctio, quæ nec corrigere, nec sine peccato meo tolerare poterã. Exigebat enim à me rex, ut uolũtatib. suis, quæ cõtra legẽ & uoluntatẽ Dei erant, sub nomine rectitudinis assensum præberẽ. Nã sine suaiussione Apostolicũ nolebat recipi aut appellari in Anglia, nec ut epistolam ei mitterẽ, aut ab eo missam recipere, uel decretis eius obedirẽ. Conciliũ non permisit celebrari in regno suo, ex quo rex factus est, iam per 13 annos. Terras ecclesiæ hominibus suis dabat. In omnibus his, & similibus, si consilium petebam, omnes de regno eius, etiam suffraganei mei episcopi, negabant se mihi consilium daturos, nisi secundũ uoluntatẽ regis. Hæc & multa alia quæ contra uoluntatẽ & legẽ Dei fiunt, uidens, petij licentiã ab eo sedẽ adeundi Apostolicã: ut inde consilium de anima mea, & de officio mihi iniuncto acciperem. Respondit rex, me in se peccasse, pro sola postulatione huius licentiæ: & proposuit mihi, ut aut de hac re, sicut de culpa, satisfacerem illi, & securũ illũ reddere, ne amplius peterẽ hãc licentiã, ne aliquãdo Apostolicũ appellarẽ, aut de terra eius citò exirẽ. Elegi potius exire, quàm nefandæ rei consentire. Romã ueni, ut scitis, & Domino Papæ rẽ omnem exposui. Rex, mox ut de Anglia exiui, taxato simpliciter uictu & uestitu monachorum nostrorũ, totum episcopatum inuasit, & in proprios usus conuertit. Monitus & rogatus à Domino Papa, ut hoc corrigeret, cõtempsit: & adhuc in hoc perseuerat. Iam est tertius annus, ex quo sic de Anglia exiui. Pauca quæ mecum tuli, & multa quæ mutuatus sum, quorũ adhuc sum debitor, expendi. Sic plus debens, quàm habens, apud uenerabilem patrem nostrũ archiepiscopum Lugdunẽsem detentus, eius benigna largitate & larga benignitate sustentor.

At de sua restitutione, in alia ad eundem testatur epistola: Mortuo rege Vuilhelmo, cuius uiolentia per triennium exulaui ab Anglia, cum magno desiderio sum à Domino meo rege Heinrico, & principibus eius, & ab ecclesia Anglorum reuocatus, & cum magno gaudio susceptus. Verùm hæc quoq; tempora non fuêre diutur na. Heinricus enim Anglorum rex tum rerum successu elatus, tum aliorum exemplo motus, ius cõstituendi episcopos abbatesque sibi soli rapuit, quos Anshelmus ut abortiuos religionis filios (ut Polydorus ait) consecrare noluit. Hinc nouæ, & quidẽ ijs quas prius sum perpessus uix minores exortæ sunt turbæ: ut ipse in epistola ad Paschalem scribit. Quando, inquit, spero meas aduersitates mitescere, tum magis eas sentio exardescere. Tota enim me uis Angliæ, cum solus ibi sim, molitur subuertere: quia me ab obedientia sedis Apostolicæ non ualet auertere. ad quod etiã ipsi episcopi cũ rege sic æstuant, ut etiam consecrationes, quæ non nisi ad me pertinent, si sit qui uelit accipere, ipsi præsumere non metuant.

metuant. His quoq; infracto animo resti tit Anshelmus, ut de sua gloriatur constantia in epistola ad Romanum pōtificem, ubi eius ea in re exquirit cōsilium. Non timeo, inquit, exilium, non paupertatem, non tormenta, non mortem: quia ad hæc omnia Deo confortante, paratum est cor meum, pro Apostolicæ sedis obedientia, & matris meæ Ecclesiæ Christi libertate. Tandem cum controuersia, utroque suæ sententiæ tenacius inhærente, dirimi non posset, ad Romanum præsulem deuoluta est: ubi Anshelmus coràm suæ, & Vuilhelmus quidam de Vareleuast regis sententiæ egit patrocinium. Verùm sententia pro Anshelmo à Romano pontifice lata est, quam tamen rex minimè recepit: sed magis furore percitus, Anshelmum omni dignitate sua exuit. Lugduni igitur denuò, ut prius, substitit. Pòst, Beccum abijt. Tandem rex conscientia urgente, Anshelmum inde euocatum pristinæ dignitati restituit, ad uenientemq; magno applausu nemo nō excepit.

Porrò Londini primo statim restitutionis anno habita Synodo, Anshelmus regi reconciliatus, de recuperata Ecclesiæ libertate, pro qua diu disceptatum fuerat, triumphum egit.

Tertio, cum ab altero exilio reuocatus esset, anno ciborum nausea & fastidio mensis ferè sex laborauit: tandem deficiētibus cæteris corporis uiribus, animā Deo reddidit, 11. Calend. Maij, anno Dominicæ incarnationis 1109, qui fuit annus pontificatus eius decimustertius, ætatis uerò septuagesimus sextus: ut in uita eius, quam Edinerus monachus, indiuiduus Anshelmi comes, descripsit, habetur.

GVNDVLPHVS.

Lanfranci in Cadonensi cœnobio auditor fuit Gundulphus, qui diuina electione Roffensis episcopus factus putatur. Cum enim Lanfranco alijs rebus intento, Gundulphus, Vualterus, & alius quidam, condiscipuli ludendo dicerent, Experiamur reuolutione foliorum (librum Euangeliorū fortè in manibus habebant) quis nostrùm futurus sit episcopus, quis abbas, &c. Gundulphus autem inuenit locum, Fidelis seruus & prudens, quem Dominus constituet super familiam suā: Vualterus uerò, Serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui: tertio autem in minus gratum infaustiq; ominis locum incidente, exortus est cachinnus. cuius causam ubi Lanfrancus cognouit, Gundulphum episcopum, Vualterum abbatem, tertium uerò sordidæ artis hominem futurum prædixit. cui interpretationi paulo pòst respondit euentus. Ranulphus lib. 7, cap. 6 Polychronici.

HAYMO.

Honesto loco in Anglia natus, & optimis disciplinis, moribusq; à primis annis imbutus Haymo, grassantibus passim in patria Danis, in Gallias concessit: ubi in cœnobio Dionysij monachus, & deinde in Lutetiana schola Theologiæ professor factus est. Inde uerò in patriam regressus, Cantuarienſis ecclesiæ archidiaconum egit. Quo munere fungens, auditoribus suis uerbum Dei studiosè proposuit: & mercenarios, tātum sua ex uerbi prædicatione captantes commoda, acriter admonuit, ne conscientias à filio Dei liberatas, denuò in seruitutem redigerent.

Libros quos edidisse fertur, ex Petro Equilino & Bostono Balæus hoc ordine annotat:

In Pentateuchon Mosi,	lib. 5.
Super Esaiam,	lib. 2.
Super Machabęos,	lib. 2.
In epistolas Pauli,	lib. 14.
In Apocalypsin Ioannis,	lib. 8.
Homelias epistolarum,	lib. 1.
Homelias Euangeliorum,	lib. 1.
Detectionem corporis Dionysij,	lib. 1.
De rebus monachorum,	lib. 1.
Memoriam rerum Christianarū,	lib. 10.
De fructu incarnationis,	lib. 1.
De sanctorum imitatione,	lib. 1.
Pugnam uitiorum & uirtutum,	lib. 1.
De quibusdam martyribus,	lib. 1.

Atq; alia nonnulla.

Sub annum uerò Salutis 1054, iuxta Bostonum, eius nomen celebre fuit. Balæus Centuria 2, cap. 49.

EBORACENSES.

VVLSTANVS, ALFREDUS, *Chinsius.*

HOs tres ordine Eboracensem administrasse episcopatum, testis est Polydorus libro 7 Anglicæ historiæ.

ALDREDVS.

Ex monacho Vintonienſi, Taniſtocorū factus est abbas Aldredus: inde ad Vigornienſem ecclesiā, & tandem Eboracū commigrauit. Pallij gratia Romam profectus, primùm ob minus cōmodas ad interrogata responsiones repulsam passus est: sed tandem precibus, & fortè etiam precio uoti compos factus est, teste Ranulpho lib. 7, ca. 1. Mœrore autem extinctus creditur, cum exules Anglos, Canuto Dano duce, igni & ferro ab Humbri ostio Eboracum uersus omnia uastare audiret.

THOMAS.

Thomam Eboracensem, Lanfranco de primaria dignitate litem mouisse, prius

diximus: quæ hunc sortita est exitum, ut Thomas ante consecrationem iuramento sit promittere coactus, se Cantuariensi, de ijs quæ ad religionem pertinent, nullam deinceps molestiam facturum. Polydorus lib. 9 Anglicæ historiæ. Templum Eboraci magnificum constructum, canonicorum reditus auctos, & cantus quosdam Ecclesiasticos ab eodem compositos, Malmesburius lib. 7, cap. 1 prodidit.

ELFVVOLDVS LONdinensis.

Londinensis episcopus Elfvuoldus, ob corporis uires debilissimas ad monasteriũ, unde ad episcopatum accitus fuerat, regressus, à monachis excluditur. Ipse uerò libris alijsque rebus monasterio prius spoliato, Rameſiam se contulit, ibique uitam finijt. Successorem sortitus est Robertum. Ranulphus libro sexto, capite 23. in Polychronico.

VINTONIENSES.

BRITOVOLDVS.

EX monasterio Glasconiensi Vintonium, seu (ut alij malunt) Vigornium, ad ecclesiæ gubernationẽ accitus fuit Britouoldus, sanctitate monastica insignis, sub annum 1040. De quo nihil pręter unum somnium, quòd nocte quadam Edouardum Ethelredi filium, apud Normannos tum exulantem, post Canuti mortem, à S. Petro regio diademate insigniri uidit. & cum de Edouardi successore inquireret, responsum accepit: Ne talia cures. nam regnum Angliæ, regnum Dei est. Polydorus lib. 8 Anglicæ historiæ: Ranulphus lib. 6, cap. 18 in Polychronico.

ADVINVS.

Aduinus, cum Emma Edouardi regis matre in carcerem coniectus est, quòd cum ea turpe quid designasse fama spargeretur. At regina sine offensione ignitos uomeres calcante, à suspicione stupri liberati sunt. Polydorus ibidem.

VIGORNIENSES.

LVMIGVS, ALDREDVS.

LVmigum & Aldredum Vigorniẽses episcopos nominat Ranulphus lib. 6, cap. 23. in Polychronico.

VVLSTANVS.

In Burgensi cœnobio Vulstanus literas edoctus, Vigorniæ monachum induit. Pòst Aldredi antecessoris sui suffragio, ex aula, ubi preces cœnæ temporibus murmurare solebat, ad Vigorniẽsem assumptus est episcopatũ. Ac licet eruditionis parũ haberet, hypocrisi tamen fuit tumidissimus. Statim enim ad episcopale munus euectus, sancto iuramento ad uotũ se adstrinxit, nunquã se deinceps carnes gustaturum. Ijs enim, dicebat, præsertim aſsis, & nares & mentem auocari à sacris: nec ea deuotione Missarũ solennia, ut fieri debebat, peragi posse: ut Ranulphus testatur.

Hunc Lanfrancus in Londinensi Synodo, ob literarum inscitiam sede remouendum censuerat. At Vulstanus se insignia episcopus ei, cuius beneficio accepisset, redditurum respondens, profectus est ad sepulchrum Edouardi: & exuto insigni uestitu, baculum pastoralem tam altè monumento lapideo infixit, ut nulla inde ui extrahi posset. Quo miraculo rex Guilhelmus Cõquæstor et Lanfrãcus territi, ut suo liberè deinceps fungeretur honore, obnixè rogarunt. Polydorus lib. 9.

Præterea & aliud suæ magiæ specimen edidit. Diabolum sæpe ad luctam prouocauit, eumq; prostrauisse fertur. At quoties in eum diabolus regij satellitis formã præ se ferens intueretur, totus expalluit: licet iactaret, se quid sit timor ignorare. In summitatibus exitium & ruinam minitantium fabricarũ, suo fretus artificio, ambulare solebat. Quemuis fractum pontem intrepidè, etiam eques, transire audebat.

Insuper Sacras literas suis ineptijs scurriliter accommodabat. nam uilioris sui uestitus ex ouinis pellibus hanc adducebat rationem, quòd non feles, sed agnus Dei in templo cantaretur: ut Ranulphus lib. 7, capite 8 in Polychronico testatur.

Cæterùm obijt (ut idem refert) anno Domini 1095, circiter: & propter sanctitatem & miracula, quæ per magicam artem ediderat, in Sanctorũ numerum relatus est. Egregios uerò regni Antichristiani sanctos. Polydorus lib. 8 Anglicæ historiæ.

LINCOLNIENSES.

REMIGIVS.

SVb Guilhelmis Angliæ regibus, doctrina & hypocritica sanctitate clarus fuit Remigius episcopus Lincolniẽsis: qui ex Dorcestria oppido, quod ab Oxonio 7000 passuum abest, sedem episcopalem, iuxta Lindonensis Synodi decretum, transtulit Lincolniam: teste Polydoro Vergilio, Anglicæ historiæ lib. 10.

ROBERTVS.

Guilhelmus Ruffus grandi ære à se sedẽ Lincolniensem, mortuo Remigio, emẽdam putabat. at morbo graui affectus, gratis eã Roberto cancellario suo dedit. quẽ receptis uiribus in ius uocat, quòd urbem Lincolniã & prædia nonnulla, quæ sint archiepiscopi Eboracensis, possideat. à quali te Robertus quinquies mille libris se redemit

mit:ut tradit Polydorus Vergilius Anglicæ hiſtoriæ lib.10.

DVNELMENSES.

GVALTERVS.

TEmpore Guilhelmi Conquæſtoris,Dunelmenſi diœceſi præfuit Gualterus: qui à Northũbris, apud quos principatum iuſſu regis obtinebat,inter Miſſæ ſacrum occiditur,anno Domini milleſimo octuageſimoquinto:teſtibus Sigeberto, & Polydoro libro nono.

GVILHELMVS.

Gualteri ſucceſſor Guilhelmus, ex collegio Dunelmenſi presbyteros, quos uocant, ſeculares expulit: & monachos ſolitudinis pertæſos, & opibus inhiantes,eis ſubſtituit:ut refert Polydorus libro nono. Idem epiſcopus cum Roberto contra Guilhelmum Ruffum conſpirauit, & Vualliam depopulatus eſt:uerùm belli ſocijs cæſis, Dunelmoque deditione capto, ipſe à rege in exilium cum aſſeclis ablegatur:unde poſt bienium ad priſtinum locũ redijt. At ubi regis animum à ſe prorſus alienum uidit,mœrori ſe dedit,eoque contabuit: ut idem lib.10 narrat.

ROTOMAGENSES.

MAVGERIVS,
Maurilius.

MAugerius ex fratre Guilhelmi Conqueſtoris Angliæ regis, ſed thoro illegitimo natus,ſub annum Salutis 1080, Rothomagenſi præſedit eccleſiæ. Verùm cum Guilhelmo regi & Mathildi,Balduini Flandriæ comitis filiæ, ob connubium quod ſanguine iuncti contraxerant, ſacris interdixiſſet: ſua dignitate deiectus eſt: dictitante Mathilde, eum ad res ſacras minus eſſe attentum.Polydorus libro decimo. Addit preterea Vincentius lib.25, cap.40. à papa ei denegatum pallium, quòd uenationibus, aucupio & conuiuijs ſumptuoſis res ſacras poſtponere diceretur. Cui Maurilius Fiſcanenſis monachus ſucceſsit.Malmesburienſis lib.3, cap.41.

GAVFREDVS *Exonienſis.*

Gaufredus partes Roberti contra fratrẽ Guilhelmum Ruffum fouens, Briſtollio mouens, unius horæ ſpacio Bathoniam expugnat:ubi nullã rem quę igni aut ferro eorrumpi potuit,integram reliquit, ut ſcribit Polydorus lib.10.

SARISBERIENSES.

HERMANNVS.

FLandria oriũdus Hermannus,cum Vintonienſem ſedem,cui regis beneficio præerat, Malmesburgum transferre conaretur: proceribus reluctantibus, irriti ipſius fuêre conatus. Quod indignè ferens homo,ad S.Bertinum mari traiecto fugit:ibique monachum annis ferè tribus egit. At Schireburnenſi præſule mortuo, ipſe in Angliam reuerſus, utramque ſedem regendam ſuſcepit: & ad annum uſque nonum Vuilhelmi,prioris Anglorũ regis, obtinuit:ut Ranulphus libro ſexto, capite uigeſimoquinto, in Polychronico annotat. Poſt hęc ex Schireburnia,iuxta Londinenſe decretum, Sarisberiam translata eſt cathedra epiſcopalis: primusq; Sarisberiẽſis epiſcopus Hermannus fuit,teſte Polydoro libro 9 Anglicæ hiſtoriæ.

OSMVNDVS.

Succeſsit Hermanno Oſmundus regis cancellarius,uir doctus,& canendi ſcientia in primus clarus.

Vitam S. Anshelmi, & de Eccleſiaſticis officijs libellum,quo ſingulis horis ſuas aſſignauit preculas & actus, quæ poſtea totius Angliæ Eccleſia ſeruauit,conſuiſſe ſcribitur. Idem,templum opere & ornatu magnificum,mille ab urbe paſsibus in arce regia extruxit,in eaque ſedem locauit epiſcopalem:ut narrant Polydorus & Ranulphus libro 7,capite 3.

IOHANNES
Vellenſis.

Iohannes Turone apud Gallos oriundus,naturâ,non literis medicus,anno Domini 1096 Vellenſem ſedem,cui præerat, Bathoniam tranſtulit:ibique cœnobium rectorum incuria in maximas redactum anguſtias,uectigalibus auxit, ſuoque epiſcopatui adiecit:teſte Polydoro lib.10.

ROBERTVS CE-
ſtrenſis.

Epiſcopus Ceſtrẽſis Robertus,ſub Guilhelmo Ruffo lõgè ditiſsimum Conuertens ſe monaſterium ſibi ſubiecit:ut Polydorus lib.10 refert:ut nimirum eſſet quo regis manum impleret, quod Romanorũ faucibus inijceret, quoq; ipſe ſacram ſuam ſedaret famem.Regulę uerò obſeruationem & pietatis exercitia ſpreuit:teſte Vuilhelmo Malmesburio lib.4,cap.36 de geſtis Anglorũ.

ODO *Baiocneſis.*

Vuilhelmus Conquæſtor Odonem Baiocenſem epiſcopum,ſuum (licet ex obſcuro patre) uterinum fratrem,quo hominem ſagacem magis ſibi deuinciret, totius Anglię adminiſtrationi poſt Haraldi cædẽ prę fecit.Verùm à Lanfráco regiæ gratiæ æmulo delatus,apud Normãnos in carcetẽ cõiectus eſt. Inde liberatus,autor fuit Roberto,ut Guilhelmũ regno exuat. At cõiurationis ſocijs magna ex parte interemptis, Odo uiuus in poteſtatẽ Ruffi uenit. A' quo, q; patruus & epiſcopus eſſet, uita donatus,

ad Robertum se contulit, qui totius Normanniæ administrationem ei tradidit. Polydorus lib. 9 & 10 Anglicæ historiæ.

NORDOVICENSES, SEV *Tedfordenses.*

HEREBERTVS.

HEinricus, seu Herebertus cognomine Losinga (qua ignominię nota propter adulationem insignis erat) abbas Ramesiensis, largitione adeptus est episcopatum Tedfordensem: eademq; arte patrem suum Rotherbertum monachis Vuintoniæ obtrusit rectorem. quod factum quidam his uersibus notauit:

Surgit in Ecclesia monstrum genitore Losinga,
Simonidum secta canonum uirtute relicta.
Petre nimis tardas, nam Simon ad ardua tentat.
Si præsens esses, non Simon ad alta uolaret.
Proh dolor, Ecclesiæ nummis uenduntur, & ære,
Filius est præsul, pater abbas, Simon uterq;.
Quid non speremus, si nummos possideamus?
Omnia nunus habet, quod uult facit, addit & aufert.
Res nimis iniusta, nummis fit præsul & abba.

Ad detergendam uerò Simoniæ labem, Romam abijt: & iuuenilis ambitus & largitionis impiæ pœnitentiam, depositione annuli & baculi pastoralis ostendit. Quæ insignia ei Romanus pontifex Vrbanus restituit. Videtur autem Herebertus, pecuniæ aucupium Romæ edoctus. Sedē enim episcopalem ex oppidulo Thetfordia transtulit Nordouicū, urbem populosam, mercimonijs celebrem, ac omnibus rebus affluentem: ibiq́ue monachorum Benedictinorum collegium instituit, cui de suo necessaria comparauit: fundos uerò nullos attribuit, ne uideretur liberalis de alieno. Tedfordiense autem cœnobium monachis Cluniacensibus, propter professionis communionem, incolendum dedit. Malmesburiensis libro 4, capite 34. Et Polydorus libro decimo.

EDGIVS DOROBERNENSIS.

Edouuardi Anglorum regis temporibus, Dorobernensi ecclesiæ præsediſſe Edgium quendam, Ranulphus lib. 6, cap. 23 in Polychronico testatur.

RANVLPHVS.

Obscuris ortus parentibus Ranulphus quidam, apud Anglos clericus, & gnatho insignis, uulpina calliditate in Vuilhelmi Ruffi regis insinuauit se amicitiam: eoq; regi gratus admodum erat, quòd ipsius fiscū plurium clericorum bonis auctiorem redderet, cum Ecclesiæ dignitates pecuniæ prodigis multo auro uenderet: ut Malmesburiensis libro quarto, cap. 10 indicat. Cæterùm cū ipse quoq; pro accepto episcopatu aurum, quod promiserat, non penderet: fa-

uore regis non solum excidit, sed & in carcerem detrusus est. Vnde clàm elapsus, ad Normannos piratas se contulit, quorum classi præfectus est: ut Anshelmus in epistola quadam ad Paschalem pontificem testatur.

HEREFORDENSES.

VVALTERVS.

VValterus Herefordensis episcopus, libidinis grauissimas luit pœnas. Cum enim mulieri per uim stuprum offerre conaretur, illa forpicibus gulam eius perfodit: eoque uulnere episcopus statim expirauit, anno Christi 1070. utidem lib. 7, cap. 2 testatur.

ROBERTVS.

Vualtero successit Robertus, cùm aliarū disciplinarum, tum astronomiæ studiosus. Computum enim, supputationemque motus lunæ ac aliarum stellarum, diligenter perscrutatus est. Ibidem.

SCOTIAE EPISCOPI.

MICHAEL, THODATVS.

MIchaelē Glasguensem, & Thodatū, S. Andreæ episcopos, inter ordinationis ritus, conceptis uerbis Thomæ Eboracensi iurasse, se ei fidem & obedientiam præstituros: Polydorus libro nono refert.

DANIAE EPISCOPI.

OTHINCARVS RIPENSIS.

OTthincarus iunior, regio apud Danos sanguine natus fuit. Puer in Bremēsi schola literas didicit: ubi Adeldagus eum baptizans, suo de nomine Adeldagum uocauit. Cum uerò iam perfectioré attigisset ætatem, Othincaro Albo, cui sanguinis necessitudine iunctus erat, de quo præcedenti seculo diximus, se adiūgit, eoque præceptore aliquandiu usus est. Quo uerò defuncto, ipse à Libentio Ripēsi ecclesiæ præfectus est. Non enim uel eruditione, uel uitæ sanctitate, nec deniq; laborum quos pro religione terra mariq; subijt, multitudine illo inferior extitit. Testis est Crātzius lib. 3, cap. 38 & 43 Metropoleos.

ROSCHILDENSES.

AVACVS.

CAnuti regis temporibus, Roschildensem ecclesiam tenuit Auacus quidam. Saxo Grammaticus lib. 10 Danicæ historiæ.

VVILHELMVS.

Vuilhelmus Anglus, quo Canutus maior & scriba & sacerdote usus erat, sub Suenone Estritæ filio constituitur Roschildensis præsul. Saxo libro 11.

SVENO:

SVENO.

Suenonem quendam ex Noruegia oriundum, Danorum rex suum sacerdotem fecerat, hominem literarum prorsus ignarũ, attamen regi admodum charum. Cuius æmuli cum in precationis formula pro rege dicenda, ut Deus regem suum famulũ protegat, &c. priores duas literas exculpsissent, ipse uerò Latini sermonis ignarus, Mulum appellasset regem: omnium eum ludibrio & risui exposuerunt. Ea occasione motus Sueno, Latinæ linguæ cognitionem tanta felicitate percepit, ut breui suis æmulis non tantum esset admirationi, sed etiam communibus cleri suffragijs Vuilhelmo surrogaretur. Hierosolymam deuotionis causa profectus, in Rhodo defecit. Saxo Grammaticus lib. 11 & 12.

HEINRICVS, EGINVS.

Dalbiæ episcopum egit Heinricus, Lundiæ uerò Eginus: quorum illo bibacitate extincto, hic utramq; Ecclesiã administrauit. Ibidem.

RICHALDVS, ASCERVS.

Richaldo circa annum Domini 1090, in Lundunensi episcopatu successit Ascerus, morum generisq; splendore eximius. Idẽ libro 12.

DE MONACHIS.

EVROPAEIS.

NICETAS.

NIcetas cognomine Pectoratus, Studij (monasterium est apud Constantinopolitanos) monachus, cõtra Romanam ecclesiam scripsit de azymo, de ieiunio Sabbatorum, & nuptijs sacerdotum, anno Christi 1053. teste Sigeberto.

MONACHI Italiæ.

CASSINENSES.

IOHANNES.

IOhannes Beneuentanus, post multas peregrinationũ molestias trigesimus Cassinensium abbas, Iohanne antecessore eremum petente, factus est, & ab Otthone tertio confirmatus. De uiris religiosis libellum conscripsisse dicitur. reliquum gubernationis tempus, quod fuit annorum 12, & sex mensium, ornandis & reditibus augendis ecclesijs tribuit. Chronicon Cassinense lib. 2, cap. 22.

ATENVLPHVS.

Præter eos labores quos cum antecessore suo communes habuit Athenulphus, etiam perfidia insignis fuit. Dattũ enim quendam Apuliæ primatem, qui, Græcis Apuliam igne & ferro miserè uastantibus, ad ipsum cum coniuge & liberis confugerat, hostibus prodidit: à quibus sacco insutus, in mare præcipitatus est. Ad cuius necis ultionem, & ne fortè Græci tota potirentur Italia, cum Heinricus Imperator maximas in Italiam copias ductore Pilgrino Colonien si archiepiscopo mitteret, Atenulphus nullum sibi in Italia tutum locum prospiciens, Hidruntum profugit: & assumptis preciosissimis monasterij rebus, ingressus nauim ut in Græciã traijceret, unà cum socijs naufragio perijt. Quo cognito, Imperatorẽ dixisse ferunt: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam quã fecit. Præfuit monasterio annos undecim. Ibid. lib. 2, ca. 40.

THEOBALDVS.

Athenulphi locum, Imperatore Heinrico & Benedicto pontifice approbantibus, accepit Theobaldus: qui Hierosolymitano confecto itinere, multos iam annos cœnobij præposituram administrarat. Negocijs hic secularibus & superstitiosis cultibus, more maiorum, distentus fuit: attamen libros nonnullos fratrib. describẽdos dedit.

A` Pandulpho Capuano principe ad cõloquium euocatus, in monasterio ibidem annis ferè quatuor liberiori quasi custodia abbatem egit. Verùm eius tandem pertæsus, à Sergio ducẽ Neapolitano armatos aliquot milites impetrauit: quibus ad dictũ diem comparentibus, ipse ex monasterio ad uicinam ecclesiam (uti conuenerat) egressus, custodum manibus ereptus est: & in S. Liberatoris cœnobio annos latuit quinq;, ubi & uitam finijt. Monasterio præfuit annis 13: ut libro eodem, cap. 43, 60, & 61 scribitur.

BASILIVS.

Pandulphus, quem diximus, Basilium, (qui præter uicenos solidos annuos, ex reditibus Cassinensis cœnobij nihil acceptu rum, reliquũ uerò principis fore, iuramento se adstrinxerat) Atenulpho substituit. Quod ægerrimè ferentes monachi, rem ad Imperatorem deferunt: qui depositio Basilio, & nouum eligendi abbatem potestatẽ concedit, & simul distracta bona restitui mandat. Ibidem.

RICHERIVS.

Et Conradi Imperatoris, & monachorũ pari suffragio, Richerius Leonensis abbas in Basilij locum surrogatus, pro religionis studio arma potius tractauit. Nam uaria fortuna cum Normannis, alijsq; uicinis, ut sui cœnobij bona recuperaret, continua gesit bella. Anno 1055 febri correptus, Aterni expirauit, 3 Idus decembris. Chronicon Cassinense lib. 2, cap. 67, & sequẽtibus aliquot.

PETRVS.

A` morte Richerij, inter monachos de successore

ceſſore appellando non conuenit. Nonnulli enim, numero ſanè pauci, Iohannem Marſicanum, Capuani tum monaſterij præpoſitum: alij uerò Petrum Caſsinenſis cœnobij alumnum, eligendum cenſebant, atque horum ſententia uicit. Hinc Victor ſecundus Romanus pontifex arrepta occaſione, Petrum Romam euocatum, de ſua electione rationem reddere iubet: ſuum enim & Imperatoris conſenſum ſimul in ea requiri debuiſſe. At quicquid tandem Petrus pro ſui defenſione in medium protuliſſet, nullius fuit in Romana ſede ponderis. Mittitur tandem Caſsinum Hubertus: qui rebus diligenter cognitis, quocunque iure, quacũque iniuria, Petrũ ab officio deponeret. Verùm illi, ſui aduẽtus ratione reddita, à ſenioribus reſpõſum eſt: In electione Petri nihil omnino deſiderari. Cõcordi enim uolũtate monachorũ, penes quos ſuperiori ætate ſemper libera appellãdi abbatem poteſtas fuerit, Petro ſeni & repugnanti id muneris impoſitum: neq; uel gratiã, uel præmium ullum interceſsiſſe: quare huic uni ſe obedientiam debitam præſtituros. Cæterùm Petrus, Huberti animum à ſe prorſus alienum facilè perſpiciens, officio ſe ceſſurũ pollicetur, modò uitæ ſumptus ſuppeditentur mediocres. Cum nec hos impetraret, uirga altari impoſita, & officiũ & monaſterium deſeruit, cũ ſediſſet annũ unum, menſes quinque. Cui Fridericus ſucceſsit, qui poſt menſes decem factus eſt Romanus pontifex, ſub nomine Stephani noni. Chronicon Caſsinenſe lib. 2, cap. 93, & tribus ſequentibus.

ODERISIVS.

Oderiſius illuſtri comitum Marſorũ gente ortus, Caſsinẽſis cœnobij alumnus, ſucceſsit Deſiderio, ad Romanam quoq; ſedẽ accito: cuius ſuperſtitioſos & ciuiles mores, ſumma contentione æmulatus eſt. ſeditq; annis 18. Chronicon Caſsinenſe lib. 4, cap. 1, & ſequentibus.

GAIFERIVS.

Habitum monaſticum in cœnobio Caſsinenſi, ſub Deſiderio abbate aſſumpſit Gaiferius Salernitanus, uir doctus & facũdus: qui uitam S. Secundini, laudes Pſalterij, homilias de Aduentu, in Nauitate Domini, & de Epiphania, & alia conſcripſit: ut eſt in Chronico Caſsinenſi libro 3, capite 41.

ALBERICVS.

Albericus cœnobij Caſsinẽſis diaconus, eruditione & eloquentia clarus, compoſuit librum de uirginitate B. Mariæ, Dialogũ de Muſica, uitã Scholaſticæ, uitã S. Benedicti, Paſsiones S. Modeſti & Cæſarij, Dialecticã, rhythmos de paſchate, de die iudicij, de monachatu, de electione Romani pontificis, cõtra Imperatorẽ Heinricum: & litibrum, in quo teſtimonijs Patrum Berengarij argumẽta refutat, poſtquam mutuo colloquio nihil profeciſſet: ut in libro 3, cap. 33 Chronici Caſsinenſis ſcribitur.

CONSTANTINVS AFER.

Conſtantinus, patria Carthaginẽſis, Babylone diſciplinis Chaldæorum, Arabum, Perſarum, Ægyptiorũ & Indorum perceptis, anno peregrinationis 39 in patriam rediit. Metuens autem ſuorum inſidias, in Italiam traiecit: & monachus Caſsinenſis factus, ex diuerſis gentium linguis tranſtulit cõplura opera artis medicę: ut Pantechon, 12 libris diſtinctum: Practicam de conſeruanda ualetudine, & morborum curatione: librum Graduum, Diætam ciborum, De febribus, quem ex Arabe Latinum fecit. Librum de urina: de interioribus membris, eorumq; præcipuis morbis. Expoſitionem Aphoriſmorum: Τέχνης, μικροτέχνης, Diſputationẽ Platonis & Hippocratis in ſententijs, de Simplici medicamine, de gynecia, de pulſibus, de experimentis, gloſſas herbarum, de dæmoniaco & claudo curatis ab Alexandro papa, & de eius tranſitu, de electione Gregorij. Chronicon Caſsinenſe libro tertio, capite trigeſimoquarto.

THEOBALDVS.

Theobaldus quidam falſa quadam perſuaſione, relictis apud Gallos amplſsimis opibus, Vincẽtię monachum annis 12 egit. Ad cuius tumulum cum crebrius ederentur miracula, oſſa in Galliam, quæ in hanc eum protulerat terram, relata ſunt, ſub annum 1050. Sigebertus.

GVIDO.

Claruit ſub annum Domini milleſimũ uigeſimũ octauũ, in Italia, Guido Aretinus, cœnobij de cruce S. Leufridi monachus, muſicus excellens: qui de canendi arte inſigne conſcripſit opuſculum, & Scalæ Muſicalis autor eſſe dicitur apud Sigebertum, & Vincentium libro uigeſimoquinto, capite decimoquarto: Crantzium in Metropoli libro quarto, capite decimooctauo. Eundẽ & contra Berengarium de corpore & ſanguine Domini elegantem edidiſſe librum, in Epitome mundi, & Bergomenſis hiſtoria annotatur. Quod ſanè longæuum Guidonem fuiſſe indicio eſt, cum ſub annum 1051, ut Sigebertus annotat, Berengarius ſuum effuderit uirus.

MADELMVS.

Beneuenti adeò dura & ſuperſtitioſa exercitia appetijt Madelmus, ut in cellula extra monaſterium ſolitariam ageret uitam. Verùm idẽ poſtea luxurię frenos in tantũ laxauit, ut in loco publico uirgis cæderetur, & infami

& infami caluitio insigniretur: teste Petro Damiano, cui familiaris fuit, in epistola ad Gerardum Florentinum episcopum.

GALLICAE MONACHI.

SAncti Germani abbates hoc seculo fuêre: Adrialdus, qui anno 1061 obijt: Hubertus, Robertus, Petrus regis olim cancellarius, ex Apulia oriundus, qui sub annũ 1082 in uiuis esse desijt. post quem eundem dignitatis gradum obtinuit Isembardus, ad annum usq; 1103: teste Annonio lib. 5, capite 48 de gestis Francorum.

CLVNIACENSES.

ODILO.

EQuestri familia in Auernia oriũdus Odilo, literas ad S. Iulianum martyrem didicit. Ex Brusiacẽsi autem clerico monachus Cluniaci factus est, ubi cum quadriennium magna hypocrisi transegisset (ob humilitatem enim & liberalitatem mirè commendatur à Vincentio libro 24, capite 102) à Maiolo designatur successor. Sermonũ uolumen ab ipso editum, Trithemius autor est. Superstitiosum hominem, & Antichristi membrum fuisse, opera eius testantur. Nam festi omnium animarum, ut uocant, primus ille inuẽtor esse scribitur apud Sigebertum. Præterea D. Virginis cultor deuotissimus extitit, cuius ope aliquando membrorum restitutionem recuperauit: ut Vincentius nugatur. Monasterio præfuit annos 53. Obijt ætatis anno 87, qui fuit Christi 1048. Trithemius.

HVGO.

Tempore Heinrici quarti uixit Hugo abbas Cluniacensis, qui cũ Desiderio Casinensi fratrum societatem sanxit. Chronicon Casinense libro tertio, capite quinquagesimo.

MARTINVS.

In Gamaldulẽsi cœnobio, Martinus quidam coæuus fuit Damiano: ut ex eiusdem epistola apparet.

ODO.

Abbas D. Medardi Suessionensis Odo, cœnobium D. Martini Tornacense reparare iuuit, anno 1091: ut Iacobus Meier in Chronico Flandriæ annotat.

GALTERIVS.

Sub annum Domini millesimum, Galterius D. Petri Milidunensis cœnobio præficitur à Seguino Senonum archiepiscopo: testis est Ammonius libro 5, capite 46. de Francis.

LEODIENSES.

STEPHANVS.

Cœnobio S. Laurentij in publico monte Leodij à Raginardo antistite recens extructo, præfectus est Stephanus, anno Domini 1025. Sigebertus.

LAMBERTVS.

Lambertus monachus Leodiẽsis, Adelmãni Grãmatici Brixiensis episcopi quondam auditor, oratione soluta & ligata composuit uitam S. Heriberti archiepiscopi Colonienſis, libro uno. De miraculis eiusdem librum 1. Hymnorum, uario genere carminis librum 1. Epigrammatum librum 1. Epistolarũ ad diuersos librum 1. Officiũ de S. Heriberto, & alijs sanctis. Claruit sub annũ 1060. Trithemius de Viris illustribus.

FRANCO.

Leodiensium Scholasticus Franco, literarum scientia & morum integritate insignis, Hermanno archiepiscopo Colonienſi inscripsit librum de quadratura circuli, sub annum 1047. Sigebertus.

POPPO.

Poppo monasterij Stabulensis, Benedictinæ professionis, in diœcesi Leodiensi, abbas, propter doctrinæ & uitæ sanctæ opĩnionem sub annum Domini 1020 in precio fuit, disciplinamq́ue monasticam penè collapsam instaurauit. Chronicon Hirsaugiense.

GVNTHERVS.

Benedictinæ professionis monachus ad S. Amandum, præter uitam & martyrion S. Cyriaci metro conscripta, ore & calamo uaria illustrauit: ut est in Chronico Hirsaugiensi. Claruit anno 1064.

THEODORICVS.

S. Trudonis apud Gallos abbas Theodoricus, diuinarum & humanarum literarum haud ignarus, uitam Trudonis, Bauonis, Reinoldi, & complurium aliorum, carmine comprehẽdit, uariosq́; præterea sermones ad fratres edidit. Floruit anno 1064. Ibidem.

MONACHI GERMANI.

FVLDENSES.

BOBO.

Expulso Brãchone abbate, qui pòst Halberstadij factus est episcopus, cum suis: Hẽricus Imperator ex Laurisheimensi cœnobio Bobonem, seu Poponem, cum monachorum grege aduocatum, creauit abbatẽ, anno 1014. Qui exacto ibi quadriẽnio mortem obijt: ut Munzerus & Bruschius testantur.

RICHARDVS.

Erkenvualdo ad Moguntinam sedem assumpto, successit Richardus in Fuldensi abbatia, anno 1023. Fuit is duorum cœnobiorum

nobiorum autor, quorum alterum Fuldæ uicinum, à Nouo monte nomen habet: alterum est Amorbacense, ut ijdem annotãt.

SIGEVVARDVS, ROHINGVS.

Post Richardum, Fuldensi monachorũ cœtui præfuit Sigevuardus annis quatuor. Tantundem temporis penes Rohingum eiusdem muneris administratio fuit. Romæ in comitatu Heinrici III obijt, anno 1047: ut ijdem testantur.

ECBERTVS.

Ecbertus, quem & Lampertus Epponẽ uocat, templorum ornatui & ędificijs plurimum laboris & studij impendit. Anno 1058 in uiuis esse desijt: ut Mũtzerus habet.

VVIDERADVS.

Ex monacho cõuentus Fuldensis, factus abbas, supra modum mundanæ gloriæ fuit auidus. In templo enim Goslariensi cruento prælio, bis cum Hildesiano episcopo de loco concertauit. In quibus non solum inferior fuit abbas, sed tanto insuper ære mulctatus est, ut amplissimum & opulentissimum monasterium, in summas angustias fuerit redactũ. Ad suos uerò reuersum, maior penè excepit calamitas. nam ea occasione, cum prius suis exosus esset, uix ab eius internecione manus continuerunt monachi. Sed Imperatoris fauore, qui afflicto afflictionem addi nolebat, liberatur, turbarũ autoribus malè mulctatis. Hoc beneficio Imperatori deuinctus, frequens in expeditione ipsius, licet confectæ iam esset ætatis, fuit. Tandem in curru suo, sequentium militum turba & puluere excitato, suffocatus est: ut Schafnaburgensis indicat.

RVTHARDVS.

E' rebus humanis exempto Vuiderado, ingens monachorum & abbatum colluuies ad Imperatorem confluxit: quorum alius aureos montes, alius ingẽtia ex agro Fuldensi dona, alius maiora Imperij seruitia obeunda pro successione, sine ullo pudore promittebat. Verùm Imperator horum impudentiam detestatus, Ruthardum Hirsfeldensem monachum, qui sui abbatis iussu pro monasterij causa ad Imperatoris uenerat curiam, nihilque minus suspicantem, substituit. Ac licet ille plurima, quibus hoc à se remouerẽt oneris, in medium proferret, minimè tamen accepit Imperator: anno 1075, iuxta Schafnaburgensem. Studium ipsius primarium fuit, ne quid monachis ad B. Virginem & D. Michaelem degentibus, quo cuticulam suam molliter curarent, deesset: ne fortè ob malè saginatos porcos, si quando muneris administrati reddẽda foret ratio, malè audiret. Moritur anno regiminis 21, Christi 1096. Bruschius, Munzerus.

AMICHADVS.

Super tumba Amichadi Fuldensis monachi, qui anno 1043 obijt, noctu lumina uisa, & Angelorũ psalmodiam auditã, nugatur Trithemius in Hirsaugiensi Chronico.

MEGINFREDVS, ADRIANVS.

In eodem monachorum conuentu hac floruerũt ætate, Meginfredus & Adrianus historiographi: quorum ille sui cœnobij historiam, à prima eius fundatione exorsus, ad sua usque tempora magno studio pertexuit: ut Trithemius autor est. De hoc uerò, præter nomen historici, posteritas nihil habet: ut in Epitome mundi annotatur.

SANGALLENSES.

BVRCHARDVS.

SEcundus huius nominis abbas Sangallensis Burchardus factus anno 1007, mox ab anteceſſore Gerardo distracta bona summo labore recuperauit. cuius encomium uersifices monachi hoc Epigrammate decantabant:

Burcardo nostras Dominus commisit habenas,
Quippe uiro iam tum sibimet per cuncta beato.

Ad bellum autẽ contra Saracenos, Heinrico secundo iubente, ægrè profectus, in itinere peste extinctus est, ac in monasterio quodam Longobardiæ sepultus, cum annis ferè præfuisset uiginti & uno: ut Bruschius annotat.

THIETVVALDVS.

Ob œconomiæ studium singulare gratus erat monachis lauticias amantibus, abbas Thietvualdus: qui ad annum usque quadragesimum, post mille, administrauit munus.

NOTBERTVS.

Primus Sangallensium abbas Notbertus, de bonis monasterij cũ Rumoldo Constantiensi episcopo bellum gessit, & in salutem animæ suæ exequias celebrari uoluit. Extant de eo uersiculi:

Constat Notbertum magna uirtute refertum,
Lac fuit infantum, iuuenum dux, norma piorum.
Ille timore Dei despexit cætera regni.

VLRICVS.

Vlricum secundum sibi substitui Notbertus petierat: quod & factum est. Pecuniam is monasticam magna diligentia comparsit, quam successor eiusdem nominis tertius egregiè decoxit: ut testantur monachorum uersiculi, de utroq; Vlrico inuicem succedentibus:

Tertius Vlricus tenet aurum, quod sibi amicus
Præcedens cumulauit, mox quod & ipse uorauit.
Extractum cella rapuerunt horrida bella.

HERMANNVS Contractus.

Natus fuit Hermannus patre Vuolferado, co-

do, comite de Veringen: matre Hiltrude, fœmina religiosa. Occasione autem ualetudinis minus prosperæ, membrorumque contractione, unde agnomen accepit apud Sangallenses, ubi monasticen profitebatur, totum se literarum studijs dedit, quo corporis deformitatem ingenij dotibus ornaret. Tantumq; in omni doctrinarum linguarumq; genere breui profecit, ut inter sui seculi doctos non postremo censendus sit loco. Ac de eruditione ipsius satis superque labores eius testantur. Scripsisse enim fertur,

De musica,	lib.1.
De monochordo,	lib.1.

De sex ætatibus mundi librum unũ, qui Eusebij & aliorum aliquot Chronicis hodie adiunctus est, ab exordio mũdi usq; ad Christi 1054 historias complectentem, cui Continuator aliquis paucos super addidit annos.

De compositione astrolabij,	lib.3.
De utilitate astrolabij,	lib.1.
De eclipsibus,	lib.1.
De quadratura circuli,	lib.1.
De conflictu rhythmimachiæ,	lib.1.
De physiognomia,	lib.1.
Vitas plurium Sanctorum,	lib.1.

Hymnos præterea dulci & regulari melodia de Maria cõposuit, quales sunt: Aue præclara, Salue regina misericordiæ, Alma redemptoris mater, O' gloriosum lumen. Item historiam de annunciatione B. Marię, & de Maria Magdalena.

Præterea poeseos etiá non ignarus fuit: ut testatur Epitaphium, quod matri suæ defunctæ scripsit, ut alibi uidere est.

In suo quodam prędio Alesiusan defunctus est, anno 1054., ibiq; sepultus: ut narrat Continuator ipsius historiæ.

TREVIRENSES.

VVINRICHVS.

EXtra muros Treuericos S. Maximini cœnobio præfuit, sub annũ Salutis 1018. Vuinrichus, cui Harichus, uel (ut alij malunt) Heinrichus succesit: qui Romam contendens, in itinere animam exhalauit, anno 1023. Cuius uicissim locum Poppo, Hierosolymitana profectione sub annum 1026 peracta insignis, accepit: quod munus annos circiter uiginti quinq; feliciter administrauit. Iohannis secundi, qui Popponem secutus est, tale extat epitaphion:

Fundite corda preces, putret hic pius abba Iohannes:
Heu grauis illa dies, te pater hinc rapiens.
Ecclesiæ paucis huic post quam præfuit annis,
ψυχὴ iudicium, σῶμα subit tumulum.
Idibus in quinis, dum seruet Iulius aruis,
Translatus medio redditur in tumulo.
Hunc piè πανύπερτος, uitæ, non mortis amator,
Poscentum uotis cœtibus adde tuis.

Cuius successores fuêre, Bernhardus, Theodoricus, per Engelbertum Treuirensem episcopum, cui pallium à Clemente impetrârat, ad hoc dignitatis fastigium euectus. Hic scripsisse dicitur contra Gregorium septimum, pontificem huius seculi sceleratissimum, libros duos: ut in Catalogo Treuirensium episcoporum annotatur. Engelbertum secuti sunt duo Heinrici, quorũ hic sub annum millesimum centesimum in uiuis esse desijt.

Est & aliud ibidem D. Matthiæ dicatum monasterium, cuius abbates hoc fuêre seculo: Richardus, qui præfuit annis 33, usque ad annum Domini 1024: Bartolphus, annis 26: Reginhardus, 23. obijtque anno Christi 1097, ut Bruschius de monasterijs refert.

LAMBERTVS DE LEGIA.

Clarum fuit, Heinrici quarti temporibus, Alberti cuiusdam de Legia Treuirensis monachi nomen, philosophi, rhetoris, poetæ & musici insignis: qui scripsisse narratur

De miraculis S. Matthiæ,	lib.5.
De uita eiusdem,	lib.1.
De S. Agricio,	lib.1.
Sermonum de sanctis,	lib.1.

Epistolas plures, & diuersorum generũ carmina, ut Trithemius de Viris illustribus annotat.

EVERBINVS *Doleiensis.*

Doleium Treuirensis diœceseos cœnobium, in Lotharingiæ finibus, Heinrico secundo Imperatore, Euerbinus rexit. Chronicon Hirsaugiense.

HILDESCALCVS *Tigurinus.*

Tigurinis monachis Heinrici quarti autoritate præfuit Hildescalcus, qui Theodorani cellam locupletasse fertur. Auentinus lib.5 Annalium.

HELENGERIO.

Helengerionem pręsulem, & duodecim monachos Tigurinos in cœnobium Beurẽ, ad radices alpium, in superiori Vindelicia extructum, Heinricus tertius commigrare iussit: ut idem testatur.

AVGIENSES.

VVERNHARDVS.

VVernhardus, qui & Vuerinherus, iuxtá Contractum, annis sex Augiensem administrauit abbatiam: è rebus humanis exẽptus anno 1006, teste Bruschio.

IMMO.

Inuitis fratribus Immo abbas Prumiensis, Heinrico Imperatore iubente, Vuern-

hardi locum sortitus est: uerùm ob immanitatem, qua in monachos sibi subiectos utebatur, post biennium loco motus est ab eodem Imperatore. Ibidem.

BERNO.

Omni doctrinarum genere præstans Berno, seu (ut alijs placet) Bernhardus, Augiensibus præficitur, anno 1008. Contractus.

Scripsit ad Pilgrinum Colonienſem de Musica uolumen.

De instrumentis Musices, ad Aribonem Moguntinum lib. 1.
De aduentu Domini, lib. 1.
De officio Missæ, lib. 1.
De concordia officiorum, lib. 1.
De ieiunio quatuor temporum, lib. 1.
De ieiunio sabbati, lib. 1.
De mensura monochordi, lib. 1.
Epistolarum ad diuersos, lib. 1.
Sermones ad fratres.

De uera laude regis, epistolam ad Heinricum secundum.

Vitam S. Vdalrici episcopi Augustani.

De erroribus Cassiani.

De nigromantia seu diuinatione dæmonum contemnenda.

Sermones de natiuitate Domini, de Paschate, de Resurrectione Domini, de Ascensione Domini, de Pentecoste, de Aduentu Domini celebrando: de natiuitate, assumptione & purificatione Mariæ: de Marco & Matthia apostolis.

Doctrinę capita, quę uel illustrauit, uel de prauauit, suo loco annotata inueniet lector.

Literarum studia magis ipsi, quàm reliquo monachorum gregi, fruges tantum cõsumere nato, curæ fuisse, ingenij opera, quę diximus, & autorum quos citat catalogus, satis superq; testantur. Nam Tripartitæ historiæ, Augustini, Hieronymi, Hilarij, Cassiani, Prosperi, Gregorij, Decretorum, uariarum Synodorum & pontificum, genealogiarum principum, & diuersarum nationũ consuetudinum meminit. Præterea philosophorum, tam Græcorum quàm Latinorum, de uirtutibus, & rerum natura sententias in promptu habet. Sed perstrinxit eius oculos potentia & splendor Romanorum pontificum, consuetudo multorum populorum, & insciti a doctrinæ de iusticia fidei, ut inuocationes & suffragia mortuorum, electicia monachorum opera & superstitiones tueatur.

Romano Imperatori & pontifici admodum charus fuit, à quibus sui cœnobij priuilegia confirmari obtinuit. Obijt anno 1048, septimo Iunij. Contractus, & Bruschius.

VDALRICVS.

Fratrum electione abbas Vdalricus, ab Imperatore confirmatur, & à Leone nono consecratur, teste Contracto. Regiminis sui anno 21, qui est Christi 1069, in uiuis esse desijt. Bruschius.

MEGINVVARDVS.

Dissentiẽtibus monachis, Meginvuardus ex abbate Hildesheimensi, anno Domini 1070, per largitionem euehitur ad rectoratum Augiæ, ab Heinrico Cæsare. Verùm ille exacto uix biennio, sua dignitate se ultrò abdicauit, tum quòd à suis monachis grauicontumelia impeteretur, tum quòd Cæsar prædia monasterij suis satellitibus dari instaret: teste Schafnaburgensi.

RVBERTVS.

Rubertus antè abbas Babenbergensis, mille pondo argenti purissimi numeratis Cęsari, succedit Meginvuardo. Vsuris enim & sordidissimis quæstibus magnã uim pecuniæ priuatus corraserat, qua antè etiã Cęsarem ferè expugnârat, ut Vuiderado Fuldensi per uim eiecto substitueretur. Quod ubi aduocatus Augiensis cognouit, legatis ei obuiam missis monuit, ne fines monasterij ingrederetur, nisi secum manum conserere animus esset. Quo nuncio territus, cũ Ebertus Gorziensis abbatiã Babenbergẽsem interea adeptus esset, ad fratrẽ se cõtulit. Interposito deinde aliquo tẽpore, Gẽgebach, quod monasteriũ Alsatiæ est, opera episcopi Babenbergensis gubernandum suscepit: ubi bona & ius monasterij ui defensurus, à subditis occiditur: autor est Schafnaburg.

ECHARDVS.

Echardus iuuenis, precibus & gratia Eberhardi comitis Nellenburgij, ab Heinrico 4. pręficitur Augię, anno Domini 1072, homo ingratus. Nam Rudolphi partes contra Imperatorem tutatus est. Fama autem Augiã perlata, Echardum in itinere Italico defunctum (captus quidem fuerat, Sed ope pontificis & Mathildis dimissus) Vlricus abbas Sangallensis Augiam ui occupauit. Reuerso itaque Echardo, res ad arma peruenit. Sed hic uictoria elatus, ad Augustanum episcopatum aspirauit: quò cum à Guelphone uocatus tenderet, in uia incidit in grauissimum morbum, quo etiam extinctus est, anno Domini 1089. Bruschius de Monasterijs.

VLRICVS.

Vlricum, nobili Baronum de Luffen prosapia oriundum, ex præpositura ad abbatiam Guelpho & monachi euexerunt: quem Vrbanus secundus in Concilio Placentino consecrauit. præfuit autem Vlricus annos 34.

Ibidem.

VVERINO

VVERINHARIVS,
Liutharius.

Hermanni Contracti frater Vuerinharius, Augiensis alumnus, doctus & superstitiosus, perfectioris uitæ studio flagrans, cũ Liuthario monacho peregrinationibus se dedit, anno 1053. teste Contracto.

BVRCHARDVS,
Gerundus.

Fuêre hi duo Augiensis scholæ gubernatores: in quorum gratiam Berno abbas, quosdam de consona tonorum diuersitate uersiculos composuit, ut ipse in epistola quadam ad eosdem testatur.

CAMPIDONENSES.

STEPHANVS.

STephanus abbas Campidonensis, adeò crassi & obœsi fuit corporis, ut non equo, non curru, sed sola lectica in peregrinationibus ueheretur. Hic arcem nobilium Langenbergensium, ex rapto uiuentium, euertit: ac obijt anno Domini 1011.

EBERHARDVS.

Eberhardus, uir nobilis & eruditus, Stephani successor, oppidum Campidonense fossis circumdedit: & intus fontibus, ac foris lacubus & piscinis ornauit, uenationũ & aucupij studiosus. Emigrauit ex hac uita anno 1044.

GISELFRIDVS.

Parentibus honestis Mülhusij ortus Giselfridus Preitblath, ante inuentas ad abbatiam claues, maximam humilitatem & religionem prę se tulit. at' pòst fastuosus, uoluptatum ac sodalitij muliebris sectator, & splendoris magnifici adeò amans, ut sæpius trecentis equestris ordinis uiris stipatus incederet. Attamen ob eloquentiam, prudentiam, & in dirimendis litibus felicitatem summam, principibus Germaniæ pergratus fuit. Decessit autem anno Dñi 1048.

LANDOLPHVS, BERTHOLDVS.
tholdus.

Landolphus Reinsteterus ab Hoheneck, primo gubernationis anno, fortè ob corruptos monachorum mores, abbatiam sponte resignauit. Post quem, paucissimos annos idem munus gessit Bertholdus.

HEINRICVS.

Anno 1063 electus est Heinricus Dorenstichius nobilis: qui duas arces Kurnachianę ditiunculę, receptacula latronũ, euertit.

CONRADVS.

Conrado graue & cruentum cum uicinis nobilibus, suos fines incursantibus, bellum fuit: qui eorum arcibus funditùs euersis, ipsos profligauit: atq; Hildebrandũ Memingerum, amicorũ damna & eiectiones ulturũ, in pago Richenbacẽsi captum cũ sociis securi percutiendum lictori dedit. Tandem abbas, ob prouinciam malè administratam, exautoratus est.

VDALRICVS.

Vdalricus Lindegrun, Ochsenbacensis, anno Christi 1092 designatus abbas Campidonensis, sexui fœmineo adeò fuit benevolus, ut legem ferret, ne fœmina quãtum uis atrocissimi sceleris rea, in sua ditione plecteretur capite: quòd duæ fœminæ ope S. Hildegardis, quam in carcere inuocarãt, inde liberatæ, in eiusque tumulo inuentæ sint nocte, cum insequenti die ad supplicium essent ducendæ. Bruschius de Monasterijs.

ELVVANGENSES.

HOc seculo Eluuangensem rexêre abbatiam Hermannus annis 13, usq; ad annum Christi 1011: Berengarius 15, Odenbertus 9, Richardus 5, Aaron 20, Regingerus 16, Vdo 14, Issembertus 4, Adelgerus 8. qui obijt Salutis anno 1102. Ac tantum quidem de bonis illis fratribus, literis mandatum est: cũ præ ocio, quod agerent, non habuerint.

FABARIENSES.

HI à Bruschio annotantur: Salomon, quĩ anno 1032 à Conrado, & 1040 ab Heinrico tertio, Argentinæ, suæ congregationis priuilegiorum confirmationem accepit: Pirthylo, Immo, Vdalricus, Hesso, Iohannes.

EINSIDLENSES.

VVIRANDVS.

TErtius Einsidlensium abbas Vuirandus, annis 30 præfuit. Cui Embricus Bauarus, & Frisingensis canonicus successit, præfuitq; annis 26: obijt uerò anno 1052. Cuius successor Hermannus, anno 1065 huic mortali uitæ ualedixit. Quem secutus Heinricus, idem munus annis sex administrauit. Post hunc Selingerus: qui relicta uita coniugali, monasticen amplexus fuerat, sedẽq; tenuit ad annum usq; 1090. quo eam ultrò resignauit, succedente Rudolpho, qui anno 1101 in uiuis esse desijt.

MANGOLDVS *Isnensis.*

Primus Isnensium apud Sueuos abbas Mangoldus, quarto sui administrati muneris anno, qui fuit Christi centesimus supra millesimum, à quodam suo diacono trucidatur.

BAMBERGENSES.

RATTO, HENRICVS.

PRimus in mõte monachorum extra Bãbergẽses muros, Michaeli archangelo dicato cœnobio, ab Imperatore Heinrico Claudo fundatore, Ratto constituitur abbas: cui annis præfuit quinq;. Obijt autẽ 1020. Post quem Heinricus, annis 46. Cuius anno secundo, templum cœnobij sacris initiatum est.

ADELHELMVS.

Extat Clementis secundi Romani pontificis epistola ad Adelhelmum tertium S. Michaelis abbatem, qua monasterium illud sua autoritate ab omni eximit iure.

VTO, VVILLO, THIEMO.

Vto eidē conuentui præfuit annis 10, obijt anno 1082. Post quē Vuillo annis 3. Cui Thiemo surrogatus, annis præfuit nouem.

PETERSHVSENSES.

ELENBOLDVS.

ELenboldus tertius Petershusij abbas anno 1007 factus est. Cui Vualtharius, Sigfridus, Erchenboldus, Volmarus, Albertus, Siggo, Arnoldus, Meginradus, Luitholdus, admodum obscuri successere uiri.

SALZBVRGENSES.

MAselinus anno 1025 ad abbatiam S. Petri intra Salisburgenses muros accitus est. Eandem Reimbrādus anno 1074 acceptā, annis ferè quatuor tenuit: quem secutus Imbertus quidam ualetudinarius, secundo anno iterum loco sponte cessit.

AVGVSTANI.

DOGO.

SEcundus apud Augustanos Vlrichi ani cœnobij abbas fuit Dogo, annis circiter quatuor. Obijt anno 1018. Cuius successor Godesgenus, annos uix duos compleuit. Quem secuti sunt: Frideboldus, qui annis præfuit 10: Heinricus uerò, 14, humilis, mitis & liberalis: Thedo, 6: Adelbero, 15. in Romano defecit itinere, anno millesimo sexagesimoquinto. Theodomarus admodū iuuenis Adelberoni substitutus, annis 16 præfuit: sed minimè profuit. Sigehardus religiosus, & in rebus temporalibus acquirēdis industrius, eandem prouinciā annis 14 tenuit. Obijt anno 1094. Post cuius obitum Hartmannus, Gotvuigensis cœnobij alumnus, inuitis fratribus obtrusus est ab Augustano episcopo: uir quidem prudens & eruditus, uerùm cum monachis parum esset gratus, post biennium Campidonā secessit, ubi paulo pòst in Danubio submersus est.

EPTERNACENSES.

VROLDVS.

MOnasterium Heptinacrianum incēdio consumptum, undecim annis instaurauit Vroldus abbas: & aureo calice magni ponderis, atque aurea tabula donauit. Is propter incontinentiam, anno Domini millesimo uigesimooctauo, cum præfuisset annis 21, exautoratus, Vuizenborgum, quod Alsatiæ cœnobium est, concesit, ibiq; sexto depositionis anno obijt. Epternacum relatus ad aram S. Stephani, tali sepelitur Epitaphio:

Continet hic arctus locus, Vroldi patris artus,
Cuius in Ecclesia sunt monumenta pia.
Flamma uorax sedes templi consumpsit, & ædes,
Anno cùm decimo præfuit à minimo,
Quas iuxta damnis undenis fecerat annis,
Quod reparata piè pars fuit Ecclesiæ.
Deinde loco cedens, annis quoq; quinq; recedens,
Se uoluit soli credere Leucopoli.
Quo migrans membris septena luce Nouembris,
Sub claro titulo conditus est tumulo.
Ordine post iusto translatus ab hospite busto,
Hac tumba propriæ clauditur Ecclesiæ.

HVMBERTVS, REGINBERTVS.

EX cœnobio Treuirensi S. Maximini uocatus Humbertus, Vroldo surrogatur: qui absoluta ædificatione, consecrari fecit cœnobiū à Poppone Treuirēsi antistite. Mortuus est autem Humbertus anno Christi 1051. Post quem Reginbertus annis triginta eundem obtinuit locum.

THEOFRIDVS.

Confirmationem electionis suæ, anno Domini 1082, Romæ consecutus est Theofridus, uir sanè doctus, qui carmine & oratione pedestri historias, aliaq; ingenij sui monumenta reliquit. nec non Gichlingū, Alstorfum & Burnium prædia suo subiecit cœnobio. Decessit uerò anno Domini 1110. Bruschius de Monasterijs.

SCHVVARZACHIENSES.

ALvuoldus anno Salutis millesimo primo, Schuuarzachiensis abbas factus, precibus Chunigundis confirmationem priuilegiorum sui monasterij ab Heinrico secundo impetrauit: cui annis 13 præfuit. Herbertus, annis 2. Vualtherus, 17. Vuolffgerus, 14: qui suum monasterium nouis adauxit ædificijs. Ea scilicet monachorū fuēre studia. Hoc defuncto, Egbertus ex monasterio S. Gorgonij, quod in Gallijs est, ad reformandos fratrū mores uocatur, anno Domini 1047. ac cū laude præfuit annos 29. Cuius successor Burcardus 20, qui bibliothecā plurimùm auxisse scribitur. In qua adornāda Altmānus quoq; Burcardo surrogatus, plurimùm laborauit.

VTENBVRENSES.

DAngolphus anno millesimo Vtenburanus electus abbas, sedit annis 12 Sigebertus, 16. Embricus, uir bonus & prudēs. 22. Eberhardus, qui simul Campidonense & Degernsehēse cœnobia administrauit, 19. Racellinus, 13. Adelhalmus pro deiectis ueteribus ædificijs noua splendidiora restituit. fuit enim prædiues: quòd simul Vuingartēsis, Petershusanus, Neresheymianus & Fauensis esset abbas. Migrauit aūt ex hac uitæ anno reparatæ salutis 1094. cum præfuisset annis 12. Geberhardus, gubernator monasterij utilis, obijt anno 1103.

nenſes.

GErhardum ex Seun monaſterio Bauariæ accerſitum, primum præfecit abbatem Vuei chenſtephano (Friſingẽſis diœceſeos cœnobium eſt) Egilbertus, qui eandẽ prouinciam adminiſtrauit anno Domini 1021. Cuius ſucceſſor Arnoldus, obijt anno ſalutis 1041. Poſt hunc Dietfridus abbatiam rexit annis 6, Heinricus 15. Beringarius altero anno ſubmerſus eſt in Danubio. Hinc Hagano cœnobium rexit annis 15. Heinricus anno gubernationis ſuæ ſecũdo obijt. Erchangerus, ſub quo cœnobium cuiuſdã monachi incuria & combuſtum & reſtauratum eſt, exautoratus eſt à Meginhardo Friſingenſium epiſcopo, anno 1095. Pabo ex Prifelingẽ, Ratisbonæ uicino monaſterio, reuocatur ad rectoratum Vueichẽſtephani: quo ubi uix annum perfunctus eſſet, in exilium pellitur. at ſequenti anno ab Heinrico 4. in locum reſtituitur. inde cum denuò excidiſſet odio, ut apparet, Cæſaris, cuius partibus fauebat, Heinricus Friſingẽſis põtifex ei abbatiã reddidit, anno Salutis 1099.

NOTGERVS.

Cœnobij Zuifalti in Conſtantienſi diœceſi, primus fit abbas Notgerus, anno 1088. ſeditque annis quinque. Hunc ſecutus eſt Vdalricus, anno 43.

VVEISSENBVR-

genſes.

SIgebodo, cœnobio per unum ſaltem præfuit annum. obijt 1002. Cuius ſucceſſor Luithardus, annos 30. Volmarus, 12. Samuel, 42. obijt uerò anno 1097. Hæc Bruſchius de Monaſterijs.

VVENCESLAVS.

Inferioris Altaichij abbas Vuenceslaus, annalium Boiorum ſcriptor, cum alijs miſſus eſt ab Imperatore Mantuam, ut Alexandri & Cadoli Parmenſis de ſede Romana diſsidium componeret: teſte Auentino libro 5. Annalium.

THEODORICVS MO-

guntinus.

Tempore Henrici tertij claruit in cœnobio S. Albani, quod extra Moguntiam eſt, Theodoricus monachus Benedictinæ profeſsionis, qui ſucceſsiones & geſta Moguntinorum pontificum collegit: & in Canticа canticorum, atq; in Euangelium S. Iohãnis commentatus eſt: aliaq; opuſcula oratione ſoluta & ligata compoſuit. Chronicon Hirſaugienſe.

MARIANVS SCOTVS.

Natus eſt Marianus Scotus anno 1028, & ætatis uigeſimo quarto monachum induit. Exinde quadriennio exacto, relictaq; patria Coloniam cõmigrauit, ibiq; inter Martinianos fratres locum accepit, anno 1050, ipſis Auguſti Calendis. Pòſt Fuldam ſe contulit: inde Salisburgum, ubi presbyterij gradu ornatus eſt. Fuldam regreſſus, decem ibidem commoratus eſt annos. Tandem Moguntiam, ſuadente eius ſedis archiepiſcopo, uenit: ut ipſe in ſua teſtatur hiſtoria, quam à mundi exordio ad annum uſque Chriſti 1083, magno labore, optimoq; ordine breuiſsimè deduxit.

Scripſit præterea Euangeliſtarum concordantiam, & de Computo libellum: ut Trithemius annotat. His & commentarium in Pſalmos Dauidicos, Auẽtinus addit.

Moguntię uitam finijt, anno 1086: ut Dodechinus, qui appendicem ipſius hiſtoriæ attexuit, teſtatur.

COLONIENSES.

HELIAS.

HElias natione Scotus, Pantaleoni & Martino apud Colonienſes dicatorum monaſteriorum ſimul abbas, cum à Pilgrino, monachis, quibus Heliæ ſeueritas exoſa erat, inſtigãtibus, premeretur, ac ut urbe unà cũ ſuæ nationis monachis pelleretur parum abeſſet, dixiſſe fertur: Si Chriſtus in nobis peregrinis eſt, nunquam uiuus ad Coloniam ueniat Pilgrinus. ficq; factum eſt, teſte Mariano Scoto, ſub annum Domini 1036.

ROGERIVS.

Rogerius, S. Pantaleonis Colonienſis monachus, uitam Brunonis, eiuſdem ſedis archiepiſcopi, conſcripſit. Fit præterea huius Rogerij mentio in libris Guimondi, cõtra Berengarij errores. Chronic. Hirſaug.

VVOLFELMVS.

Vuolfelmus, relicto S. Maximini apud Treueros cœnobio, Coloniæ inter S. Pantaleonis fratres locum accepit: pòſt Gladbachenſis (Colonienſis diœceſeos cœnobiũ eſt) abbas factus eſt. Inde Brunuuilet accerſitus, eius loci abbas deſignatus eſt tertius.

Compoſuit autem hic abbas librum de Sacramento altaris contra Berengarij errores, carmina de Benedicto & alijs ſanctis, ac ſermones complures. Cæterùm obijt Vuolfelmus anno Salutis 1091. Ibidem.

HIRSAVGIENSES.

FRIDERICVS.

REparato Leonis noni iuſſu Hirſaugiẽſi cœnobio, quod ultra annos ſexaginta tres deſertum iacuerat, ab Adelberto comite de Calue, monachi ex Einſidlẽſi apud Sueuos cœnobio accerſuntur: inter quos & Fridericus quidam à primis annis monaſticis ſedulò imbutus ſtudijs fuit, cui abbatis

partes à comite delegatæ sunt: quem Trithemius ob literarum, orationum, & sacrarum literarum meditationum indefessum studium magnopere laudat. cumq; idē sibi à subiectis efflagitaret monachis, facilè eorum odium incurrit, qui de inertia & ignauia ipsius (ad rē enim minus erat ob priuata studia attentus) comiti sæpius conquesti, alium sibi petūt dari abbatē. Et horum quidem precibus comes, cui integra cœnobij restauratio, quam urgebat Fridericus, permolesta erat, locum dedisset, nisi Vuiltrudis uxor monachorū restitisset conatibus. Tandem de fornicatione ab ijsdem accusatus, si ne ulla legitima causæ cognitione depositus est, anno 1068. Cuius iniqua abdicatione Lauriscēsis permotus abbas, in Lorsense eum recepit cœnobiū, ubi paulo pòst diē clausit extremum. Chronicon Hirsaugiēse.

VVILHELMVS.

Fratrum uotis annuente, quem diximus, comite, Vuilhelmus monachus Ratisbona accitus Friderico surrogatur. Qui Hirsaugiam usq; delatus, & de antecessoris calamitate edoctus, reiecto quod oblatum fuerat munere, ad suos redire parat: sed multis tandem fratrum lachrymis motus acquieuit. uerùm abbatis nomen, quo ad uixit Fridericus, usurpare noluit Vuilhelmus. Illo uerò mortuo, ab Heinrico Nemetensi episcopo inauguratus est.

Ingenij & eruditionis monumenta scripsisse fertur, de Musica, de compositione monochordi, de astrolabio, eiusq; compositione, de compositione horologij, de correctione Psalterij, & de ratione computi Ecclesiastici.

Anshelmo admodum familiaris fuit: ut patet ex epistola Anshelmi ad eum scripta, ubi dominum & patrem reuerendum eum uocat.

Romano pontifici contra Imperatorem, licet sui cœnobij priuilegiorum confirmationem ab eo impetrārit, semper addictus fuit. Obijt anno 1091, ætatis 65: ut in Hirsaugiensi Chronico Trithemius annotat.

GISELBERTVS.

Ex Hassungensi diœceseos Moguntinæ cœnobio, cum suo monastico examine Giselbertus abbas ab Heinrico Imperatore, quòd Romani pontificis partes sectaretur, exturbatus: in Reinhartzborn, eiusdem infinibus Thuringiæ diœceseos monasterio, & Erfordiæ simul fit abbas, opera Vuilhelmi Hirsaugiensis: ut idem testatur.

HIRSFELDENSES.

GOTEHARDVS, ARNOLDVS.

HIrsfeldēsis abbas anno 1005 factus Gotehardus, post septimum annum in uitis esse desijt. Cuius partes ad annum usq; 1031 gessit Arnoldus.

MEGINHERVS.

Bardone ad Moguntinum, & Rudolpho ad Padebornensem episcopatus accitis, Meginherus succesit anno 1034. Perpetua ei lis fuit cum Burchardo Halberstadiano, de decimis. Anno 1059, 6 Idus Nouembris, cum præfuisset annis 25, huic mortali uitæ uale dixit Meginherus, uir (ut ait Lambertus) magnarum in Christo uirtutum, & uerè unicum sua ætate in Teutonicis regionibus rectè ac monasticè uiuendi exemplar.

RVTHARDVS.

Corbeiæ monasterij alumnus, & iuuētutis informator doctus & fidelis, Ruthardus, aliquando electus abbas Corbeiensis: sed criminum nonnullorum falsò, ut putabatur, insimulatus, excidit eo honore. Hinc aliquot annos ad diuersa fratrum loca uagatus, tandem ingenij præstantia & industriæ laude, abbatiā Hirsfeldēsem adeptus est: ut Lambertus indicat.

Sacræ scripturæ adeò peritus & facūdus extitit interpres, ut ea ætate nemo uerbum Dei copiosius, subtilius & elegantius tracta re uideretur: at in obseruatione regulæ monasticæ paulò fuit remissior.

Scripsit autem de tranquillitate librum, in quo seipsum multis rationibus consolatur, asserens mortalem non debere turbari propter quoscunq; momentanearum rerū euentus, cum omnia mortis aduentu abrūpantur, mala huius uitæ breui sortiantur finem: ut in Chronico Hirsaugiensi Trithemius narrat.

Mense Ianuario anni 1072, incidit in morbum grauissimum: ac phrenensi epilepsiaque correptus, menses triginta miseram traxit uitam. cumq; nulla recuperandæ sanitatis pristinæ spes appareret, sub finem eiusdem anni, ultrò suo se abdicauit munere. quod postea, cū à molestijs exoneratus, à morbo etiam paululū respirasset, adeò largis lachrymis deplorauit, ut an morbi uel mœroris ui potius extinctus sit, in dubium uocari possit. Obijt autē anno 1074, 5. Idus Iunij, teste Lamberto.

THEODORICVS.

Theodoricus monachus Hirsfeldensis, ingenio subtilis, & eloquio clarus, sub Conrado secundo scripsit ad Richardum abbatem Fuldensem, librum unum de uita S. Benedicti, & alium de translatione corporis eius: Epistolarum quoq; ad diuersos librum unum, ut refert Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis.

LAMBERTVS.

Lambertus patria Schafnaburgẽsis, abiecta rei familiaris cura, ne in uia Dei, ut ipse ait, prægrauaretur, anno Domini 1058, Idibus Martijs, ueſtitum monachalem à Meginhero abbate Hirsfeldẽſi, ut eius mores fama commendatos æmularetur, accepit. Eodem anno, menſe Septembri, presbyter à Ludolpho archiepiſcopo Moguntinó ordinatus, inconſulto abbate ſuo peregrinationem ad Palæſtinam ſuſcepit: qua non ſine magnis periculis unius anni ſpacio confecta, Hirsfeldiam redijt: & à Meginhero gratulabũdo exceptus, ac peccati, quod ſine eius conſenſu profectus commiſiſſe arbitrabatur, abſolutus eſt.

Extat hodie eiuſdem, de Germanorum rebus præclarè olim geſtis hiſtoria: itemque rerum aliarum ferè memoratu digniſſimarum perbreuis & admodum iucunda quædam annotatio, ab exordio mundi repetita, tanta quidem diligentia, qualem Germanorum ad eam uſque ætatem hiſtoricorum uix ullum præſtitiſſe reperies: præſertim ſi turbulentum rerum tum Imperij, tum Eccleſiæ ſtatum ſub quarto Heinrico attentius conſideres.

Monachos ſui ſeculi taxat, dicitq; eos eſſe auaros, ambitioſos & mendaces: quòd cum Crœſi uel Tantali opes poſsideant, nihil rei familiaris ſe habere nugentur: atque iſta Dominici agri zizania, hæc uineæ Domini arida ſarmenta & ſtipulas, æternis ignibus præparatas, totum ſacri gregis corpus quaſi contagio quodam infeciſſe.

CLARVS.

Clarus Seligenſtadenſis monachus, ſub Cunrado ſecundo, auſteritate exercitiorũ monaſticorum inſignis fuit: cui Calendæ Iunij ſacræ ſunt. Chronicon Hirſaugienſe.

ALBVVVINVS.

Albuvuinus præpoſitus Hirsfeldenſis, anno Chriſti 1034 creatur abbas Numburgenſis, iuxta Lambertum.

ALMANNVS MERSburgenſis.

Vuernherus epiſcopus Mersburgenſis, in monte ſuburbano, Septentrionẽ uerſus, cœnobium S. Petri extructum dedicari curauit, anno Domini 1091, Calendis Aprilis: eiq; præfecit Almãnum, ex Schuartzhouia accerſitum. Chronicon Mersburgenſe lib. 2, capite 17.

CORBEIENSES.

VVALO.

VValonem abbatem Corbeienſem, reformationi repugnantem, ab officio remouit Meinuuerus epiſcopus Padebornenſis, tẽpore Heinrici 2. Crantzius libro 4, capite 4 Metropoleos.

DVTHMARVS.

Duthmarus (potius Dythmarus) abbas Corbeienſis, obijt anno 1046. cui Ruthardus ſuffectus eſt. Schafnaburgenſis.

SARICHO.

Saricho, eiuſdem conuentus abbas, obijt anno 1071. Cui Vernherus, eiuſdem cœnobij monachus, ſucceſsit. Idem.

ALGERVS.

Ex ſcholaſtico factus eſt monachus Corbeienſis Algerus: in lectione Scripturæ ſanctæ & patrum magno ſtudio uerſatus, literarum etiam humaniorum haud imperitus fuit, ingenio & eloquentia præſtans, proſa & carmine inſignis. Scripſit de ueritate corporis & ſanguinis Dominici in Euchariſtia, cum refutatione diuerſarum circa hanc hæreſin, opus libris tribus diſtinctum. De eadem re contra Berengariũ lib. 1. De gratia & libero hominis arbitrio librũ unum, & Epiſtolas quaſdam. Trithemius de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Transſubſtantiationis papiſticæ patronũ, in primo quem diximus libro agit. De cęteris doctrinæ capitibus conſulatur Caput quartum.

BERNHARDVS.

Monachus Corbeienſis & iuuentutis formator fidelis, orator & poeta ſui ſeculi celebris, Bernhardus: inter alia perſcripſit ad Harduuicum præſulẽ Magdeburgẽſem, inuectiuã in Henricũ quartũ amarulẽtiæ plenam. Trithemius de Viris illuſtribus, & in Chronico Hirſaugienſi.

ERHARDVS.

Eiuſdem cœnobij monachus Erhardus, Bernhardo coætaneus, ſuã eruditionẽ melius collocauit. cõmentariorũ enim in Petà teuchũ libros quinq; compoſuit, & homiliarum librum unum: ut idem refert.

PATERNVS *Padebornenſis.*

Monachus quidã Padebornẽſis Paternus, natione Scotus, homo ſtolidus & ſuperſtitioſus, in cõflagratione ſui cœnobij perire maluit, quàm inde, prohibente id incluſionis ſuę regula, excedere, anno 1058: ut Sigebertus & Vincẽtius lib. 25, cap. 35 teſtantur.

VILLARINVS *Vngarus.*

Perſaxardiæ cœnobij abbatẽ Villarinũ, Geiſa Vngarorũ dux, ſi Salomonis inſidias euitare uelit, regno iubetur excedere. Bonfinius lib. 3 Decadis 2 rerum Vngaricarum.

ANGLIAE MOnachi.

OSVVALDVS.

OSvualdus monachus Vuigornienſis, monaſteria Galliæ Belgicæ perluſtrãs, inter cæteros amicos tranſmarinos, Conſtantinum monachum Floriacenſem, Grammaticum quidem inſignem,

signem, at magum (ut Benno in Hildebrandi testatur uita) ualde eximium, sibi deuinxit: cuius opera scripsit Sacrarum inuocationum librum unum, De componendis epistolis librum 1. De edendis carminibus librum 1. Claruit autem circa annum Christi 1010, teste Balæo Scriptorum Britanniæ Centuria 2, cap. 43.

ANDREAS LEVCANDER.

Andreas Leucander, monachus & abbas Rameſiēſis cœnobij apud Giruios, tertius, literarum ſtudio ſupra modum deditus fuit. Scripſit de ſuo itinere ad terram Sanctam librum unum, uitam Iuonis cuiuſdam, Perſarum nationis apud Anglos episcopi, librum unum. Sub annum Domini 1020 maximè in precio fuit: ut idem teſtatur cap. 44.

HVCARIVS.

Hucarius apud Cornubienſes monachos leuita factus, concionibus & ſcriptis omnium fauorem ſibi conciliauit, anno Domini circiter 1040. Nam ex libro Egberti archiepiſcopi Eboracenſis, de conſtitutionibus Eccleſiaſticis collegit Exceptiones quaſdam lib. 1. Conſcripſit & Homiliarum centum & decem uolumen, & alia: teſte Balęo de Scriptoribus Britanniæ Centuria ſecunda.

KENVLPHVS.

Kenulphus abbas Petroburgenſis, flos literalis diſciplinæ, & torrens eloquentiæ, tum decus ac norma diuinarum rerum ac ſecularium, claruit anno Domini 1050: ut idem Centuria decima, cap. 37, ex Hugone Petroburgenſium rerum ſcriptore, & Lelando commemorat.

FOLCHARDVS.

Folchardus Dorobernenſis, Cantuariæ cœnobij Seruatoris monachus, in gratiam Aldredi Eboracenſis, quo ad ſectanda ſtudia Mecœnate liberali olim uſus fuerat, cō ſcripſit uitam Iohannis Beuerlacenſis quōdam archiepiſcopi, libro uno: Miracula eiuſdem poſt mortem edita, libro uno. Clarus extitit anno 1060. Idē Centuria 2, ca. 53.

SVLCARDVS.

Honeſtis natalibus, in ipſo ſtatim iuuentutis flore Sulcardus, bonarum artium cognitione ſolida ac uirtutum ſtudio, eximiū decus addidit. Ætate uerò maturiore, ut à turbis ſeculi remotior totum ſe literis daret, Vueſtmonaſterij ſub Eadvuino abbate monachum induit. Edidit Chronicorum librum unum, & ſermonū epiſtolarumq; uolumen: fuitq; Edvuardo regi pacifico familiariter notus. Floruit circiter annum Chriſti 1070. Ibidem.

OSBERNVS.

Eccleſiæ Cantuarienſis pręcentor ac mo-

nachus Osbernus Anglus, & Lanfranco archiepiſcopo admodū familiaris, inter muſicos ſuæ ætatis facilè principem obtinuit locum: nulliq; inter ſcriptores, ut Malmesburius loquitur, ſua ætate ſtylo fuit ſecundus.

Compoſuit Panormiam, lib. 1.
De re muſica, lib. 1.
De uocum conſonantijs, lib. 1.
Vitam Odonis archiepiſcopi, lib. 1.
Vitam Dunſtani archiepiſcopi, lib. 1.
Vitam Elphegi archiepiſcopi, lib. 1.
Epiſtolarum familiarium,

Claruit, iuxta Boſtonum, anno 1074. & in uitis epiſcoporum nihil aliud, inquit Balæus, miniſtrat, quàm meras impoſturas & nugas. Centuria 2, capite 54 Scriptorum Britanniæ.

STEPHANVS.

Stephanus Vuitherbienſis cœnobij Northumbrorum monachus, barbarie ſtupēda orbem penè uniuerſum inundante, literis ſtrenuā nauauit operam: & cœnobio D. Mariæ Eboracenſi prefectus, omnem mouit lapidem, ut monaſticen Danorū incurſionibus fermè profligatā apud Northumbrios reuocaret. Qua re ex uotis non nihil ſuccedente, opus de Reparato monachatu, & aliud de Fundatione cœnobij Mariani conſcripſit: exprimens ſimul difficultates, quibus cū in reſtaurando eo uitę genere ſibi luctandū fuerit. Claruit autē circa annū Chriſti 1080. Apud eundem Centuria 2, cap. 57.

ELFVVARDVS.

Elfvuardus circa annum Chriſti 1090 celebris, librum de rebus Angloſaxonum in Britannia, ante Normannorum imperiū geſtis, dictione Latina conſcripſit. Idem Centuria 2, cap. 48, ex Lelando refert.

VVERNERVS.

Sub annum Chriſti 1092, in Vueſtmonaſterienſi conuentu uixit Vuernerus monachus, eruditus & facundus: qui quòd frequenter conciones ad populū haberet, doctas & ſuaues, dictus eſt Homeliarius. Librum præterea Homeliarum edidiſſe dicitur. Idem Centuria 10, cap. 39.

RICHARDVS.

Ceſtrenſis cœnobij S. Vuerburgæ dicati primus abbas fuit Richardus: cui ut obedientiam præſtent monachi, hortatur eos Anshelmus per epiſtolam.

ATDERICVS BARBOSVS.

Atdericus Barboſus in Hybernia monachus, ſcholam puerorū puellarumq; ac laicorum frequentem habuit. Verùm quòd fœminas & puerulos more clericorum tonderet: & mulieribus non peplum, ſed coronam capite ferendam contenderet, inde ejectus eſt, circiter annum Domini 1053: teſte Mariano Scoto.

OLIVE-

OLIVERIVS.

Inter Malmesburienſes monachos magia excellens Oliuerius, de cometa quodã dixiſſe fertur: Veniſti, ueniſti, multis mortalibus lugendum malum. Dudũ te uidi, ſed nunc multo terribilius, Angliæ minitans excidium prorſus.

Scripſit præterea libros de Aſtrologorum dignitatibus, de planetarum ſignis, & de geometria.

Cæterùm cum ex iuuenili temeritate, artis magicæ fiducia, dæmonumq; inſtinctu, pennis ad manus pedesq; alligatis, Dædali ſectaretur ueſtigia, turbinis ui in terram proſtratus animam efflauit. Sub annũ 1060 floruit: teſte Balæo Centuria 2, cap. 51.

FLANDRIAE MONACHI.

EVERELINVS.

BRugis in cœnobio Quercetano uixit Euerelinus, cuius hoc eſt epitaphium: HIC IACET EVERELINVS ANACHORITA, QVI XII ANNIS HAC IN INSVLA LOCI NOSTRI CONVERSATVS EST: & obijt ANNO DOMINI 1060. SECVNDA DIE OCTOBRIS. Iacobus Meyer in Chronico Flandriæ.

VALTERVS.

Anno 1063, Valterus ex cœnobio D. Vedaſti accitus, conſtituitur primus abbas monaſterij Einhamenſis.

POPO.

Popo abbas D. Vedaſti Atrebatenſis, anno Domini 1063 reparat monaſterium Martianenſe, incendio deformatum. Ibidem.

DROGO.

Drogo monachus, ſacerdos Geſtellenſis, uitam S. Godolephæ perſcripſit ad Rotbodonem, epiſcopum Nouiomagenſem.

FVLGENTIVS.

Cœnobij Affligemenſis primus abbas, creatus eſt Fulgentius, circa annum Domini 1081.

AIMERICVS.

Abbas Aquicinctenſis fuit Aimericus, anno Domini 1100. Iacobus Meier.

GEDERICVS.

Honeſto loco natus, ingenio & pietate clarus Gedericus, monachus Blandiniẽſis, Flandros & Brabantinos à diſcordia, cædibus, rapinis ac latrocinijs retraxit concionibus, quas paſsim habuit: ac ſex milites ex latronum cohorte conuerſos, ad Annonem pontificem Agrippinatem, pro criminum remiſsione miſit.

Iacobus Meier.

DE EREMITIS.

STEPHANVS.

STephanus præpotenti familia apud Auernos patre Stephano natus, Milone Beneuentano antiſtite à primis annis uſus eſt præceptore: qui multos annos monaſticis fideliter eum imbuit ſtudijs. Ex ephebis egreſſus, peregrinationibus fuit occupatus. Tandem prope Lemonicas Aquitaniæ in denſiſsimo nemore, inter ſpineta ſtolidus & ſupſtitioſus homo, cũ uno atq; altero ſocio, ſuas ſedes fixit. Defunctum dẽ ſcipuli in eremo, in Grandi monte ſepelierunt: unde nouæ poſtea Grandimontenſium ſectæ nomen inditum fuit, ut ſuo loco diximus.

BRVNO.

Bruno Colonia Agrippina oriundus, literarum gratia Luteciam, ſtudiorum nomẽ tum celeberrimam, ſe contulit. Vbi & Philoſophiæ & Theologiæ tantam ſibi cõparauit cognitionem, ut non tantum doctis in ore eſſet, ſed etiã canonicus factus, inter profeſſores locum teneret. Præceptoris autem ſui, cui defuncto iam exequiæ parabantur, mirabili uoce (qua capite è phereтro exerto, ſe damnatum querebatur) motus, in eremum quendam, ſex alijs eum comitantibus, egreſſus, inter Satyros & Faunos uitam egit durã, ac (ſi mauis) ſylueſtrẽ. Et à loco quem incolebant, Carthuſanorum ſectæ nomen inditum eſt: ut ex ſuperioribus patet. Poſt annũ uerò ſextum, per Vrbanum diſcipulum ſuum, qui iam Romanæ præerat eccleſiæ, reuocatus, ſuam ei in Eccleſiæ negocijs præſtitit aliquandiu operam. Verùm ſacræ curiæ laborum perteſus, ad locum priſtinum, reiecto ſimul Riſenſi archiepiſcopatu, quem accipere iubebatur, redijt: ut Ranulphus lib. 7, ca. 4 in Polychronico indicat.

MICHAEL.

Ex Polenſi Venetorum urbe oriundus Michael, homo idiota, monaſticam uitam amplexurus, à Deo petijt, ut ferreus quo cinctus erat circulus rumperetur, ubi ad locum ſuæ ſaluti congruum ueniret: cuius uoti etiam cõpos factus eſt. Eo enim die quo eremum petierat, inter preces lachrymasq; largas, ſtatim circulus ferreus fractus eſt: ut narrat Petrus Damianus, in uita Dominici.

SIMEON.

Syracuſis Siciliæ natus Simeon, poſtquã Hieroſolymam & montem Sinai ex ſuperſtitione inuiſiſſet, Bethlehemi in B. Mariæ cœnobio monachus factus eſt. Vnde Treuerim profectus, in occluſa turri, etiam in urbe heremitam egit. Hunc uirum poſt

post obitum, mox Benedictus Romanus, ipso heremita stolido stolidior, Romanorum deorum catalogo insuit: teste Sigeberto, sub annum Domini 1016.

DOMINICVS.

Dominici pater, fortè alutarius, hircinâ pellè episcopo, cuius ministerio filius presbyterij sacris initiandus erat, donauerat. quam, Simoniam ratus Dominicus, pœnitentiæ loco monasticen in eremo, quæ ere gionè Luteoli est, amplexus est, sub Iohanne quodam de monte Feretri: sub cuius dominio multos uixit annos. atque ob Simoniæ labem, quam pater ipsi asperserat, altaris ministerio, sacrisq; perpetuò abstinuit. Cæterùm in eremo immanem sui corporis egit carnificem. Ferrea enim ad carnem lorica tribus circiter annorum lustris præcinctus, duobus ferreis circulis in corpore, totidemq; per brachia arctatus fuit: singulis diebus, dum integrum murmurãdo bis repetit Psalterium, uirgis se cęcidit, corpusque fœdissimè lacerauit, ne à facie quidem sibi temperans. Si fortè iter faciẽdum erat, semper in promptu erant uirgæ, necubi plagæ deessent. Ocrearum, calceorumque usum prorsus ignorauit: reliquæ uestes uilissimæ, ad medias usque tibias dependebant. A cibis ad ignem decoctis, aut in arboribus natis, penitùs abstinuit, solo fœniculo cum pane uesci solitus est. Largissimas sæpius sibi uel ui extorsit lachrymas: silentium egit altissimum. Pœnitentiam centum annorum una compleuit hebdomade. Et denique superstitionum chaos, in hoc homine uidere est. Senex enim, uiribusque destitutus, in ijs quas diximus ineptijs, cum maxima impietate & diuini nominis abusu coniunctis, non modò immotus perstitit, sed etiam auxit. Nam pluribus uinculis se constrinxit ferreis, abiectisq; scopis scutica usus est. Tandem stomachi & capitis doloribus ex heremo terrestri ad aliã, quæ fine carebit, emigrauit, ubi nec uirgæ nec flagellatores ipsi deerunt. Cadauer ipsius à commilitonibus, ne fortè à uicinis, quos sua hypocrisi monastrosa fascinarat, peruim auferretur, in cellula, qua obierat, terræ mandatur: quod nono post die integrum repertum, solenni more humatũ est, præsente Petro Damiano, ut ipse in uita eius ad Alexandrũ scribit. ac, ut uerbis suis fides habeatur, addit: Vir Dei Dominicus, pater & dominus meus, ante annum defunctus est: cuius uita si scribatur, uereor ne fortassis à quibusdam fratribus incredibilis iudicetur. sed absit à me mẽdacium scribere. Nam qui ueritatem pro uiribus ueraciter colo, commentum fallaciæ non admitto.

DE ABBATISSIS ET uirginibus Vestalibus.

SOPHIA, ADELHEIDIS.

SEcundi Otthonis germana soror, Gandersheimensi monialium conuentui ad annum usq; Christi 1038 præfuit. Cui Adelheidis, à Dithmaro Hildesiano consecrata, successit: teste Bruschio de Monasterijs.

VTA.

Chunegundis Imperatrix suam ex sorore neptem, Confugiensibus præfecit, Vtã: cui luxus & regiæ lauticię magis, quàm religio, curæ erant. Quam cum Imperatrix aliquando die festo, omissis sacris, pocula cum suis monialibus tractare offendisset, tanto impetu ei colaphum infregit, ut digitorum uestigia in maxillã impressa, postea nulla potuerint curari arte: ut in historia Bãbergensi scribitur.

VITALIS.

Vitalem quandam Anshelmus literis obsecrat, ut habitum monasticæ professionis abiectum recipiat, si saluari cupiat. epist. 4.

CHRISTINA.

Edouardi regis Angliæ filia Christina, à coniugio abhorrens, monialium consortio se adiunxit. Polydorus lib. 9.

ANDLOVIENSES.

ANnum salutis circiter 1004. Brigitta Andlouiensem monialium rexit conuentum. Cui Mechtildis, Conradi secundi Imperatoris soror, successit, anno 1056. Quam Iuditha quædam secuta est. Bruschius de Monasterijs.

DE PHILOSOPHIS, alijsq; huius seculi uiris doctis, qui inter Ecclesiæ doctores locum non merentur, obiter tantum.

IOHANNES GARLANDVS.

IOhannes Garlãdus, à puero iactis in Anglia artium & linguarum fundamentis, propter crebras Danorum incursiones, relicta patria, ad trãsmarina se cõtulit gymnasia. Cuius eruditio & diligentia cũ uiris nobilibus probata esset, sibi eũ multa bene uolẽtia deuinciũt: suosq; ut liberos Latinæ linguæ elemẽta ac Poesin doceat, honesto conducunt præmio. quibus dum gratificaretur, magnum breui iuuenum æmulantiũ studia cœtum habuit.

Opuscula ab eo hæc feruntur edita:

De dictionibus obscuris, lib. 1.
De accentu, lib. 1.
Mysteriorum Ecclesiæ, lib. 1.
Vnum omnium, lib. 1.
Satyricum opus, lib. 1.
De miraculis D. Mariæ, Epitha-

Epithalamion eiusdem, lib.1.
Opus Synonymorum, lib.1.
Aequiuocorum opus, lib.1.
Computus & tabula, lib.1.
Ortolanus, lib.1.
Cornutus, siue Disticha, lib.1.
De pœnitentia, lib.1.
Aurea gemma, lib.1.
Et alia plura.

Inclyta fuit Garlandi doctrina, circa annũ Christi 1040: ut ex Bostono Balæus scriptorum Britannię Cent.2, cap.48 annotat.

HILPERICVS.

Quarto anno Heinrici II, Hilpericus quidam scripsit librum de Ratione computi: ut refert Heinricus de Erfordia.

RASIS.

Rasis Pœnus, qui ab alijs Bachilo, ab Auicẽna uerò in tertia sentẽtia tertij Canonis F.3.c.7. Menaëthus appellatur, Almãsoriæ, quæ ei patria fuit, linguam Arabicam didicit, qua suæ professionis libros hos conscripsit:

De medicinarum correctione, lib.1.
De cura morborum, lib.1.
Librum continentem omnem medicinæ scientiam.
De morbis puerorum, lib.1.
Diuisionum, lib.1.

In astrologia, Aphorismos, atque in Alchimia libros duos, & alia multa: ut refert Hermannus Schedel.

IOHANNES *Serapion.*

Iohannes, Medicus hac tempestate celebris, librum breuiarij de arcendis morbis, & alios de simplicibus medicinis conscripsit: qui quòd tanquam sedula apis è cæterorum medicorum libris rosas colligeret, cognominatus est Serapion. Serapio enim (teste Plin. lib.12, cap.13) roseũ denotat. Hermannus Schedel.

ISAAC.

Isaac Benimiram, medicus celeberrimus, Salomonis medici cuiusdam filius, scripsit de dictis uniuersalib. & particularibus, de febribus, de urina, de elementis & definitionibus, ut idem refert.

CAMPANVS.

Campanus, natione Longobardus, doctor, philosophus & astronomus celeberrimus, edidit Opus de computo Ecclesiastico. Item aliud de compositione Quadrantis. Item, Calendarium. Idem, errorem Ptolemæi in supputatione motus lunæ & aliarum stellarum, ortum ex ignoratia octauæ Sphęræ, qui non nisi longi temporis obseruatione deprehenditur, animaduertit: ut tradunt Hermannus Schedel, & Bergomensis.

His ferè cœtanei fuêre Almeon & Azophi Arabes, & Azarchales, astronomicis studijs insignes.

CAPVT XI.

DE HAERETICIS.

BASILIVS.

BAsilius Medicus, professione monachus, errorem Bogomilorũ, quem annis quindecim imbiberat, quinquagintaduobus lõgè lateq; clàm spargit: donec Constantinopoli ab Alexio Imperatore, in cuius amicitiam sese insinuârat, eiq; scabiem suam affricare nisus fuerat, patefacta impietate, suffragãteq; populo, in equestri theatro concremaretur. Zonaras tom.3.

BERENGARIVS.

BErengarius Turone oriundus, & diaconus ecclesiæ Andegauensis, doctrina & morum honestate initiò clarus, teste Vinçẽtio, Bergomensi, & alijs, Franciã doctrina sua de eucharistia, qua uerã corporis & sanguinis Christi in cœna sacra negabat præsentiã, ualde turbatã multis annis reddidit, sub annũ 1051. autore Sigeberto.

Sub initium autem, huius controuersiæ causa, crebrò concilia, ut Lanfrancus in suo testatur scripto, celebrata sunt: quorum primùm pręsidente Leone Romę dãnationis sententiã in ipsum ꝓmulgauit. Dehinc declarata est Synodus alia, quę ꝓximo tũc Septẽbri eodẽ præsidente põtifice est celebrata Vercellis, ad quã uenire ipse uocatus detrectauit. Turoni etiam à patribus in Synodo, cui Victoris legati præfuêre, fidei suę rationem reddere iussus, cum suę causæ diffideret, communem Ecclesiæ fidem amplexatus est. Verùm opinionibus lusisse eum sæpius, constat. Nicolao enim ad clauũ Romanæ ecclesiæ sedente, denuò eius doctrina in Cõcilio, pręsentib.113 episcopis, in Lateranensi ecclesia examinata, discussa, & deniq; dãnata est: sicut suo loco exposuimus.

Ac licet ipse Berengarius præsens, libros sui dogmatis in medio Cõcilij Vulcano tradiderit: ac per Deum, nunquã deinceps in uulgus eiusmodi doctrinæ genus se sparsurũ, sed in patrũ probata sententia permansurũ, sanctè iurauerit: tamen postea ad ingenium redijt, suumq; uirus per prauos discipulos, scriptaq; praua, in diuersas regiones trãsmisit. Cõtra quę Lãfrãcus, cuius scriptũ in libro Orthodoxographorũ extat, calamũ pro officio suo stringit. Berengarianæ autẽ reuocationis formulã suprà adscripsimus.

Deniq; sub Gregorio septimo, Romę in frequenti Concilio errorem suũ fassus, ueniã impetrauit: teste Sabellico. Post hęc nouũ ipsum hominem induisse, Ranulphus & Malmesburiẽsis testãtur: licet alij dubitẽt.

Ac inter

Ac inter cætera, Malmesburiensis illustre eius encomium à Fulberto (Ganguinus habet Hildeberto) Cœnomanensi episcopo conscriptum in literas retulit:

Quem modò miratur semper mirabitur orbis,
Ille Berengarius non obiturus obit.
Quem sacræ fidei fastigia summa tenentem,
Hunc iam quinta dies abstulit ausa nefas.
Illa dies, damnosa dies, & perfida mundo,
Qua dolor & rerum summa ruina fuit.
Qua status Ecclesiæ, qua spes, qua gloria cleri,
Qua cultor iuris, iure ruente, ruit.
Quicquid Philosophi, quicquid cecinêre Poetæ,
Ingenio cessit, eloquioq; suo.
Sanctior & maior sapientia, maius adorta
Implcuit sacrum pectus & ora Deo.
Pectus eam uoluit, uox protulit, actio prompsit,
Singula factori sic studuêre suo.
Vir sacer & sapiens, cui nomen crescit in horas,
Quo minor est quisquis, maximus est hominum.
Cui sensus præbet, paucos seruauit honores,
Cui potior pauper, diuite iusq; lucro.
Cui nec desidiam, nec lucrum res dedit ampla:
Nec tumidum fecit uultus, & altus honos.
Qui nec ad argentum, nec ad aurum lumina flexit,
Sed doluit, quotiens cui dare non habuit.
Qui non cessauit inopum fulcire ruinas,
Donec inops dando pauper & ipse fuit.
Cuius cura sequi naturam legitur uti
Et mentem uitijs, ora negare dolis.
Virtutes opibus, uerum præponere falsò,
Nil uacuum sensu dicere, nil facere.
Lædere nec quenquam, cunctis prodesse, fauorem
Et populare lucrum pellere mente, manu.
Cui uestis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem pudor hospitium statuit sibi quamq; libido
Incestos superat, tam superauit eam.
Quem natura parens, cui mundo contulit, inquit,
Degenerant alij, nascitur iste mihi.
Queq; uagabatur, & penè reliquerat orbem,
Inclusit summo pectore, iusticiam.
Vir sacer à pueo; qui quanto præeminet orbi
Fama, tamen famæ præeminet ipse suæ.
Fama minor meritis, cum totum peruolet orbem,
Cum semper crescat, non erit æqua tamen.
Vir pius atq; grauis, uir sic in utroq; modestus,
Vt liuor neutro rodere possit eum.
Liuor enim deflet, quam carpserat antea, uitam:
Carpsit & odit eum, quem modò laudat, amat.
Quàm prius ex uita, tam nunc ex morte gemiscit,
Et queritur celeres tantos abire dies.
Vix uerè sapiens, & parte beatus ab omni,
Qui cœlos anima, corpore ditat humum.
Post obitum secum uiuam precor, ac requiescam,
Nec fiat melior sors mea sorte sua.

Berengarius quãuis ipse sententiã correxerit, omnes tamen quos ex totis terris damnauerat, conuertere nequiuit. Moriens autem die Epiphaniorum, gemituq; producto, recordatus quot miseros quondam adolescentiæ primo erroris calore secta infecerit: Hodie, inquit, in die apparitionis suę apparebit mihi Dominus noster IESVS Christus propter pœnitentiam, ut spero, ad gloriam: uel propter alios, ut timeo, ad pœnam. Vincentius lib. 25, cap. 30. Vuilhelmus Malmesburiensis lib. 3, cap. 58, & 59, de gestis Anglorum. Quidam narrant, eum tam castè uixisse, ut nullam fœminam passus sit in suum uenire conspectum, atq; elemosynas largas dederit.

DE GRAECIS QVIBVSDAM hæreticis.

Michael Cerularius patriarcha, Leo Atridanus, & Nicetas Pictoratus, monachus Studiensis, à Leone Romano pontifice, missis Constantinopolin legatis, hæreseos damnati & excommunicati sunt, sub annũ 1054. teste Sigeberto.

CAPVT XII.

DE MARTYRIBVS SVB HEINRICO II.

BRVNVS.

BRunus Magdeburgensium canonicus, ut eorum habet historia, ex Queruordẽsium comitum familia, iuxta Mersburgense Chronicon, natus: post uaria tormenta, tandem à Brutenis manibus pedibusq;, & tandem capite truncatus est. Anno 1008. Marianus Scotus. Sigebertus adhuc unum addit annum.

COLOMANNVS.

Colomannus Scotus propagandæ religionis gratia oberrans, ab Austriacis in oppido Scotorum, tanquam ab hostibus missus speculator, ex arbore suspensus uitam finijt: cuius innocentiam subsecuta miracula testata sunt. Anno salutis 1013, Melici, à Megingotho Halberstadensi episcopo terræ mandatus est. Auentinus libro quinto Annalium.

ODDAR.

Oddar Aldenburgensis ecclesiæ præpositus, cum sexaginta presbyteris socijs, à Sclauis occupatã urbe, magna immanitate tractatur. Cute enim capitum, instar crucis incisa, cerebrum singulis aperuerunt: & manibus post tergum ligatis, per urbes & uicos martyres spectaculi loco traxerunt, usque dum expirarent. Helmoldus capite 16. & Crantzius libro secundo, capite uigesimo secundo Vuandaliæ.

VVOLFRIDVS.

Vuolfridus à Suecis, quod Torstan idolum in

lum in concione concidisset, ab idololatris circumstantib. in frusta discerptus est. Crantzius lib. 4, cap. 8 Metropol.

SVB HEINRICO III.

GERARDVS.

GErardus Chanadiēsis episcopus, ab Vngaris ad Scythicam relabentibus religionem, ex alta rupe deijcitur: ac tandem, cū quantulumcunq; uitæ superesse uideretur, hasta transfoditur. Bonfinius lib. 2. Decad. 2. & Nauclerus.

SVB HEINRIGO IIII.

ANSVERVS.

ANsuerus, monachus Racisburgensis, cū pluribus alijs, ob religionem lapidibus à Sclauis obrutus est. Crantzius lib. 3. cap. 4. Vuandaliæ.

GODSCALCVS, *Ippo.*

Godscalcus Obotritorum regulus, & cū eo presbyteri plures, inter quos principem tenebat locum Ippo, à subditis ad Ethnicismum redeuntibus miserè trucidati sunt. Ibidem.

CAPVT XIII.

DE MIRACVLIS, OSTENtis & prodigijs.

DE REBVS ADMIRABILIbus *sub Heinrico Secundo.*

REs admiratione digna est, quòd Sylvestri secundi Romanorum præsulis sepulchrum, ossium collisione & sudore emisso, semper ab eo tempore quo in id quondā positus est, pontificum obitum prædicere fertur.

Miserandum Papiæ incendium fuit anno 1004, teste Schafnaburgensi.

Anno 1005, Calendis Octobris, cometa horribilis huc illuc uibrans, in Australi parte uisus est, iuxta Sigebertum. quem magna anno sequēti fames secuta est: ut apud eundem, & Schafnaburgensem scribitur.

Circa salutis annum 1006, tanta ubiq; peste laboratum est, ut plures mortui quàm superstites sint crediti: ut Sigebertus annotat. Eam uerò calamitatem fons quidam saluberrimæ aquæ apud Lotharingos, paulo antè in sanguinem uersus, indicauit: ut Lycosthenes testatur.

Sub idem tempus guttas sanguineas hominum uestimentis cœlitùs illapsas esse, & sub Calendas Maij solem rubeum præ se tulisse colorem, Chronicon Magdeburgense habet.

Circa initium anni 1009, crebræ & insolitæ fuēre pluuiæ. Et sub finem Maij cometes sulsit, qui mox insecutæ apud Saxones pestis certum indicium fuit: ut in Saxoniæ Chronico scribitur. Solis eclipsin & Sigebertus annotat.

In pago Bruhesare, in uilla Aufrede, continuis diebus uiginti quinq; fons sanguinem ebullijt, ac uicinum uadum infecit, anno 1010, ut Lycosthenes prodit.

Capta à Turcis Hierosolyma, anno 1012, luna cruento aspectu apparuit, terra prodigiosè mota est, fax ardens instar turris magno fragore è cœlo cecidit, marisq; inundatione nonnullæ urbes cum hominibus perierunt. Fame & peste infinita hominū multitudo extincta est, ut Sabellicus commemorat.

Oceanum Anglicum supra modum intumuisse, Lycosthenes autor est: postea insula in Danorum uenit potestatem.

Apud Lotharingos, iuxta montem Castri locum, fonticuli cuiusdam aqua in sanguinem uersa est. Sigebertus.

Eodem anno gemelli in lucē editi sunt, quorum ora rostris, & dextra brachia alis anserinis haud absimilia fuerunt. Die autem natiuitatis tertio, arriserunt sibimetipsis: uerùm propter deformitatem, prætor eius loci eos interfecit. Eodem anno exūdatio Rheni & Danubij, pontes passim interrupit, ædes deiecit, segetesq; & arbores euulsit, ac prata perdidit. Accidit & Luneburgi terræmotus. Chron. Sax.

Anno 1013, mēse Maio, coruscationes & fulgura, quibus & plurima ædificia, & templum quoddam ampliss imum conflagrarunt apud Saxones. Chronicun Magdeburgense.

Sub idem ferè tempus porca fœtum humano capite enixa, gallus quoque quadrupes natus est. Sequuti sunt per Angliam & Hyberniam magni motus, nec non in Normannia uarijs locis bella exarserunt. Lycosthenes.

Sacrilegum quendam, qui S. Clementis templum spoliārat, murium corrosione interijsse, anno 1012, in Saxoniæ scribitur Chronico.

Anno 1013, 14 Calend. decembris, circa diei tempus meridianum, ingens (iuxta Sigebertum) accidit terræ motus. Ventorum occidentalium turbine, Fuldę ædificia multa prostrata, Munzerus testatur: arboresq; radicitùs euulsas, in Magdeburgensi Chronico scribitur.

Apud Flandros magna nubium moles, ex improuiso cœlitùs delapsa, multa hominum milia suffocauit: ut Saxoniæ Chronicon, & Trithemius de rebus Hirsaugiensium annotant. Verùm Meierus Flandricarum rerum scriptor, ait, ex inūdatione Flandrici maris, uentorum procellis agitati, fini

timos agros plurimum accepisse detrimenti. De tempore tamen conuenit inter ipsos, 4 Cal. Octob. anni 1014.

Grandine & fulminibus multi mortales, anno 1016, mense Iulio (iuxta Magdeburgense Chronicon) interiêre: ut & Schafnaburgensis indicat. Arbores quoq; & segetes, ab hac calamitate immunes non fuêre. Grauiter itaq; pòst fame laboratum est, ut idem habet Chronicon.

Anno 1017, Cometa solito mirabilior, in modum maximæ trabis per quatuor menses uisus est. Sigebertus.

Anno 1018, suem denuò porcellum humana facie in lucem edidisse, Lycosthenes autor est: secutus autẽ est annus pestilens, & Ruthenorum in Polonia clades.

Anno 1020, frigore hyberno enecti sunt homines non pauci. Præterea tertio Calendas Augusti, circulus iridis instar, quatuor lineis transuersim diuisus, à tertia usque ad sextam horam conspectus est circum solem. Albis & Visurgis redundantes, damna multa intulerunt accolis: secuta est pestis, qua extinctorum corpora serpentibus plena, non sine tædio, terrę mandabantur. Chron. Saxoniæ.

Apud Bauaros, ut Lampertus testatur, 4. idus Maias anni 1021, magnus terræ motus accidit. Hermannus Contractus.

Cum Aquisgrani anno Salutis 1022 Synodus celebraretur, tanta siccitas & aeris intemperies exorta est, ut multi nimio ardore extinguerentur, nec pauca animalia interirent. Arcæ & columnæ marmoreæ tanto manarũt sudore, ut aqua eas perfusas quis crederet. Sigebertus.

Anno sequenti, in Paschate, sol eclipsin passus est. Idem.

Eiusdem Imperatoris temporibus, mulierem quandam inferioris Altaichij quinque filios uno partu enixam esse, Auentinus lib. 5. Annalium indicat. Tum quoq; Babo Abusinæ & Roræ princeps claruit, qui ex duabus legitimis uxoribus triginta duos filios, & filias octo tulit, educauit, ac pòst se superstites reliquit: ut ex Vueltenbergensium & Iuuauensium fastis idem refert.

Sub Casimiri, qui postea Polonorum rex factus est, ortum, subterraneo motu uniuersam Poloniam tremuisse, Cromerus lib. 4. indicat.

DE PRODIGIIS ET REBVS *admirabilibus sub Conrado Secundo.*

ANno 1031, mortuo Roberto rege Frãcorum, cometa fulsit: exortisq; tempestatibus & imbribus maximis, flumina exundantia propè æquora in agris efficiebant. Secuta est deinde fames & pestis. Paulus Aemylius de gestis Francorum.

Sub idem ferè tempus Cappadociam, Armeniam, Paphlagoniam, totumq; ferè Orientem fames ac locustæ adeò afflixerunt, ut multa suis sedibus relictis hominum agmina, aliò commigrare coacta fuerint. Verùm Romanus Argyropolus auro ad patrios lares redire eos commouit. Zonaras tom. 3.

Anno 1033, 3 Calendas Iulij, circa horam sextam, solis obscuratio accidit. Hermannus Contractus. Sigebertus annum habet 1032.

Anno 1038, Cæsare commorante Goslariæ, in natali Domini, sub nocturnis sacris fulgura audita sunt. Chronic. Magdeburgense.

Anno sequenti, 8 idus Aprilis, inter ortum & meridiem, ignea trabs miræ magnitudinis in cœlo conspecta est: quæ dum solem occasui uicinum transiret, in terram delabi uisa est, eiusque uestigia diu in aere notari potuerunt. Sigebertus.

Conrado Imperatore in Italiam, ut sibi rebelles ad officium cogat, contendente, ipso die Pentecostes, tanta audita sunt tonitrua & fulgura, ut plurimi uel mente capti, uel penitùs fragore extincti sint. Mense Augusto, solis eclipsis fuit: ueluti Lycosthenes annotat. Paulo pòst, Imperator in uiuis esse desijt: ut Sigebertus testatur.

DE PRODIGIIS ET REbus *admirabilibus sub Heinrico Tertio.*

EXundationum sub 1040 annũ, fit mentio in Magdeburgensi Chronico.

Anno 1042, fames ualida cœpit, quę continuè septem annos durauit: ut Anno-nius lib. 5, cap. 48 de gestis Francorum scribit. Tertio nonas Nouembris horrida tempestas & pluuię fuêre: Oceanusq; Flandriæ aggeribus, quibus ibi constringebatur, ruptis, omnia secum longè lateq; inuoluit: ut in Flandriæ Chronico Iacobus Meierus refert.

Anno 1043 tempestates & pluuiæ æstiuæ, autumnales q; niues, frugum & uini penuriam apud Gallos & Germanos attulerunt. Ad quæ mala, anno sequenti & aliud accessit: hominum uidelicet pecorumque interitus miserandus: ut Sigebertus & Contractus annotant.

Tanta niuium mole in Occidentali plaga arbores pressas, ut ruptæ oneri succumberent,

cumberent, anno 1047 Sigebertus testatur.

Sub idem tempus ueneficam quandam mulierem, apud Anglos, à diabolo equite per aera auectam esse: cuius eiulatus per quatuor ferè eius regionis miliaria, ad horas aliquot auditus sit: Vincentius libro 25, cap.26, ex Guillerino refert.

Scribunt Platina, Nauclerus, alijque historici, Benedictũ Nonum (qui anno 1045 in uiuis esse desijt) post obitum monstrosa quadam facie conspectum esse, corpore urso, capite & cauda asino similem. Rogatum uerò de tam stupenda metamorphosi, respõdisse: Ea specie oberro, quia in pontificatu sine lege ut bestia uixi.

Ex eminentiori ad Danubij alueum saxo, Brunonem Herbipolensem episcopum illac cum Imperatore Heinrico tertio, sed nauigijs diuersis nauigantem, atra quædam Æthiopis imago alloquitur: Heus heus, inquiens, episcope, malus sum genius, meus es: & quocunque gentium proficiscêris, meus eris: nihil quidem aduersus te modò perago, sed breui me iterum uidebis. Vnde ad decem millia passuum simul progressi, in uico Bosenburg diuertunt: uixque mutuò se consalutatis, cœnaculum corruit, ex qua ruina Bruno interijt, ut Auentinus lib.5 Annalium Boiorum scribit. Acciderunt hæc anno millesimo quadragesimoquinto, iuxta Contractũ: qui ruinæ quidem cœnaculi meminit, sed de malo genio uerbum nullum.

Edouardus Anglorum rex, cum ipsi ab exactoribus ingens auri uis, quod uiritim in uniuerso collegerant regno, offerretur, dæmonem uidit circa illud colludere. Eo spectaculo territus, subditis restitui iubet: ut Polydor.lib. 8 Anglicæ historiæ testatur.

Tertio idus Octobris, anno millesimo quadragesimooctauo, iuxta Contractum, nocte terræmotus magnus fuit in agro Cõstantiensi, ad lacum Acronium: ut Lycosthenes prodit.

Anno 1053, in Italia lacus quidam, quos olim (ut fama erat) Iulius Cæsar quadrato lapide ita obstruxerat, ut nunquam ulla aquarum uis prævalere posse crederetur, sua exundatione in Narniam & Tyberim flumina tanto impetu & aquarum copia se exonerarũt, ut subita illuuione Narniensem pontem, multaq; ædificia & homines absumptos perdiderint. Hermannus Contractus.

Romæ diaconus quidam uenenum intersacra calici miscuerat: quem cum Gotfrido Lotharingorum duci porrigere uellet, manum admouere non potuit. Astantes stupefacti, causam diuinitùs per preces poscunt. Mox arreptum diabolus diaconum, grauiter exagitat: sed liberatur eorundem precibus. Anno 1054: Schafnaburgensis.

Circa finem imperij Heinrici, tertiò sue humano capite fœtum hoc seculo edidisse, & gallinam pullum quatuor pedibus exclusisse, Lycosthenes tradit.

Magnę famis, sub annum 1055, meminit Vrspergensis.

Hunneburgenses, in Bauariæ finibus, quos Vngari dura premebant obsidione, turturis ipsos circumuolitantis omine animati, portis cateruatim erumpunt, hostemque cædunt, & profligant. Auentinus lib. 5 Annalium.

Guntherus Heinrici tertij cancellarius, uidit Dominum in solio maiestatis suæ sedere, sublatoque in altum brachio strictum gladium magno nisu uibrare, & circũstantibus dicere: Reddam ultionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Cum autem paulo pòst multi principes Imperij obijssent, iterum Deum conspexit gladio in uaginam recondito, & in genua procumbentem dicere: Ignis accensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni nouissima. Schafnaburgensis anno 1056.

Eadem tempestate quidam nobilis, dum in luxurioso conuiuio licentius genio indulgeret, stupenda murium gliriumque multitudine circumuentus arroditur. Per mare nauigio uectus, adeò nihil effecit, ut à muribus insectantibus, magno etiam nautarum periculo sit deuoratus. Vincentius libro uigesimoquinto, capite centesimo decimoseptimo: Martinus in Chronico, Iohannes de Oppido, & Nauclerus.

Eodem adhuc imperante, corpus giganteæ molis incorruptum in sepulchro Romæ inuentum est: quod erectum, urbis mœnia superauit. in cuius pectore (ut inquit Nauclerus) uulnus fuit quatuor pedum & dimidij: ad caput uerò facula ardens, Epitaphiumque præterea eiusmodi adscriptum:

Filius Euandri Pallas, quem lancea Turni
Militis occidit, more suo iacet hic.

Idq; corpus in stillicidia platearum proiectum, tandem putruit. Crantzius libro quarto, cap. 15. Metropoleos. Martinus in Chronico.

DE MIRACVLIS ET PRODIGIJS *sub Henrico Quarto.*

NIuium moles & pruinæ uiolentia, uites corrupit anno 1057. Lapidibus grandine

grandine mixtis pluit, & nonnulli homines fulmine tacti expirarunt. Contractus. In ferijs Pentecostes Imperatoris clypeus & ensis, in aula Goslariana pendentia, fulmine absumpta sunt. Chronic. Saxoniæ.

Anno 1058, cometes aliquot dies in Polonia fulsit, & eodem anno Casimirus rex obijt. Lycosthenes.

In finibus Tornaci, colubrorum agmina prodigioso prælio inter se concurrerunt: multis uerò utrinque cadentibus, pars uicta in cauam arborem se proripit: quam uictrix sibilando circumstrepit, donec circumiecto ab hominibus igne concremarentur: anno 1059. Sigebertus. Pecora & homines peste grassante obierũt. Chron. Saxon. Et hyemis stupenda asperitas, diuturnitasq;, haud parum incommodi uitibus, frumentoq; attulit, anno 1060. unde fames, pestisque secuta sunt: ut Contractus habet.

Eodem anno, Calendis Nouembribus, in territorio Parisiẽsi pluit sanguine. Chronicon Hirsaug.

Anno 1062, subterranei ad Constantiam motus facti, fulgura, tonitruaq; simul audita, sexto idus Februarij, & pestis grassata est. Contractus.

Anno proximè sequenti, mense Aprili, per quatuor dies tempestas, frigore, uento & niue horrida, aues & pecora extinxit, arboresq; & uites plurimum læsit: ut idem autor habet.

In Constantiensi agro mulier quędá mõstrosum edidit fœtum, quod ad clunes usq; duplicia habuit mẽbra, anno 1063: ut Contractus indicat. Lycosthenes gemellos, masculũ & fœminã omnibus membris absolutis, sed circa umbilicũ concretos fuisse scribit. Gigas quoq; infantis duobus capitibus meminit. Verùm de tempore conueniunt ijdem autores.

Anno 1066 cometa apparuit, 14. circiter dies: teste Schafnaburgensi. Paulo pòst Vuilhelmus Normannorum comes, traiecto mari Angliæ regnum inuasit, & in suam redegit potestatem. Annonius libro quinto, capite 48 de gestis Francorum: Marianus Scotus, Vrspergensis, Ottho Phrisingensis.

Sexto anno Cõstantini Ducæ, qui fuit à nato Christo millesimus sexagesimus octauus. 9 Calend. Octobris, terræmotu ędes sacræ & priuatæ multis in locis corruerunt. Nec longe pòst, Pazinacæ & Bulgari, Vzos grassantes in Macedonia & Græcia ad internecionem deleuerunt. Mense autem Maio, cometa radijs in Ortũ uersis solem occidentem sequutus, apparuit diebus qua draginta: qui primò lunam magnitudine æquabat, sed quantum hæc augebatur, tantum ille minuebatur. Zon. tom. 3.

Anno millesimo sexagesimonono & sequenti, syluestrium arborum sterilitas dura uit: sed uinearum tanta fertilitas fuit, ut præ multitudine uindemia uix colligi posset. Schafnaburgensis.

Angli hinc à Francis, inde à Scotis bello petiti, uel fame mori, aut carne humana uesci coguntur: anno 1070. Marianus Scotus.

Anno eodem, sexto Calend. Februarij, circa gallorum cantum, sereniſsimo cœlo iris uisa est: & cum oriente sole duæ colũnæ aurei coloris, fulgorisq; splendidiſsimi, læua & dextra simul ascenderunt aliquot gradibus.

Erat quoq; intenſiſsimum ea hyeme frigus, quo omnia flumina congelata præbebant exercitibus tum Cæsareanis, tum Saxonum, qui oppositа habebant castra, transitũ: & molis impeditis, famis occasio fuit in castris. Schafnaburg.

Impendente morte Alberti episcopi Bremensis nigromantici, uisæ sunt lachrymæ ex crucibus emissæ: porci, canesque in templo, qui ab altari uix poterant repelli: nec non lupi in suburbio Bremensi gregatim ululantes, horribilique iurgio cum bubonibus certantes, annum circiter millesimum septuagesimum secundum. Cranz. lib. 5. cap. 10. Metrop.

Anno 1076, gelu magnum & glaciem uaſ lidiſsimam, à calendis Nouembris usq; ad idus Aprilis, Sigebertus annotat. unde radicibus uitium frigore perditis, uineta exaruerunt. Schafnaburgensis.

Iisdem diebus mulier quædam uatidica Coloniæ Agrippinæ cecinit, Frisij progeniem usq; ad tempora Antichristi in Flandria regnaturam. quibus dictis statim euanuit, nec unquam postea illic uisa est. Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.

Cum inter Haraldi Danorum regis, & Harquini exercitus, iamiam confligendum esset, telum, quod prius spectantibus utrisque copijs uago cursu in aere oberrauerat, Harquinũ prosternit, & occidit, anno 1076. Lycosthenes.

Anno 1077, Dominica palmarum, circa horam sextam, sereno cœlo stella apparuit. Sigebertus. Antè Imperator Vuormaciæ Hildebrandi acta rescinderat, eumque munere pontificio indignum iudicârat. Lycosthenes.

Eadem tempestate gallina Romæ peperit ouum, naturâ, non arte celatum serpente: quo cognito, Gregorius papa quo Imperium, serpente regem Romæ conteren-

conterendum significari ait. Auentinus lib. 5 Annalium.

Ex episcoporum quorundam baculis, & crucicula Stederburgensi (cœnobium ditionis Brunsuigensis est) sudor destillauit. corui & cornices prælia commiserunt integrum diem, & utrinque multi cecidérunt. Vueddingæ uinum sacri calicis in sanguinem conuersum est, quod miraculi loco in æde summa Magdeburgensi repositum fuit. Hæc non obscurè bellum, quod incentoribus episcopis Saxones gesserunt aduersus Heinricum quartum, portendérunt. Chron. Saxon.

Puer pedibus caprinis, & unum oculum in fronte habens, Byzantij est natus, circa annum Domini 1077. quo Asianorum complures, metu barbarorum Orientem deuastantium, Constantinopolin confugerunt. Vbi post famem tanta secuta est pestis, tantusq; hominum interitus, ut uiui sepeliendis mortuis non sufficerent. Zon. tomo. 3 in uita Michaelis Ducæ filij.

Eo, quo bello superatus est Rudolphus, anno, qui fuit Christi 1080, Moguntia, ubi à Sigfrido archiepiscopo rex fuerat inauguratus, graui terremotu calẽdis Decemb. quassata est. Sigebertus.

Anno mox sequenti, denuò terræ tremor cum mugitu maximo accidit, 6. Calend. Aprilis, hora noctis prima. Quod miraculum, Imperatoris contra Hildebrandum portendit bellum, quo urbes & castella Italiæ munitissima expugnata & diruta sunt, ipsaque Roma obsessa. Ibidem.

Turma equitum in aere discurrere uisa est, cuius uestigia tamen nullo modo agnosci potuêre. Eo autem tempore Roma capta est, anno millesimo octuagesimoquarto. Lycosthenes.

Locustæ Russiam depopulantur, anno 1085. Idem.

Anno 1086, aquarũ inundatio multis in locis terrorem & damna attulit, & in primis apud Italos. Aquarum enim ui, saxis, quibus ædificia insistebant, subrutis, ea facilè corruerunt. Sigebertus. Idem in Flandria accidisse, Iacobus Meier testatur.

Gallinæ, anseres, pauones, aliæq; aues domesticæ, relictis hominum consortijs, in syluas commigrarunt: anno millesimo octuagesimosexto. Sigebertus.

Pisces in aquis mortuos, anno millesimo octuagesimoseptimo, idem testatur. Sub idem ferè tempus, cum Mathildis patrimonium Petri, quod uocant, traderet pontifici, uox cœlitùs audita est: Venenum melle litum fœminam propinasse Christianis. Auentinus lib. 5 Annalium.

Anno 1088, igneus draco ore quasi flammas euomens, 3 Calendar. Septembr. per medium cœlum uolare uisus est. Iacobus Meier.

Secundo anno Guilhelmi Rufi, terræmotum in Anglia secuta est inopia frugũ, & adeò tarda earum maturitas, ut ante Calendas Decembris semina uix terræ iterum mandari potuerint. Malmesburiensis libro quarto, capite decimo. Sterilitatis agrorum & famis meminit quoque Sigebertus.

Cum Guilhelmus Rufus rex Angliæ, ad res Normanniæ inspiciendas profectus esset, prope Abindoniam fons sanguine manans triduum ebullijt, cœlumque ardere uisum. Inde rege reuerso nunciatum, Constantiam ab Elia obsessam. quem magna pugna, traiecto iterũ mari, Guilhelmus uicit. Polydorus lib. 10.

Ventorum impetu multis ædibus, & potissimùm Londini, cadentibus, & turri cœnobij Vuichelcumbensis de cœlo tacta, uulgus putauit imperium regis Rufi in dies deterius futurum. Ibidem.

Imperante Alexio, in die diui Nicolai, terræmotus adeò horridus fuit, ut templa, porticus publicarum uiarum, ædificiaque plurima, non sine oppressione mortalium collapsa sint. Secuta est deinde Pazinacarum in Thraciam & Macedoniam excursio.

Sub eodem incendia crebra diuersis in locis Constantinopoli exorta sunt. Aliquando die Petri & Pauli, imber maximus tanto impetu cecidit, ut ædificia dejicerentur, ualles aquis redundantes nihil à mari discreparent, hominesque & bruta multa perirent. Alio tempore uentus uehementior, statuam grandem & pulcherrimam, columnę rotundę maximę in foro Placoto erectæ insistentem deiecit: quę & homines multos occidit, & ipsa cõminuta est. Zonar. tomo 3.

Expeditionem illam Hierosolymitanã, quæ duce Godfrido Bilioneo hoc seculo susceptа fuit, plurima præcesserumt prodigia. Anno enim millesimo nonagesimoprimo, ab Occidente Ortum uersus, tantis uolitarunt agminibus locustæ, ut solis radios, teste Zonara, obscurarint. Ex quarum putridis cadaueribus, anno sequenti pestis secuta est admodum horribilis: ut Crantzius in Metropoli libro quinto, capite uigesimoquarto: & Heinricus Erphordiensis capite quinquagesimosexto referunt.

Tectum Salisberiensis templi, eodem quoque anno fulmine prostratum, Lycosthenes annotat. Et nos (inquit Vrspergensis) cometam in plaga meridiana stantem,

tem,ſuumq; ſplendorem in obliquũ gladij more protendentẽ,tunc circa nonas Octobris uidimus. Anno uerò poſt hæc tertio, ſtellã aliã in Oriente locũ ſuũ longo interſtitio ſaltibus mutantẽ,6 Calend.Martij cõ ſpeximus.Nubes quoq; ſanguineas tã ab Occidẽte quàm Oriente ſurgentes, ſibiq; inuicẽ in cœli cẽtro concurrẽtes.Rurſumq; medijs ferè noctibus à Septẽtrione igneos exurgere ſplendores,plerũq; etiam faculas per aerẽ uolitantes uidiſſe nos,teſtibus pleriſq; cõprobamus: Anno 1096, iuxta Sigebertũ. Faculas illas cœleſtes fuiſſe ſpiritus, qui ut ſacrũ ſuſciperetur bellũ,monuerint, uulgò creditum fuiſſe,Dodechinus narrat.

A Suiggero presbytero, diei cuiuſdam horaferè nona, duos in aere concurrentes uiſos eſſe equites : quorum alter, qui cruce pugnare uidebatur,poſt longum certamen uictor extiterit. A bubulcis noctu urbem magnam, ad quam infinita hominũ multitudo eques pedesque contenderit,ex nubibus emicuiſſe:Mulierem biẽnio grauidam, infantem loquentem peperiſſe: agnellos binis capitibus editos: nonnullos homines crucis ſignaculum uel in frontibus , uel ueſtimentis,quo ſe ſtigmate ad ſacrum incitari bellum , oſtendiſſe: non paucos ſubita mentis mutatione compunctos, uel nocturnis edoctos uiſionibus, poſthabita re familiari, bellum appetiuiſſe ſacrum,Vrſpergenſis annotat.

Bouem quendam, ſuum paſtorem ter humana uoce allocatum , ac ut Hieroſolymam breui à Chriſtianis capiendam uadat,monuiſſe, in Hirſaugiẽſi Chronico Trithemius recitat.

Ignitum iaculum à meridie in Aquilonem,per aerea ferri,uiſum eſt Calendis Auguſti,prima noctis hora,anno 1093.Sigeberto teſtante. Solis quoq; deliquium nono Cal.Octobris,ab hora prima uſque ad ſextam,iuxta Flandriæ Chronicon accidit. Et draco ſub cœlo ſe conſpiciendum præbuit.Dodechinus.

Apud Anglos quoque anno eodem largiſsimę eſtiuo tempore pluuiæ fuerunt:hyems ſecuta aſperrima,ut fluuij congelati equis plauſtriſq; peruij eſſent. Malmesburienſis lib.4,cap.22.

Annum 1094 pluuioſum uocari,eo quòd ab idibus Octobris in menſem Aprilẽ, perpetuis maduerit imbribus , ac grauiſsimam mox ſubſecutam peſtilentiam, in Flandriæ Chronico Meierus annotat.

Peſti apud Gallos Germanosque ſub idem tempus ſæuienti,& fames coniuncta fuit:qua tenuioris fortunæ homines adacti,grauiter ditiores furtis incendijsq; uexarunt. Et in Namucenſi comitatu panem ſubcinericium, quaſi ſanguine infectum , apparuiſſe. Pridie nonas Aprilis ſtellas cœlo delabi circa diluculum uiſas, (cuius rei & Chron. Caſs. lib.4, cap.11 meminit)inter quas, cum unam, quæ cæteris omnibus maior erat, Francus quidam obſeruaſſet, notatoque ubi cecidiſſet loco, aquam infudiſſet, fumus cum feruoris ſono inde exijt. Terræ motu, cum ualido uentorum turbine, 4 idus Septembris nocte media diuerſa concuſſa eſſe loca, Sigebertus ſcribit.

Anno 1096, lunam bis ſuo lumine, Februario & Auguſto menſibus orbatam:ſequenti uerò, cometam Octobri menſe in plaga fulſiſſe occidentali: & autumnalibus imbribus ſatione impedita,famem exortã, idem commemorat.

Anno 1098, Calendis Iulij, luná denuò eclipſin paſſam,in Chron. Caſſ.lib.4.cap.19 ſcribitur. Sub finem uerò Octobris, cœlũ quaſi ardere uiſum eſt nocte: & ſecuta animaliũ lues, ſegetũq; ex pluuijs corruptio. Sigebertus. Malmesburienſis cometam 15 diebus circa Calend. Octob. conſpectũ, qui maiorẽ partem Ortui, & minorẽ Euro-auſtro obuerterit, aliasq; ſtellas quaſi iaculis emiſsis uiſas,lib.4, cap.24 narrat.

Circa idem tempus, panis à quodam fortè fractus,dũ clibano imponeretur,manauit ſanguine. Lupus triginta homines deuorauit.Auentinus lib.5.

Anno 1099, aſpera hyems, & annonæ caritas fuit.Chron. Magdeburgenſe.

Heinricus Imperator nocte quadam in ſomno uidit pulcherrimam arborem horti amœniſsimi, lapſu ſuo uicinam arborẽ deprimere,& ſecum perdere. Paulo pòſt ipſe à filio deiectus eſt ſolio: quæ tamen diſe gnitas filio non fuit diuturna . Chronic. Saxon.

Syracuſis terræmotu concuſsis,primarium templum,dum ſacra tractarentur,corruit:cunctosque,præter miſsificantẽ, & alios duos diaconos, oppreſsit.Platina,Hermannus Gigas.

Inter miracula, citharœdi cuiuſdam admiratione ſanè dignam artem, cuius Saxo Gramm . libro duodecimp Danicæ hiſtoriæ meminit, referre libuit. Apud Ericum Daniæ regem citharœdus quidam de ſua arte diſſerere cœpit, ſuo cantu homines etiã in furorẽ amentiãq; petrahi poſſe iactitans.Rex igitur rei nouitate motus, ut ſpecimen profeſsionis edat, inſtat. Annuit quidem ille:ac ne qua nocendi hominibus anſa daretur,iuſsit prius omnis generis arma effetri, & in locis à ſonitu citharæ remotis colloçari cuſtodes,qui cognito ueſanorũ ſtrepitu fores irrumpant, ereptamque

que citharam capiti suo illidant, ne & ipsi mente adhuc integri in rabiē agantur, sed reliquos à mutuis uerberibus arceāt. Obtēperatur mandato, ipseq; canere orditur. & primò quidam inusitatę seueritatis concentum edit, quo auditores in mœrorē, stuporemq; feruntur. Deinde adeò suauem & iucundam canit harmoniā, ut mutato animo gaudium etiam externis gestibus, & motu totius corporis proderēt. Tandē uerò acriboribus modis illi quasi mente capti, uociferari & tumultuari cœperunt. Quo cognito, custodes irrumpunt, ut Regem cum alijs furē tem contineant. Sed ille uiribus ferox, manus satellitum effractis atrij foribus effugit, arreptoq; fortè ense quatuor trāsfodit. sed puluinarium mole undique à satellitibus congestorum obrutus, non sine præsenti eorum periculo comprehenditur. Sed proculdubio diabolus hunc homicidialem cātum modulatus est.

DE MIRACVLIS SVPERSTItiosis & fabulosis.

SLerus monachi cuiusdā somno, qui mulierem quandā ex eminentiori loco imperatorium ipsi flagellū porrigere uiderat, excitus, flagellū utiq; pro Imperij omine sua æstimans cupiditate, contra Basiliū Imperatorem arma capit. Zonar. tomo 3.

Edmundi Angliæ regis caput, quem supplicem Dani interemerat, ex dumeto suos, qui caput inquirebant, uocauit. Qui cū accessissent, à lupo custodiri illud cōspexerūt: qui etiā usq; ad locū sepulturæ, placidè eos comitatus est. Vincentius lib. 25, cap. 32.

Gallus anachorita, nocte intempesta uisus est uoce Christi moneri, ut Romanum pontificē & principes Christianos iuberet, terrā, in qua ipse natus, concionatus & passus esset pro salute generis humani, à Turcorum impietate uindicare. Sabellicus.

ILLVSIONES ET MENDAcia pro Sanctorum cultu & inuocatione stabilienda.

HEinricum Imperatorē prælium quoddam initurū, percepta prius sacra Eucharista, factisq; precibus, ope S. Laurentij, Georgij, Adriani, & angeli percussoris, suū præcedentiū agmē, hostes in fugam cōuertisse, historia Bambergēsis fabulatur.

Cum in conuiuio quodam Bononiæ, mira arte gallus assatus dissectus fuisset, unus conuiuarum dixit, D. Petro hunc gallum in integrum restituere impossibile esse: alius uerò, Nec ipse Christus id præstare posset. Ad has uoces statim gallus ille prosilit, & alis collisis iusculum in discumbentiū ora diffundit. blasphemi uerò lepra statim hęreditaria puniti sunt: ut Vincentius libro 25, cap. 64 narrat.

Monachorum Casinensium preces, per Benedictū collectas, ad diuinæ Maiestatis solium perferri, Gebyzonem monachū noctu ab angelo (fortè tenebrarum) didicisse, Chron. Cass. lib. 3. cap. 47 blasphemat. Iidē de Benedicti ossibus, ubi locorū ea cōdita sint (fama enim erat, quòd apud Gallos lateant) dubitantes, per fumum aromaticum ex quodam Casinensi sepulchro ascendētem uera cognoscunt: ac ijsdem tunc se conspiciendum simul præbuit, dæmoniacumque, psallentibus illis, colapho Benedictus curauit. Ibidem lib. 2, cap. 48.

Adā quidā monachus fassus est, sibi è monasterio fortè egresso, occurrisse duos pulcherrimos iuuenes monachali habitu, quī se Prothū & Hiacynthū esse dixerint: ueniseq; ad uisitandos fratres, à quibus in eorū natalitijs deotè psalmis & hymnis honorarentur. quos tamen cœnobium ingressos nemo uidit, nec ipsi Adamo posthęc eos cōpellandi potestas data est. Chron. Cass. lib. 2, cap. 49. Sed forsan fuerunt de genere fœminino: & à bono illo Adamo, qui tantum sibi bolum à commilitonibus eiusmodi sanctulos deuotissimè colētibus, præripi noluit, clàm in suā cellam occlusi. Et quidem haud stultè uetus ille Adam sapuit.

Laudini mulier morte multanda, cū in æde S. Marię amplexus, & cędē generi, palàm Deo & hominibus esset confessa, ac Mariæ precibus meritisq; commendasset, nullis flammis rogi, in quē ligatis manibus & pedibus collocata erat, læditur, lignis in cinerē redactis. Mox itaq; ab actoribus reparatur incendiū: uerùm illa denuò illæsis etiā uestibus euadit: & applaudente populo, ad templum Dei genetricis progressa, pro suī protectione Deo & Marię agit gratias: paucis tamen deinde exactis diebus, moritur, Anno 1094, Sigebertus.

Currus, quo corpus S. Ladislai defuncti ferebatur, custodibus dormientibus, & iumentis pascentibus, sine ulla uisibili impulsione Varadinum usq; tanta celeritate peruenit, ut neq; custodes eum assequi, neque quisquam remorari posset. Quò delatum cadauer, in sepultura edidit miraculum. Os enim cuiusdam, qui fœtere illud dixerat, in tergum ita retortum est, & mentum in humeris hæsit, ut nulla arte in integrum restitui possent. sed cum uociferaretur, Peccaui in sanctum principem, Deoq; charissimū, sancte Ladislae miserere mei: & supplici ueneratione iratum sepulchri numen placaret, mentum in suum locum reductum est. Bonfinius libro 4, Decad. 2 rerum Vngaricarum.

Petrus & Paulus apostoli, puero cuidam peste in Selasiensi cœnobio laboranti apparuerunt,

ruerunt, secundo die ieiunij ad sedandam luem indicti, referentes mortem ipsi finem morbi, & æternæ uitæ introitum fore: neminem autem præterea in eo cœtu, interce dente pro eis Osvualdo rege, moriturum. Itaq; Osvualdus, qui eodem die olim à perfidis erat interemptus, martyrum albo adscriptus est. Vincentius lib. 25, cap. 32.

Callæ, Suessionensis est uilla, tribus hebdomadibus laborans mulier partu, persuasa à uicinis, uoto se obstrinxit: quòd nudis pedibus ad S. Mariam itura esset, liberata fœtu. & statim doloribus leuata est. Primò autem peperit tres lapides, unum magnitudine oui anserini, alterum gallinacei, tertium nucis. Hos secutus est infans, qui baptismate tinctus, paucos uixit dies. Chronicon Antonini.

Coloniæ, peregrinus quidam circa festũ Palmarum, anno 1074, in somno uidit coruum horrendæ magnitudinis, totam peruolitare urbem, & terribili crocitatione populum spectaculo attonitum huc illuc agitare: donec uir ueste & forma insignis, coruum urbe expelleret, & populo formidinẽ adimeret. Interpretatio autem, anxiè de ea quærenti, à circumstantibus data est, quòd ciuitas propter peccata in potestatem diaboli tradita, uerũ interuentu Georgij martyris interitũ deprecantis liberata sit. Schafnaburgensis.

Vrsinarius tempore Dagoberti regis Francorum, in Flandria prædicans, in oppido Maldenburgo, templum in honorem S. Petri, reuelatione monitus, extruxit & dedicauit: cuius campanarium nocte natalis Domini 1081 ui uentorũ ita loco suo euulsum, & in aere inuersum pependit, ut iamiam casurũ existimaretur. Cùm autem populus conferret cõsilia de fulcris subijciendis, & in locum suum mole reponenda pridie Calendas Ianuarij, circa medium noctis lux ignea ædem intus & foris cõpleuit, & campanarium erectum, & firmissimè ad priorẽ locũ redijt, campanæq; à nemine tractę insonuerũt: sequenti die & deinceps à uarijs morbis homines illic sanati sunt. Sigebert.

Latrones, qui sex monachos in solitudine maioris Poloniæ, spe auri à Boleslao rege accepti trucidârant, capti, ad sanctorum tumulos, ut ibi fame enecarentur, alligati sunt. Verùm cum ij pœnitentia ducti, sanctorum exposcerent auxilium, uinculis ultrò ruptis liberati sunt. Martinus Cromerus de rebus Polon. lib. 3.

PRO STABILIENDO ERrore, sanctos mortuos, homines quid facere debeant, docere.

IVssu Ambrosij, Cõradum Imperatorem Mediolani soluisse obsidionem, anno 1039, Sigebertus fabulatur. Et Bruno Augustanus episcopus, à Conrado Imperatore Bambergensem episcopatum iterum in comitatum uerti expetens, ab Heinrico secundo, ut labore illo cesset, in somnis monetur. Crantzius lib. 4, cap. 10 Metrop. Historia Bamberg.

AD STABILIENDVM ERrorem, sanctos futura prædicere.

CVm aliquando Heinricus, qui postea ad Imperij fastigium cõscendit, eius nominis secundus, in Ratisponensi templo, ad diui Vuolfgangi tumbam, nocte orare in somnis sibi uisus esset, à Vuolfgango monetur, ut ad literas parieti adscriptas, quæ erant, POST SEX, attendat. Ille post dies sex uitæ finẽ imminere ratus, plurima in egenos distribuit munera. Quibus elapsis, numerum ad mẽses retulit, idemq; quod prius præstitit. Deniq; post annum sextum Imperator & Augustus renunciatur. Historia Bambergensis.

PRO STABILIENDO reliquiarum cultu.

EX Treuerensi templo clauũ, quo Christus cruci affixus credebatur, Metensis episcopus clàm surreptum, in sinũ inseruit: sed sanguine inde emanante, res prodita fuit. Acta Treuirensium.

Circa annum Christi 1016, monachi quidam Ierosolyma reuersi, particulam lintei, quo Dominus Apostolorum pedes ante ultimam cœnam detersit, attulerũt Casinũ. cuius rei fides cum plurimis esset suspecta, superstitiosi eam ardentibus imposuerunt carbonibus, quorũ statim colorem induit linteum: sed, ab ijs remotum, priorem formã recepit. Eiusmodi præstigijs homines superstitioni deditos ludificari, diabolo nõ fuit difficile. Chron. Casinẽse l. 2, c. 34.

Quis non impudens illud rideat commentum, quod prope Mantuam, ab homine quodam cæco sanguinem Dominicum inuentum, anno 1048, Hermannus Contractus, fabellis nimium credens, annotauit?

Gandaui, anno 1010, ad corpus S. Bauonis, quod tum fortè transferebatur, Mensuindis puella Antuuerpiensis paralysi libẽ rata est. Iacobus Meier in Chron. Flandriæ.

Et cum Leuinnæ uirginis corpus anno 1058, per uicos & castella Flandriæ maritimæ circumferretur, paralytici, surdi, claudi, & alijs morbis detẽti subitò sanati sunt. Duo itidem cerei uento extincti, ubi ad ossa perferrentur, ipsorum ui accensi sunt. Iacobus Meier ex scriptis Dogonis, tum temporis Morinorum episcopi.

Monachi ab Oddone abbate præmijs allecti, corpus S. Medardi Suessionem nocte transportare

transportare terrore prohibiti sunt. Cœlum enim ita tonare uisum est, ut fateretur, nunquam se sepulchro uiri sancti manus allatu ros. Ibidem.

Ad D. Benedicti sepulchrum Cassini, angelorum choros laudes Deo noctu cecinisse, Chron. Cass. fabulatur: lib. 3. cap. 37.

Leostanus adolescens, famam de crinibus & unguibus Edmundi regis sensim crescentibus, in dubium uocans, sibi corpus ostendi minis impetrauit: uerùm eo uiso, in amentiam incidit, & phthiriasi haud longe pòst perijt. Vincent. lib. 25, cap. 32. Sic diabolus scilicet est homicida.

Stanislai Cracouiensis episcopi corpus, in plura dissectum frusta ab impij regis Stanislai militibus, quatuor aquilæ circumuolantes custodierunt: & cum noctu ea colligere amici contenderent, integrum illud reperêre. Crantz. lib. 3, cap. 14. Vand.

Cum ex crypta templi Paulini Treuirensis, ubi legionis Thebææ, à Rictionaro Maximiani quondã Imperatoris præfecto interemptæ, corpora quiescere putãtur, terra portaretur: os quoddam incautè proiectũ, sanguinem non modicum stillauit, & usq; hodie cruentum permanet. Schafnaburgẽsis, anno 1072.

Corpus Edgardi regis Glasconiæ integrum & incorruptum inuenit Adelardus abbas: qui cum id angusto loculo haud includere posset, ferro læsit: unde extemplò sanguis promanauit largus. quo uiso abbas exterritus, temploque egressus, breui pòst obijt. Vincentius lib. 25, cap. 31.

Lampertus Louanienſium comes, phylacteriũ de collo in pectus usq; dependens, sanctorum reliquijs plenum, circumtulit: atq; hoc patrocinio se aduersus omnis generis pericula tutum fore credidit. Verùm in prælio aduersus Godfridum ducem, fascinum illud de collo in campum prosilijt: moxq; comes, antè inuictus, perimitur: anno 1015. Militum autem quidam, agnitum phylacterium in caligis abscondit, sed res tumore coxæ & cruris eius proditur. Itaq; id fratri obtruncati comitis Etheloni tradi tur. ô illusio Sathanæ. Sigebertus.

PRO CONFIRMANDA *Missa pontificia.*

EXtat apud Nauclerum insigne pontificiorum commentum, pro Missæ & cœlibatus patrocinio, de Heinrico Imperatore: cui, cum pro more, nocturnis horis precandi gratia templum D. Mariæ sacrum Romæ ingressus fuisset, uisus sit Christus pontificalibus indutus procedere, Missam celebraturus: quem sequebatur S. Laurentius, & loco subdiaconi Vincentius. Post hos, uirgo Dei genitrix, cum multitudine uirginum & angelorum: dehinc Iohannes Baptista, cũ patriarchis & prophetis: pòst hos, Petrus & Iohannes, cum cæteris Apostolis & Euangelistis: S. Stephanus, cum martyribus: S. Martinus, cum confessoribus. Angeli incœperunt Introitum, Suscepimus Deus misericordiam. & dum cantaretur, Dextera tua plena est iustitia: omnes Christum & beatam Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum. Pòst Euangelium, inedicibili iubilo angelus librum deosculatum à Christo præsentauit B. Mariæ, & pòst eam omnibus per ordinem deosculandum. Demum innuit beata Virgo angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens: Præbe ei pacis osculũ, cuius mihi uirginitas placet. & cum præ nimio gaudio raptus, nesciret ad plenum intendere, angelus ipsum in neruo tangens, dicit: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei, propter tuam castitatem & iusticiam. & exinde usque ad mortem claudicabat: ex quo euentu uocatus est Henricus Claudus. O' fœdas imposturas, Marcolphi ineptijs futiliores. Nauclerus uolumine secundo Chronographiæ, generatione 34. Autor Bambergensis historiæ, se apud obscuros scriptores id reperisse testatur. Præterea de Heinrici luxata coxa, alia autorum sententia est: ut ex Crantzio libro quarto, capite trigesimo secundo Saxon. apparet. Clauda quædam, cum aquam, qua pòst missarum sacra Vrbanus pontifex manus abluerat, potasset, sanata est. Chronic. Cass. lib. 3, cap. 35.

Dum Gregorius Missam celebraret, unus astantium ectasi correptus, dextro eius humero niueam columbam, cuius aureum erat collum, insidere uidit. Chron. Cassin. lib. 3, cap. 53.

Monachus quidam Corbeiensis, cuius fidei sacræ uestes commissæ erant, Meinuuerco Padebornensi episcopo missificaturo, ornatum promere detrectat. Vualonem enim abbatẽ suum, paulo antè præter meritum sua dignitate exuerat. Tum episcopus: Reddes, inquit, rationem Altissimo, pro omisso hodierno officio. Nec multo pòst, subitanea morte corruit monachus. Crantz. lib. 4, cap. 4 Metrop.

In pago ditionis Magdeburgensis Colbeca, anno 1012, Othoperdus quidam cum quindecim uiris & tribus fœminis in cœmiterio D. Magni inter missificandũ prophanas cantiones uociferari, & choreas ducere in uigilia natalis Dñi nocturna incœpit: qui cum iocijs, propter contumacẽ perseueran tiã, à presbytero Roberto excõmunicatus, totũ annũ in saltu & cãtu ita perseuerauit, ne pluuia, frigus, calor, sitis, fames, lassitudo eos

do eos afficeret, neque uestimenta eorum contererentur: sed ad fœmora usque in terram demersi sunt. Quidam sororem suam ex chorea trahere nisus, brachiũ ipsi euulsit, quæ anno reuoluto cum duobus alijs expirauit: reliqui omnes tribus noctibus continuè dormierunt, quorum alij postea obierunt, alij uerò tremore membrorum testimonium rei actæ perhibuerunt. Liberati autem sunt precibus episcoporum Colonienſis, Moguntini, Hildesheimenſis, & aliorum piorum. Vincentius lib. 25, cap. 10, ex Guillerino: Hermanus Schedel, Crantz. in Saxonia lib. 4, cap. 33. Chronicon Saxoniæ: Nauclerus Vol. 2. gener. 34.

Bremenſis archiepiscopus, homo improbus, inter Missarum solennia hominem quendam à dæmonis infestatione liberauit. Schfnaburgenſis, anno 1065.

Ciuis Lucenſis nobilis, ad Iohannem cœnobij Casinenſis decanum misit legatos, oratum, ut pro uxore sua iam triduum uoce & mente destituta intercedere dignaretur. Tum ille sacris indutus uestibus, salutarem pro illa hostiam Domino litaturus, accessit altare. Cumque ad eum Canonis locum peruenisset, ubi uiuorum solent recenseri nomina, ac cum multa deuotione specialiter & nominatim Domino decumbentem mulierem commendaret: illa domi suæ uocem sacerdotis suum nomen exprimentis audiuit, eique lectulo (ut uidebatur) astanti, graui quasi excita somno respondit. Obstupefacti qui aderant, sollicitè quid'nam diceret, uel cui responderet, inquirere cœperunt. illa uerò ait: Nunquid uenerabilem Iohannem hic non uidetis? nec uocem eius me inclamantis percipitis? Et compertum est, quòd eâdem hora pro ea celebrasset Missam. Chron. Cas. libro 2, capite 94. Sic istis præstigijs Missæ dignitas, quæ contra institutionem Christi est, commendata est.

SIGNVM MENDAX, QVOD *rebus consecratis singularis quædam uis insit.*

AQuam, Aldemari Casinenſis monachi preculis consecratam, quocunque morbo correpti potantes, statim sanitati restituti sunt. Chron. Cass. li. 8, cap. 55. Sic decet homines fascinare.

Monachus quidam apud Gallos, animã hominis perditissimi & profligatissimi, qui tamen in agone mortis monasticum habitum induerat, à dæmonibus catenis ignitis uinciri, & ad tartarum pertrahi uidit: sed tandem interuentu Benedicti liberari, quòd eius habitu ornatus nihil mali egisset. libro eodem.

Aldenburgi fame quidam enectus, sub dio manè inuentus est: ad cuius sepulturam sacerdos Godobertus campanis insonare prohibuit. Sed æra per sese sonum, stupentibus omnibus, edidere. Iacobus Meier, sub annum 1064.

Themardum monachum Vuatinenſem, paralyticum, ad aram Donatiani sanitatẽ Brugis recepisse, ait Iacobus Meier in Chronico Flandriæ.

Aquæ consecratæ asperſione, fœtorem teterrimum, qui fulminis ictum in Iberi celtumbenſi cœnobio comitabatur, monachi abegerunt: nugante Vincentio libro 25, capite 87.

Impositione crucis, quam Dunstanus olim parauerat, monachus quidam iuuenis, qui Lanfranco sacra tractanti ministrare consueuerat, à dæmonio liberatur. Ibidem, cap. 43.

SIGNVM MENDAX, PRO *stabilienda peccatorum enumeratione integra.*

MAurilius Rotomagenſis episcopus, post mortẽ tẽplo inferendus, resumpta anima circumstantibus dixit: Vltima pastoris uestri uerba percipite. Naturaliter mortuus sum: sed ut, quæ uidi, uobis nunciarẽ, reuixi: nec diu superstes ero, quia dormire in Domino placet. Ductores mei, quorũ uestitus uultusq; lõgè pulcherrimi, sermoq; iucũdissimus erat, mihi uersus Orientẽ eũti pollicebãtur paradisum. Hierosolymisq; peracta sanctorũ adoratione, ad Iordanẽ tendimus: cuius accolis comitatum nostrum augentibus, lætitia mihi suborta est. Cum autẽ flumen transire maturarẽ, comites Dominũ præcepisse referebant, ut peccata uenialia, quæ prius confessione nõ diluerã, pauore ex aspectu dæmonũ cõcepto purgarẽtur. Et extẽplò astitit tãtus teterrimorũ spirituũ exercitus, hastas acutissimas uibrantium, ignesq; euomentiũ, ut aer totus ferreus flammeusq; uideretur. quo spectaculo supra modũ horrui. Vtigitur uestræ saluti consulatis, hoc recepto habitu uobis dixi. statimq; iterum expirauit. Vincent. lib. 25, cap. 4. Hæc contra Christi doctrinã facta sunt: cogita, à quo spiritu?

MENDACIA, PRO MONASTICA *dignitate confirmanda, impudenter conficta.*

AZone Beragenſis cœnobij instaurator extremum ducente halitum, monachus quidam nomine Petrus, duos formæ speciosæ uiros dormitorium transire in somnis uidet. Qui de sua conditione interrogati, Michaelem se esse alter respondit: seque ad suscipiendum Azonis animam properare. Hos statim excusso somno insecutus Petrus in infirmatorium, ipsum

ipsum expirasse comperit. Chronic. Cass. lib.2.cap.35.

In Casinensi cœnobio, Heinricum 2. à S.Benedicto, monachorum patre, ferro calculum ipsi in somnis leniter execante, omnibus deinceps quos calculus gignit, doloribus liberatum: (ò nugas) Nauclerus uol. 2, generat. 34 narrat. Cum urina tres lapillos effusos, in Cass. Chronic. lib. 2, cap. 44 scribitur.

Dum Aurelianenses monachos boatu die Amano sacro iuuat Robertus Francorũ rex, oppidi cuiusdam muri, quod interim milites eius oppugnabant, sponte corruerunt. Martinus Polonus. Platina in uita Iohannis xx, castrum captũ asserit: sed murorum ruinæ non meminit.

Militem quendam hoc miraculo eremũ subire diuinitùs edoctum, Petrus Damianus in epistola ad Paulum monachum, ex ipsius relatione scribit. Cum miles ut coniugio animum adijceret, à parentibus moneretur: ille animi dubius, circum ligato corpori ferreo uinculo, petijt à Deo, ut ruptura eius, uitæ genus saluti suę commodũ monstraretur. Ille cum diu uinctus oberrasset, tandem eremum ingressus, uinculo eximitur. Quo miraculo motus, Eremiticam deinceps studiosius egit uitam.

Cum Galliæ quidam princeps, armata manu bona monachis extorquere laboraret, ipsi monachi inermes cucullis tantum tecti, instructæ se opposuerunt aciei. Sed territus comes, pacem ultrò petijt. Petrus Damianus, in epist. ad Vlricum Firmianũ.

Benedicti sui intercessione, solum Casinensem agrum pluuia irrigatum, in Chronico Cass. libro 3, capite 54 scribitur. Et Vrbano papæ per quietem apparuit S.Benedictus, inquiens: Ne meum corpus Casini quiescere dubites. & certitudinis testimonium sit: fratribus ad nocturnam synaxin surgentibus, pleuritide, qua laboras, liberaberis. cui uisioni respondit euentus. Ibidem lib.4, cap.5.

Anus quædam (fraudis plena, & ad decipiendum prompta) noctu igneam ex Casino ad cœlos subuolare uidit columbam. Ea uerò hora Stephanum quendam monachum ibidem expirasse, pòst cognouit. Et Angelo monacho efflante iam animam, dæmoniacus quidam (ò insignem monasticæ ueritatis præconem) Casinum ueniens garrire cœpit: Quid mihi hac hora Benedicte fecisti? Angli monachi proh dolor animam, ob uilissimi cuculli usum, meæ potestati subducens, tuo in cœlestibus gregi associasti. Chronicon Cass. lib.3, capite 42.

Lucidus Ficoclẽsis episcopus de meritis sacerdotalis ordinis desperans, cœnobitarum uestes induit: ideoque S.Petrus ei horam mortis prædixit. Petrus Damianus in epistola ad Gerardum Florentinum episcopum.

Monachus cœnobij Romani, qui à parentibus puer traditus fuerat abbati, ubi adoleuit, relicta religione uxorem duxit. Angina autem laborans, in monasterium relatus, habitu ac pœnitentia suscepta, à S. Andrea & Gregorio, propter admissa crimina fœdè flagris cæsus est. hinc lecto exiliens, scapulare & cilicium induit. & ędem sancti Andreæ ingressus, dixit adstantibus: Ecce sanctorum uerberibus ita purificatus, è corpore egredior, quemadmodum olim de baptismate mundus exiui: & inter Missarum murmura obijt. Vincentius libro 25, cap. 57.

Hardmirus quidam monasticæ professionis desertor, post obitum abbati, qui uoto eum exemerat, in somnis apparuit, de æternis quas ferret pœnis conquerens. Idẽ lib.25, cap.56.

Miraculo ficticio monachatus omni sacro ordini apud Vincentium præfertur. Presbyter die obitus sui trigesimo, apparuit amico suo, preces, ieiunia & eleemosynas uiuorum nihil prodesse mortuis asserens, quòd Dei iudicia sint immutabilia: eumq; ut monasticã amplectatur monuit, si suæ consultum uelit saluti. Denique chartã ei reliquit, in qua Sathanas & omne inferorum satellitiũ, toti cœtui Ecclesiastico gratias agebant, quòd & ipsi gratissima illis facerent, & ouium animas prædicationis negligẽtia ad inferna, maioribus quàm unquam factum fuerat, descendere paterentur agminibus. libro 25, capite 89, ex Guillerino. Scilicet diabolus suo regno sponte sua nocet.

PRO CONFIRMANDO *errore de Virginitate seruanda.*

EGithæ Edgari regis filię corpus, ubi altius leuaretur, totum in cineres solutum erat: excepto pollice, uentre, & ei subiunctis membris. Nam de pollice, quo crebra crucis signa fronti imprimebat, Dunstanus dixerat: Nunquam putrescat iste digitus. Sed cum de integritate uentris infimi disputaretur, uirgo dormienti cuidam astitit: Non mirum sit, inquiens, quòd membra mea putruerunt, quibus ut puella peccaui: at uenter iustè à corruptione immunis est, quòd eum neq; libido, neq; crapula, neq; carnalis copula tetigit. Vincent. lib.25, cap.33.

Emericus, regius quidam iuuenis, Vesprinij, cum amanuensi ædem diui Georgij adijt;

adijt: & interprecandum percontatus est, quid numini omnium gratisimum præsta ret? Tum,cum fulgore uox insonuit: Nihil,Emerice,Deo uirginitate antiquius,gra tiusq; putes. Hoc amanuensis post morte Emerici retulit,atq; inde iuuenis perpetuã uirginitatem probauit.Bonfinius.

Cum Imperatrix Chunigundis Babenbergæ tumulo mariti inferenda esset, uox incerti autoris audita est:Cede uirgini uirgo locum. Crantzius libro 4, capite 35. Saxoniæ.

SIGNVM MENDAX AD CONfirmandum errorem,de interdicto carnium usu tempore Quadragesimæ.

Excubitores Polonorum, in obsidione Nacli arcis Pomeranorum munitisi mæ, dum nocturnas umbras, quæ instar exercitus in eos irruebant, persequuntur, ab obsessis exuuntur castris. Hoc autem sibi acci disse existimarunt,quòd priore expeditione,in Quadragesima contra leges Ecclesiæ edissent carnes. Cromerus libro 5 de rebus Polonorum.

Quidam Vincentini abbatis edicti, quo per triduum Quadragesimæ solo pane & aqua uesci sanxerat, transgressor, cum Eucharistia sacra animam euomuit: ut Vincentius lib.25,cap. 54 nugatur.

PRAESTIGIAE DIABOLI, ADerrores de exequijs,purgatorio,de operum meritis, de inferno,corroborandos.

CVm ad defuncti cuiusdam monachi cadauer Missa celebraretur,ad cantũ, Agnus Dei,ille ex feretro exilijt,Deũ blasphemans, crucem ligneam osculandi causa oblatam conspuens, Mariam conuicijs incessens,& psallentes deridens, quòd horrendis inferni cruciatibus destinatus esset. Monachis uerò sese flagellantibus, pectora pugnis uerberantibus, precesq; fundentibus:miser saniori recepta mente,Christi omnipotentiam laudare,Satanæ renunciare, crucem adorare, & fornicationem post susceptum monachatum perpetratam confiteri cœpit: Deumque laudans, altero die placidè expirauit. Vincentius libro 25, capite 62.

Maio Cassinensis monachus, qui noctu à diabolo è sublimi fenestra præcipitatus ceruicem fregerat, cuidam eius cœnobij alumno (id enim multis precibus petierat cõuentus ille) in somnis,à diabolo sibi hoc mali irrogatum queritur:sed D. Benedicti, quem ipsi colant, liberatum esse auxilio. Hinc eleemosynæ & psalmodiarum numerus pro defunctis,in consortio illo creuerunt. Chron.Cass.lib.4,cap.4.

Primarius quidam diabolus,maxima ca patus,apparuit Gebyzoni monacho Cassinensi, in natali Domini oranti. qui causam lætitiæ rogatus,respõdit,se de anima Adonis triumphare,quæ iumentorum more ligata ad supplicium trahatur. Gebyzo uerò pro Adone, cui ante monachatum ualde fuerat familiaris,susceptopœnitentiæ one re, Deum rogauit, ut liberaret pœna miserum.Quo cognito,satan noctu rediens,monachum ad necem usq; flagellis cæcidit, & abiturus ait: Cur pro eo Dominum precibus fatigas, qui ob innumera scelera nobis subiectus est? Cum uerò ille nihilominus precibus apud Deum instaret, angelus ei dixit: Ego meiq; sodales pro Adone laborauimus, sed age Deo gratias pro eo liberato.Ibidem lib.3,cap.47.

Iohannes,filius Iordanis principis,flagitijs nobilitatus,ad tumbam S.Benedicti,in dutus habitu religioso, statim expirauit. Post cuius exequias rusticus monasterio egrediens,uidit diabolum procerum digitis unguibusq; proeminẽtibus, manu uirgam tenentem, horridoq; aspectu. qui de gestis circa defunctum comitem certior factus, exclamauit: Hei mihi Benedicte, hei mihi Benedicte, cur meos seruos quotidie ad te conuertis,meq; tam immaniter perse queris? & nunc te(rusticum compellans)illico arripere,nisi hodie in monasterio edisses,& panem inde allatum in sinu gereres. Chron.Cass.lib.3,cap.39.

Et Iohanni Romanorum pontifici Stephanus frater apparuit, qui se inferni pœnis torqueri querebatur: sed tamen precibus abbatis Odilonis Cluniacensis liberari posse, spem apparere.Itaque Odilo à põtifice monitus,tamdiu orando institit,donec per reuelationem se exauditum cognosceret. Sigebertus.

Mortuo Henrico Claudo,heremita quidam syluæ Thuringicæ,aperta casæ suæ fenestra,uidit cateruam prętereuntem:& quinam sint,quo'ue tendant,quærit.Tum illi: Dæmones sumus, & Babenbergam festinamus, ut de anima Imperatoris disceptemus.Illi peracto iudicio,adiuratione heremitæ eódem reuersi sunt: quiritãtes, quòd cum adustus Laurentius in bilancem bonorum operum Imperatoris coniecisset grandem auream ollam, quã Merspurgẽsi olim ecclesiæ donarat,uicti discesserint tanta indignatione, ut alteram ollæ ansam fregerint:ut Hermannus Gigas, Henricus de Erphordia,Legenda S.Laurentij & S. Heinrici nugantur.

Benedictus octauus post morte apparuit Hũberto archiepiscopo in solitudine (quo in uita familiariter usus erat) nigro equo insidens.illo autem quærente,Es ne tu Benedictus

nedictus papa, quem nos iamdudum mortuum esse nouimus? Sum, inquit, ego infelix. Tum ille: Quomodo tecum, mi pater, agitur? cur nigro ueheris equo? Hic ait: Grauiter torqueor, sed confido me misericordia Dei propediem liberatum iri. quæso autem, uade ad successorem meum, eique dic, ut pecuniam thecæ inclusam, & in terra occultatam (simul locum demonstrat) eruat, & meo nomine pauperibus distribuat. Nam eleemosynæ de rapinis hactenus erogatæ, mihi nihil profuerunt: Platina: Antoninus libro decimosexto, capite primo: Martinus in Chronico, ex Petro Damiano. Quid? num etiam pontifices Romani à diabolis equitantur?

Circa annum Domini millesimũ nonagesimumsextũ, prope Vuormaciam, multis diebus & noctibus maxima armatorum multitudo huc illuc discurritans apparuit: & in uicinum montem, unde prodire consueuerant, subinde recurrit. Nocte autem quadam monachus Limburgensis, assumptis socijs quibusdam montem accedit, muniensque se signaculo crucis, adiurat exeuntes, per uirtutem sanctæ & individuæ Trinitatis (en monachorum in clau stris studia) ut sua proderent nomina. Cui unus de turma: Nos sumus phantasmata: nec militum uiuentium turba, sed animæ hominum, principi terrenorum quondam in hoc mundo militantium, atq; ante paucos annos in hoc loco interfectorũ: arma, habitus & equi, quæ nobis uiuis erant instrumenta peccati, nunc in mortuis sunt indicia tormenti: omne quod iam cernitis circa nos, totum ignitum est nobis, quanquam uos ignem nostrum minimè uideatis. Quærit porrò monachus, utrum iuuari ab hominibus possent? Tum spiritus illi: Ieiunijs, orationibus, & in primis oblatione corporis & sanguinis Christi, iuuari possumus: & hoc à uobis fieri rogamus. His dictis, tota caterua quasi una uoce exclamat: Orate pro nobis, orate pro nobis, orate pro nobis. Et statim omnes in ignẽ resoluti uidebãtur, & mons ipse ardens ignem cũ maximo fragore emisit. Chronicon Hirsaug. Notet pius lector, monachorum opera ipsi diabolo autori adscribi.

SIGNVM MENDAX, PRO *bonis Ecclesiæ muniendis contra raptores, & pro satisfactionibus.*

Adelgisius, quem Pandulphus princeps Capuanus Casinum ire, indeq; planetam, calicẽ imperatoris, & alia Ecclesiæ ornamẽta preciosiora, pignoris loco sibi adferri iusserat: dũ mãdata Domini exequi tentat ad altare, ubi ornatus ille repositus erat, in faciem procidit: & paralysi ac epilepsia correptus, miserum astantibus præbuit spectaculum: à quo morbo licet utcunq; liberarẽtur, oculos tamen & os distortum retinuit. Ipse uerò princeps non tantum non incœptis destitit, sed & maiorá cõtra fratres designauit. At post ipsius obitũ, puer quidã ue natorius eum ferreis nexibus uinctũ, & in cœnoso & fœtido lacu usque ad guttur demersum, & restibus à duob. nigerrimis spiritibus in profundum subinde demitti, & iterum extrahi uidit. Causam uerò tã tetri supplicij ab eodem puero rogatus, respondit: Quòd aureũ calicem cœnobio S. Benedicti eripuerit, & in agone mortis restituí neglexerit, obsecrãs uxori talia indicari, ut monasterio erepta bona reddat. Quod tamen mulier illa auara minimè præstitit. Chron. Cass. lib. 2, cap. 62.

Capuani quidam milites, postquam iure Concam castrum, quod Casinensium erat, non obtinuissent, fines cœnobij ferro & flamma perdere cõstituerũt. Cũq; dicto die locoq; conuenissent, & nocte intempesta ascẽsis equis usq; ad crepusculũ matutinum se pergere arbitrati essent, orta luce, in eodem adhuc loco quo conuenerãt, se hærere animaduertũt. Itaq; propositũ suum S. Benedicti meritis impeditũ existimantes, Capuá redierunt. Chron. Cass. lib. 2, cap. 83.

Heremita quidã in rupe, iuxta publicã uiã ditionis Neopolitanæ habitãs, dũ noctu post psalmorũ recitationẽ, ad exploranda horã aperiret fenestram, uidit Æthiopes lõgo ordine incedere, & stramine onustos incendium minari. De sua conditione interrogati, se dæmones esse dixerunt, & fomites ignium comburendis hominibus cõferre, iamq; Pandulphũ Capuanũ principẽ morti uicinũ præstolari. Et solitarius pòst, eadem hora Pandulphũ expirasse deprehẽdit. Statim etiã Veseuus mõs flãmas euomuit, tantaq; copia resina sulphurea inde effluxit, ut torrentẽ faceret, qui cum impetu se in mare exoneraret. Chron. Cass. lib. 2, cap. 84.

Fures quidã monasteriũ Casinẽse noctu ingressi, neq; saccos cibis impletos tollere, neq; foras iterũ exire potuerunt. Ibidẽ.

Quatuor milites, Heinrico 2. Gandauũ oppugnante, sacellum D. Leuini Holtanense, inuito & prohibente sacerdote Adelberto spoliare conantes, statim oculis priuantur. Quo facto attonitus Cæsar, ad arã sancti supplex pro se & suis Deum inuocauit, ædiculãq; amplis donis locupletauit. Iacobus Meier in Chron. Flandriæ.

Henricus Spirensis episcopus, quum iã thesauros suæ Ecclesiæ penes omnes puerili leuitate dilapidasset, & prædia militibus suis in beneficium erogasset, in tantum

ut uix in dimidium annum sumptus ei ex redditibus Ecclesiæ ministrari possent, inopinata morte subtractus est. De cuius obitu dignam memoria uisionem uidit clericus quidã, qui ei defuncto protinus in episcopatum successit, nomine Huzmannus. Putabat se in choro Spirensi cum episcopo & cæteris clericis stare: & ecce, ingrediebantur chorum tres uiri, unus exacta ætate, canicie ueneranda: duo iuuenes, tanquã in obsequium senioris destinati. Cumq; in medio chori aliquandiu taciti cõstitissent, ait senior his qui circa se erant iuuenibus: Quid tardatis, quod uobis iussum est explere? At illi: Tuum (inquiunt) pater, est, primò aduersus eum dictare sententiã, & nos sine dilatione quicquid indicaueris exequemur. Et ille: Propter multa (inquit) mala quæ in locũ hũc, & in sanctam Dei genitricem operatus est, egressa est à Deo sententia, ut interficiatur. Ad hanc uocem corripientes episcopum, decollauerunt: & trũcum in ligno crucis, quod in eadẽ ecclesia in sublime elatũ stabat, suspenderunt. Cũq; mane facto clericus nimio horrore concussus, episcopo somniũ retulisset, uisus est ei quasi deliramenta loqui: & propter sospitatẽ corporis sui, optimeq; constantẽ omnibus membris uigorem suum, nullum tam è uicino imminentis exitij sensum admisit. Et ecce, septimo dehinc die cum ad uespertinalem synaxin cum fratribus in choro staret, sensit repentè paruulam sibi, instar puncti, pustulam in collo excrescere: qua paulatim in immensum intumescente, ante mediam noctẽ defunctus est. Schafnaburgensis, sub annum millesimũ septuagesimum quintum.

Monachi Malmẽdrenses, postquam frustra lachrymis & precibus liberam restitutionem sui cœnobij à Cæsare, qui id Colonienſi antistiti subiecerat, petijssent, ossa S. Remacli Leodium deferunt, mensæq; regis cõuiuium agentis imponunt: quę onere fracta, crus pedesq; uiri cuiusdã nobilis contriuit. qui tamen per intercessionẽ Remacli, implorata Dei ope, pristinam sanitatem ita recepit, ut ne cicatricis quidem ullum remaneret uestigium. Cumq; etiã alia ad reliquias istas ederentur miracula, rex & ablata restituit, & munera monachis contulit, anno 1071. Idem.

Fures sacellum ligneum, in sepulchro Edmundi regis erectum, spoliaturi, inuisibilibus loris irretiti sunt. Vincentius lib. 25, capite 32.

Vir quidam religiosus in Theutonia, comitem in supremo gradu scalę, ex flammis inferni prominentis stantem uidit, causamque eius rei quærens didicit: Et isti, & antecessoribus, per scalam istã descendendum esse, quòd fundum ecclesiæ Metensis iniustè possederint: ut idem nugator libro 25, capite 63 fabulatur.

MENDACIVM IMPVDENS, pro Romani Antichristi autoritate confirmanda, à pontificijs fictum.

CVm nec armis, nec iure suã pro libitu stabilire possent autoritatem summam Romani pontifices, ad mendacia, quò exactius suum referrẽt patrem diabolum, confugerunt. Cum itaq; inter Hildebrandum, qui Gregorius 7 dicebatur, & Heinricum, accerrimum esset de primaria potestate certamen, episcopum quendam pro concione Hildebrandum multis exagitantem dicterijs, fulmine tactum, mentiti sunt pontificij: eumq;, cum iam animã ageret, dixisse, Ignea heu miser catena constrictus trahor ad inferos: ite nunciate Cæsari, ut resipiscat: & flagitium in Deum, D. Petrum eius uiciarum commissum, officijs compensęt, nisi me præeuntem ad æterna supplicia subsequi malit. Eodẽq; die quo hæc facta illi asserebant, & Spirensis episcopus Hildebrando iniquior expirauit: Auentinus lib. 5 Annalium, ex Paulo Beirentensi refert.

CAPVT XIIII.

DE REBVS IVDAICIS externis.

INfinitam ferè Iudæorũ multitudinem hoc seculo, in uniuerso ferè terrarum orbe, sua quædam hospitia, multo auro redẽpta tenuisse, ex historicis patet.

Nã copię illę quæ Godscalco duce ad sacrum tendebant bellum, per orientalẽ Frãciam nefandissimas Iudæorum reliquias in ciuitatibus quà transeundum ipsis erat, offenderunt: teste Vrspergensi.

Romæ Hildebrandus papa, familiarissimè Iudęi cuiusdam, qui tamẽ Christianam (ut tunc fuêre tempora) religionem amplexus fuerat, consuetudine usus est: ut Benno in uita eius indicat.

Parisijs: ut ex Iuonis epistola ad Hilgrinum Parisiẽsis ecclesiæ diaconũ uidere est.

In Anglia. nam Guilhelmus Cõquæstor Anglorum rex, ob numeratum preciũ, Rhotomago Londaniam Iudæos transtulit. Antoninus tit. 16. cap. 5.

Apud Germanos. nã expeditionis sacræ tẽporibus, duodecim Iudęorũ millia in his regionibus fuisse, in literas à fide dignis relatum, Auentinus lib. 5 testatur.

Treuerĩ

Treueri habitantium Iudæorũ fit mentio in actis Treuerenſiũ, in uita Euerhardi.

Ad Rhenum, Mœnum & Danubium, plurima ab ijſdem inhabitata loca, Hedio in Chronicis annotat. Moguntium ad nouẽ ferè milia incoluiſſe, in Magdeburgenſi ſcribitur Chronico, ſub annum 1096. Quibus partim interfectis, partim urbe pulſis, bona eorum quæ habebant ampliſsima, prædæ fuerunt. De ijs cum poſtea Imperator Heinricus 4 inquireret, eiectisq; ſua reſtitui poſceret, graui addita comminatione, urbis epiſcopus, cui non minima prædę portio ceſſerat, reos ſuo patrocinio iuuat. Vrſpergenſis: Cranzius lib. 5, cap. 14 Saxon.

Spiræ ijſdem hoſpitium conceſſum: & ut epiſcopo pareant, ab Imperatore iunctum fuiſſe, in uita Rotgeri Bruſchius annotat.

Heinrici ſecũdi temporibus, certã Merſburgenſis urbis partem à Iudæis incultam, Chron. Mersb. in uita Vuigberti epiſcopi habet: cui Imperator tributũ ab ijſdem quotannis pendendum conceſsit.

Magdeburgo obuiam effunduntur Iudæi funeri Vuolcardi epiſcopi. Chronic. Magdenburgenſe.

Ratisbonam Iudæorum colluuie, ſub annum Domini 1097 refertã, Cranzius lib. 5, cap. 14 Saxoniæ teſtatur.

Ac de ſtatu eorum Anshelmus inquit: Iudaicus populus diſperſus per orbẽ, modò ſeruit gentibus, non ſolum corporali ſeruitute, uerùm etiam librorum ſuorum confirmatione. In 1. cap. Matthæi.

DE OPERIBVS EORVM CONTRA *Chriſtianiſmum.*

Ferreæ ceruicis gens, ſemper ſui ſimilis manſit, Chriſti religionẽ conuicijs & armis infeſtans, & ſuam magnificè efferens. Nam Iudæos apud Glouceſtrum, Heinrici ſecundi temporibus infantem quendã Chriſtianum, odio religionis, in feriis paſchalibus cruci affixiſſe, Sigeberti Continuator annotat. Et Treuiri, hoc hominum genus eandem ob cauſam, ſacram quandam imaginem in ignem conieciſſe, in Treuirenſiũ epiſcoporum catalogo annotatur. Et Londonienſes Iudæos à Vuilhelmo Ruffo Anglorum rege, multo auro liberã ſibi in Chriſtianos ſæuiendi poteſtatẽ redemiſſe, Antoninus tit. 16, cap. 15 refert. Et Malmesburiẽſis inquit, Rufum Iudæis, ut liberè cũ Chriſtianis ſuas conferrent ſententias, mediante precio conceſsiſſe: facta ſimul ipſis ampliſsima promiſsione, Si illi uictores extiterint, obuijs eorum religionem ſe amplexurum ulnis. lib. 4, cap. 13.

CAPVT XV.

DE ALIIS RELIGIONIBUS *extra Eccleſiam.*

DE IVDAICA RELIGIONE.

VT omnibus ætatibus, ita hac etiam, ſuarum opinionum tenaciſsimi fuerunt Iudei. Licet enim à ſacri belli militibus quidam coacti fuerint, ut baptiſmi ſacris initiarentur, cæteris qui pertinaciores erant interemptis: tamen pòſt, ut canes ad uomitum, redière. Et Heinricus Imperator Ratisbonæ degentes Iudęos, ſolũ baptizari iuſsit, ſaluo uniuerſo Iudaizandi ritu. Vrſpergenſis. Verùm Cranzius lib. 5, cap. 14 ſcribit, Imperatorẽ Iudæos, qui religionem Chriſtianã inuiti amplexi fuerãt, non modò ad Iudaiſmũ redire ultrò cõceſſiſſe: ſed & ut erepta eis bona reſtituerẽtur, Mogũtino ſanxiſſe cõcilio. cui & Naucle-rus uol. 2. gen. 37. adſtipulatur. Attamẽ hęc ſuſpicione carere nõ uidẽtur, quin à Põtificijs, Imperatori ſic ſatis iniquis, cõficta ſint.

Iudæos ſuam defendere adhuc legem, Anshelmus in libro de incarnatione uerbi, cap. 3 aſſerit. Et de illorum cæcitate idem ait, Iudæos nulla Scripturarũ expoſitione Chriſtum uel uidere, uel intelligere poſſe. Etſi autẽ de opinionibus eorũ parum ab autoribus annotatum ſit: patrios tamen cultus, religionemq; auitam mordicus eos tutatos eſſe dubium non eſt.

DE MESSIA.

IVdæi adhuc Meſsiam in ſuis ſcrutantur libris, eiusq; aduentum expectant. Anshelmus in 10 cap. ad Roman.

De *lege.*

Iudæi legem Dei habere ſe gloriantes, iuſtos ſe putant, & cunctos homines uelut peccatores deſpiciunt. Idem in 4 capite ad Gal. Iidem in eo ſe iactant, & putant legis habere noticiam, ſi nomina teneant ſingulorum: & ab Adam uſque ad extremum Zorobabel, omnium generationes memoriter uelociterque percurrant: atque in ſupputatione annorum, & in referendis nepotibus, abnepotibus, auis, proauis, atauis, doctores ſe credunt. Idem capite 3 ad Titum.

De *libris eorum.*

Iudæi præter legitimas & propheticas ſcripturas, traditiones tenent: quas nõ ſcriptas habent, ſed memoriter retinent: & alter in alterum loquendo transfundit: quas Deuteroſin uocant. ubi etiã dicere audent, & credere, Deum homini duas creaſſe mulieres: ex quibus texunt genealogias ferè infinitas, parientes infructuoſiſsimas quæ-

stiones. Anshelmus in 1 cap. prioris ad Timotheum epistolæ.

De ceremonijs, ritibus & moribus eorum.

Patrum ritus & ceremonias ipsos æmulatos esse, uerisimile est. Anshelmus enim in 2 cap. ad Colossenses ait: Iussum est ijs, ut diebus Sabbati sedeat unusquisq; in domo sua, & non egrediatur, nec ambulet de loco in quo habitat. Si quando eos iuxta literam cœperimus arctare, ut nõ ambulent, nec iaceant, nec stent, sed tantum sedeant si uelint præcepta seruare, solent respondere & dicere: Barachias & Simeon & Elled magistri nostri tradiderunt nobis, ut duo millia pedum ambulemus in sabbato: & cęteras huiusmodi doctrinas hominum præferunt doctrinæ Dei.

Fœnus exercuerunt strenuè. Hildebrandus pontifex Iudæi cuiusdam filium nuper baptizatum, sed numulariorum mores adhuc retinentem, sibi familiarem fecit. Benno Card. in uita eius.

Qui se Iudæis opposuerint.

Ecclesiarum doctores se Iudęis opposuerunt. Nam Bruno Herbipolẽsis episcopus, in explicatione Psalmi 57, Iudæos ita perstringit: Obstinatorum Iudæorum furor irreuocabilis est, sicut serpẽtis: quibus etiam mala consuetudo aspidis comparatur, quæ ne exaudiat uerba incantantis, & suas latebras derelinquat: unam aurem dicitur suæ caudæ obturare inflexione, alteram in terrã deprimere: sic obturatis auribus cordis Iudæi, noluerunt audire saluberrimam iussionem Christi, siue sanctæ Scripturæ intelligibilem ueritatem.

Magna etiam cura, & disputationibus acerrimis confuderunt Londanienses Iudæos, regis beneuolentia confisos, tum episcopi tum clerici: ut testatur Antoninus tit. 16, cap. 5. Iuo in libro de diuinis officijs, Iudæos Messiam expectantes pluribus refutat, dum in Christo uaticinia temporis, loci, personarũ, modi passionis & resurrectionis, atq; typos uarios cõpletos astruit, & demonstrat quoq; ex euersione gentis eius uniuersali & deploranda.

Et magistratus suo etiam nerue eos compescuit. Nam Emicho quidam ad Rhenum comes, pietatis zelo non exiguam Iudæorum multitudinem ad Rhenum, Mœnum & Danubium, fidem Christi amplecti detrectantiũ, trucidauit: ut Hedio in Chro. annotat. Et Euerhardus Treuirorum episcopus, pertinaces urbe eiecit. Catalogus Treuirensium.

DE GENTILISMO.

GEntilium etiam religio plurima orbis terrarum loca hac obtinuit ętate. Nam totius Aphricæ ecclesias adeò à gentibus conculcatas, ut tantum quinq; de ijs fideles remanserint episcopi, testatur Leo Nonus, in Epistola ad duos quosdam episcopos Aphricanos.

IN EVROPA.

Cegenes Pazinacarum dux, insidiarum metu ad Monomachum defecit: & baptismate initiatus suis Scythis persuasit, ut & ipsi diuino illo lauacro abluerentur. Tyrachus itidem Pazinaces cum proceribus suis baptizatur: Zonara tom. tertio Annalium testante.

Gyula, Stephani regis Vngarorum auunculus, Scythicam religionem in Transylua nia defendit. Bonfinius lib. 1. Decad. 2.

Andreas & Leuenta fratres, de Scythica religione & moribus resumẽdis proposuerunt edictum in Vngaria. Idem lib. 2, Dec. 2. Nauclerus uol. 2. gen. 36.

In Italia reliquias gentilismi remansisse, manifestum est. Iuuenis enim anulum pronubum digito statuæ æreæ Veneris immisisse dicitur, in Speculo Vincentij libro 25, capite 29.

Sorabi & Slaui, Elistrę & Plesi fluminum accolę, idololatriam Ethnicam secuti sunt, circa annũ Domini 1007. Chron. Merspurg. lib. 2, capite 6.

Vindelicos Fortunam coluisse, Vincentius lib. 25, cap. 18 tradit.

Gneus & Anatrog Vandalorum principes, Conradi secundi tempore gentilismũ seruarunt. Crantz. lib. 4, cap. 38. Saxon.

Christianæ fidei apostatas hac tẽpestate fuisse omnes inter Albim & Oderam incolentes, testatur Helmoldus cap. 16.

Et Bonfinius lib. 2. Dec. 2, Pomeranos fidei Christianorum expertes uocat. Prutenos gentilismi asseclas adhuc fuisse, asserit Cromerus lib. 3 de reb. Polonorum.

In Suecia Torstan idolum cultum, Crantzius lib. 4, capite 8 Metropol. & Iohannes Magnus Gottorum Sueonumq; historiæ lib. 18, cap. 11, indicant.

CAPITA DOCTRINAE SEV *opinionum Ethnicarum.*

DE DEO.

DEum esse liberum, & benignum, & rectum, concedunt infideles. Ansel. lib. 1, cur Deus homo, cap. 11.

Alij alios deos adorarunt: Vngari Martem & Herculem. Bonfin. lib. 2 Decad. 2. Vindelici Fortunam: Vincent. lib. 25, capite 18. Pomerani solem, lunam, bestias, aues, serpentes, aquam, ignem, & nescio quid non, Dei loco coluerunt. Cromer. libro 3, de rebus Polonorum. Sueci Torstan, &c. Crantz. in Metropoli.

DE CHRISTO.

1 Deo iniuriam fieri gentiles asserunt: contumelioſumq; esse asserere, eum in uterum mulieris descendisse, natum de fœmina, lacte & alimentis humanis nutritũ creuisse, lassitudinem, famem, sitim, uerbera pertulisse, mortemque inter latrones mediũ subijsse. Anshelmus lib.1, Cur Deus homo, cap.4.

2 Potuisset Deus per aliam personam, siue angelum, siue hominẽ aliquem sine peccato conditum, qualis Adam initio fuit, nosmetipsos liberare.

3 Valde mirantur gentes, quod liberationem hanc redemptionem uocamus. In qua namque (aiunt nobis) captione, aut in quo carcere, aut in cuius potestate tenebamini, unde uos Deus non potuit liberare, nisi uos tot laboribus, & deniq; sanguine suo redimeret? cap.6.

4 Deum esse omnipotentem, cunctaque solo uerbo creasse dicitis: cur igitur non potuit solo iussu uosmetipsos liberare? Aut si fatemini, quia potuit, sed noluit nisi hoc modo: quomodo sapientem ostendere poteritis? Ibidem.

5 Altissmum ad tam humilia inclinari, omnipotentem aliquid facere cum tanto labore, prorsus absurdum est. cap.8.

6 Summa iniusticia est, hominem iustum morti tradere, pro peccatore. Ibidem.

7 Christus non sua sponte, sed uoluntate patris coactus, mortem sustinuit. Ibidem.

8 Non conuenit tali patri, ut filium tam indignis modis tractari patiatur. capite undecimo.

9 Contra Dei libertatem & benignitatem est, non uelle, nec posse iniuriam sine debiti solutione remittere. capite duodecimo.

10 Pagani Christum, sicut alios homines, peccato fermentatum existimant. Idẽ in epistola de azymo & fermentato.

De animabus.

Animas hominum ante corporum societatem, in cœlo conuersari, gentiles somniant. Idem in 9 cap. ad Rom.

De regimine sacro.

Sacerdotio apud gentiles fungebantur magi, aruspices & incantatrices. Bonfinius Decad.2.lib.2.

De ceremonijs & ritibus eorum.

Suis sacrificabant numinibus. Gothos enim & Sueones, uictimas & libamenta suis idolis obtulisse, Iohannes Magnus libro decimooctauo, capite undecimo testatur.

Sclaui caput Iohannis episcopi Megapolensis, hasta circumlatum, deo suo Radigast immolarunt. Crantzius libro 3, cap.4. Vandaliæ.

Vindelici idolũ Fortunæ certo loco collocant, cornuq; mulso plenum dextræ eius apponunt. Vnde pridie Calendas Decembris accubantes mensis, in communi prægustant. Et si cornu repletum inuenerint, uberem sequentis anni rerum prouentum sibi cum magno applausu pollicentur. sin minus, gemunt. Vincent. libro uigesimoquinto, capite 18.

Eosdem in solennitatibus suis coronatos incedere, ait Heinricus de Erphordia capite 85.

Ritus Prutenorũ gentilium circa sepulturã, describit Cromerus lib.3 de rebus Polonorũ: Corpora, inquiẽs, defunctorum cum preciosissima quaq; & charissima uestium, equorum & armorum supellectili cremabant, manibusq; interfecti cæde humana parentabant.

Quemadmodum Ægyptij, Zoroastri fulmine tacto sepulchrum magnificum extruxerunt, eumq; tanquam amicum Deo coluerunt: ita nũc multi gentium, eos qui fulmine obierunt, sepulchris honoratos tanquam amicos Dei colunt. Berno in libro de Diuinatione.

Habuerunt & sua templa, in quibus idola erant reposita. In celeberrimo fano Tholenzorum, steterit simulachrum Radigast: eoque illi singularem sibi nobilitatis honorem tribuebant, quòd omnes Sclauorum populi illuc conuenirent, responsa peterent, & annuas pensiones soluerent. Helmoldus cap.21.

Vindelici idolum Fortunæ in loco maximè illustri collocant. Vincent. libro 25. capite 18.

De festis.

Vindelicos solennitates seruasse, testis est Henricus de Erphordia, capite 85. Vincentius, ultimum Nouembris celebrem ijsdem fuisse asserit.

De moribus eorundem.

Vatha Vngarus abiecta religione Christiana, caput Scythico more rasit, cincinnos pagano ritu tres defluentes retinuit, tum & equina carne uesci cœptum est: Ianusq; Vathæ filius, ex instituto paterno magos, aruspices & incantatrices sibi adiunxit, quorum carminibus magnam principum gratiam uenabatur. Bonfin. libro 2, Decad.2.

Pruteni, gens fera & bibax, lac equinum in delicijs habens, uxores quot cuique libet ducunt, eisq; pro ancillis utuntur: lassitudinem labore uel intemperantia contractam balneis depellunt, indeq; calefacta

corpora frigidæ aquæ immergunt, etiam hyberno tempore. Cromerus lib. 3 de rebus Polonorum.

Propugnatores gentilissimi.

Ethnicæ religionis superstitiones hac ætate & magistratus quidam, & indomitum uulgus defenderunt, & propagarunt.

Nam Giula Transsyluaniæ regulus, Ethnicissimum Vngaris obtrudere bellis conatus est, sub annum Salutis 1002. Bonf. Decadis secundæ libro primo.

Ad Andream & Leuentam è Roxanis in regnum reuocatos, innumera Vngarorum multitudo cõfluxit, qui ipsis salutatis regibus obstinata efflagitatione postularunt, ut uniuersum populum pagano ritu uiuere, Scythicaq; numina iterum colere permitterent. Idem lib. 2 Decad. 2.

Vngari à Bela rege extirpationem Christianæ, & instaurationem Ethnicæ religionis flagitantes, à præfectis suis instigantur. Idem lib. 3 Decad. 2.

Mistiuuoi & Mizzudrag Vuinulorum principes, facta Rethre coinuratione, ad paganismum suos inducunt, uiq; & armis eum defendũt. Helmoldus cap. 16. Obotriti Godescalcum principem suum, odio religionis Christianę, & amore gentilis, interemerunt, omnesq; præterea Christo fideles obtruncarunt. Idem cap. 22 & uigesimoquarto.

Sueonum uulgus, Suenonem quendam cognomento Sanguinarium creãt regem, quò Christianam religionem radicitùs impunè sibi extirpare liceat. Iohannes Magnus libro decimooctauo, capite undecimo de rebus Gotthorum.

A' QVIBVS ET QVOMODO, *contra idola & uanitates gentilium pugnatum sit.*

ANtesignanos exercitus Dei, simulachra & superstitionem Ethnicam impugnantis & euertentis, decet esse sacerdotes: inter quos hoc seculo primas fert Anselmus, qui duas gentilibus, Christum in primis eiusq; beneficium impugnantibus, libros opposuit.

Ad primam uerò eorum de Christo opinionem, sic respondet: Deo nullam uel iniuriam uel contumeliam fieri, sed potius illa ineffabilem eius prædicare misericordiam, ut quanto nos mirabilius, & præter opinionem de nostris malis liberauit, tanto maiorem erga nos dilectionem declararit. Cum enim per hominis inobedientiam mors cũctos peruasit, per hominem uitam restitui necesse fuit. Mulier peccati initium fecit, de fœmina autor iusticię nasci uoluit: per lignum suadente diabolo peccatum, per passionem in ligno diabolus peccati autor uictus est. præterea quia genus humanum, tam precioſum opus eius, omnino perierat: nec decebat, ut quod Deus de homine proposuerat, penitùs annihilaretur: nec idem eius propositum ad effectum duci poterat, nisi genus humanum ab ipso creatore suo liberaretur. Libro 1, cur Deus homo, capite 3 & 4.

Ad secundam: Redimentis personæ seruus est homo. Si itaque per alium quempiam opus redemptionis peractũ fuisset, non eius, ad cuius ministerium & cultum initio conditus erat, seruus fuisset: eoque in illam dignitatem, quam habiturus erat si nõ peccasset, minimè restitutus fuisset. Ibidẽ ca. 5.

Ad tertiam: Redemit nos à peccatis, & ab ira sua, & de inferno & potestate diaboli: quem quia nos non poteramus, ipse pro nobis uenit expugnare, & redemit nobis regnum cœlorum. Et quia hæc omnia fecit hoc modo, ostendit quantum nos diligeret. Ibidem cap. 6.

Ad quartam: Sufficere nobis debet ad rationem uoluntas Dei, cum aliquid facit: licet non uideamus, cur ita uelit. Voluntas enim Dei nunquam est irrationabilis. Ibidem cap. 8.

Ad quintam: Qui hoc dicunt, non intelligunt, quod credimus. Diuinam enim naturam absque dubio asserimus impassibilẽ, nec ullatenus posse à sua celsitudine humiliari, nec in eo quod uult facere, laborare. Sed Dominum IESVM CHRISTVM dicimus Deum uerum, & uerum hominem: unam personam in duabus naturis, & duas naturas in una persona. Quapropter cùm dicimus, Deum aliquid humile aut infirmum pati, non hoc intelligimus secundũ sublimitatẽ impassibilis naturæ: sed secundum infirmitatem humanæ substantiæ quã gerebat, & sic nostræ fidei nulla ratio obuiare cognoscitur. Sic enim nullã diuinę substantiæ significamus humilitatem, sed unã Dei & hominis mõstramus esse personam. Non ergo incarnatione Dei, humilitas eius ulla intelligitur facta, sed natura hominis creditur exaltata.

Ad sextam respondet: Deus pater non, quemadmodũ uideris intelligere, hominẽ illũ tractauit, aut innocẽtẽ pro nocẽte morti tradidit. Non enim eũ inuitũ ad mortẽ ille coegit, aut occidi pmisit: sed idẽ ipse spõte sua mortẽ sustinuit, ut homines saluaret.

Ad septimam respondet: Vt mihi uidetur, non bene discernis inter hoc quod fecit exigente obedientia: & quod sibi factũ, quia seruauit obedientiã, sustinuit non exigente obedientia. Nõ coegit Deus Christũ mori, in quo nullum fuit peccatum: sed ipse sponte sustinuit mortem, nõ per obediẽ-

tiam deferendi uitam, sed propter obediẽtiam seruandi iusticiam: in qua tam fortiter perseuerauit, ut inde mortem incurreret. capite nono.

Ad octauam: Imò maximè decet talem patrem tali filio consentire, si quid uult laudabiliter ad honorem Dei, & utiliter ad salutem hominum, quod aliter fieri non potuit. capite 10.

Ad nonam respondet: Libertatem & benignitatem Dei sic debemus rationabiliter intelligere, ut dignitati illius nõ uideamur repugnare. Libertas enim nõ est nisi ad hoc quod expedit, aut decet: nec benignitas dicenda est, quę aliquid Deo indecens operetur. Ibidem cap. 12. Et in 2 cap. ad Coloss. inquit: Tradiderunt philosophi, Deum nõ posse fieri creaturam, nec hominem posse nasci de uirgine, uel mortuum resurgere: considerantes elementa, id est, has uisibiles creaturas, in quibus ex commixtione animalia generantur, & quod moritur, non iterum uiuit. Sed talium dogmatum assertores cauendi sunt: quia sicut humanis rationibus agerent de aliqua creatura, sic agunt de creatore, uolentes eum sub legibus humanis contineri, & non secundum Christum: id est, non considerantes potentiam, quæ facta est in Christi carne.

Aliqui etiam episcoporum, non tam ore quàm forti manu ijsdem restitêre. Vnuus enim Hamburgensis præsul, omnes ritus paganicos, quorum reliquię adhuc multæ supererant, ex Holsatia prorsus extirpauit. Crantzius libro 4, capite 1. Vuigbertus episcopus Mersburgensis lucum, in quo Sorabi & Vuandali Zuttiberum colebant, excîdit. Chronic. Merspurgens. lib. 2, capite sexto.

Vuolfredus Anglia oriundus, superstitionem Sueciæ concione & manu sustulit: Si potens est, inquiens, uester deus Torstan, se uindicet: & simul arrepta securi, simulacrum in frusta concîdit. Crantzius libro 4, cap. 8 Metropoleos.

Et magistratus politici. Stephanus enim rex Vngarię tum in suo regno, tum in Transyluania subacta Ethnicismum abrogauit, statuasq; Martis & Herculis ubiq; disiecit. Bonfinius lib. 1. Decad. 2.

Andreas ubi ad imperium Vngariæ peruenit, edicto prohibuit religionem, ritusq; Ethnicos. Idem lib. 2. Decad. 2.

DE MAHOMETISMO.

BLasphemias & uanitates Mahometi hoc seculo non tantum durasse, sed etiã acceptis uiribus latius diffusas, etsi scriptores parcius referant: tamẽ imperij Turcici propagatio, de qua sequenti capite nobis dicendum est, id satis ostendit.

Circa salutis annum 1012, non tantum Hierosolymis, ut Palmerius annotat, sub Calypha Ægyptio, homine impio, Mahometanorũ religio usq; ad Sacrum illud bellum uiguit, sed & Constantinopolitanorũ Imperatorum luxu & ignauia freti Turci, Mesopotamiam, ubi inter cæteras urbes & Iconio potiti sunt, Melitenen, Ciliciã, Cappadociam, Cœlesyriam bellis infestarunt: Neocæsariam expugnarunt: tandem à Nicephoro Botoniate, cum Parapinacio de sceptro dimicante, in auxilium uocati, ad ipsam usq; urbem, quæ Imperatoria sedes erat, satis commoda occasione suos fines extenderunt: totiusq; ferè Asiæ ditiones, quæ pontum spectant, sibi subiecêre: ut Tyrius, Zonaras & Cuspinianus scribunt. Nec dubium est ullum, quin ijs in locis suam plantarint religionem.

Ab Agarenis Myram captam, Zonaras testatur.

Ex Orogorgo, Nicæa, Antiochia Pisidię, Iconio, Heraclea, Tarso, Manustra: ex Armenia minori, Samosato, Sororga, Antiochia Syriæ, Albara, Marrha, Antorado, Ptolemaide, Ramula, & deniq; Hierosolymis, alijsq; infinitis locis à sacro milite Turcæ electi sunt: ut Sacræ expeditionis habet historia.

Saracenorum Hispaniam incolentium sub annum 1088, meminit Sigisbertus, & Malmesburiensis lib. 3, cap. 55.

Templi eorum quod Hierosolymis tenuerunt, Tyrius lib. 1 sacræ historiæ, cap. 5. meminit: quod mundissimum fuisse, ibiq; preces ab ijs factas testatur.

Mirum sanè est, de doctrinæ capitibus nihil in literas à scriptoribus huius seculi esse relatum. at multo magis dolendum est, Romanos pontifices, qui supremum in Ecclesia locum per fas nefasq; multis seculis obtinere manibus pedibusq; contenderunt, cæterosq; Ecclesiæ doctores illis nihil omnino contradixisse. Sed magni dei uentris cultus, illos fortè retraxit. Vrbanus tamẽ concilio Claremontano apud Gallos indicto, principes in orbe Christiano tum sacrum politici ordinis uiros, ut bellica manu ex Turcarum potestate sacra eruant loca monuit: secutusq; est prosper rerum euentus, ut ex sequentibus patebit.

CAPVT XVI.

DE MOTIBVS ET MVtationibus Politicis.

SVB HEINRICO secundo.

TErtio Otthone (uti diximus suo loco) Romæ ueneno chirotecis illito, è uiuis sublato: Heinricus 2. Bauariæ dux, cognomiento Pius, Electorum suffragijs Imperij insignia accipit, anno 1002. idque fœliciter annis 23 administrauit. Orienti uerò, post Zimisceæ obitum Basilius & Constantinus fratres præfuêre. Insigniores autem motus, qui quidem sub hisce accidêre, ab historicis mãdati literis, isti reperiuntur.

IN ASIA.

MAximas dedit turbas, passim in Orientali regno, Bardas Slerus. Cum enim Basilius & Constantinus fratres, suis in Imperio ritè administrãdo diffiderent uiribus: penes Basilium præfidem & cubicularium, quo tanquam duce & præceptore utebãtur isti Imperatores, summa erat autoritas. Is uerò magistrum Bardam Slerum, primarium Oriẽtalium copiarum ducem, quem suspectum habebat, sua dignitate priuat, & solius Mesopotamiæ ducem esse iubet. Slerus ægrè ferens, tanto honorum fastigio se deiectum esse, & regni cupiditate æstuans, licet egregiè dissimularet, clàm cum pluribus militum, quibus ob res præclarè gestas erat gratissimus, consilium communicat, quos quidem ad cuncta paratos offendit. Mox igitur regijs assumptis insignibus, regnum appetit, & à cũcto exercitu Imperator salutatur.

Assumptis præterea Amidæ & Martyropoleos ducibus, Arabibusque belli socijs, Constantinopolin rectà petit, monachi cuiusdam somnio in spem regni erectus: quẽ sibi narrasse dictitabat, mulierem quandam ex eminenti loco Imperatorium ipsi flagellum porrigere, in somnis se uidisse. Eo igitur de Sleri conatibus in urbe regia diuulgato rumore, Imperatores milites passim dispersos sine mora contrahunt: missoque Nicomediæ pontifice, pacis conditiones haud iniquas ipsi offerunt. Sed Slerus ostenso coccineo calceo, indignum fore dicebat, temerè eum quem semel induisset abijcere: ficque re infecta ad suos redijt pontifex. Petro itaque spadoni, belli gerendi summa ab Imperatoribus demandatur: qui cum Slero ad Liparam, quæ & Licandus dicitur, congressus, postquam diu ancipiti prælio utrinque pugnatum esset, cum suis profligatur. Slerus uerò & uictoria, & castris, prædaque potitur. Ex Zamanda quoque urbe populosissima, ad deditionem coacta, magnam auri uim coegit. Insuper ex Imperatorijs copijs fuga dispersis, non uulgares milites suis copijs adiunxit. Nunciata hac infœlici pugna cubiculario, Leo Protouestiarius collecto alio exercitu, cum summo imperio mittitur: sed hic quoque fuso exercitu, uiuus in Sleri manus peruenit. His duabus cladibus Imperatorum res penè ad extremum perductæ uidebantur casum, præsertim cum Slerus terra marique instructas haberet copias. Sed paulo pòst classis eius à Byzantinis triremibus uicta est: ipse terrestri prælio à Phoca superatus, ægrè euasit. milites uerò uel cæsi, uel fugam capessere coacti fuerũt. Slerus cum ad Chosroen Babylonium spe defensionis fugisset, in carcerem missus est, eaq; ratione pœnam seditionis aduersus magistratum suum luit: ut Zonaras tomo 3. narrat.

Dum autem intestinis ardent bellis Constantinopolitani, Samuel Bulgarorum princeps, Occidentis prouincias impunè deprædatur: contra quem Basilius Imperator arma capere cogitur. Interim Calypha Ægyptiorum princeps, commoda ex Bulgarico bello occasione oblata, & rupto quod cum Imperatore icerat fœdere, Hierosolymam expugnat: templumque in quo Domini sepulchrum est, atque eius loci monasteria destruit, ut idem narrat: anno 1012, iuxta Palmerium: seu 1018, iuxta Antoninum, tit. decimosexto, capite quinto: qui huius calamitatis hanc reddit rationem, Quòd cum Calyphæ, qui matre natus erat Christiana, probri loco Christianismus à suis objceretur, ipse ut hac suspicione se liberaret, Hierosolomytanis bellum intulerit, sacrasque ædes demolitus sit. A' Turcis Hierosolymam anno Salutis 1009 captam, asserit Blondus libro decimotertio.

Persæ etiam eadem tempestate Saracenorum iugum excutere, seque in libertatem uindicare, autore & duce Inargo aniſi sunt: cum quibus Chosroes Babylonius, aliquoties infœlici exitu congressus est: tandemque Slero, qui Babylone custodiebatur, soluto, id bellum commisit: qui ad tria millia Romanorum captiuorum, quos Babylonius carcere hactenus tenuerat, armis instruit, Persasque omnes partim concidit, partim profligauit. Slerus rebus fœliciter gestis, non ad Chosroen, ne fortè denuò carceri traderetur, sed ad suos redire statuit. Qua de re certior factus Chosroes,

roes, magnas, quę iter intercluderent, copias eò mittit: quibus cum congressus Slerus, licet illi numero longè superiores essent, uictoria tamen potitus est. Post hæc ad suos, nemine impediente, pedem retulit. Zonaras tomo 3.

Porrò proprio consilio Bulgaricam expeditionem susceperat Imperator. re igitur infœliciter gesta, cuncti ab eo deficiunt proceres: & coniuratione facta, Phocam, quem suprà Slerum uicisse scripsimus, regem appellant. Slerus è custodia elapsus, cum Romanorum fines attigisset, re cognita, cum suis copijs, quas habebat exiguas, & belli & Imperij socius futurus, ad ipsum se confert. Ille gratam sibi esse Sleri societatem simulabat: eique, si uoti sui compotes fierent, aliquot ditiones subdolè partitus est: sed paulo pòst uinculis eum constrinxit. Imperator Delphinam patricium, qui ad Chrysopolin castra posuerat, capit, eumque palo affigit. Deinde cum fratre Constantino Abydum, ubi Phocas commorabatur, petit. Phocas, cum in ipsum Imperatorem, suos milites in acie compellantem, impetum facturus esset, equo excutitur, ac sine uulnere expirat. quo sublato, reliquus exercitus non magno labore dispergitur, cæditur, & capitur. Barda mortuo, Slerus uinculis solutus Imperatori reconciliatur. Inde Byzantium redijt. Posthæc Iberiam adijt: & Georgium interioris Iberiæ principem, ut suis finibus contentus sit, compescuit, filio eius accepto obside. Imperator pacata Iberia Phœniciam adijt: & principem Tripolitanum, Damascenum, Tyrium & Berytium, qui conspiratione facta Daphneæ Antiochię agrum depopulabantur, à prædis coercuit, & sibi seruire coegit: acceptisq; ab ijsdē obsidibus, ad suos redijt. Vltimo ętatis anno, rupto à Georgio fœdere, cum infesto exercitu denuò Iberiam inuisit: ac Georgium secundo prælio uictum, ad interiora Iberiæ secedere compulit: acceptoq; filio eius Pancratio obside, & de agro quantum libuit, ipse ad suos reuersus est. Zonaras ibidem.

IN EVROPA.

Bulgari, cognito Zemiscæ interitu, imperium deferunt quatuor ipsius fratribus: quorum tribus è medio diuersis casibus sublatis, Samuel solus rerum potitur: atque Orientalium bellorum occasione, Thraciam incursione uastat. cui dum resistere Basilius, non communicato prius cum ducibus consilio, parat, ab ijsdem domestica bella simulantibus reuocatur. Re igitur infecta, & plurimis suorum desideratis, non sine ignominia & ducum tripudio domum redit. Bulgari hoc qualicunque successu elati, Macedoniam, Græciam atque Peloponnesum deinde populabundi impunè transeunt, dum Asiatico bello occupatur Basilius. Verùm eo confecto, primùm Nicephorus Vranus prætor Occidentis, Bulgaris obijcitur: noctuque militibus Sperchium Thessaliæ fluuium, reperto forte uado, traductis, ipsos minus cautos aggreditur, cæditque. Similem uictoriam de ijsdem hostibus, post recuperatas ditiones & urbes plurimas ad Axium flumen Macedoniæ, Imperator ipse reportat: direptis Samuelis copijs, qui ægrè euasit. Posthæc Imperator ipsam Bulgarorum terram igni ferroque uastat: cui cum Samuel aperto Marte resistere non ualeret, montium angustias, quibus Imperatori transeundum erat, occludit, præsidijsq; munit. Sed Imperator & ui & arte bellica perrupit, quæuis obuia prosternens. Captiuis, quorum erat ad 15000 hominum, Imperator oculos exculpi iussit, singulis centurijs unum relinquens monoculum, qui cæcos ad suum principem denuò elapsum reduceret. Ille autem hoc spectaculo expauefactus, in terram amentia correptus pronus cecidit, & intra paucos dies καρηλιώγμῳ expirauit. Hinc Gabriele Samuelis filio, à fratuele Bladisthlabo occiso, atque hoc ad Dyrrachium oppetente, Basilius regia sobole & proceribus Dauidis archiepiscopi, in fidem gratiamque receptis, totius Bulgariæ dominium obtinet. Zonar. tomo 3.

Crabatæ & Sirmij, crudelitate quam Basilius in Bulgaros acie deuictos exercuerat, & clementia dediticijs supplicibus exhibita, inducti, se eidem sponte subijciunt. Zonaras ibidem.

¶ In Hispania regnorū & titulorum permutatio sub hæc tempora facta est. Ferdinandus enim, Sanctij maioris filius, occiso uxoris fratre Veremundo, regnum Legionum, ac materno iure Castellam occupauit, seque regem Castellæ & Legionum apellauit. Ritius libro tertio de Regibus Hispan. Alij ad annum Domini millesimum decimum: alij 1025 referunt.

Raymiris Ferdinandi frater nothus, testamento patris Aragoniam adeptus, primus Aragonum rex designatus est. Ritius lib. 3. Anno 1016, iuxta Gassarum.

Stephanus Vngarorum rex pius & bonus, Giulam auunculum suum Transsyluaniæ principem, qui religionis ergò bello eum lacessiuerat, uicit, & custodiæ tradidit, anno millesimo secundo. Bulgaros quoque, in Transsyluania & Vngaria grassantes, graui prælio idem uicit: ampliseimaque

maq; præda potitus est, qua quidem sacras donauit ædes: ut Bonfinius libro 1. Decadis 2 annotat.

¶ Nec Germania motibus passim caruit. Henricus enim Imperij dignitatem adeptus, Heinricum cognomento Hezelonem, Boiorum ducatu donârat. quod indignè ferens Heinricus Austriæ dux, sibi nimirum tanquam iusto hæredi regnum præreptum esse, regi rebellat: sed uictus, ueniã supplex petit: ut Auentinus refert, anno 1003, iuxta Contractum. Anno sequẽti Brunonem quoq; fratrem, qui electioni regiæ aliquandiu aduersatus fuerat, armis ad officium cogit, teste Schafnaburgensi. Et post hunc, Bohemiæ ducem bellico neruo compescit: ut Crantzius libro 4, capite 27 Saxoniæ testatur.

Dum autem apud Germanos suam dignitatem armis tuetur Heinricus, Italię episcopi & principes paribus suffragijs Transpadanum quendam Ardouinum, Imperatorem salutarunt. sed illo in pugna interempto, Heinricus de autoribus defectionis grauissimas sumit pœnas, anno 1005: ut Palmerius indicat. Vniuersas cis Padum urbes subigit, Ticinum ui expugnat: tandem obsidibus acceptis, rebusque Italiæ compositis, uictor in Germaniam redit.

Bernhardus Saxoniæ dux contra Imperatorem, extra suum solum, arma sumens, magnas in Saxonia turbas dedit. Slaui, qui præfectorum auaricia exhausti, ad pristinam libertatem aspirabant, hac occasione suis terminis egressi, totam Nordalbingam, duce Misteuone, quem canem appellarat Theodoricus Brandẽburgẽsis marchio, igni & ferro uastant, Ecclesias diripiunt: Hamburgum & Aldenburgum, aliaq; infinita ad Albim oppida solo æquãt. Verùm Vnvuani Hamburgensis episcopi intercessione, Saxoniæ dux cum Imperatore in gratiam redijt: qui coniunctis postea uiribus, Slauos & Polonos, quos quidem eisdem auxilio ueniisse uero non est absimile, cum religione tributarios faciunt: ut Helmoldus capite decimosexto & decimoseptimo, in Slauorum Chronico indicat.

Hisce diebus Ludolphus Treuirorum episcopus obijt: cui Megingothus autoritate regis successit. Verùm Adelbero, qui eundem ambibat locum, & Heinricus Boiorum dux, Theodoricus Metensium episcopus, Imperatorem, Cunegundæ coniugis, cuius fratres ipsi erant, patrimonium ad se aliquando (cum ipsa prole destituerẽtur) rediturum, sacerdotibus (ocioso homi num generi) dare dictitantes, cũ pluribus alijs nobilibus coniuratione facta, Augustã cæperunt, diripuerunt, Brunonemque regis fratrem urbe eiecerunt: Angelbertum Fruxinensem episcopum huic auxilia ferentem, recedere coegerunt, eiusque agri depopulati sunt. Cum ijsdem, contra Imperatorem, Remensis quoque & Lundinẽsis episcopi suas coniungunt uires. Hoc in tumultu Argentoratum diripitur: Treuerim Adelbero ui occupat, eamq; præsidijs munit. Contrà rebelles Henricus arma mouet, infesta acie ad Rhenum contendit, aduersantesque cunctos perdomat, urbẽ Metensem obsidione cingit: Theodoricum coniugis suæ fratrem, qui excluso Mosellanorum ducis filio, episcopatum inuaserat, (ut Sigebertus indicat) ad deditionem cogit: Heinricum eius fratrem Bauariæ ducatu, quo paulo antè eum donarat, iterum excutit. His superatis hostibus, ipse Reginoburgum concedit, ut Auentinus refert: Anno 1009, iuxta Sigebertum. Inde in Lotharingiam abit: cui, mortuo Otthone duce, Gotfridum Arduenensis Gotfridi filium præficit. Valentianas, primariam eius regni urbem, quam Balduinus, quartus Flandrensiũ comes, Giselberti Lotharingiæ ducis gener, occuparat, obsidet. sed cum frustra in ea expugnãda laboraret, Gãdauum copias in Flandriam traduxit: uastatoque omni agro, regni primores captos carceri tradidit. quo cognito, Balduinus ultrò Imperatori urbem tradidit: ac nunquam de Imperatoris fide se discessurum, obsidibus firmauit. Imperator, suis hortantibus, Valentianas Balduino in feudũ, sub certa conditione reddidit, ut nimirum certa militum turba Imperatoribus petentibus in militia adsit: teste Crantzio libro quarto, capite trigesimo, Saxoniæ. Interim uerò de graui Saracenorum in Italiam irruptione certior fit Imperator. Mox igitur conscripto milite, eò contendit: pressisque opem ferens, cunctos Saracenos Italia, Calabria, Campania & Picentino agro, teste Auentino, expulit: ut & Crantzius & Iacobus de Strada in Thesauro antiquitatum testantur. Apuliam quoq;, ut Cuspinianus indicat, diu ab ijs possessam, recuperauit, imperioque reddidit: cui quidem Ismaelem ducẽ dedit. Facta hęc sunt, secundum Sigeberti computationem, circiter annum 1013.

Rebus autem hisce confectis Romam abijt Imperator: ibiq; à Benedicto 8 Augustus consecratur.

Gotfridus, cuius paulo antè mentionẽ fecimus, Lotharingiæ inferioris pręses, Gerardum comitem turbas in regno crebrius excitantem, cruento prælio fudit. anno Christi 1014. Idemque sequenti anno Montensem comitatum populatur, & Lam-

& Lambertum Louaniẽsem comitem, qui antè habebatur inuictus, cum suis plus 400 cædit. Sigebertus.

Burgundos in agro Argentinensi omnia fœdantes, episcopus Vuerinharius ope Alemannorum repressit, & Rudolphum (teste Auentino) regno eiectũ restituit: anno 1020 iuxta Contractum.

Theodoricus Flandriæ comes, iussu Cæsaris necem patris ulturus, Frisijs intulit bellum: uerùm infœlici exitu. Insonante enim inter prælium uoce, Fugite fugite: militibus Frisicis in fugam actis, dux captus est.

Normanni Frisiam uastarũt, Traiectumque incenderunt, anno 1010. Sigebertus.

Miesco, seu Boleslaus, sub annum 1006 Cracouiam occupat in ipso conuentu, ad sanciendam pacem Cracouiæ indicto: & Bohemorum ducem Boleslaum oculis priuat, comitesq; eius obtrũcat. hinc cùm alia loca, tum Pragam biennio obsessam, fame expugnat. Vlricus autem Bohemi frater, ab Imperatore Heinrico (huic enim pater eum educandum dederat) clàm dimissus, Dieuizum natura & arte munitum occupat: raptimque collecto milite Pragam tendens, per præconem ciuibus denunciari iubet, uictis & fugatis Polonis, adesse cum exercitu principem uictorem. Quo nuncio territi Poloni, fugam arripiũt: eaq; ratione Vlricus urbem recipit. Æneas Syluius cap. 17 & 18 Bohemicæ historiæ, anno 1007. Crázius uerò lib. 2. cap. 45 Vandaliæ, Bohemorum ducem Biticeslaum uocat, eumq; ob responsum, ad mandatum de facienda cũ Polonis pace, superbius prolatum, ab Imperatore oppugnatum & uictum scribit.

Circa salutis annum 1017, Cæsar iterum Polonos bello petit: ut Schafnaburgensis indicat. Boleslaus enim Magdeburgum usq; grassando peruenerat: eum uerò Imperator, assumpto rege Vngariæ, domuit: duosq; Vandalorum regulos captos, ob perfidiam Vuolmerstadij in crucem egit, & ad tuendum ea loca Arnsburgam arcem munijt. Cranzius libro quarto, capite 33 Saxoniæ.

Saxonum ope, Boleslaus Polonorũ dux Rutenos subegit, anno 1018: ut in Magdeburgensi annotatur Chronico.

¶ Nec minus motuum & mutationum acciditin Anglia. Sueno enim Danorum rex, sub Etheldredo rege ignauo & crudeli, Angliam incursionibus diuexatá aliquot annis stipendiariam fecit: deinde necessitate compulsus, tributum fictè remittit. Maximis enim copijs rediens, insulanis Etheldredo uicto profugoque deditionem facientibus, in Anglia regnare cœpit, anno Domini 1014. Cum uerò uictoria superbè & truculenter uteretur, diuinitùs perijt: teste Polydoro libro 7 Anglicæ historiæ. quanquam Saxo Grammaticus lib. 10 historiæ Danicæ testetur, Suenonem cum Anglorum rege pactum, ut defuncto succederet, ac placidè abijsse. Canutus autem, qui patri Suenoni surrogatus erat, cum Etheldredo ex Normannia reuerso, eiusque filio Edmundo, uario euentu pugnauit. Verùm ijs è medio sublatis, Edmundus à Canuti præfectis occisus scribitur, à Malmesburiẽsi libro secundo, capite 68. regnumque ad Danum solum peruenit, Anno 1017. Quod non solum legibus, humanitate & munificentia, uerumetiam coniugio Emmę Ethel dredi uiduæ ex Normannia accersitæ firmatum, prudenter iusteque administrauit annos 20, teste Polydoro Anglicæ historiæ libro septimo.

Noruegianorũ nuper creatus rex Olaus, inuidens Canuti, Daniæ Angliæque regis successibus, Daniam igni & ferro uastat. At Canutus eum prælio uictum, ad socerum Geristalaum, Orientalium ducem, perfugere compellit, atque Noruegiam deditione accipit. Saxo Grammaticus libro decimo, Polydor. libro septimo: circa annum 1017.

SVB CONRADO *Secundo.*

HEinricus Imperator, petentibus principibus, Conradum regni successorẽ nominauerat, rebus gestis & uirtutibus clarum. qui, illo breui pòst defuncto, imperium annis quindecim administrauit, anno Domini 1024. teste Sigeberto. Interea in Oriente Constantinus solus tres, Romanus Argyropylus quinquennium & mẽses sex, ac Michael Paphlago annis quinq; & dimidio imperarunt. Mutationes autẽ & euentus hoc temporis spacio annotatos, hosce deprehendimus.

IN ASIA.

Agareni, occasione ignauiæ Constantini, præsidijs cæsis, urbes aliquot occupârant: & Chalepita crebris excursionibus Antiochiam, aliasque Syriæ finitimas gentes infestarat. Contra hunc cum exercitu profectus est Romanus Argyropylus: qui cum oblata munera & pacem respueret, uictus, & fœdè profligatus est. Postea uerò Amer Calepitæ filius pacem ære grandi redemptam, reddit Romano: eamque uidua & filius Ameri cum Michaele Paphlagone, in annos 30 renouarunt. Zonar. tomo tertio.

Circa eadem tempora, Arabes Mesopotamiam infestarunt. Ibidem.

De Edessa urbe, inter Constantinopolitanos

litanos & Agarenos acriter pugnatum est. Georgius enim Maniaces, urbium ad Euphratem præses, sub Romano Edessam expugnauit. Atq; sub Michaele, Arabes primùm ab eius obsidione ui repulsi sunt. Deinde uerò fraude eam occupare conantes, à mendico proditi, duodecim principes cum uiginti quatuor armatis, quos camelorum cistellis incluserant, interempti sunt. Zonaras tomo 3.

Myram urbem Lyciæ maritimam, tempore Michaelis Paphlagonis cęperunt Agareni. Ibidem.

IN INSVLIS MARIS *Mediterranei.*

Contra insulas maris Mediterranei hoc seculo ab Agarenis uarij motus excitati sunt. Magnam enim classem contra Cyclades, Constantino rerum potiente miserunt Agareni: quā Sami dux dissipauit, duodecim nauibus captis. Sub Romano deinde, Africanæ quædam naues circiter mille, in locis maritimis passim grassantes, nōnihil repressæ sunt. Siciliam tamen duo fratres Agareni obtinuerunt: quorum exercitum cum Georgius Maniaces duobus magnis prelijs fudisset, totam insulam Michaeli Paphlagoni iterum subiecit. Sed ea Stephano Imperatoris affini commissa, in Agarenorum Carthaginensium potestatem iterum redacta est: præter Messanam, quam Catacolon Ambustus prætor fortiter defendit. Zon. tom. 3.

IN EVROPA.

Pazinacæ (gens ea Scythica est) imperante Constantino, Bulgariam populabundi inuaserunt. quos licet Constantinus Diogenes, Sirmij præfectus & Bulgariæ dux, ultra Istrum reijceret: postea tamen sæpius reuersi, fines Romani Imperij subinde incursarunt. Ibidem.

Bulgari, quos à Basilio Imperatore subactos esse suprà retulimus, incitatore Doliano, homine obscuro in finibus imperij Michaelis Paphlagonis Constantinopolitani Cæsaris, à quo defecerant, prædas agere cœperunt. ad quos exercitus Cæsareanus, propter fugatum ducem desciuit, rege creato Tichomero Bulgaro quodam: quo per fraudem lapidato, Dolianus Dyrrachium expugnat, Nicopolin & uicinos agros per deditionem accipit, Græciamq; quam potest latissimè uastat. Cum autem Alusianus Aaronis filium se esse demonstrasset, nigra macula dextri cubiti densis pilis circumdata, atque salutatus rex Dolianum excœcasset, seque Michaeli subiecisset, Bulgaria in potestatem Cæsaris iterum peruenit. Zonaras.

Canuto rege ex Anglia in Normanniam Franciæ traijciente, ut in Richardum, qui cum sorore eius Hestritha repudium fecerat, armis animaduerteret: Normannus cū suis fugit in Siciliam, teste Saxone Grammatico lib. 10. de rebus Danicis. Apuliæ autem urbes & castella, Italorum discordia & timiditate inductus, partim ui, partim dolo cæpit, anno 1038. Sigebertus.

In Germania non paucos hostes, in exordio sui regni habuit Conradus. Nam Conradus eius patruelis, teste Auentino, dux potens, Ernesti Sueuiæ, & Guelphonis superioris Bauariæ principum factione muni tus, Imperium affectauit. Sed Aribonis episcopi Moguntini & aliorum studio aduersarijs deuictis, Conradus in suo Imperio confirmatur: teste Sigeberto. Ernestus autem & Guelpho, pacem petere armis coguntur: ut Contractus annotat. Pacatis igitur patriæ rebus, comitantibus Rudolpho Burgundiæ, & Canuto Anglię, Danię, pluriumque aliarum gentium regibus (ut Auentinus commemorat) in Italiam ad cōpescendos isthic motus abit. Veronam, Brixiam, Cremonam, Placentiam, Mediolanum percurrit: inde Ticinum & Rauennam se confert, postea Romam pro corona petit. Auentinus lib. 5. Ne autem Germania, dum ipse Imperator exteris distraheretur bellis, inspectore destitueretur, filium suum Heinricum tertium Romanum regem declarauit: ut Schafnaburgēsis refert.

Cum in Paschate à Iohanne 20 Augustus designaretur, plerique ciuium turbas intra urbis mœnia dederunt: sed Conradi milites multis uulneribus ad officium redire eos coegerunt, anno 1022: ut Sigebertus & Otto Phrysingensis testantur. Pacata Italia, ad Germanos pedes retulit: & habito Vlmæ procerum concilio, Ernesto quidem reconciliatur: sed ob turbatam denuò pacem, eundem exilio ad aliquot annos mulctat. Alij, in fuga ab Imperatore hunc transfossum scribunt.

Adalberoni ducatum Carinthiæ eripit, eundemque patrueli suo Conrado tradit. Auentinus lib. 5.

Vuandalos maris Baltici accolas, ab Imperio & fide Christiana desciscentes, Conradus Imperator crebris bellis domuit. Crantzius lib. 2, cap. 46 Vuandaliæ: anno 1035, teste Contracto, & Chronico Magdeburgensi. Godeschalcus autem, qui ultione patris Vdonis, à Saxone transfuga interempti, ad spem libertatis Vuandalos erexerat, multasq; clades intulerat Holsatis, à duce Saxoniæ Bernhardo captus, renouato fœdere dimittitur. Helmoldus cap. 19.

Sclaui ad Panim fluuium (qui Malchinum, Demmum & Anclam prætergressus, in Oce-

in Oceanum se exonerat) incolentes, contenderunt hac ætate. Riaduri enim & Tolenzi, qui hodie Pomerani & Stargardenses sunt, quòd in suis finibus fanum Radigast esset, ibi solennia sacrificia fierent, atque oracula redderentur, sese alijs præferebant. Alij autem ad occasum Panis habitantes, quæ nunc Vuandalia & Rostochiensis ditio appellatur, suam libertatem armis defendere parati erant: sed ab illis qui regem Danorum & ducem Saxoniæ Godscalcum, regulum Obotritorum, in societatem belli uocarant, superati, 15 millibus marcarum pacem redemerunt, pecuniam uerò distraxerunt milites extranei. Helmoldus cap. 21.

Rudolphus rex subditorum contumacia motus, Burgundiam, quæ ab Anulphi Cæsaris temporibus annis plus 130 à suæ gentis regibus administrata erat, misso diademate, anno millesimo trigesimosecundo tradidit Imperatori Conrado: qui pulso Otthone eam redegit in prouinciam, anno Salutis millesimo trigesimoquarto. Dequa cum Odo princeps Carlingorum (iuxta Contractum) seu Campaniensis (iuxtà Sigebertum) rixas & bella moueret Imperatori, Gothelo dux eum ad Barum castrum prælio uictum cum suis in fugam uertit. in qua à milite occisus est, Francique dissipati Lotharingia excedunt: anno millesimo trigesimoseptimo. Contractus, & Sigebertus. Diuisa tum est Lotharingia in ducatum & comitatum: atq; hic Francis, ille uerò imperio Germanico deputatus est.

Imperator paulo ante mortem, Burgundos filio suo regi iurare fecit. Auentinus libro 5.

Conrado itaque Cæsare bellis diuersis distento, Longobardi facta conspiratione iurarunt, se nullo domino nisi ad nutũ suum omnia gerenti obtemperaturos. Ad hos comprimendos Cæsar Mediolanum, cuius episcopus primas ferè tenebat, obsidet. Verùm cum inter celebrationem Missę fulgura & tonitrua stupenda fuissent exorta, & Bruno episcopus ac alij Ambrosiũ atrocia Cæsari minitantẽ in ea aeris intẽperie sibi apparuisse diceret, combustis subur bijs Imperator recessit, annò Domini 1037, iuxta Contractũ: qui Mediolanensem fuga elapsum rebellasse Imperatori, addit. Annum 1039 Sigebertus habet.

Gothelo dux ex hoste (nã & ipse electioni restiterat) factus est adeò intimus Conrado, ut hic eum ducatu Mosellanorũ post mortem Friderici, mares non relinquentis, donaret, anno millesimo trigesimotertio. Sigebertus. Idem Otthonem Belgicum sacramenti uiolatorem, Tulli uastatorem, Bariq́ue obsessorem superat: & amputatum eius caput, Augusto in Italiam transmittit. Auentinus libro quinto Annalium.

Anno Domini millesimo trigesimo, Imperator in Sclauiam & Vngariam exercitum ducit, eo quòd cum Italis contra eum conspirassent: perpulitq́ue, ut sequenti anno Stephanus Vngariæ rex, ad faciendam pacem legatos in Germaniam mitteret. Contractus, Schafnaburgens.

Aliquanto pòst Stephanus rex Vngariæ, filio suo Heinrico, qui uulgò Emericus uocatur, regnum Bauariæ, iure hæreditario uxoris Gisalæ, à Conrado repetit. quod cum ei denegaret, res ad arma peruenit: donec Emerico mortuo, pax icto fœdere renouaretur. Auentinus lib. 5.

Vlricus Bohemiæ regulus, occiso fratre suo Icomaro, rebellat Conrado. Sed ab Heinrico Imperatoris filio ex Vngaria reuerso captus, perducitur Ratisbonam: ubi in uerba Conradi iuranti, ducatus restituitur. Auentinus libro 5. Hoc autem mortuo, filius Vratislaus Bohemiæ gubernationem suscipit. Idem.

Post Boleslaum primum, in Polonia Miecislaus filius eius, anno millesimo uigesimoquinto dominari cœpit, à quo Bohemi antea stipendarij, studio Predislai, impigri, & ad libertatem nati iuuenis, desciuerunt, atque ei Morauiam eripuerunt, quam ille frustrà sibi denuò subijcere laborauit. Pomerani porrò opera Belæ Vngari, tum quidem in Polonia exulantis, redacti sunt in potestatem Polonorum. Cromerus libro quarto.

Conradus Imperator, Mesconem Poloniæ inuasorem ui expulit, Otthonemq́ue à fratre electum restituit. Bonfinius libro 1. Decadis 2. Auentinus lib. 5.

Anno 1030, Miecislaus spe regni, cum & religionem Christianam ficto animo coleret, in Saxoniam impetum fecit. inter Salam & Albim centum pagos incendijs uastauit, homines plurimos interemit, sacerdotes altaribus abstractos cæpit, & honestas matronas ac uirgines stuprauit, & renitentes crudelissimè confodit: donec Theodoricus comes eum represserit. Chronic. Magdeburg. Sequenti anno Conradus Imperator coegit Miesconem reddere prędas ablatas, & sese iuramento subijcere Imperio. deinde post mensem frater eum expulit. Sed & hunc seruus eodem anno obtruncauit. Ibidem.

Mortuo Miecislao, Poloni Rixam reginam odio, patria & regno, quacunque arrepta occasione eijciunt. Hic autem, dum unusquisq; suis cupiditatibus magis quàm

saluti Reipub. seruit, Russi in Polesiam, Bohemi in Silesiam & maiorem Poloniam excursiones faciunt: & Conradus quoq; precibus Rixæ, quæ Salfeldium ab eo emerat, bello Polonos aggreditur: ut Cromer. lib. 4, ex Dugloſſo recitat.

Canutus Roma reuersus, Malcolmum Scotorum regem rebellem subegit: Vincent. lib. 25, cap. 15.

SVB HEINRICO Tertio.

HEinricus eius nominis tertius, cognomento Niger, à patre, anno Domini 1026, Cæsar designatus, ut Contractus ait, Aquisgrani à Pilgrino Coloniensi præsule inauguratur: teste Schafnaburgensi. Anno uerò 1039, quo pater 3 Nonas Iunij Traiecti obijt, Imperij administrationem suscepit: tenuitque annis 17, mensibus 7, ut Contractus asserit. Interea uerò in Oriente, post Michaelem Paphlagonem imperarunt, Michael Calaphates quatuor mensibus, Zoe & Theodora tribus mensibus, hinc Constantinus Monomachus annis 12, postea Theodora iterum duobus annis, post hanc Michael senior anno uno.

IN ASIA.

Turci, quos suprà in Asiam ab Agarenis, ad ipsorum perniciem accersitos diximus, Babylonijs in suâ potestatem redactis, Arabes duce Cutlumo aggressi sunt: uerùm ab ijs superati, Mediam ingrediuntur: & Imperatoris præfecto, qui transitu eos armis prohibere conatus erat, capto recedũt. Vbertate autem terræ illecti, nõ multo pòst reuertuntur, sed ad internecionem usque omnes occiduntur. Hinc Alimus & Chorosanes exercitum ad 100000 ducentes, à Baaspracane Mediæ prætore in fugam conuertuntur. Liparites autem Iberiæ dominus à barbaris capitur: quo gratis dimisso, Monomachus Turcos ad feriendum secum fœdus hortatur: tributum autem quod illi petebant, péndere recusat. Hac autem re Sultanus offensus, toto Oriente subacto, in fines Monomachi incursiones facit, & ad continentem usq; Byzantio aduersam procedit. Imperator autem nihilominus in gratiam scorti Scleræni, in extruendo Manganorum monasterio tantos sumptus facit, ut exhausto ærario, prouincijs, quæ propter immunitatem tributorum angustias tueri, atq; barbaros aditu finium prohibere solebant, imponeret exactionem pecuniarum. Abolitis itaq; custodijs, aditus patebat barbaris facilimus. Zon. tomo 3.

IN INSVLIS.

Theophilus Erotius Michaelis Calapha tæ excæcationem, & Zoes anus libidinosæ potestatem, qua ad Constantinum Monomachum, tertium maritum, imperium transtulerat, execratus: cum Cyprijs, quorum prætor erat, defecit. Sed missa classe ipse uictus, & insula in seruitutem redacta est. Ibidem.

Turquinianos Asiæ regnum occupasse circa salutis annum 1051, quorum Dominus fuit Sado, cui successit Dogrissa, Funcius ex 15 cap. Haitonis refert.

IN EVROPA.

Aulam Constantinopolitanam hic primùm contemplemur, quæ Turcis in Asia grassantibus, admodum turbulenta fuit. Michael enim Calaphates Orphanotrophum, cuius beneficio imperium adeptus erat, & Zoen, cuius adoptiuus filius erat, confictis criminibus in exilium pellit: cognatos, eunuchos facit. Hanc superbiam populus detestatus, excitat seditionem: in qua Theodora à Senatu, populo & sacerdotibus proclamatur Augusta. Michael uerò in monasterium Studiese ablegatus, uisu priuatur.

Nec uerò placuit Senatui, ut Zoe ab exilio reuocata, administrationis expers esset. Itaque sororibus æqualis simul agendi & decernendi potestas conceditur. Verùm Zoe uenere stimulata, ubi pulcherrimorum & præstantium iuuenum nuptijs excidisset, Constantino Monomacho ex Lesbo, quò à Paphlagone zelotypo relegatus erat, reuocato nubit: cui, excluſa sorore, ipsa omne tradit imperium.

Monomachus autem Romano Sclero, cuius sororem exilij comitem, & in imperio non concubinam, sed coniugem præter Zoen habuit, adeò indulsit, ut impunè eum pateretur domum Georgij Maniacis diripere, eiusque thorum polluere. Quam quidem iniuriam dum uir fortis, & copiarum in Italiam missarum dux, ulcisci conaretur, iamq; aciem contra Cesareanos instrueret, telo traijcitur: quo uulnere expirans, capite insuper plectitur.

Eadem fortuna fuit Leonis Tornicij Adrianopolitani, Euprepiæ sororis Monomachi nuptias & imperium simul affectantis. Cum enim Byzantium primo impetu expugnare neglexisset, & contra eum Orientales copiæ, dum ipse moram necteret, adductæ essent, à suis desertus, in hostium manus peruenit, qui ei oculos exculpunt.

Romanus itidem Boilas, uir obscuro loco natus, & propter ineptias & scurrilitatem extremam non modò Senator, uerùm etiam præ multis alijs Imperatori &

Impera-

Imperatrici familiarior effectus, Monomachum dormientē gladio interimere nitebatur: sed insidijs detectis, in consçios duriter animaduersum est.

Constantinus morti uicinus, Proteuontem Bulgariæ rectorem, successorem declaraturus erat. Verùm Theodora id animaduertens, occupata regia, ad se transtulit imperium: quo cum laude administrato per annum & nouem menses, & fœdere cū Henrico III icto, (ut refert Contractus, sub annum millesimū quinquagesimūquartū) decessit, Michaele nominato successore: à quo despecti, & illiberaliter habiti milites, ad Comnenum deficiunt. qui anno regni tertio, in uenatione territus spectro, imperium tradidit Constantino Ducæ: atque ipse in monasterio reliquum uitæ tempus consumpsit.

Rossi etiam, hac tempestate se mouerunt. Cum enim orta contentione, eorum mercatores à Constantinopolitanis iniuria & uulneribus affecti, atq; Scytha quidā illustris interemptus esset: princeps barbarus satisfactionis oblatione spreta, Propontidem innumeris nauibus uastat. Verùm Græci primùm igne multas absumunt, reliquas submergunt, in fugam uertunt, & capiunt: enatantes uerò hostes trucidant. Zonar. tomo 3, in uita Constantini Monomachi.

In initio regni Monomachi, Scytha quidam Boisthlauus Stephanus, occupatis mōtibus Illyriæ, agros Triballorum, Seruiorum & finitimarum gentium armis infestat: atque Dyrrachij præfectum cum copijs suis, ad internecionem ferè trucidat. Zon. tomo 3.

Pazinacæ regiones ultrà Istrum incolentes, hoc tempore paruerunt Tyracho, nobili quidem, sed ignauo duci: qui Cegeni, uiro manu & consilijs prompto, inuidia laudis insidias struxit: quibus proditis, Cegenes traiecto Istro, sese cum suis dedit imperatori Monomacho: & initiatus religioni Christianæ, copijs Cæsareis Pazinacas morbo colico exuini mulsi & alimentorum nimia ingluuie laborantes, ad deditionem coegit. Captiuam plebeculam in Bulgariam ablegat: Tyrachum uerò & proceres baptizatos cum 15 millibus, in Iberiam ire Monomachus iubet. Verùm ij ad Damatrym substiterunt: & regressi, mare equis tranant: atque suis popularibus coniuncti, ad ripas Istri positis castris, Thraciam & Macedoniam, reiectis aliquoties Cæsareanis militibus, depopulantur, donec 30 annorum inducias cum Imperatore paciscantur. Zonaras tomo tertio.

Sub Heinrico III, Robertus Guiscardus Græcos prælio superatos, Calabriæ finibus, præter sacerdotes, eiecit. Nec non Saracenos ex improuiso adortus, ab obsidione Capuæ repulit. Sabellicus.

Imperator Heinricus tertius, audiens trium monstrorum de Romana sede contentionem, Romam anno Domini millesimo quadragesimosexto cum exercitu proficiscitur: & remotis Benedicto mago, Syluestro Benedicti uicario, & Gregorio Simoniaco, elegit & constituit Clementē secundum: Romanosq; iuramento obstrinxit, ne deinceps sine suo consilio ullū eligerent pontificem. Sigebertus. Platina & Onuphrius in uita Clementis secundi, rationes grauissimas suprà recitatas addunt. Et legati quidē Romani, ab eodem Cæsare tres successores, utpote Damasum secundum, Leonem 9, & Victorem, mitti petierunt: testibus Schafnaburgensi, Onuphrio, & alijs.

Normanni hoc temporis interuallo, duce Roberto in Romani pontificis ditionē irruerant, atq; in ea quædam loca occuparant. Ad eos autem repellendos papa Leo IX, Longobardicis & Teutonicis militibus stipatus abijt: spretisq; conditionibus pacis, bello decertare maluit. Verùm in eo bello, Italorum perfida fuga Germani penè uictores cæsi, & papa captus, atq; Beneuenti in custodia habitus est: donec graui morbo correptus, circa Paschā sequētis anni, qui erat à nato Christo 1054, Romam remitteretur. Hermanus Contractus, Schafnaburgensis.

Eadem tempestate Godefridus Lotharingiæ dux, maximos motus in Imperio excitauit. Fratri enim Gotheloni à patre donatum ducatum Mosellanorum, ut Sigebertus habet, eripere conatus est. sed ipse sua frustratus, Imperatori rebellare cœpit. Ad Rhenum autem potissimùm usque igni & ferro, in agros aliaque minus munita loca sæuijt, teste Schaffnaburgensi. Etsi autem ex custodia, qua Cæsari se dedens tenebatur, supplex, recepto præterea ducatu dimitteretur: tamen nec postea quieuit. Cum enim Cæsar Fredericum Heinrici Bauari fratrem, ignauo Gotheloni iuniori, seu Adelbertum Gotheloni seniori (si Schafnaburgensi credimus) surrogasset, & filius Imperatori obses datus, mortem cum uita commutasset, autore Sigeberto: & Imperator à Theodorico Phladirtingæ marchione cladem accepisset: Godefridus cum Balduino comite Flandriæ defectionem, callidis legationibus dissimulatam, detegit: Nouiomagi regiam, mira arte & opere incomparabili constructam incendit: Viridu-

num expugnat, summam ibi ædem comburit. Hinc Adelbertum Mosellanorum ducem cum suis occidit. Reconciliatus autem Cæsari anno 1050, cum Leone papa in Italiam se confert: & biēnio pòst, Beatrice Bonifacij marchionis uidua in uxorem ducta, Marchiam & alias eius possessiones occupare uoluisse, & præterea tyrannidis arguitur à Romanis. Verùm Imperator ne ansam maioris turbæ in Italia præbeat, excusationem eius accipit: anno millesimo quinquagesimoquinto. Schafnaburgensis, Contractus.

Marchio Phladirtingæ Theodoricus, à Leodiensi, Traiectensi, Metensi, alijsq; finitimis episcopis, quorum ditiones depopulatus fuerat, commisso prælio occiditur, eiusque ditio ad Imperatorem, cui rebellis extiterat, deuoluta est: anno 1049: teste Contracto.

Vngarici quoq; regni status hac ætate fuit admodum turbulentus. Petrus enim, cōtra iuramentum auunculo Stephano datū, Gisalæ reginæ, à qua (teste Bernone in epistolis) educatus, & ad regnū euectus erat, prædia eripit, eiusq; amicos & tutores insectatur odijs atq; iniurijs, imò etiam gladio, Bohemumq; ad rebellionē incitat: sed dū sæuitiæ, suasu Budæ cuiusdam, nullum faceret modum, à proceribus exuitur regno: ut refert Auentinus lib. 5: qui Ouoni, teste Cōtracto (quem Vbam Schafnaburgensis, Abam uerò Bonfinius uocat) genero S. Stephani, regnum tradūt. Hunc tribus prælijs intra annos quatuor superatū, toto regno expulit Cæsar, restituitq; Petrum: atque Vngaris petentibus, leges Bauaricas donauit. Nec multo pòst Quo res nouas moliturus, à Petro comprehēsus, capite plexus est, anno 1044. Vix autem elapso biennio, Vngari Scythicam religionem & mores iterū amplexantes, Petrum oculis priuatum, in locum obscurum cum coniuge alendum detrudunt: eiq; Andream quendam substituunt, qui Imperatori se per legatos subijcit: ad hæc tributum & operam defert, modò regnum pacatè sibi obtinere liceat. Quas quidem conditiones respuit Henricus tertius, ac in Vngariam maximum ducit exercitum. Sed rebus necessarijs destituti, re infecta in Germaniam redeunt. Ibi autem interuentu Ratisbonensis episcopi inita fuisset pax iuxta certas conditiones, nisi Conradus Bauariæ dux, ob rebellionem proscriptus, ibiq; exulans, fœdus dissuasisset, atque Carinthiæ partem ui & proditione nobilitatis occupasset. Hermannus Contractus.

Bohemorum ducem Vratislaum (ut Marianus Scotus eum uocat) seu Oldericum, iuxta Sigebertum, Vngarico milite stipatū, Cæsar bello aggressus est. Sed suorum non paucis per insidias syluarum amissis, uel captis, re infecta redijt, anno 1040. Sequenti autem anno eundem, uastata passim terra, ad petendas cōditiones pacis cogit: sicque Bohemia iterū facta est tributaria Imperatori. Hermannus Contractus, Schafnaburgensis, Auentinus lib. 5.

Æneas Syluius de Bohemia, capite 19. Bisetislaum Boemorum ducem appellat: addens, ab hoc Cracouiam armis captam & euersam, Gnesnamque direptam esse. Imperatorem autem Henricum tertium ea restitui præcepisse. id uerò detrectante Bohemo, natum esse hoc bellum, cuius & Cromerus lib. 4 meminit.

Suprà diximus, miseram fuisse in Polonia lanienam, Rixa regina exulante. Duranuit autem ea penè sex annos: quibus exactis, proceres Casimirum (qui literas olim Lutetiæ edoctus, in Cluniacensi iam cœnobio monachum & diaconum agebat) permissu Romani pontificis & satellitibus Teutonicis cinctum, placata matre reuocarunt: factaq; amnestia, summæ rerum præfecerunt. Casimirus Masouiam, à Maslao pincerna Miecislai per uim occupatam, recepit, ipsumq; tyrannum fudit: quem Pruteni, qui sub eo infœliciter aliquoties contra Polonos dimicarant, tandem egerūt in crucem. Cromerus lib. 4.

Imperator anno millesimo quinquagesimo, Casimiro Polonorum regi bellum illaturus, incidit in morbum grauissimum. Itaque pacem & fœdus certum petenti dedit. Contractus.

Slaui & Luticiani (qui pars illorū sunt) Imperatore in Italia annum commorante, collatis signis, multos ex Cæsarianis cæperunt, & nonnullos interemerunt, anno millesimo quinquagesimoquinto. Schafnaburgensis, Sigebertus. Fuisse autem hos arbitramur, qui interēpto Godscalco regulo, ad gentilissimum relapsi sunt: de quibus Helmoldus lib. 1, cap. 22.

Canuto in Anglia mortuo, turbæ nō leues in Dania excitatæ sunt. Sueno enim ex Estrita Canuti sorore editus, regnū sibi debitū inuadebat: cui restitit Magnus Olai filius, Noruegiæ rex, eiq; Danorum magna pars adhæsit, eo quòd inter hunc & Canutum antè conuenerat, ut superstes, regnum alterius, qui liberis destitueretur tanquam hæreditarium acciperet. Victus itaque Sueno duabus pugnis, in Fioniam profugit, & inde in Sueciā: quē dū Magnus cito cursu insequitur, in acutum stipitem, in quē equus conspectu leporis territus offenderat, delapsus extinguitur. Saxo Gram. libro

lib.10. Hinc Haraldus Olai frater Byzantio, quò insidiarum metu profugerat, post uaria pericula reuersus, Noruegiam occupat: atq; Suenonem, qui Daniam interea obtinuerat, nauali prælio ad Diursam & Viszan fluuios uictum, terga uertere coegit. Verùm illo in Anglia occiso, hic regnum tranquillè aliquot annis administrauit. Saxo Gram. lib. 11.

¶ Accedamus nunc ad Angliæ statum: quam Danis hoc seculo subiectam fuisse, paulò ante diximus. At ea nunc iugo excusso, in libertatem sese uindicare non destitit. Defuncto enim, seu potius in nuptijs quibusdam ueneno sublato Canuto iuniore, Suenone uerò in occupanda Dania (teste Saxone Grammatico libro decimo) laborante, Angli facta conspiratione, Danica præsidia expugnant, disijciunt, persequuntur, in fugam uertunt, atque trucidant. Sicque uigesimo octauo anno, postquam Sueno Danus totius Angliæ imperio potitus est, alienigenis expulsis, legem sanciunt, ne quis Danorum unquam Angliæ rex creetur.

Hinc Goduinus, postquam Alfredum, quem plerique ad capessendum regnum accersierant, fraude cum Normannis obtruncasset, regnum Edouardo Ethelredi filio, qui in Normannia regnantibus Danis latuerat, tradi curat: qui in pace leges, quas communes posteri dixerunt, tulit: exactionibus abstinuit: ac liberalitate & humanitate populo mirè gratus, tenuit regnum circiter annos 24. Polydorus libro octauo.

Extitit & alius Angliæ motus. Goduinus enim ciues Cantuarienses, de quibus, propter ministros Eustachij comitis Bononiensis in turba interfectos, Edouardus pœnas sumpturus erat, armis defendere nitebatur. Verùm uiribus diffisus, profugit in Flandriã: cuius comitè Balduino, qui Tosthoni filio olim Iuditham filiam suam elocarat, præbente classem, littora Angliæ carpere cœpit: Verùm datis obsidibus, pax restituta est. Ibidem.

SVB HEINRICO *Quarto.*

HEinrico tertio successit, anno reparatę salutis 1055, filius Heinricus Quartus, puer septenis; triennio antè rex Aquisgrani creatus: tenuitq; Imperium Occidentis annos quinquaginta, teste Sigeberto. Constantinopolis interea habuit hos Imperatores: Isaacium Comnenum, annos 4: Constantinum Ducam, annos 7, & menses 6: Romanum Diogenem, annos 3, menses 8: Michaelem Ducæ filium, annos 6, mẽses 6: Nicephorum, triennium: Alexium, annos 33. Quo temporis curriculo, licet imperium Germanicum inteſtina laniena (cuius episcopi autores fuêre pręcipui, ut ex sequẽti narratione patebit) admodum debilitatum esset, robur tamen & autoritatem eam adhuc retinuit, quòd copijs in Asiam traiectis, regnum Ierosolymis iterum constituerit.

IN ASIA.

Occasione magnæ oscitantiæ & inertiæ Constantini Ducæ Cõstantinopolitani Imperatoris, barbari liberius grassati sunt. Multæ enim Orientales prouinciæ partim diripiebãtur & uastabantur, partim ab hostibus occupabantur. Quo quidem rerum successu barbaris animus creuit, Constantinopolitanæ contrà legiones timidiores factæ, Imperijque uires plurimum debilitatæ sunt: ac tanti mali causa, potissimum in ipso (ut modò diximus) hærebat Imperatore. Is enim auariciæ totus deditus, fortissimos quosque ex militari catalogo, ut sumptibus parceret, expũxerat: qui supererant, ob negata stipendia, solita, minus ad res præclarè gerendas alacres erant. Inter hasce turbas, ipse Imperator ex uiuis auocatur, relicta regni administratione uiduæ, & tribus impuberibus filijs. Ea inquam occasione Barbari denuò Mesopotamiam, Melitenen, Ciliciam, Cappadociam, Cœlesyriam, aliaque finitima loca armis infesta reddebant. Publicis malis turbata Imperatrix Eudocia, Diogenem, genere & rebus fœliciter gestis insignem, coniugem & Imperatorem sibi deligit. Hostes cum iam ipsum nouum Imperatorem, cuius uirtus & fortitudo cunctis nota erat, in armis esse cognouissent, acie decertare recusant. Sultanus itaque retrò cesit: & duabus ab exercitu segregatis cohortibus, alteram in superiorem Asiam, quæ Australis dicitur, alteram in Aquilonarem misit: qui obuia quæque diripiunt. captaque Neocęsaria, præda onusti inde recesserunt. Hac fama motus Imperator, reditum ipsis intercludit. Cuius aspectu adeò territi sunt barbari, ut relicta amplissima præda, ultrò terga dederint. Verùm milites continuis itineribus fracti, longius eos persequi non ualuerunt. Posthæc Imperator Syriam ingreditur, Calepo magnam hominum & pecorum abigit multitudinem. Hierapoli capta, Arabibusque prælio uictis, arcem Hieropolitanam munitissimam in præsidium contra barbaros extruxit. Tandem pluribus urbibus captis, Alexandriam, quę Ciliciæ urbs est, peruenit: ubi de Amorij direptione certior

factus,in hyberna milites deduxit:ipse Cõstantinopolin abijt. Sub initium ueris, magnam Turcorum multitudinem,Cæsareæ confinia depopulantium,idem ad Euphratem fudit: & tradita Philareto copiarum parte,ipse ad Septentrionem declinauit.Cum Philareto congressi Turci, superiores fuêre:moxque Cappadociam petentes,Iconium opulentissimam urbem diripuerunt. Inde digressi Turci, in Tarsi planicie ab Armenijs, omni prædæ onere leuati,cæduntur. Imperator uerò instante autumno,Byzantium redijt.Verno tempore Manuelem quendam Comnenũ, barbaris cum exercitu obiecit: quos primo quidem fortiter uicit. At secundo prælio uictus in Syriâ Comnenus capitur. Chonæa urbe & Archistrategi fano Turcæ potiuntur.sed paulo pòst suis restitutus est Cõmenus.Reliqui deinceps cum Turcis conflictus,admodum fuêre Constantinopolitanis infœlices. plures enim ex ducibus cæsi,ipse etiam Imperator ad Theodosopolim pugnans,accepto graui uulnere, Andronici perfidia captus est. Quem tamen benigne tractatum,Axan Sultanus tandem multis muneribus onustum, certis dimittit conditionibus. Sed domum reuersus ex captiuitate,à suis cõtra datam fidem occiditur:ut Zonaras tomo tertio narrat.

Sultanus cognita Diogenis nece, denuò Orientis prouincias, non tam deprædandi,quàm in suum ius redigendi animo,nemine prohibente inuasit. Michael Parapinacius Ducæ filius, homo ignauus,& rerum prorsus imperitus, Diogeni uitrico iam in Imperij dignitate successerat. Is hostibus quidem Isaacium Comnenum, Ruselio ei addito collega, cum exercitu oppositus. Verùm hic Turcis se iungens, ad Iconium ipsas Imperatoris uastat ditiones. Ille fuso exercitu,ab hostibus capitur:à quibus multo auro se redimit. Hac clade nunciata,à Michaele Iohannes Cæsar rei bellicæ præficitur:cuius etiam copias ad Langarium Phrygiæ fluuium Ruselius cæcidit, ipsumq; Cæsarem cæpit. Tanto belli successu elatus uictor, Constantinopolin expugnare conatur. Michael tristi rerum aspectu consternatus,Turcorum operam contra eum multis talentis conducit: à quibus etiam uictus & captus est. Sed per coniugem precio liberatus, Turcis se credere maluit, quàm Constantinopolitanis. In Armeniorum itaque terra sedes suas fixit:à quibus per Alexium Comnenum clã, de amplissima pecunia spe facta, uinctus Byzantium mittitur,ubi postuaria tormenta carceri traditur: Posthæc Nicephorus Botoniates, nouis turbis causam præbuit. Is enim regiam dignitatem Parapinacio, Turcorum aduentu, quos ipse in auxilium uocarat,extorsit. Ea occasione Turcæ pòpulabundi Constantinopolin usque uenerunt: ac totius penè Asiæ regionibus Pontum spectantibus subactis, & regnum & sedes suas ibi fixerunt:ut Zonaras & Cuspinianus scribunt.Ipsis etiam Saracenis & Arabibus superatis,Armeniam & Syriá cre bris incursionibus petentes,multas urbes, quibus & Antiochia annumeratur, ui expugnarunt,anno milleſimo septuagesimonono:ut Sigebertus indicat. Hoc bello,omnii, quod quidem in Asia maiori habuerũt Græcorum Imperatores,regno potitos esse Turcas, ex Haitone Funccius annotat: quamuis in annorum numero uarient autores.

Tyrius belli Sacri libro primo,capite nono,ea tempestate, præter Antiochiam,hasce regiones à Turcis, duce Belphet captas esse asserit:Syriam,utramque Ciliciam,Isauriam,Pamphiliam,Lyciam,Pisidiam,Lycaoniam,Cappadociam,Galatiam,& utrumque Pontum, Bithyniam, & Asiæ minoris partem:incolas uerò abductos,ecclesias dejectas,omnemque diuinum cultum exterminatum esse.

Sub annum Domini millesimũ sexagesimũtertiũ,Sigfridus Moguntinus, Vuilhelmus Traiectensis, Guntherus Bambergensis,multique alij Bauariæ proceres, septies mille stipati militibus,in Palæstinam profecti,fortè ut rebus afflictis opem aliquam ferrẽt,ab Arabibus adeò attriti sunt, ut pauciſsimi ex ijs ad suos re infecta reuersi scribantur.Sigebertus,& Schafnaburgensis.

IN AFRICA.

Itali,suasu Victoris papę, & promissione cõdonationis omnium peccatorum facta, omnibus sub uexillo S. Petri militantibus, Africam infestis signis ingressi,centum millia Saracenorum occiderunt,atque eorum prẹcipuam urbem expugnatam euerterũt: quæ quidem uictoria eodem die quo parta erat, in Italia nunciata est. Chronic. Cassinense lib.3,cap.70.

IN INSVLIS MARIS *mediterranei.*

Cyprus & Creta,autoribus prẹfectis, defecerunt. Zachas uerò Turcus in capta Chio ædificata classe,Lesbum,Samũ,Rhodum,& alias insulas occupauit.Verùm omnes insulæ, à classe Alexij Comneni breui recuperatę sunt.Zon.tomo tertio.

Robertus Guiscardus, pulsis Afris Siciliam obtinuit, anno milleſimo quinquagesimooctauo : fratriq; suo Roherio eam donauit. Palmerius.

Anno

Anno 1090, Roherius Apuliæ rex in Siciliam traijciens, Syracusas cæpit. Blondus & Æmylius.

IN EVROPA.

Comnenus contra Scythas, qui Pazinacæ dicuntur, & Hungaros suscepit expeditionem: sed petentibus tandem pacem, cõcessit. At Selten, qui solus cęteris audacior, cum quadam Romanorum cohorte dimicabat, uictum in fugam conuertit. Zonaras tomo 3.

Vzi, gens Scythica, Pazinacis fortitudine & numero præstantior, Constantini Ducæ Imperatoris, qui post Comnenum rerũ potiebatur summa, freti ignauia, Istrum cum uxoribus & liberis traijciunt: quos cum finitimarum urbium præsides, Nicephorus Botaniates & Basilius Apocapes, transitu prohibere frustra conarentur; ambo cæsis copijs uiui in hostium deuenêre manus. Barbari superato Danubio, eum locum libere deinceps incoluerunt. Imperator interim ocio & auri amore domi torpescens, muneribus barbarorum præfectos placare, suis rebus magis consultum fore putabat. Verùm illis non contenti hostes, inde ex Macedonia digressi, in Græciam usque cuncta igni ferroque in suum obsequium cogentes penetrant. Victus tandem Imperator uulgi & lachrymis & conuicijs, dum de conscribendo milite cogitat, de subito gentis excidio certior redditur: quorum quidem maxima pars peste absumpta fuerat, reliquias uerò Bulgari & Pazinacæ deleuerant. Hanc cladem terræmotus ingens, quo plurima templorum & urbiũ ædificia cõcussa sunt, & cometa maximus, præcessere. Zon. tom. 3.

Tertio anno imperij Michaelis (qui fuit Christi circiter 1077) Crabati, qui & Seruij dicuntur, finibus suis egressi, nonnulla Bulgarię loca in suam potestatem redegerunt. Multis autem prælijs, non sine Bulgarorũ clade, tandem uicti, atq; ex occupatis sedibus iterum eiecti, in suam terram redierunt. Zonar. tom. 3.

Michaele Duca à seditiosis undique oppugnato, Pazinacæ ad Adrianopolin positis castris, agros suburbanos deuastarunt: quos Bryennius data pecunia inde abduxit. Sub Alexio autem Comneno ijdem reuersi, Macedoniam & Thraciam depopulantes, primò uictores, deinde uicti, & in Moglenen traducti sunt.

Robertus Guiscardi filius, ex Italia in Epidamnum expeditionem, anno 1081 (iuxta Chron. Cass. lib. 3. cap. 48.) suscepit, Alexiumq; Comnenum magno prælio superauit, eiusq; castra diripuit, & progressus, Castoriam, Larissam, & alia oppida subegit. Verùm Alexius reuersus, fratrem Adrianum armis Imperatorijs induit. in quem dum Robertus magno impetu ruit, ille effusis habenis fugit. Imperator autem interea per ambages ducit exercitum, præsidioque expugnato castris hostium potitur. qua quidem clade nunciata, Robertus recessit. Baimundus postea, ubi ex Asia uascu lo inclusus tanquam mortuus, domum relatus esset, de Alexij perfidia conquestus, suos ad arma cõcitat: traiectoq; mari Epidãnum obsidet: ubi illatis accepisq; maximis damnis, alia loca tentauit. Hisce cognitis, Imperator pacem cum eo ad Coloniam Europæam confirmat. Ibidem.

Sæpius etiam hac tempestate, ipsam aulam Constantinopolitanam intestina afflixerunt mala. Diogeni enim Romano à Turcis capto, imperium autoritate Iohannis Cæsaris abrogatur. & imperatrice Eudocia in monasterium trusa, Michael Constantini Ducæ filius Imperator salutatur. Redeunti ex captiuitate Diogeni, Constantinus & Andronicus Cæsaris filij, cum armato milite obuiam missi, ipsum in sua uerba iurare cogunt: ut imperio deposito, rasaque coma, priuatam ageret uitam. Sed paulo pòst, contra fidem datam, ipsi oculi eruũtur. Zonaras tomo tertio, anno 1073.

Michael ad imperium prorsus ineptus erat. Summæ igitur rerum Iohannes Sidæ metropolita præerat. Nicephorus autem Logotheta designatus, cuncta pro suo arbitrio in aula gerit. Sidensem dignitate sua exuit: Iohannem Cæsarem patricium Imperatoris suspectum reddit. Multi præterea suis facultatibus spoliantur, ac ipsi subditi uarijs atteruntur ærumnis. Ruselius quoque in Lycaonia, & Nestor ad Istrum, ab Imperatoris fide deficientes, in ipsius ditiones uiolentos faciunt impetus: nec non Botoniates & Bryennius Imperij insignibus acceptis, Constantinopolim se conferunt. Verùm hic à Ruselio (quem Imperator captum, ob industriam rei bellicæ suis copijs præfecerat) profligatur, & excæcatur. Ille uerò opera Cutlumi illustris Persę, occupata Niczą, atq; ipsa Cõstantinopoli, Michaele in monasterium detruso, Augusti nomine solus potitur. quod dũ Nicephorus Basilacius & Constantinus affectant, ille oculis priuatur, hic uerò in insulam relegatur. Nec hoc tamen pacto tranquillum regnum diu tenuit. Comnenus enim Alexius, siue ueritus ne delationibus seruorum, qui apud Botaniaten primas tenebant, in discrimen uitæ ueniret, seu regni cupiditate æstuans, prodi-

tione Nemitzorum Byzantium expugnat, diripitque: & Botaniata sponte uitam monasticam amplectente, creatur Imperator. Contra hunc conspirarunt primò Vmbertopolus Francus, & Ariebes Armenius, uiri illustres, ac capitanei militum: sed detectis insidijs, unà cum coniuratis comprehensi, ad infamiam ignominioso triúpho circumducti, in exilium relegantur. Eandem etiam fortunam experti sunt alij ambitiosi duces, Nicephorus Diogenis Romani filius, huic Comano adulterino Diogenis filio adhærens, & Michael Anemas. Nã bona eorum in fiscum relata, ipsique publica ignominia affecti, oculisque omnes præter Anemam priuati, exilio puniti sunt. Zonaras tomo 3.

Italia, si unquam antea, bellorum apparatu distracta fuit, certè huius Imperatoris temporibus fuit turbilentissima: quæ quidem mala ex pontificum electione orta sunt. Post Stephani enim obitũ, anno millesimo quinquagesimonono, quidam Romanorum cardinalium, & sanè numero pauciss imi, præter Imperatoris suffragium, Mintium Italiæ episcopum, Benedictum nominantes, substituerunt. At maior pars utriusque ordinis procerum, indicto Senonis conuentu, Gerardum Florentinum, indito ei Nicolai secundi nomine, elegerunt. Eo etiam Romam adducto, multæ ex ortæ sunt turbæ. Vterque enim muniebatur sua factione. Interim mittuntur ad Imperatorem in Germania commorantem, legati, ab ijs qui Nicolaum elegerãt, de sua fide, patri ipsius olim data, eum confirmantes: & electionem, si ipsi uideretur, ratam haberi petentes: qua quidem petitione in primis Romani suã Imperatori fidem probare uolebãt. Imperator suorum cõsilio, Gerardi electionem statim approbat: & Gotfrido, cui Italicas res paulo antè commẽdarat, ut hũc forti manu cathedræ imponat, iniungit. Hoc cũ fieret, Benedictus post nonum mensem, quo præesse cœperat, loco cedere cogitur, anno 1059, ut Schafnaburgensis indicat.

Nicolaus sua dignitate potitus, ut Nauclerus refert, statim hanc legem, qua suum erga Imperatorem gratum uoluit declarare animum, tulit in Lateranensi cõcilio, cui 113 interfuêre episcopi, ut nullus deinceps à clero & populo Romano, sine Imperatoris consensu eligeretur pontifex. Verùm hoc decretum, Tragicarum paulo pòst calamitatum occasio extitit.

Inter Mediolanenses & Ticinenses atrox & multorum cæde cruentum enatum esse bellum, anno millesimo quinquagesimonono Schafnaburgensis testatur.

Circa Salutis annum 1061, post Nicolai obitum, maiores exorti sunt apud Romanos, ex pontificia electione, tumultus. Cardinalium enim aliorumque Romanorum principes uiri, turbas præuenturi, legatos ad Imperatorem mittunt, postulatum, ut sibi ab ipso detur pontifex. Hisce auditis, Imperator mox Basileam episcopos, regnique proceres conuenire iubet. compãret ibi primarij totius ferè Italiæ, maximè uerò Lombardiæ episcopi. paribus horum suffragijs Cadolus Parmensis præsul substituitur: ac per Bucconem Halberstadensem episcopum, ut Lambertus indicat, Romam Concilij iussu deducitur. Mutato autem priori nomine, Honorius secundus dicebatur nouus pontifex. Hildebrandus uerò, homo arrogans & ambitiosus, Romanæ ecclesiæ archidiaconus, se neglectum dolens, Vatinianum in Imperatorem odium concipit. Persuaserat enim sibi, si Imperatoris in electione papæ suffragium expetendum esset, nunquam ad illud dignitatis fastigium, quod iamdudum ambierat, se conscedere posse. Omnem igitur mouet lapidem apud eos quos Imperatori parum æquos sciebat, ut alius eligeretur episcopus: tandemq; perfecit. Sors autem Anshelmũ Lucensem tetigit episcopũ, cui mox Alexãdri secũdi nomẽ inditũ est. Hinc iterũ plurima Italię mala enata sunt. Vterq; enim sua factione dignitatẽ pontificiã summis uirib. tutari conabatur. Honorius quidẽ nõ cõtẽnendis Lõgobardorũ copijs instructus, Romã cõtendit, ui sedẽ occupaturus. Alexãdri autẽ factio cõtrà, armis se defendere parabat. Fit utrinq; atrox in pratis Neronianis cõflictus, quo plurimi occubuêre: uerùm Honorij cohors superior fuit. Sic scilicet Petrus pro augusta Romana cathedra decertat.

Post hæc Romani ad Imperatorem legatos mittunt, & harum turbarum originem in ipsum transferunt: eo quòd præter Senatus Romani uoluntatem, Cadolum eis dedisset episcopum. Anno autẽ Colonienſis episcopus ab Imperatore, ut pacem Ecclesiæ restituat, protinus Romã ire iubetur. Is igitur Romam ueniens, cum rebus turbatis remedium aliud superesset nullum, præsertim cum Hildebrandus superbia crepans, extrema quęque uideretur esse tentaturus: Cadoli ordinationem, in scio Senatu Romano factam, irritam habẽri censuit: Alexandrum uerò, omnibus suffragantibus, sedem tenere iussit. Digresso Annone, Cadolus ex impatientia bellum redintegrat: ac commisso inter utrumque exercitum atroci prælio, laborantibus Alexandri copijs, Gotfridus Italiæ præses

ſuppetias tulit, Cadolumque in fugam pepulit: ut Schafnaburgenſis indicat. Poſt partam hanc uictoriam, Lateranenſi palatio (ut Friſingenſis lib. 6, capite 34 teſtatur) hic uerſiculus inſcriptus eſt:

Regnat Alexander, Cadolus cadit & ſuperatur.

Elapſo anno uno, Cadolus ad priſtinam dignitatem denuò aſpirat. Multos enim Romanorum, qui prius Alexandri ſtuduerant partibus, in ſuam interim pertraxerat ſententiam: quorum inſtinctu & opera, paruo cum comitatu nocturnis horis urbem clàm ingreſſus eſt. Exoriente ſole, cũ Cadolum redijſſe fama increbreſceret, fit concurſus ad arma. Sed Cadolus à ſuis defertus, per Centium quendam in S. Angeli arcem deducitur. furibundum uerò uulgus muneribus placatur, ut ab armis diſcedat. Cadolus celeri equo mox conſenſo, urbe egreditur. Nunquam tamen deinceps eundem, licet irriti omnes eius eſſent conatus, de ſuo iure decedere uoluiſſe, Lãbertus teſtis eſt.

Laudem Pompeiam (Italiæ oppidum eſt) mandata detrectantem, Adelheidis Cæſaris ſocrus expugnat: portisque præcluſis cuncta incendio tradit, annum circiter Salutis 1070, ut Auentinus ſcribit.

Poſt Nicolai obitum, Hildebrandus à ſua factione, quam muneribus ſibi egregiè conciliârat, præter Senatus, cleri & populi, ac etiam ipſius (ut Platina tradit) Imperatoris uoluntatem pontifex ſalutatur: (ſic ſcilicet ſcandere in Petrinam ſedem decet) ut Beno cardinalis in uita eius teſtatur.

Sub hoc naturæ portento, tum Imperiũ Romanũ, tum Eccleſia cunctarũ gentiũ grauiſsimè turbata & concuſſa ſunt. Electionẽ enim pontificis impugnabant plures Germanorũ epiſcopi, qui Imperatori autores erãt, ut à põtifice eius temerarij & audacis facti rationẽ exigeret. Mittitur eius rei gratia Romã cõmuni cõſenſu Eberhardus qui dã comes: cui benignè ſimulata beneuolentia põtifex reſpondet, inuitũ & coactum ſe hãc ſedẽ conſcendiſſe: prudẽti tamẽ cõſilio in eũ uſq; diẽ cõfirmationẽ dilatã eſſe, quouſq; Imperatoris ac reliquorũ Germaniæ principũ accederet cõſenſus. Hoc fucato reſpõſo accepto, Impator facile electioni ipſi us acquieuit. Sed nõ multo pòſt, gratitudinis ergò, non ut Petri, ſed Romuli ſectator, ipſi Impatori bellũ indixit Hellebrandus, nouo publicè promulgato edicto: Ne uidelicet deinceps ulli ab Impatore ſub anathematis pœna, uel peterẽtur, uel acciperẽtur epiſcopi. Prẽterera multos Germaniẽ epiſcopos, q regia benignitate & autoritate ſua as erãt adepti dignitates, Romã accitos, Simoniæ accuſat, proq; ſuo libitu uel ſede eos deijcit, uel pœnitentiã pro ſuo arbitrio ipſos agere cõpellit. En capite uobis hoc, pro placido ac fauſto initio paſtoris Romulei. Mox meliora & maiora dabit.

Saxones porrò, cum aperto Marte Imperatorem opprimere non poſſent, calumnijs eum petunt: miſsisq; ad Romanum pontificem legatis, neſcimus de quibus criminibus eum incuſant. Pontifex, alioqui Imperatori infenſiſsimus, facile adhibet fidem delationibus, quas ipſemet ſua aſtucia & immanitate à ſuis creaturis extorſerat. Pluresigitur principes Imperatori à conſilijs, inaudita cauſa excommunicat: ac non modò idem telum in Imperatorem ſe miſſurũ, ſed & Imperatoriam dignitatem ſe ipſi adẽpturum eſſe, ni excommunicatos aula ſua excludat, pro autoritate minatur. Inſuper legatos ab Imperatore, pro ſui defenſione miſſos, pro ſua Petrina clementiã carceri tradit: fameq;, ſiti & frigore excruciatos, urbe pellit. At Romani ciues, ſui pontificis in legatos Cæſareos improbantes fœuitiam, Hugonem cardinalem ad Imperatorem ablegant: qui Vuormaciæ, autoritate regia, Galliæ & Germaniæ epiſcoporum (Saxones aberant) conuentum agit. Horum ſuffragijs ſtatuitur, Hildebrandum loco deijciendum, aliumq; ſurrogandũ eſſe. id enim Romani per literas petierant.

Interim uerò Hildebrandus per Saxonicos epiſcopos ea de re certior factus, Nordmannos ſocios ſibi adſciſcit: & Romanos ſpecioſo libertatis nomine, & ingenti auri pondere (quindecies enim fertur talentorũ milia uiritim diſtribuiſſe) ineſcatos, in ſuã facile pertraxit ſentẽtiam: qui recitatis pro concione, ex Saxonum ore, Imperatoris crimínibus, mox Heinricum ſua dignitate exuendum, ad placitum eius qui odio in Imperatorẽ flagrabat, acclamant. Plures enim Germaniæ epiſcopos Hellebrandi partiũ fuiſſe, eumq; ſuo conſilio atq; opera non parum clàm iuuiſſe, Nauclerus indicat. Poſthæc Imperator, miſsis à Põtifice in omnes ferè orbis Chriſtiani fines literis, anathemate feritur: ac cuncti tã ſummæ quàm infimæ conditionis homines, ab obedientia ipſi præſtanda liberi pronunciãtur. Hoc eſt (ſcilicet) honorare magiſtratus, omnem eis obedientiam etiam in ciuilibus rebus ſubtrahere. Debebant claues pontificiæ tãtum ad conſcientiam, & ſpiritualem executionem ſeſe extẽdere, ut Chriſtus inſtituit. Verùm hic Antichriſtus, conatur miniſterio clauium & Imperium auferre, & obedientiam politicam prohibere. Hinc ſpiritũ huius Romuli dijudica. At Cẽtius Romanus ciuis, qui Cæſaris partib. ſtudebat, die Chriſti natali, anni 1075, Hellebrandũ ad altare

ſacra

sacra tractantem, armato milite, ope Guiberti Rauennacensis episcopi, obruit, captiuumq; adductum in uincula conijcit. Verùm pe: Romanos, Centij ædes solo æquantes, liberatur. Centius igitur fuga elapsus, in Ecc esiæ bona & ministros igni & ferro passim in Italia, magna immanitate sæuijt. Verùm cum suis tandem uiribus diffideret (prævaluerat enim Heldebrandi factio) ad Imperatorem Henricum se cõtulit. Qui autẽ Centij partiũ fuerant, Romæ à pontifice in crucem acti sunt. Hæc scilicet etiã Petrus Apostolorum coryphæus factitauit. Quidni?

Pontificiæ excommunicationis fulmine plurium Germanorum principum animi ab Imperatore abalienati sunt: nec solum obedientiã ipsi debitam detrectarunt, sed ut dignitate sua penitùs exueretur, consilia creberrimè tractarunt. Vt autem paulò circumspectius & clementius ipso Romano pontifice agere uiderentur, sic inter ipsos conuenerat, quòd si anniuersarium excommunicationis diem sine reconciliatione pontificia elabi paterẽtur, dignitate sua se eum priuaturos. Imperator itaque hyeme asperrima anni 1077, paruo cum comitatu, Romanum iter ingreditur: & post multos deniq; labores exuperatos, Heldebrandum, ad comitia Augustana contendentẽ, Canusij offendit: ibiq; durissimis conditionibus absolutionẽ uix accipit. Italiæ episcopi primarij, alijq; principes, indignè ferentes, Imperatorẽ iustam, quam tueretur, causam, petita absolutione à põtifice Simoniaco, impuro & crudeli, tã turpiter damnare, cuius quidẽ aduentus paulo antè ipsis fuerat gratissimus (pontificio enim monstro se liberatũ iri sperabant) conuicijs ipsum Imperatorẽ insectantur, uixq; ab armis manus cohibent. Nullo beneuolẽtiæ officio errantẽ per Italiã prosequũtur. Vrbibus maioribus eũ excludunt, atq; in pagis nocturna eũ hospitia quærere cogũt. Extrema tamẽ necessitate, qua hoc facere coactus fuit Imperator, plenius cognita, æquiores ipsi redduntur.

Dum in Italia morã traheret Imperator, principes Germaniæ in Forcheim Rudolphũ Hẽrico (quẽ põtificij legati, qui cõuentui intererant, non in regni, sed Ecclesiæ cõsortium à pontifice receptũ asserebant) in Imperij fastigium substituunt. Re ad Italos, aliosq; principes qui Henrico aderant, perlata, grauiter omnes Romano succẽsuerũt põtifici. quibus Põtifex, ut eos placaret, respõdet: hæc præter suã uoluntatẽ inter Germanos acta esse. Henricũ etiã p legatos papam monuisse, Platina scribit, ut Rudolphũ cõtra pietatẽ, ius & æquum, ac deniq; contra fidem datam, regium nomen usurpantẽ anathematis fulmine à proposito abstereat. Sed hos quoq; pontifex suo domino referre iussit: Non esse fas, quenquã inaudita causa absentem damnare. Ex quibus non obscurè apparet, Heldebrandum istius sedi tiosæ electionis conscium, & clandestinum hortatorem fuisse.

Redeuntes porrò ex Germania pontificiæ sedis legatos, qui Rudolphi electionẽ suo iuuerant suffragio, Vlricus quidam comes cæpit, eosq; carceri tradidit: sed Henrici precibus (cuius tamen consilio uulgò captiui credebãtur) inde liberati sunt. Postheæc Imperator ad Germanos reuersus, Rudolpho bellum indixit, ut infrà dicendũ erit.

Pacatis utcũq; iterum Germaniæ motibus, Rudolphi interitu, Imperator secũdò in Italiam, ut aut cum Heldebrando in gratiam redeat, aut si æquas pacis cõditiones respuat, loco deijciat, contendit: ui atq; armis cuncta in itinere domat. Heldebrandus Imperatoris aduentu cognito, arces urbesq; communit, ac cunctos ut fortiter pugnent, ut fortem Petri successorẽ decet, cohortatur. At Imperator ui cuncta penetrat. In uigilia Pentecostes, ad urbis Romæ mœnia castra ponit: eamq; circumquaque obsidens, neminem exire permittit. Heldebrandus Mathildis ope fretus, urbem quidem tutatur fortiter contra hostium incursiones: sed uicinæ arces & oppida Romanorum dominio subiecta, à Cæsareanis solo æquantur. Tandẽ post annos duos, Christi 1083. quarto nonas Iunij, urbe capta, & Heldabrando dignitate deiecto, Vuigbertus Rauennãtensis episcopus sede potitur, cui Clementis tertij nomen inditũ est. Inde contra Nordmannos in Campaniam arma mouet Cæsar: quibus profligatis, Romã redijt, & in Paschæ ferijs anno 1084. cũ Bertha coniuge Augustus salutatur.

Post Imperatoris discessum, Mechtildis Italiæ marchionissa, & singularis Heldebrãdi fautrix, Rudolphi necẽ ultura, Conradũ Hẽrici filiũ, quẽ impuberem adhuc pater iustis cũ copijs in Italia reliquerat, bello petijt. quæ quidẽ haud procul à Parmẽsi urbe, cruento prælio ab ipso fusa est: ut Sabellicus & Cranzius libro 5, capite 8 Saxoniæ testantur.

Hildebrando è rebus humanis exempto, Mechtildis, & Robertus Normannorum princeps, Desiderium quendam cardinalem, & Casinensis cœnobij abbatem, pontificem designarunt, qui quidẽ Victoris tertij nomen sibi usurpauit. Verùm paucissimis (ut refert Vrspergensis) sedit mensibus. Ab Heinrici fautoribus ueneno eum sublatum, uulgò creditũ fuit. Huius necẽ cùm ulcisci iã pararet Robertus, subitanea

morte

morte extinctus est: ut in Heinrici quarti uita scribitur.

Circa salutis annum 1090, Heinricus iterum, ob Mechtildis & Nordmannorum tumultus, urbani pontificis instinctu excitatos, in Italiam ire cogitur, ubi quidem annos plures (septem habet Vrspergensis) cõmoratur: sed hostibus multis conflictibus superatis, eorumque arcibus & uicis, inter quos Mantua & Florentia fuêre, expugnatis, ac pontifice ad Hispanos fuga elapso, ipse uictor in Germaniam redijt: ut Auentinus scribit: relicta ibi filio suo Conrado Italiæ administratione.

Verùm post patris discessum, Mechtildis Conradum muliebri calliditate circumuenit, utque contra parentem pro defensione sacro sanctæ ecclesiæ Romanæ, iusto, ut ipsa asserebat, zelo arma caperet, persuasit. Huic tandem post regium diadema ab Vrbano acceptum Ruggeri Nordmannorum regis, Heinrico patri infensissimi, filiã matrimonio iungit. Hac muliebri astutia corruptus, à patris fide defecit filius. idq; pluribus Germanię principibus & episcopis, Hẽrico parum fauentibus, magnæ fuit uoluptati: missisq; clam legatis, improbum eius factum magnis extulerunt encomijs, atque animum ipsi contra omnem honestatem & pietatem auxêre. O pietatẽ episcoporum insignem.

Pater de filij perfidia certior factus, eundem per legatos sui officij diligenter commonefacit: ac ne quid in parentem, à quo uitam accepisset, à pietate alienũ, suaq; dignitate indignum, temeritate iuuenili & malorum impulsu committeret; paternè & amanter monet, præsertim cũ iam eũ regni sociũ sibi sponte sua adsciuisset. Sed surdo fabulam narrat pater. Conradus enim præceptores in re mala (ut ille inquit) nactus improbos, Romana sede & urbe Clementem, qui patris sui autoritate eo fungebatur munere, deturbat, Vrbanumq; restituit, (quod quidem Frisingẽsis lib. 7, cap. 7. à sacri belli militibus factum asserit) is uerò mox totum Christianum orbem, à fide Imperatoris, nisi æternum incurrere uelint exitium, abstrahere impudenter conatur. Pater tandẽ, postquã nihil nõ, quo afflictis Imperij rebus opẽ ferri posse putabat, sed frustrà, tentasset: in dicto Moguntiæ cõuentu, anno 1099, de procerũ consilio (quãuis non pauci odio Heinrici contradicerent) Conradum paternis prius bonis exhæredatum, Imperij hostem renunciauit: eiq; Henricum alterum filium, eius nominis Quintum, surrogauit: qui mox parenti fidelẽ se futurum, sancto interposito iuramento promisit. Cognita iusta patris ira, & pœna irrogata, Conradus bellico neruo regium nomen tutari uoluit: sed inopina morte, iusto Dei iudicio, abripitur: ut in uita Henrici quarti extat, anno 1101, iuxta Sigebertum.

¶ Francia etiã hac tempestate uastata est. Guilhelmum enim Conquæstorem in Normannia decumbentem, Philippus rex, ob uentris obœsitatẽ, hoc scommate petierat: Rex Angliæ (dixerat) nunc Rotomagi longum agit puerperium. Quo cognito, hic respondit: Cum partu leuatus in templũ me contulero, in Francia mille lucebunt faces. Itaq; uiribus receptis, igni & ferro agros fœdè perdidit. Verùm intestinis saltu equi ruptis, mors Normanni bello finem imposuit. Polydor. lib. 9. Malmes. lib. 3, cap. 55.

Normannia quoq; Gallica suos habuit motus. Guilhelmo enim Roberti peregrinatoris filio notho, nondum decimum ingresso annum, obedire renuebãt Normanni: qa Rhollonis legitima soboles, & Guilhemus Roberti frater in armis exercitatissimus, supereresset. Itaq; cõtinẽter seditiones domesticas excitarũt: sed fide & opera Hẽrici regis Francorum & tutorum, ducatus Guilhelmo tandẽ relictus est. Paulus Aemilius lib. 3. de rebus gestis Francorum.

Desciuit etiam Normãnia à Guilhelmo Conquæstore, cũ Scotis dimicãte: quę quidẽ defectio ipsa cæde autorũ sedata est. Polyd. libro 9.

Robertus Cõquæstoris filius, dolens fratri Guilhelmo Rufo natu minori Angliã datã, regiũ nomen, cõspiratione cũ episcopis & comitibus aliquot Angliæ inita affectauit: qua spe sublata, elapsis inducijs, Philippum Galliarũ regẽ sibi adiũxit. Verùm cũ is pecunia corruptus, ex instructa acie ipso relicto decederet, paucitate militũ inductus, pacẽ à fratre coactus est petere. Idem lib. 10.

In Hispania, inter Ferdinandi liberos intestinum exortum est bellũ. Sanctius enim eius nominis secundus, fratri Alphonso Legionẽ eripuit: Garsiæq; alteri fratri Galatiã, Portugalliãq; adẽpturus, in prælio captus est. Sed à Roderico Cido, qui ex fuga milites collegit, & Galaicos uictoria elatos ex improuiso inuasit, liberatus est. In hoc conflictu Garsias occubuit. Nec multo pòst Sãctius à Vellido quodã, per insidias cõfossus est. qua clade moti Hispani, Alphonsum reuocarunt. At rex Toletanus, ad quem supplex cõfugerat, à fratre in exiliũ actus, eum nõ prius dimisit, quàm iureiurãdo cõfirmaret, se perpetuũ regis Toletani amicũ fore. Hoc autẽ rege cũ filio rebus humanis exempto, Alphõsus Toletũ lõga obsidione expugnat. Ricius lib. 3 de regib. Hisp. Religionẽ porrò Christianam in ea, Sarracenis fugatis anno 1088, tradi cœptã, autor est Sigeb.

Idem

Idem Alphonſus filiam Theraſiam, ex pellice natam, Heinrico Lotharingię comiti, cum Portugallia, uxorem dedit: unde reges Portugallię originem trahunt. Michael Ritius lib. 3, de Regib. Hiſpan.

¶ Nec Vngaria tumultibus caruit. Bela enim ſpe regni, fratrem Andream regem, facto incolarum concurſu, quos promiſſione auitam religionem reſtituendi ſibi deuinxerat, acriter oppugnauit. Hic contrà, Henrici quarti, qui tunc annum ætatis agebat decimumtertium (ut Auētinus ſcribit) opem implorat. Miſit itaq; Imperator Vuilhelmum marchionem Thuringiæ, & Eppo nem epiſcopum Cicenſem: qui non expectatis copijs Boemicis, primùm magnā hoſtium edidêre ſtragem. Deinde numero ſuperati, excedere regno conſtituunt. Verùm omnibus uijs occluſis, concurrentibusque hoſtibus, exhauſti uiribus uincuntur. Rex Andreas de equo turbatus, pedibusq; militum conculcatus eſt. epiſcopus captus, & marchio per deditionē in manus Belæ uenit: qui tantopere eius uirtutem admiratus eſt, ut ei filiam Ioiaden matrimonio iungeret. Sequenti anno, qui fuit à nato Chriſto 1063, Bela obijt: cuius filius Ioas & Hungari, miſſa legatione, ſeſe Salomoni ſubiecerunt. Itaq; Imperator inſtinctu Otthonis Bauarię ducis, eum cum ſponſa, ſorore ſua, in regnum reduxit, totamq; pacauit Vngariam: teſte Schafnaburgenſi.

Salomon dehinc tertia regni parte fratribus Ladislao & Geiſæ data, latrocinia reprimit. Nam Hūnos ex Valachia in Vngariam irruentes, in mōte Cherhelem ad internecionem occidit. Deinde de Bulgaris & Beſsis, qui inferiorem Pannoniam deuaſtarunt, uiciſsim prædæ actæ ſunt: & cum Albenſium tacito fauore ac permiſſu Vngaris damna illata uiderentur, Alba obſeſſa, oppugnata & direpta eſt.

Poſtea Salomon rex, cum patruelibus ſimultatem exercuit, eo quòd in deditione arcis Albenſis plures milites ſe ad Geyſæ quàm ipſius pedes proiciſſent: atque ille breui ſupplicibus dimiſsis, cum Conſtantinopolitano Imperatore fœdus iniſſe diceretur. Itaq; aſsidua Vidi, autoritate prępollentis, ſollicitatione Geyſam regno expulit: qui copijs Otthonis Bohemi, & Ladiſlai fratris, profligato Salomone, in regnum reducitur, rexque ſalutatus imperat triennium. Ladislaus fratri ſuccedens, Salomonem prætextu colloquij captum, conijcit in carcerem: qui inde iuſſu uatidicæ uirginis dimiſſus, Hunnos ad deuaſtationem Vngarię accerſiuit. Verùm & hi reiecti ſunt, & ipſe regiū nomeń minimè recepit. Bonfinius lib. 4, Decad. 2.

Colomannus Geyſæ filius, circa annum Domini 1095, cedente Almo fratre, quem Ladislaus ſucceſſorem nominarat, regnare cœpit: qui ut tyrocinium aliquod potentiæ ſuę ederet, milites ſacros tranſitu regni prohibere conatus eſt. At non paucis ſuorum deſideratis, & locis aliquot depopulatione fœdatis, uel inuitus per fines tranſeundi ipſis poteſtatem fecit. Idem lib. 5. Decad. 2.

¶ Germania porrò, bellorum expers hoc ſeculo minimè fuit. Nam circiter annum 1067, Carinthij, Auſtriaci, Norici, Vindelici, ciuili bello inter ſeſe ſæuiunt: cæde, incendijs, luctuq; omnia complent. Otto Bauarorum regulus, ab utriſq; dona accipit, malaque alit, ſperans ſe hoſce omnes attritos, ſub iugum ſuum facile miſſurum. Ducatū Carentinorum, Bertholdo ſine legitimo iudicio ereptū, Heinricus tradidit Marquardo cuidam cognato ſuo, anno 1073. Is uerò etſi ſuum ſtudium Cæſari, Hartisburgi à Saxonibus obſeſſo, declarare uideretur: tamen cùm ablata iuxta promiſsiones non reciperet, ab eo ad Saxones defecit. Schafnaburgenſis.

Ludolphus Pius, & Conradus Morauiæ Dominus, de finibus circiter annum Domini 1070 inter ſe contendere cœperunt: inde ad latrocinia & apertum bellum progreſsi ſunt: in quo dum ille ab epiſcopo Ratisbonenſi, hic uerò à fratre Batislao adiuuaretur, collatis ſignis Auſtrales fuêre inferiores. Bonfin. Dec. 2 lib. 3.

Et Bauaria aliquot habuit dominorum mutationes. Heinrico enim Bauariæ duce anno 1047 mortuo, Imperator Heinricus III anno 1049 Conradum ſurrogat. qui quorundam principum iudicio, anno 1053 Mersburgi ducatu indignus iudicatus eſt: cumq; Triburię ſe non excuſaret, ſed in Vngariam ad hoſtes profugeret, Imperator Boiariam filio ipſius Conrado tradidit, tēſte Contracto. Eo poſt triennium mortuo, ducatum eius Imperator uxori ſuo iure, quo ad liberet, poſsidēdum dedit. à qua quidem Ottho, induſtria & fide probatus, eum accepit, anno 1061. Huic uerò, quòd uitæ regis inſidiatus diceretur, ereptus ducatus, Guelpho filio Azonis, marchionis Italorum, Otthonis genero, precibus Rudolphi Sueui committitur, anno 1071. Schafnaburg. Cum autem & is ab Imperatore in bellis inteſtinis deficeret, ducatu exuitur: donec anno 1095 ſupplex factus, Cæſar eum illi redderet, & poſtea hæreditarium donaret.

Fridericus gener Imperatoris, & Conradus comes de Rod, Guuelphum, qui corruptis cuſtodibus carcere effugerat, direptæque Auguſtæ nouum epiſcopum impoſuerat, &

rat, & ipsi Cæsari in Italia commoranti apertè rebellabat, ad Danubium superarũt, circa annum 1083. Auentinus.

Anno 1087, Imperator Sueuiam peruagatus, castella diruit, omniaque fœdè depopulatus est: quò suis fortitudinem probaret, hostibus terrorem incuteret: ut Sigebertus annotat.

Inter primos autem fuere Saxones, qui Henrico impuberi cruentum indixere bellum. Ipsi enim latrocinijs, & prædis multis iam seculis assueti, ab Imperatoribus armis perdomiti, Christo nomina etiam inuiti dare coacti fuerant. At posteaquam Cęsarem impuberem summo orbis Christiani imperio pręesse uiderent, ad ingeniũ reuendi facultatem sibi datam commodissimam existimabant: cum regem rerum gerendarum minimè aptum, in ipso pubertatis flore, facilimè opprimi posse sibijpsis persuaderent. His ex insperatò Ottho, Guilhelmi marchionis frater, matre natus Slauica, ingenio acer & industrius, ac magnum (ut Lambertus ait) turbandis rebus adiumentum, superuenit. Is enim tum fortè cognita Imperatoris & Guilhelmi fratris sui morte, ex Bohemia, ubi à primis exularat annis, ad Saxones redijt. Illi igitur suis eum institutis aptissimum rati, obuijs excipiunt ulnis, & fidem operamque suam in opprimendo rege puero pollicentur. Hoc duce & suis uiribus freti, primùm maiorum æmulati mores, nemini parêre, imperata detrectare, quosuis in seruitutem redigere, latrocinia exercere, & prædas passim agere cœperunt. Ad hosce motus coercendos, Imperator quãta potest celeritate in Saxoniam contendit: cunctosque Saxonię principes, Mersburgi in Petri & Pauli festiuitate, anno 1057, cõparêre regia auctoritate iussit. Sed cum illi die prędicto, non legibus, sed armis suam causam acturi, aduentare nunciarentur: in eorum fortè cohortem Bruno & Ecbertus fratres germani, patrueles Imperatoris, militiæque præfecti incidêre. quos statim Ottho Saxonum dux adoritur: ac ui maxima ancipiti quidem prælio diu utrinque pugnatur. Primo quidem impetu ipsi duces Bruno & Ottho concurrentes, inuicem equis deturbantur, ac uterq; perijt. Ecbertus, licet grauiter uulneratus, dolore tamen occisi fratris æstuans, in medium irrũpit agmen: ac Bernhardi, alterius huius turbæ autoris filium transfodit: reliquam multitudinem duce destitutam, in fugam coniecit. Sic respublica maximo metu liberata est: & Saxones rebellionis face sublata, nihil contra Imperatorem moliti sunt. Mansere tamen huius incendij scintillæ, tum in Imperatoris, tum in ipsis quoque Saxonum cordibus: quę postea iterũ exufflatę, maius dedere malum, ut suo loco dicetur. Lãbertus Schafnaburgẽsis, Auent. lib. 5 Annaliũ.

Goslariæ, quæ celebris in finibus Saxonię urbs est, Hildesheimensis episcopus, & abbas Fuldensis, in celebri principum consessu, in ipso templo, de loco disceptãt. episcopus post altare Ecbertum comitem cũ armatis uiris occuluerat: inde ex improuiso prosilientes, in Fuldenses magno impetu irruunt. Fuldenses contrà, licet præter eorum spem armis disceptandum esset, fortiter resistunt: magnaque intra templi parietes, ipso præsente Imperatore, ac frustra factiones cohibente, strages edita est. Hildesheimenses uerò, quia re deliberata ad pugnã accesserant, facile superiores fuere, ac Fuldenses è templo exturbarunt. Eiecti illi, in templi area aciem denuò instruunt, egredientes è templo oppressuri: sed nox ipsi conflictui finem imposuit. Altero die facta de autoribus tumultus inquisitione, omnium applausu in abbatem faba (quod dicitur) cusa est: qui quidem tantum auri pondus totius conuentus decreto numerare iussus est, ut uix omnia monasterij sui bona sufficerent. Reuersus ad suos monachos Abbas, haud dissimilis eum excepit casus: ægrè enim eorũ manus euasit, anno 1063, ut Lampertus annotat.

Circa salutis annum 1069, Imperator ipsa hyeme, fluminibus passim glacie congelatis, Luticios petit, eorũq; urbes expugnat, uicos exurit: uictorq; magna onustus præda, ad suos reuertitur. Sigebertus.

Interea Saxonum nobilitas à latrocinijs cessare, legibus obtemperare, & pietatem in Deum colere denuò iussa, coniurationẽ rursus in ipsum Imperatorem fecit: cuius quidem Ottho Boiorũ dux, genere Saxo, princeps fuisse perhibetur. Is enim initio uitæ Cæsaris, cũ à Luticijs uictor, dimisso exercitu, paucis satellitib. stipatus rediret, insidias struxit: sed cœlesti beneficio liberatus est, ut Auentinus scribit lib. 5.

Non multo pòst, Imperatore Vuormaciam ad principum conuentus agendos proficiscente, plures Francorum Saxonumque proceres conspirant, ac in belli societatem Thuringos, quos libertate sua exutos Imperator inseruitutẽ Moguntini episcopi redigere conabatur, adsciscunt. Coniurationis rursus Saxonum Ottho dux Boiorum, Theodo (quem Schafnaburgẽsis Deti uocat, Vrspergensis Teti nominat) & Albertus, primarij autores erãt. Theodo Schidingen oppidũ Bambergensis diœceseos, Albertus Neoburgũ, ambo Cæsarea prædia, occupant. Imperator statim in Thuringos

arma mouet. Hunc Mogũtinus, Thuringis decimas ipsi soluere detrectantibus, iniquior, auxiliaribus copijs mox insequitur. Verùm Imperator Thuringis, suam ei fidé probantibus, placatus: ipsis relictis, Theodonis oppida inuadit. Episcopi uerò milites, in suos agros acrius sæuientes, Thuringi capiunt, & in crucem agunt. Harum rerum spectator quidem fuit Otto, sed suos à prælio continuit. Theodo & Albertus à reliquis deserti, impares se regi esse uidentes, supplices uitam solummodo petunt: qui quidem in gratiã recepti, coniurationis cõscios produnt. Verùm de ipsis puniendis, Imperator aliam occasionem sibi expectandam statuit. Lampertus quidem Schafnaburgensis, Otthonem à coniuratione omnino uindicare nititur: uerùm diuersum alij tradunt autores. Ottho porrò Moguntiã ab Imperatore accitus, coniurationẽ negat. Sed ad Calẽdas Augusti Goslariæ denuò cõparẽte, ibiq; suã innocentiã cũ Heginone, qui reum ipsum esse Imperatori indicarat, monomachia testatam facere iussus est. Eò cũ aduenisset, certamen, nisi publica interposita fide, subire noluit. Cęteri præterea Saxonum duces Otthoni clam studentes, indignũ esse asserebant, tantũ uirũ cum Heginone, homine leuissimo & perditissimo, de uita pugnare. Proscribitur tandem Ottho: cunctisq; in bona ipsius sæuiendi liberrima datur potestas. Sequitur autẽ à Cęsareanis prõptissimè in eius facultates. Ottho uerò contrà, collecta perditissimorum hominũ manu, Thuringorum & Saxonũ fines inuadit, Cæsarisq; prædia exurit ac diripit. Tandẽ intercedente Alberto Bremẽsi episcopo, Imperatori reconciliatur, & uita ac patrimonio solum donatur: Boiariæ uerò ducatũ Vuelpho, cui Otthonis soror nupta erat, accepit. Auẽtinus lib. 3 Annaliũ. Anno 1069, Lampertus & Vrspergensis.

Nec multo pòst, Ottho arma apud Saxones resumpsit, & in quosuis pro suo libitu sæuijt. Huic pleriq; Saxonum domini, tanquã armis libertatem auitam uindicaturi, suas uires coniũgunt: & ad Hercinoburgũ, aliàs Hartzburg, seu Hartisburgũ, ubi tũ Imperator cõmorabatur, castra ponunt. Hẽricus statim sex arcibus, firmis munitis præsidijs, in Franciam, ut copias cogat, abit. Hẽnobergam Egbertus, præfectus prætorio Saxoniæ, auro in deditionem accipit. Magna autem clade fusi ad Hercinoburgum Saxones, ab obsessis pacem petunt: sicq; ab armis utrinq; discessum est.

Aliquanto pòst, circa annum nimirum salutis 1073, dum Imperator de Roxolano Russorum rege restituendo, bellico occupatur apparatu, Saxones duce Otthone ad ingenium rediêre, & bellum restaurare conati sunt. Occasiones enim commodissimè sibi nunc oblatas, minimè negligendas statuerunt. Eadem enim tẽpestate plurimi principes, Henrici imperium detrectãtes, defecerunt. Nam superioribus annis rege adhuc puero, quisq; pro sua libidine uixerat: ipsiq; tutores regij, sub prætextu Imperatorij nominis, iuxta suum arbitriũ imperium administrauerant. Horum igitur iugo Imperator, uirili iam ætate confirmatus, nõnihil colla subtrahere cœpit, multaque prius à tutoribus cõstituta retrectauit: & in contumaces sæpius sine personarum uel dignitatum respectu, pro maiestate sua animaduertit: id quod illi indignius ferentes, defectionem meditati sunt. Anno Colonienſis episcopus sui malefacti conscius (clã enim Imperatrici Henricũ filium olim surripuerat) ab aula se dimitti petit. Rudolphus etiã Sueuię dux, quòd cõtra Imperatorẽ & Imperiũ noua molitus mala fuerat, prius per matrẽ ipsi recõciliatus, nõ obscuris indicijs odiũ clandestinũ prodebat. Bartoldus secũdus Carnotensium dux, suo ab Imperatore exutus regno, Otthonis partibus se adiũgebat, quibus Vuelpho superioris Boiariæ dominus accedit. Hi cõiunctis simul uiribus clã in Imperatorẽ coniurarũt.

Thuringi etiã Imperatori, decimas omniũ bonorũ Moguntino soluendas, ui & armis exigẽti, ut diximus, minus fauebant.

In primis uerò Saxones ægerrimè ferebãt, in suo territorio plures ab Imperatore arces extrui: ijsq; præsidia, quibus à rapinis cohercebãtur, imponi: nec à latrocinijs, Saxonũq; matronarũ stupris, Cæsareanos milites abstinuisse, Schafnaburg. indicat.

Saxones & Thuringi, cum plurium Germanorum principum animos ab Imperatore alienos esse cognouissent, omnes belli neruos in ipsum uerterunt. Huius autem consilij autores erant Bucco Halberstadianus episcopus, Ottho Bauariæ ducatu exutus, & Hermannus Otthonis Saxonũ ducis frater. His se adiungebant Vuizelo Magdeburgensis archiepiscopus, Hezelo Hildesheimensis, Vuernerus Mersburgensis, Eilbertus Mindensis, Iunno Padebornẽsis, Fridericus Monasterienſis, Benno Misenenſis episcopi: Ottho & Theodo Saxonici, & Egbertus Turingiaci limitis comites, Fridericus palatinus, alijque uicini comites quamplurimi. Ex Saxoniæ uerò incolis, ultra sexagies mille uiri, pro libertate patriæ uitam profundere parati, suam operam & fidẽ pro ea recuperanda sanctè pollicebantur. Liemarus autem Bremensis, Eppo Cicensis, Benno Osnaburgensis, suã his operam elocare detrectantes, Saxonicis ori-

cis oris eijciuntur: quos Heinricus excep-
tos benignè fouit. Cum Danorum quo q;
rege fœdus clàm inierat Imperator, ut is al
tera parte Saxones bello impeteret. Præte-
rea cunctos imperio subiectos principes, ut
arma capiant, monuit. Se enim (hoc utebatur prætextu) in Polonum, qui contra datam fidem Bohemum bello solicitasset, animaduersurum.

Sub finem mensis Iulij, anno millesimo septuagesimotertio, cum utrinque in armis essent, Saxones per legatos ab Imperator hosce articulos petunt: Concedi sibi exercitũ contra Polonos collectum, ad subiugandos Lusatios: Arces in Saxonia ab ipso in montium iugis extructas, solo æquari: Proscriptos & suis facultatibus exutos Saxonum principes, in integrum restitui: Regiam aulam ex Saxonum oris ad alium locum transferri: Imperij administrationẽ remotis uilioris conditionis hominibus, principibus Imperij, quibus iure deberetur, reddi: Pellices repudiari, & ut in coniugem legitimam potius uertat amorem Imperator. Denique, ut uitæ emendatione, quam iuuenili ætate ipse egisset tanto Imperatore indignam, Imperio ornamẽto esse uelit. His conditionibus si annueret, obsequentes se quoque ipsi futuros esse pollicebantur. Præterea belli necessitatẽ sibi præcidi, obnixè simul petebant Saxones. Si uerò armis eos cogere statuisset, nec sibi arma & rei militaris deesse scientiam. Vehementer hac legatione commotus Imperator, leuiter & contemptim legatis respondit, nihilq; certi reportantes dimisit.

Hac re cognita, Saxones istum sui contemptum armis uindicandum statuerunt. Castra itaque ad Goslariam ponunt: ac primo statim impetu Imperatorem oppressissent, nisi Bucco Halberstadianus furentes cohibuisset. Rerum tristi facie consternatus Imperator, arreptis (uti uocant) regalibus, & thesauro regio, Hercinoburgũ (seu, ut alij nominant, Hartesburgum, quæ arx munitissima est in iugis Harciniæ syluæ, Goslariæ proximis) fugit, ibiq; se occultauit.

Aderant tum regi Eppo Cicensis, & Benno Osnaburgensis episcopi, & Bertoldus, cui Carentinorum ducatum paulo antè ademptum diximus. Hos ad Saxones placandos missos ipsi quidem pacidi eos audiunt: sed lõga uicissim oratione de iniurijs, quæ belli necessitatem ipsis imposuissent, corã ijsdem conquesti sunt: oblatam tamẽ pacem non respuerunt, si modò hasce conditiones amplecteretur Imperator, ut arces solo æquaret, priusq; adempta ipsis bona restitueret: & denique ut interposita Imperatoris fide, ipsis auita libertate frui liceret. His conditionibus nõ approbatis diserte significãt, ab armis discedere se non posse, nec uelle. Interim autem omne Imperatori, quo minus aufugere posset, intercluse re iter Saxones. Frustra tentata reconciliatione, Imperator de fuga arripienda cogitat. Nocte igitur quadam clàm arce excedit, & quarto die densa Herciniæ sylua uix emersus, peruenit Hirsfeldiam: ubi, cũ ad domandam hanc gentem fortitudine & uirtute præstantem, maioribus copijs opus esse, cuncti qui ipsi aderant principes censerent, ad Calendas Octobris omnes cum copijs suis Capellam, quod Hirsfeldẽsibus uicinum est oppidum, iterum conuenire iussit: interea uerò Thuringi Saxonum castris succedunt.

Elapso præter omnium opinionem Imperatore, suis rebus minimè consultum fore rati Saxones, ad exteras usq; prouincias eum bello persequi, arces eius in suo territorio oppugnare cœperunt: quarum nomina sunt, (ut Schafnaburgensis annotat) Hartesburg, Vuiganstein, Mosburg, Sassenstein, Spatenberg, Heimenberg, Asenberg, Vockenrodt. Luneburgum autem Hermanus, patruus Magni, quem eiectum Luneburgo Imperator captiuum tenebat, fame expugnat. Liberatur igitur hac clade Magnus.

Porrò tum Imperator, tum Saxones, Luticios ad belli societatem magnis oblatis muneribus alliciebant. Verùm cum ex ijs aliqui Saxonum, aliqui Imperatoris partibus subueniendum consulerent, domesticum inter ipsos exortum est bellũ, quo multa milia interiêre: sicq; ipsi externis bellis necessario supersedere cogebantur.

Quin & Dani milites suo regi contra Saxones, quos murum suis hostibus opponendum esse asserebant, parêre prohibent.

Imperator omnium ope destitutus, mense Octobri Moguntinum, Colonienſem & Mediomatricum episcopos, & cum his Gozelonem Lotharingorũ, Rudolphum Sueuorum, & Bertholdũ Carentinorũ duces, ad Saxones pro pace ineunda mittit. Verùm illi mala fide commissum tractant negotium. Non solum enim pedibus in Saxonum eunt sententiam: sed clàm etiam de nouo eligendo rege, repudiato Heinrico, consilia tractant. Imò ipsi Rudolpho ibidem eas detulerunt partes. Verùm ipse acriter reluctatus est, remq; ad principum conuentum differendam consuluit. Legati ad Imperatorem reuersi, eum optima sperare iubebant: Saxones enim iam mitiores factos, nullam non pacis conditio-

nem amplexuros. Gratum erat Imperatori responsum, ac uicissim se erga illos suam se declaraturum beneuolentiã promittebat. Interea temporis Reginerius quidam, Imperatori prę multis alijs admodum familiaris, & apud omnes aulicos probatæ uir fidei, sanctè corã Rudolpho & Bertholdo affirmat, se à rege in mandatis accepisse, ut utrumq; clam è medio tolleret: cui cum parêre renuisset, uix se lictorum aufugisse manus. Huic rei fidem faciebat, quòd pluribus alijs idem factum fuisse, multorum ore ferebatur.

Imperator animaduertens, cunctorũ ferè principum animos per calumnias à se auersos, suosque grauiter à Saxonibus in ipsorum territorio continuis premi iniurijs, extremam belli fortunam, quæcunque accidat, experiri statuit. Circa finem itaque Ianuarij mensis, anni 1074, Vuormacia, ubi aliquandiu delituerat, discedens, Hirsfeldiam contendit: & principes, ut ibidem cum copijs ad oppugnandos Saxones compareant, non tam autoritate regia, quàm lachrymis permouet. Licet autem pleriq; ipsorum eò uenissent, tamen pręlio rẽ committere renuerunt: ac Imperatori, ut æquas Saxonum reciperet conditiones, autores fuêre. Otthoni nimirum ducatum Bauariæ reddat: omnibus qui in hac dissensione ab eo defecerunt, condonet: nec ullas à quoquam huius offensæ pœnas exigat: libertatem & leges cuiq; genti saluas permittat: interdum Saxonia excedat in alias regni partes: iusticiam ecclesijs, monasterijs, uiduis, orphanis, & omnibus calumnia oppressis administret: regiamq; maiestatem dignis moribus & operib. exornet. Quod si de his pactis quicquam recedat, communi principum suffragio armisq; regno priuetur. Saxones autem & Thuringi arma statim deponant, paceque susceptа, Imperatori promissis stanti, deinceps sint obedientes. At milites, qui in præsidio Hartesburg rem pręclarè gesserant, diuersum suadent: regemque ad repudiandum pacis conditiones instigant. Sed tergiuersantem adorti Saxones, ui postulatis eum assentiri cogunt. Destruuntur itaq; munitæ arces: uulgus autem Saxonicum, cui parum uidebatur partem muri Hartisburgici demoliri, post discessum Imperatoris ex Saxonia, præter suorum tamen ducum uoluntatem, reliquum diſijcit, ædem ibi sacram incendit: ac in Regis fratrem & filium (ut Vrspergensis narrat) etiã sepulchro erutos sæuijt. Huius facti excusationẽ cum ad Imperatorẽ Saxones perferrent, & exponerẽt, quòd de autoribus grauissimæ sumptę essent pœnæ, Imperator non accipit: sed pa-

pæ de iniuria conquestus, expeditionem contra Saxones totis uiribus parat. Hi mox Goslariæ renouato iuramento, reliquos principes de conditionibus, quibus pax sancita sit, deque priori fœdere admonent: legatisque Luticiorum & Polonorum pacem auxiliumque offerentibus erecti, elapsis supplicationum, quæ ad omnes aras fiebant, diebus, in Thuringiam abeũt: ubi securius indulgentibus genio, superuenit Heinricus, quàm maximum ducens exercitum: ac hortante Rodolpho, haud procul ab Hohenburg cum ipsis prælium committit, quod à meridie ad horam nonam anceps fuit. tandem uerò multis cæsis, nec paucis in Vnstrot fluuio submersis, alijs uerò in fuga pereuntibus, Cæsareani fuerunt superiores: quibus tamen uictoriã haud læta fuit, eo quòd plurimi procerum desiderarentur. Cum aũt ad reliquias belli delendas Cæsar Saxoniam ingrederetur, facta deditione quorundam retrocedit, militemque dimittit. Metus nihilominus maximus reliquos occupauerat, militemq; cõtinebant. Tandem uerò circiter Calẽdas Nouembris, opera Gozelonis ducis Lotharingię, & episcoporum, Saxones & Thuringi se dedunt Cęsari: quorum proceres in diuersa loca deportantur, anno 1075, iuxta Schafnaburgensem.

Pontificia excommunicatione plurimorum animos ab Imperatore auersos fuisse, suprà indicauimus: quos quidẽ Heinricus missis hinc inde literis, quibus sibi iniuriam fieri querebatur, retrahere ad officium conabatur: sed irriti erant ipsius conatus. Pontificia enim factio prævaluerat, præsertim apud Saxones. Soluto itaq; Vuormaciẽsi episcoporũ conuentu, in quo Heldebrandus omnium iudicio sede pontificia indignus fuerat iudicatus, Imperator Goslariã abijt. ibiq; ad reprimendos Saxonum furores, arces, quas paulo antè dirutas diximus, reparari, præsidijsq; muniri firmioribus curauit: ac reliquis Saxoniæ principib. nisi dicto audiẽtes futuri essent, pro sua autoritate pœnas atrocissimas cõminatur: id quod Saxonum turba iniquissimo ferebat animo.

Interim Rudolphus Sueuię, Vuelpho Boiorum, Bertholdus Carentinorum duces: Adelbertus Herbipolẽsis, Hermãnus Metẽsis, Adelbertus Vangionũ, episcopi: Vuilhelmus Hirsaugiensis abbas: Altmannus Bathauensis, Gebhardus Salzburgensis, pontifices, & cum his alij imperij proceres conspirationem faciunt contra Imperatorem: quem semper sui simílem, bonis iniquum, contrà uerò malis (episcopos à Romano pontifice, quòd in fide Henrici subsisteret, excommu-

excommunicatos intellige) æquũ & beneuolum esse, eaq; de causa Imperio exuendũ esse uociferabantur. Horum factio paucis diebus in immensum ferè creuit. Mediomatricum episcopus Saxonũ principes, quos tenebat captiuos (inter quos erat Hermannus, quem suprà Luneburgum expugnasse retulimus) præter regis consiliũ, propria autoritate, sineq; ullis cõditionibus, suis restituit. Idem alij principes, quorũ custodia alij captiui tenebantur Saxones, factitant. Hermannus ad suos reuersus, omnium applausu excipitur: concurritur iterum ad arma, arcesq; Imperatoriæ denuò expugnantur. Imperator an in perfidum Metensium episcopum, an uerò in Saxones potius animaduertendum esset dubius, principes ad Pentecostes solennitatem in Vangionum urbe conuenire iubet. Aduenit eò principum & episcoporum frequens numerus: uerùm coniurati illi, quorum paulò antè facta est mentio, non comparuêre. Re igitur infecta inde discessum est: ac denuò Moguntiam, ad diem Petro & Paulo apostolis sacrum, regia autoritate conuenire cuncti Imperio parentes principes iussi sunt: sed surdis, quod dicitur, fabulam narrauit Imperator. Interea & Halberstadensis episcopus, omnium calamitatum Saxonicarum fax & incentor, Vlrici cuiusdam nobilis uiri ope & consilio, custodum manibus eripitur. Imperator à suis desertus, Bohemorum subsidijs accersitis, Saxones tumultuantes iterum bello impetendos statuit. sed ipsorum multitudine, ad Mildã fluuium aduersa castra habentium, Imperator absterritus, arma deponit: ut Lampertus indicat.

Eadem tempestate Triburiæ, in principum conuentu, cui & Romani pontificis intererant legati, de Heinrici depositione, à confœderatis agitur. Heinricus contra cum suis coit, & aduersantes sibi principes nulla non beneuolentiæ significatione, sed frustra, reconciliare studet. Omne enim in hac causa iudicium Romano præsuli, qui odio perfecto Imperatorem oderat, commiserant. Sed dum Imperator Romam absolutionis petendæ gratia proficiscitur, confœderati 12 Martij die, anno millesimo septuagesimoseptimo, Forchemij, Rudolphum, præsentibus Romanæ sedis legatis, Bernardo Massilienſi abbate, Bernhardo Romanæ ecclesiæ diacono cardinale, & Christiano quodam monacho, Imperatorem uno ore salutant: cui põtifex per suos aureum miserat diadema, hoc uersiculo inscriptum:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rudolpho.

In Moguntina æde, dum sacra fierent unctio, ciues magnam in Cæsareanos, quos à fide Heinrici desciuisse clamabant, edidêre stragem: sed à Rudolphi cohorte compescebantur. Post peracta sacra, cum nouus rex palatium ingressus esset, ciues restaurãt bellum. Rex cum Sifrido Moguntino præsule, furentiũ manibus ægrè noctu elapsus est. At Rudolphi partibus studentes sub libertatis recuperandæ, & uindictæ de illatis iniurijs sumendæ nomine, & iusticiæ zelo (ut putabatur) in religionis uiolatorem & uastatorem, in nullius non conditionis homines Heinrico fidos, oppida quoq;, arces, agrosque, igni & ferro desæuiunt.

Ex Italia ad Germanos, Marquardi & Lũdolphi Carentinorum ducum copijs munitus, pedem referens Heinricus, Ratisbonam contendit: ibiq; collecto milite, arma in Rudolphum mouet: eumq; in quodam Sueuiæ castello cingit, sed fuga elabitur. Heinricus igitur, domitis prius, multis fœliciter commissis prælijs, Sueuiæ primatijs uiris, & Rhenanis, qui Rudolphi erant partium, fugientem Rudolphum insequitur. Ad Herbipolim autem, Imperatoris partes fouentem, castra posuerat Rudolphus. Obsessis itaq; opem laturus Heinricus, proditione quorundam nobilium in suo exercitu, in fugam coniectus est: eaque ratione urbe potitur Rudolphus. Heinricus autem collectis iterum suis copijs, Rudolphi militibus terrore quodam perculsis, sine ullo labore urbem uicissim extorquet: postea in Rudolphum, apud Saxones copias cogentem, omnem uim exercitus conuertit: & iuxta Stromij (ut Vrspergensis nominat) * in eundem incidit. Maximis ibi uiribus, iratisq; animis primò concursum est, 7 Idus Augusti, anno 1078. sed cum diu ancipiti pugna disceptatum esset, Rudolphus tandem fugam cum suis arripuit. Eius igitur partium plerique occisi sunt. Bernhardus Magdeburgensis episcopus, in fuga transfossus est: Sigfridus Moguntinus, & Vuernerus Mersburgensis, episcopi, iam iam in crucem (uti meriti erant) à militibus agendi, Heinrici pietate liberantur. In eadem pugna Magnus Saxoniæ dux, eiusque patruus Hermannus occubuêre: ut Auentinus libro quinto Annalium Boiorum, & Murense Chronicon testantur.

Anno sequenti, ijdem ad Fladenhaim cõfligunt: ubi Heinricus, Vladislao Bohemiæ duce suppetias ferente, altera potitus est uictoria. Saxonum tamen legio quædam, dum utrinq; conflictus erat acerrimus, Cæsareana castra spoliauerat: & pueros, quos ibi offenderat inermes, strangularat: ut Vrspergensis annotat.

In eadem pugna Bohemiæ dux, regiam Rudolphi haſtam nactus eſt: eaque à Cæſare, Bohemo ob res præclarè geſtas donata, in poſterum Bohemorum regibus inſigne Imperij ſolenne fuit: ut Auentinus annotat.

Sexto Idus Februarij, anno 1080, tertiò ad Eliſtram Miſniæ fluuium ijdem congrediuntur. ubi Rodulphi exercitus fuſus, ipſeque dextram amiſit: ut Marianus Scotus habet. quæ cum ei Mersburgum allata eſſet, dixiſſe fertur ad epiſcopos, & reliquos ſibi adſtãtes: En uobis dextera, qua interpoſita ſanctè firmaui, me Domino meo Heinrico nihil iniuriarum aut inſidiarum facturum eſſe. Sed iuſsio Apoſtolica, pontificumque petitio me induxit, ut iuramenti tranſgreſſor, honorem me indignum ſuſciperem: cuius facti exitus uobis in conſpectu eſt. uideant incentores, ne me forſan in æternæ damnationis præcipitium deduxerint. Helmoldus cap. 29, & Vrſpergenſis.

Pacata Germania, Imperator Romam cum exercitu petijt. ac cum ibi annos ferè tres moram traheret, Germaniæ principes & epiſcopi Hildebrandi, Rudolphi interempti cauſæ contra Heinricum addicti, Hermannum Lucelburgicum quendam principem, regem creant Islebij, uel (ut alij uolunt) Goslariæ: ubi tum magnus allij prouentus erat, eoq; Allij rex cognominatus eſt, anno milleſimo octuageſimoſecundo. Mirè ſibi placens nouus rex, anno inſequenti Orientalem Franciam armis infeſtauit, & Heinrici fautores ui oppugnauit. Nouæ itaque turbæ Imperatorem Roma redeuntem excipiunt: qui mox indicto Moguntiæ epiſcoporum conuentu, anno milleſimo octuageſimoſexto, menſe Maio, Vrbanum, cui de Romana ſede ſpem fecerat Hermannus, damnat: ipſumque Hermannum proſcribit, & ad Saxones uſque armis inſequitur. Ipſo autem longius fugiente, Imperator pedem ad Frãcos retulit.

Pontificia factio ſtatim conſulit & inſtigat, ut Saxones Imperatoris ditiones, quas hereditario tenebatiure, igni & ferro uaſtarent: quos quidem ad eam rem paratiſsimos inuenit. Obſidetur autẽ primùm Herbipolis: ſed cum oppugnatoribus eius infœlici prælio congreſſus Heinricus, denuò proditione magis quàm aperto Marte uincitur, urbeq; iterũ Saxones potiuntur: quã tamen Heinricus, reparatis paulo pòſt uiribus recuperat. Tandem Saxonum quoque gratia excidit Hermannus: & lapidis ictu in oppugnatione quadam interijt, anno 1090: ut Sigebertus indicat.

Eadem ferè tempeſtate Ecbertus marchio, Saxonum inſtigator, à Cæſareanis in molendino (Eiſenburte uocat Crantzius, libro quarto, capite quadrageſimoquarto Saxoniæ) opprimitur. Sublatis hiſce inteſtinorum motuum in Saxonia facibus, pax alma reſtituta eſt, anno milleſimo nonageſimoſecundo: ut Sigebertus annotat.

¶ Hinc ad Slauicos motus progrediamur. Sclaui enim, qui autore Bluſſone, Godeſcalcũ religionis odio interemerãt, uxoremque eius ex urbe Megapolitana in Daniam cum ignominia propulerant: ueriti ne filijs eius darent pœnas, Cruconem Grini filium, appellant ſuum regulum. Buthue armis primò Ordulphi, & deinde Magni Saxonum ducis, non modò non reſtituebatur in integrum, uerùm etiam tota Nordalbingia exuebatur. Hac iniuria irritatus, copijs Saxonicis à Magno acceptis, ſtatuit aleam fortunę experiri. Sed Plune, quã quidẽ urbem 600 militibus ſtipatus intrarat, obſidetur: & perfidè à quodã exploratore proditus, dedit ſe Cruconi: à quo, muliere ſupplices de ſtupro accuſante, interfectus eſt, cum Bardorũ fortiſsimis. Crucone rò Holſatis, Sturmarijs, & Thetmarchis exinde imperauit: cuius ſęuitiã fugiẽtes ſexcẽtę familię in mõtes Cheruſcorũ (in ſyluã Harciniã, inquit Crãzius lib. 5. Metrop. ca. 3.) migrarunt. Helmoldus cap. 24, 25, 26.

Boruſsi occaſione belli Bohemici ex Pomerania prædam quàm maximam abduxerunt: quorum arcem Groderum natura & arte munitiſsimam, cum Boleslaus expugnare non poſſet, ad inſidias hoſtes protractos, prope Oſſam flumen eximprouiſo conciſos, in ſuam redegit poteſtatem. Cromerus lib. 4.

Balduinus ſenex, comes Flandriæ, filium ὁμώνυμον ditionis hæredem inſtituerat: Robertum uerò nauibus, ære & milite donatum, ad quærendam ſedem ablegarat. Hic autem re in Gallijs & Græcia infœliciter tentata, in Flandriam redijt, atque Friſiam Florentio comiti bellis defatigato eripit. quam quidem uicinitatem iniquius tolerans Balduinus, fratri infert belltm: in quo, dum ſuos fugientes in prælium reuocat, in hoſtium cuneos incautè delatus occiditur. quo cognito, Robertus Flandriam ſibi ſubiecit, anno milleſimo ſeptuageſimoſecundo, teſte Sigeberto: atque Philippum regem Francorum, qui amici ſui Balduini filium Arnulphum armis reſtituere conabatur, repellit, & patruelem interficit: teſte Sigeberto, anno 1072. De hac iniuria Richildis, uxor Balduini, cum liberis in exilium acta, conqueritur apud Heinricum Leodij agentem: qui hoc negocium

gocium episcopo Leodiensi, Godefrido,& alijs Lotharingiæ proceribus commisit.Verùm illi de Philippi & Roberti mutua gratia & inita societate certiores reddi ti, nihil egerunt. Atq; hoc pacto Robertus Flandrię principatu potitus est,teste Schafnaburgensi. Anno uerò 1077, Balduinus iunior patrui exercitum profligauit: teste Sigeberto.

¶ Anno 1071,in autumno,Imperator Polonicum & Bohemicum duces Misenã euocatos, duriusculè increpauit, quòd mutuis incursionibus suas ditiones damno afficerent:præcepitq; suis quenq; finibus se continere,& nullis iniurijs sese inuicem lacessere. nam uiolatorẽ pacis haud impunè id laturum esse.Schafnaburgensis.

Vratislaus Bohemus metuens, ne frater Iacomirus,fauore & studio Polonorum,ad quos sacerdotij pertæsus trãsfugerat, reduceretur, in Silesiam fecit impetum: regis uerò Boleslai aduentu cognito,retrò duxit exercitum. Polonum deinde in Morauia ferro, igne & deprędatione grassantem placat,sorore eius Suantana in uxorem ducta, atque fratri spe episcopatus facta. Cromerus libro 4.

Eundem Bohemorum ducem Heinricus Quartus Moguntiæ, in celebri principum cœtu,regem declarauit,anno 1086: ut Æneas Syluius de Bohemia,cap.22 ait.Quẽ quidem Pragæ mense Augusto, Cęsaris iussu, Angelbertus Treuerorum archiepiscopus,cũ coniuge inaugurauit: ut Auentinus scribit.idq; factum esse uidetur, ut sibi eum magis hoc insigni beneficio deuinciret, cuius operam in bello Saxonico erat expertus. Nam lanceam Rodulphi in quodam prælio adeptus erat, quam omnibus Bohemiæ regibus præferri instituit. Crantzius lib.5,cap.7.Saxoniæ.

Bolislaus,qui anno reparatę salutis 1058, sceptra regni Poloniæ accepit, dum prętextu restituendi Izaslaum, Kiouia à fratribus eiectum,in Rusia uario euentu bellum gerit circiter septennium, intestino exorto malo reuocatur domum. Fœminæ enim, seu sponte,seu inuitò,cum seruis consueuerant:quam quidem iniuriam cum ulturi nobiles domum zelo proficiscerentur, & in fontes exquisitis tormentis ęquirent,Bolislaus maritos tanquam desertores,& regiæ potestatis inuasores,partim supplicijs atrocibus affecit,partim exilio mulctauit:abiectisq; infantibus, uberibus mulierum, quibus uiri misericordia pepercerant, catulos admouit. Crantz. lib.3, cap.12 Vuandaliæ: Cromer.lib.4.

Kiouia à Boleslao Polono capitur anno 1075.ideo Ruteni Poloniam populabũdi inuadunt,sed ui repelluntur.

Boleslao succesit Vladislaus frater: qui uario successu,cum Pomeranis & Prutenis rebellibus bella gesit. Nunc enim uictor, nunc spectris nocturnis delusus ad Naclũ, castrisq; exutus,in Poloniam redijt: donec seu deditione, seu inducijs, res aliquandiu composita est. Nam depopulationũ mutuarum nullus fuit finis aut modus, & in primis de arce Santoco summis uiribus contẽ debatur: qua tandẽ Boleslaum adolescentem,celeri cursu in obsidentes irruentẽ,potitũ asserit Cromerus li.5 de reb.Polonorũ.

Secechus porrò in aula Vladislai tantæ fuit autoritatis & potentiæ, ut eius instinctu non modò nobiles bonis exuti proscriberentur:sed etiam Sbigneus filius regis ex concubina natus,in monasterium Saxonię detruderetur. Exules benignè à Prædislao Bohemo excepti, & uoluntarijs militibus instructi, duce Sbigneo in patriam remittuntur:qui ad Crusuiciam uicti, in potestatem regis peruenerunt.sed precibus Martini archiepiscopi Gnenensis, cùm alij, tum Sbigneus dimittuntur: & Secechus, qui Boleslao alteri Vladislai filio insidias tetendisse dicebatur, nõ ita multo pòst,inuito rege,in exilium pellitur,unde licet reuocatus sit,tamen ad priorem locum dignitatis non redijt: quæ quidem res ad concordiam inter patrem & filios plurimum profuit.Ibidem.

¶ Apud Anglos,Edouardo placido mortis genere extincto, Haraldus Goduini filius,ob corporis robur,peritiam armorum, & formæ uenustatem omnibus apprimè acceptus, succedit anno 1066. huic bellum intulit frater Tosto.ut enim ulciscereturin iuriam, quam sibi à fratre illatam putabat exilio (erat enim olim ab Eduardo in Gallias proscriptus, eo quòd Haraldo ferocius insultarat) militibus classe transportatis, Vectam insulam, Cantium, & Northumbriam incursione perdidit. At ab incolis reiectus, in Scotiam se proripuit: indeque profugus,Haraldum Noruegiæ regem,cuius nomen tum apud omnes permagnum erat,in societatem belli pellexit:atq; instructa classe,Angliam hostili more incurrit.ad quos repellendos Haraldus Anglicus, ad Deruentam flumen ducit exercitum. superatoque magnis laboribus ponte,hostes palantes cædit:Noruegiæ regem ac Tostonem interimit: & reliquis in fugã actis seu captis, uictoria ouans contendit Eboracũ. Polydor.lib.8. Sigebertus uerò sub annũ 1066, Harduicum regem Nordanimbrorũ spe regni in Anglia, cum mille nauibus traiecisse, & capto Eboraco cum suis ab Haraldo necatum,tradit.

Interea Vuilhelmus Normannorum dux, quòd iuxta pactum cum Edouardo de ſucceſsione ἀπαιδίας initum, ipſi regnum traditum non eſſet, traductis claſſe militibus Angliam infeſtat. Huic aciem oppoſuit Haraldus. qui in inſidias ſimulata fuga delatus, occiditur. Atque inſulanis deditionem facientibus, Guilhelmus anno Domini 1067, Londini ab Alredo Eboracenſi antiſtite creatur rex Angliæ. Malmesburienſis libro 3, capite 20, de geſtis Anglorum: Polydorus lib. 8 & 9.

Cum autem Vuilhelmus crudeliter auareque dominaretur, ab eo aliquot urbes cum Northumbria defecerũt. Verùm Oxonium obſeſſum, & machinarũ oppugnationis conſpectu territum, ſtatim ſe dedit. Eboracenſes uerò facta noctu eruptione, Robertum, quem rex eis oppoſuerat, uigilijs minus intentum, cum ſuis interimunt, caſtraque diripiunt. Edgardus etiam, de regia ſtirpe reliquus, in Scotia tum exulans, palantes Normannos tum paſsim cædit. Quibus cognitis, Vuilhelmus in Northũbriam aduolat, defectionis autores ultimo afficit ſupplicio: ſocios uerò in neruum conijcit, aut manibus uel naribus mutilat. Sed regnum haud diu pacatum reddidit. Anglici enim proceres bonis ſpoliati, Canutũ regem Daniæ ad occupandã Angliã incitant: quod conſilium etſi ſpecioſum, & aliquandiu fuit fauſtũ, cũ Edgardus & alij exules ex Scotia ſeſe ei coniungerent: tamẽ exitum habuit infœlicem. Vuilhelmus enim hoſtes magno prælio uicit, inſula expulit, omnes ſontes atrociſsimis mortis generibus ſuſtulit, ac Northumbriam in extremam redegit uaſtitatem: anno 1070, teſte Polydoro lib. 9.

Vuilhelmo Rufo, qui patri (anno Chriſti 1093, iuxta Sigebertum: 1087, iuxta Malmeſburienſem lib. 3, cap. 55. ſeu 1080, autore Polydoro) ſucceſsit, etiam de regno bellũ motum eſt. Odo enim Baiocenſis epiſcopus, odio Lanfranci à Vuilhelmo ſibi prælati, Robertum Rufi fratrem natu maiorem, ad regnum Angliæ inuadendum incitat, omnibus epiſcopis & comitibus nouarum rerum cupidis huic conſpirationi implicitis. Cantiũ igitur, Bathouia, Northumbria, Sabina, & Vualliæ uicini agri, igne & ferro ac prædis uaſtãtur. Verùm nõnullis ad Vigorniã magnã paſsis cladẽ, & alijs in gratiã receptis, aut grauiter mulctatis, Robertus cũ fratre aliquot annis facit inducias: quæ tamẽ nõ fuêre diuturnæ, ut ſuprà oſtẽdimus. Vualli diſcordia fratrũ opportunitatẽ nacti, finitimorũ agrorũ ędes cõburũt, pecora abigũt, homines cędũt aut abducũt, caſtellaq; expugnãt. Quorũ ferociã Rufus armis repreſſurus, paludibus & ſyluis in quas ſe recipiebãt, eluditur. Hinc cum præſidijs in finibus collocatis nihil effici, hoſtiumq; animos magis efferri uideret, inſulam Angliſeam, nullo præſidio munitã & planã, inuadit, ac ſtatim occupat. Deinde opera Hugonis Ceſtriæ comitis, Vallos longo bello feſſos perdomuit. Polydor. lib. 10.

Vndecimo anno Vuilhelmi Rufi, Chriſti uerò 1099, Magnus Noricorum rex, cum Haraldo, filio Haraldi regis quondam Anglici, Orcadas, Menemas, & alias Oceani inſulas ſibi armis ſubiecit. Vuilhemus Malmesburienſis libro 4, capite 25. de geſtis Anglorum.

Vuilhelmus Conquæſtor, hoc temporis curriculo Scotiam, exulum Anglicorũ aſylum, armata manu ingreſſus eſt: agris uerò deuaſtatis, Malcolmo regi, qui rem prælio commitere non audebat, in ſua uerba iurãti, pacem, & exulibus impunitatem dedit. Polydorus lib. 9.

Idem Malcolmus, Vuilhelmo Rufo fratrem Robertum oppugnante, ex Northumbria prędã quàm maximã abegit: ſed conſilio Roberti & Edgardi, cũ iam acies utrinque inſtructæ ſtetiſſent, redditis Malcolmo aliquot locis, pace pręliũ tũc diremptũ eſt. poſtea uerò contemptũ ſui, quod à Rufo ad colloquium non erat admiſſus, ultrus, iterũ Northumbriã ſæuiſsimis modis depopulatur. Veruntamẽ cũ filio Eduardo à Roberto cõfoſſus eſt. Creatur deinde rex Scotiæ Dunaldus, anteceſſoris frater: qui à Dũcano Malcolmi filio notho, auxilio Vuilhelmi Rufi, eijcitur regno. At cum Normanos & Anglos milites ſuis pręferret, perinſidias occiditur, Dunaldusq; reſtituitur: quẽ ex fratre nepos Edgardus, à Rufo adiutus, breui pòſt exuit regno: ut Polydor. Anglicæ hiſtoriæ lib. 10 refert.

Ericus rex Daniæ, hac tempeſtate Iulinum, urbem Vuandaliæ maritimã, obſedit: coegitq; ex Dania proſcriptos, qui inde piraticam exercentes, quoſdam nobiles occiderant, ſibi dedi. in quos cum crudeliſsimè ſæuijſſet, Vuandali obſidionẽ ulturi, in Daniam excurſiones faciunt. ubi uerò dãna utrinq; ferè paria accepta eſſent, pax ſancita eſt. Krantzius libro 3. capite 10 Vandaliæ.

EXPEDITIO HIEROSOLYMITANA, *anno 1096, duce Gotfrido Lotharingo ſuſcepta.*

INcidit in hoc Seculum memorabilis illa, & omnibus ferè hiſtorijs celebrata expeditio, à Gotfrido Lotharingo, alijsque ducibus (quorum nomina infrà annotabimus) circa Salutis annũ 1096, pro recuperãda Terra ſancta, ſuſcepta: quã nos etiam pau-

am paucis, ne quid temerè prę terijsse uidea mur, hoc in loco ſtringendam duximus.

Quantas in Hieroſolymitana, totiusque Orientis eccleſijs Mahomentiſmus tragœdias mouerit, quem quidem ſui aſſertores non tam calamo quàm armata manu tueri & propagare ſtuduerunt, ex ſuperioribus libris notum eſt. Iam uerò illa initio conſideretur clades, quæ hoc ſeculo accidit, circa Salutis annum milleſimum duodecimum, ut Palmerius indicat. Ad eum enim uſque diem, à gubernatoribus, licet à uera pietate alienis, aliqua in ijs locis fuerat Chriſtianis pax: ſi tributa & uectigalia, quæ exigebãtur ampliſsima, tam ab incolis quàm peregrè uiſendi gratia aduenientibus, ſoluerentur. Verùm potiente rerum Calypha Ægyptio principe, qui omnes ſuos anteceſſores impietatis & ſęuitiæ infamia longo poſt ſe reliquit interuallo, Chriſtiana religio ad extremũ ferè caſum perducta fuit. Cum enim ipſe matre natus Chriſtiana, à ſuis aulicis probroſè Chriſtianiſmi nomine exagitaretur, ſuam ipſis apoſtaſian, ut Antoninus teſtis eſt, enormi aliquo facto probare uoluit: ne fortè deinceps ſibi eandẽ ſæpius occinerent cantilenã. Tẽplum itaq;, à maioribus quęſtus gratia Hieroſolymis conditum, ſolo æquauit: dies agere feſtos interdixit: &, ut Tyrius ait, quo dies erat celebrior, eo arctius domiciliorũ ſuorũ ſeptis cohibebantur Chriſtiani, nec in publico audebãt comparere. Domi etiã non tutum dabatur eis habere refugiũ: ſed iactu lapidum, & ſordium immiſsione, uiolentisque irruptionibus, præſertim ſi ſacra eos tractare gentiles præſentiſcerent, moleſtabantur. Prę terea ob leuiſsimũ aliquod delictũ, inaudita cauſa in crucẽ agebantur, uel facultatibus priuabantur. Liberi ipſorũ rapti, uel flagellis uel blandimentis ad impiũ cogebantur cultũ. In tantis Chriſtianorũ anguſtijs ex infidelibus quiſpiã afflictionẽ afflictis additurus, mortui canis cadauer in idololatrarũ templõ proiecit: quod à Chriſtianis factũ eſſe, omnes uno orẽ profeſsi ſunt: tantũq; facinus nõ niſi ipſorũ omniũ morte expiandum aſſeruerunt. Adſunt mox lictores, inermes illos mactaturi: ſed ab adoleſcente quodam, qui ſe huius facti reum intrepidè profitebatur, diuinitùs liberantur. Hoc occiſo, cæteri dimiſsi ſunt. Poſt Calyphæ obitum, Daber filius, Chriſtianis æquior, ſucceſsit: qui inito cum Conſtantinopolitano imperatore Romano Argyropolo fœdere, facultatem reparandi templũ Chriſtianis conceſsit. quod & circa Salutis annum 1048, Conſtantino Monomacho ſumptus ſuggerente, reædificatum eſt. Ac licet tolerabilior eſſet Chriſtianorum ſub hoc principe conditio: tamen impij præſides, ſuis inhiantes cõmodis, iniquis uectigalibus eos premere nõ deſtiterũt. At poſtquam Turcorum inualeſcere cœpit regnũ, eorum uirtus ſuper Aegyptiorum & Perſarum fines ampliari (id quod Diogene & Michaele Parapinatio Conſtantinopoli regnantibus factum eſſe, ſuprà diximus) & in eorum poteſtatem urbs ſancta deuenit. Per triginta autem ferè annos, quibus eam tenuerunt, maximis moleſtijs preſſus eſt Dei populus, adeò ut leuia ea omnia ducerent, quæ ſub Aegyptiorum & Perſarum iugo unquam pertuliſſent. Præterea nullam ob latrocinia paſsim impunè graſſantia, erat iter tutũ, religionis gratia terram Sanctam inuiſentibus: ac ſi fortè quis per mille pericula ad optatum appuliſſet portum, tẽpli aditu, niſi prius aureum numeraſſet nũmum, prohibebatur à ianitoribus Turcicis: ut Tyrius lib. 1. Belli ſacri, cap. 5. 6. & ſequentibus aliquot, commemorat.

Hac tempeſtate Petrus quidam nationè Gallus, patria Ambianenſis, qui diu eremũ incoluerat, amore Chriſti ſepulchrum inuiſendi, poſt multas itineris moleſtias eò tandem peruenit. Ibi ex Simeone patriarcha Hieroſolymitano, alijsque pietati addictis uiris diſcit, quàm miſerabilis ſit Chriſtianorum ea loca incolentium conditio. Nam omnia loca quantumuis ſancta, cædibus, rapinis, ſtupris pollui: uerbera, uincula & diros cruciatus cuiuis ob oculos uerſari. Dat quoque Simeon literas ad pontificẽ Rom. & principes quoſdam Europę, quibus Turcarum extremam immanitatem in opprimenda & extirpanda uniuerſa religione Chriſtiana grauiſsimè exponit, atque ad ferenda auxilia exuſcitat, ne nomen Chriſtianum in ijs locis penitùs deleatur. Cogitent quoq;, Turcicã rabiẽ ad Europæas Eccleſias aliquãdo progreſſurã eſſe, niſi matùrè eã reprimant & caſtigent. Paulus Aemylius lib. 4. de geſtis Francorum.

Extat in hiſtoria Antiochena, & Cõſtantinopolitani Imperatoris ad Robertum Flãdriæ comitẽ epiſtola, qua calamitates, quibus quotidie exerceantur pij in Oriẽti exponit, & maturè afflictis ſubueniri petit.

Vrbanus ſecũdus, qui tũ Romanã tenebat cathedrã, lectis literis, & audito coràm Petro, ſtatim in Galliã profectus eſt, ibiq; ad Clarũ mõtẽ tã epiſcoporũ quàm Principũ indixit cõuentũ. Eò cũ frequẽtes conueniſſent, Põtifex preſentiũ, quib. illi premãtur, & futurorũ, toti orbi imminẽtium malorũ, ac deniq; præmiorum in hoc & futuro ſeculo conſequẽdorũ cõmemoratione aſsidẽti um animos adeò permouit, ut ſępius ex toto conſeſſu ſit acclamatũ: Deus uult, Deus

uult.

uult. Tum Pontifex indicto silentio: Quod uerbũ, inquit, in profitendo Sacro bello nõ temerè uobis excidit, id pro tessera in gerẽdis rebus uobis uelut diuinitùs data accipite. Et ut cũcti milites lanea cruce rubra in humero insigniantur (quasi hoc etiam aliquid ad rẽ faceret, scilicet) Apostolica autoritate præcepit. Gotfrido uerò Bilioneo, cũ ẽtis suffragãtib. belli summa demãdata fuit. Dimisso concilio, quisq; ad sua reuersus est.

Postea episcopi in suis diœcesibus, ducũ populariumq; animos ad sacra capiẽda arma pro cõcionibus summis uiribus incitãt. Multi igitur principũ diuenditis uel oppignoratis suis regnis, pecuniam bellico impendent apparatui. Concurritur ex Aquitania, Normãnia, Anglia, Scotia, Hibernia, Britannia, Galitia, Vuasconia, Gallia, Flandria, Lotharingia, alijsq; prouincijs certatim quasi ad arma, senes & iuuenes, diuites & pauperes, clerici & laici, pueri puellæq;, pro terra Sancta uitam in discrimen adducere paratissimi omnes: exceptis (ut Vrspergensis testis est) Orientalibus Francis, Saxonibus, Thuringis, Bauaris, & Alemannis, intestinis nimirum bellis occupatis, quiq; equitum peditumq; turbas suum solũ transeuntes ludibrijs excipiebant, stultos eos appellantes, quòd sua temerè desererent, & aliena appeterent: idq; odio tantum Imperatoris Heinrici à nonnullis historicis dici, non est dubium. Aemylius enim, qui præcęteris autoribus summo studio hanc expeditionem illustrare conatus est, Germanos huic expeditioni interfuisse scribit: id qđ ex sequẽti narratione magis patebit.

Breuissimo itaq; tempore tãtus ex diuersis prouincijs, extremisq; regionibus, insulisq; orbe terrarum submotis, sub belli initium conuênit cœtus, ut numerũ ferè excederet. His igitur sequentes duces dati sunt: Gotfridus Bononiẽsis comitis filius, idẽ & Lotharingiæ dux, penes quẽ summa belli (ut diximus) erat: eiusq; duo fratres, Eustachius & Balduinus: Hugo Philippi Galliæ regis frater: Roberti duo, alter Normãniæ dux, Guilhelmi Anglorum regis filius, alter Flandrię comes: Raimũdus Tolosanus, Stephanus Blesensium comites: Ademarus Podiensis episcopus, penes quẽ militibus quouis tempore, Pontificis Romani autoritate, remissionem peccatorum impertiendi potestas erat (sic scilicet semper pontifex Romanus suas superstitiosas obseruationes addebat) & Guilhelmus Auraicensis episcopus: Petrus quoq; ille, huius expeditionis autor, non inter postremos numeratur. His plures, licet publicis belli officijs insigniti non essent, se adiunxerunt principes.

Ex tãta hominum multitudine, cũ duci cuiq; sua attributa esset legio, iter susceptũ est. Plura autem tum in aere, tum terra uisa esse prodigia, ab autoribus omnibus scribitur. Ab Occidente enim tanta uersus Orientem locustarum agmina uolarunt, ut ipsum solem obumbrarent: teste Zonara tomo tertio. Ignea hasta sereno cœlo hinc inde uagari uisa est, ut Dodechinus testatur. Cometæ duo fulserunt, sed annis diuersis: quorum quidem prior gladij formam repræsentauit. Inundationes, eclipses crebrę, nubes sanguine consperſæ, & exercitus inter se collidentes, faces in aere uolãtes conspectæ sunt, terræque motus acciderunt. & his similia, de quibus etiam in capite de Miraculis & prodigijs diximus.

Subinde autem inter eundum, militum numerus adeò creuit, ut ijs ad Constantinopolin numeratis, trecenties centena ferè millia excesserit: ut ex Vrspergẽsi, & episto la ducum ad Paschalem Rom. pontificem, post peractum bellum scripta, apparet: quã in fine huic narrationi subijcimus.

Omnium autem primus Galterus quidã Sensaueir, familiæ nobilitate & armis illustris, maxima armatorum multitudine instructus, iter ingressus est. Vngariam autem incolumes quidem transeũt: sed ad Bulgarorum fines cũ accederent, armis tranlitũ facere coacti fuêre. Constantinopolin dela tus Galterus, dimidiam ferè suorum partẽ desiderauit: teste Aemylio Veronensi. Hũc Petrus, suscipiendi belli autor, quadraginta milibus uirorum stipatus, eodem itinere breui interuallo subsecutus est. Vngari autem Bulgaris uicini, aliquot in extremo agmine Galteri milites morã nectentes trucidârant, eorumq; spolia ex muro suspendebrãt. Hęc cũ Petrus agnosceret, impetu in eosfacto urbẽ expugnat: ubi ciuibus quater mille circiter trucidatis, ampliſsima milites accepêre spolia. Bulgari uerò tãtis copijs territi, nihil eis intulerunt molestiarũ. At calones, coci & serui q in extremo Petri exercitu agmine, ignẽ domũculis quibusdã incolarũ subijciẽtes, omnẽ irritarũt populũ: qui mox sumptis armis, maximam Petri exercitus partem trucidarũt: cæteri fuga salutem quærere coacti sunt, relictis post se bis mille plaustris, & auri ui maxima. Post triduũ, Petrus suis ex latebris passim euocatis, cœptũ perfecit iter: ac tãdẽ post mille labores superatos Cõstantinopolin uenit, ubi Galterum offendit.

Germani, Lotharingiq;, Gotfrido & alijs qui se ei adiunxerãt ducibus, Petri uestigia sequuntur: ut Aemylius testatur.

Gallici duces, inter quos primas tenebant Hugo, Roberti duo, Nortmannus & Flandrus, comites Blesensis & Tolosanus,

sanus, triperito profecti sunt agmine: ne populis, quà iter faciendum erat, tanta hominum multitudine molesti essent. Pars una Brunduſium petijt, alia Barium, tertia Hydruntũ: & hisce Boemundus quidam Apuliæ princeps, cum duodecim millibus hominum, quibus de paterno regno cum fratre dimicabat, se coniunxit: ut Sabellicus Enneadis nonæ lib. 3 indicat.

Hi ex tribus soluentes portubus, in Illyricam urbem Dyrrhachium, finitimamque oram fœlici nauigatione delati sunt: Byzantium uerò terra petiuêre, ut Aemylius scribit.

Longo post hos interuallo Godeschalcus quidam, & post hunc Emicho Rheni comes, crudelitate insignis, numeroso exercitu sub eodem pietatis prætextu Terrã sanctam eadem tempestate petentes, omnia per quæ proficiscebantur apud Germanos loca igne & ferro uastãt: Iudæos præsertim passim latitantes uel è medio auferunt, uel suam abiurare fidem cogunt. Sed in Pannoniam delati prædones isti, turpiter à Colomanno rege in fugam coniecti sunt: ut Vrspergensis refert.

Alexius, qui tum Constantinopoli rerũ summa potiebatur, à Galtero (quem Aemylius & Valterium & Egerium uocat, eiusq; genus & cognomen ignorari scribit) & Petro eremita edoctus, maiores hisce subsequi copias, illos iam refectos à se dimittit, quò cæteris commodior tum castra ponendi locus, tum commeatuum copia esset.

Illi conscensis nauigijs, Hellespontoq; traiecto, secundis uentis Bithyniã, quæ prima Asiæ in ea parte prouincia est, appulêre: & in Niceno agro castris positis, communitisq;, se continuêre. Reliquos enim duces belli consortes expectare consilium erat, ne sibi temerè periculum aliquod crearent. At gregarij milites fame pressi, (duos enim iam menses in hostium terra commorati fuerant) spreto Valteri cunctantis imperio, Reginaldo cuidam Germano belli gerendi partes attribuunt. Hoc duce Exerogorgum oppidum, fuga incolarum uacuum, doloque à Turcis relictum, occupant.

Turci principijs obstandum existimant, priusquam maiores exercitus aduenirent copiæ: atque ut hos trucident, quamcunq; captant occasionem. Collocatis itaque aliquot legionibus in insidijs, armenta pascẽtia nostris, quibus è castris eliciãtur, & quasi inescentur, obijciunt. Nostræ cohortes aliquot, insidiarum prorsus ignaræ, pecora impunè abigunt, atq; in castra compellunt. Hac præda maior multitudo, ad tria ferè millia excita, maioris gloriæ prædæq; spe, oppidum quoddam expugnant: uerùm ex insidijs erumpentes Solimanni milites, nostros iam de præda sortes mittentes, ad unum omnes trucidant.

Hac clade nostris Exerogorgum tenentibus nunciata, ipsi belli duces, qui cęteris fortitudine præstare putabãtur, animo propemodum frangi cœperunt: ac prælio cũ hostibus, qui numero eos longè uincebant, suspendendũ iudicarũt. Verùm uulgus indomitum hos inertiæ accusans, Gotfredũ quẽdam Burellum militię præesse iubet: eumq; ut omnes belli neruos in uindicandam cõmilitonum necẽ intendat, non tã hortatur, quàm impellit etiã. Sed malè ipsis hoc cessit consilium. Decies enim mille homines Exerogorgo simul egressi, ab hostibus ex insidijs passim conuolantibus, miserè trucidãtur, paucis admodũ fuga elapsis. Posthęc Exerogorgum obsidẽt Turcæ. Reginaldus oppidi præfectus, abiurata simul ipsa religione, cum fide militibus præstita, in hostiũ transit castra. Oppido non tam armis quàm siti (aqua enim carebãt) expugnato, strages edita est maxima. Tria ferè Latinorum milia, per auersam quandam urbis portam, in maritimum quendam uicum fuga se recepe runt, ibiq; seruati sunt.

Cæteri porrò duces aliquãto tardius Cõstantinopolin uenerũt: quibus hospitio exceptis, Alexius Imperator ipse insidiatus dicitur. Suspectã enim hanc habebat expeditionẽ, se nimirũ peti existimans: ideoq; inclemẽtius eos tractauit, ut Paulus Aemylius indicat. Sed omni tandẽ suspicione discussa, multisq; ab aduenis munerib. exhibitis, copias in Asiã patitur traijcere. Solus autem Boemundus, ob paternas cũ Alexio inimicitias, Constantinopolin cũ cæteris ducibus ire noluit: sed per superiorẽ Mysiam & Thraciam, Alexij insidias euitandi gratia, omnium opinione celerius in Hellespontũ instructa acie peruenit. Quibusdam tamen locis, cũ Græcis ducibus præsidio regionũ attributis, dimicandum ei fuit: quos & fortiter repulit.

Cæterùm fœdus inter duces expeditionis, & Gręcorum Imperatorem ictum erat, ut is copias in supplementum, arma, aliaque militibus necessaria suggereret: illi contrà, quascunque Asiæ urbes recuperarent, Constantinopolitano redderẽt Imperatori, excepta Hierosolymorum urbe.

Nicomedia igitur primùm armis petita, inde Niceã bellũ translatum est: cuius incolas ut ultrò deditionẽ facerent, cum frustra sępius sollicitassent (Gręci enim uiri religiosi eã incolebãt, sed ualidè premebãtur Solimãni prędio) ui eã, licet labore & difficultate maxima, tandem post quinquagesimũ

obsidio-

obsidionis diem, tertio Nonas Iulij, anno 1097, expugnant. Turcę omnes qui urbem tutabantur, captiui (inter quos Solimanni coniunx erat, cum duobus liberis) Constantinopolin missi sunt: at cibus omnia salua relicta sunt. Inde quadripartito agmine digressi uictores, in patēti loco Niceni agri quisq; castra ponit. Dum autem uallo suos muniendo Boemūdus occupatur, fortè Solimannus stipatus sexagies mille Babylonijs, Medis, Persis, & ab ultimo excitis Oriente uiris, quos paulò antè obsessis Nicenis opē ferre uolentes, Galli duces ad montana fugere compulerant, aduenire nuncia tur. Ille suos arma capere, cæterarumq; legionum duces, qui aliquanto longius aberant, moneri iussit, quò suis laborantibus opportunè suppetias ferre possint. Hoc autem conflictu, qui in multam usq; nocte durauit, Francico milite Boemundi copijs, de quarū salute iam iam actum uidebatur, auxilium ferente, tanta Turcorū strages edita est, ut interfectorum corporum coacerua tio pro uallo nostris fuerit. Ex nostris ad duo tantū millia desiderata: inter quos uiri nobiliores, Guilhelmus Tancredi frater, ac Robertus Parisiensis, fuerūt. Hostium uerò quadraginta circiter millia cecidēre. Nostri igitur suorū cadauera, quæ ex cruce cognosci poterant, honestæ tradūt sepulturę. Ipse Solimannus cum cæteris copijs fuga elapsus, se uicisse apud suos gloriabatur: atq; oppida quæuis, quà nostris transeundum erat, incendens, & quæ esui esse poterant secum auehens, uastam subsequentibus relinquit solitudinem. Hinc Boemundus ac cæteri duces, per arida & sitientia Asiæ loca, in quibus hominum & armentorum uis magna absumpta est, Antiochiam Pisidiæ contendunt: qua quidem sine labore capta, Iconium Lycaoniæ urbem, quæ Tauro monti uicina est, petunt: ubi benignè ab oppidanis accepti sunt. Inde Heracleam itum est, quò ingens multitudo armatorū Turcarum confluxisse ferebatur: sed dū nostri Heracleensium fines attingunt, pręsidia rij milites solo nostrorum aspectu territi, fugam capessunt. Incolæ suo præsidio liberati, ultrò obuiam procedentes, nostrorum fidei se committunt. Ibi de Turcarū trepidatione porrò edoctis nostris, Balduinus & Tancredus in Ciliciam flectunt. Tancredus igitur sub primum accessum, Tarsum obsidet. Turcę, qui pręsidij loco erāt, ciues suos hostibus plus iusto æquiores facile deprehendētes, turribus quibusdam firmis se occludunt, fugam oblata occasione arrepturi. Sed dum de pacis cōditionibus agitur, fortè Balduinus, qui passim per loca ignota maioribus cū copijs prædas egerat, superuenit: ac dū fortè solius Tancredi signa in hostium muris cōspiciuntur, à Balduini militibus, penes quē summa in hoc bello erat autoritas, tantū ex ambitione mota est quę dam contentio, quę quidem haud procul à cruento aberat prælio. Incolæ, licet ob māsuetudinem Tancredo magis fauerent, Balduini tamē minis territi, his deiectis, illius accepere signa. Ipse etiam Tancredus uiribus impar, fremēs frendēsq; discedit. Hac quidem ratione Balduinus urbe nullo cū suo labore potitur. Turcæ uerò noctu clam relictis suis propugnaculis aufugiunt, trucidatis ad Vrbis mœnia trecentis uiris: quos à Tarentino ad Tancredum eò missos, Balduinus intra urbem recipere detrectauerat. Horum miseranda cęde, cuius quidē autor sua exclusione extiterat Balduinus, omniū ferè militum animos à se auertit: nec prius furor eorum sedari potuit, quàm fide facta, se à Tarsensibus iureiurando adactum, ante ducum aduentum nullam præterea manum se in urbem introducturum.

Plura iam oppida uicosq; subegerat Tancredus, ipsamq; Manustram, urbem opulentissimā, ui expugnauerat, suisq; militibus amplam distribuebat prædam. Balduinus uerò cum suis quoq; superuenit copijs, prędæ partem poscens. Sed Tancredi milites, in nondum præmunita illius castra impetū facientes, plurimos cęciderunt: quam tandem pugnā nox diremit. Spacio tali interueniente, iraq; mitescente, mutuò sibi recōciliantur duces. Eadē tempestate Balduino de obitu coniugis suæ, quam in statiuis Lycaoniæ reliquerat, & fratris casu nuncia tur: qui cum inter uenandum militem quē dam ex immanis ursi complexu eripere conaretur, in se feram irritauit: à qua grauiter uulneratus, lectica deinceps multis mensibus iter fecit.

His ducibus in Cilicia subigenda laborā tibus, Vimerius quidam Bononiēsis pirata prioris uitæ pœnitentia ductus, cum instructa Hollandorū Frisiorumq; classe Tarsum appulit, illisq; strenuam in bello sacro deinceps nauauit operam. Asiaticorum quoq; procerū nonnulli nostris se coniunxere. Pācratij cuiusdā Armenij opera, qui ex uincu lis Alexij Imperatoris elapsus, nostrorū se fidei cōmiserat, minor Armenia trās Euphratem usq;, in Balduini uenit potestatē. Rerū enim illarum, regionumq; peritus erat Pancratius: qua ex re ad res fœliciter gerendas plurimum nostris accessit adiumenti.

Edessani, quos Æmylius inde usq; ab Apostolorum tempore Christianam fidē seruasse illibatam scribit, crebris Turcarum incursionibus, præter tributa quæ illis pendere cogebātur, attriti, obuijs (quod dicitur) ulnis

ulnis noſtros, quorum uictoria toto ferè terrarũ orbe decantabatur, ſpe recuperandæ libertatis excipiũt: trucidatoq; ſuo duce, Balduini ultrò ſe dãt fidei. Horũ exẽplo Samoſatenſes quoq;, Balduci ſatrapę Turcici tyrannidis pertæſi, eundem miſſa clã legatione accerſunt. Duxit illuc Balduinus exercitum: ſed Turcis urbem fortiter tutantibus, fruſtrà aliquandiu eam oppugnauit. tandẽ oppugnantiũ fortitudine, & diuturno obſidionis tempore, Turcarũ uiribus fractis, Balducus in Balduini uenit poteſtatem: incolumitatẽ ſibi, ſuęq; coniugi & liberis paciſcẽs, ac decem præterea aureorum millia numerari ſibi cauens, quibus priuatam poſtea uitam ſubleuare poſſet.

Sororga, ualida nobiliq; urbe, uicto Bala Turcorũ prẽſide, ijdem potiuntur. Vnde noſtros milites maiora indies tentãdi inceſsit cupido. ea enim urbs media eſt inter Euphratem & Antiochiam, eoq; tutò iam traduci poterat uniuerſus exercitus. Balduinus Edeſſæ ſe continere iubetur, ut ab ea parte Turcas, Latinos oppugnare molientes, repellere poſſet. Tancredus, qui Ciliciam iure belli tenebat, ad maiorem exercitum reuocatus, relicto quod ſatis eſſe putabat urbi eidem prẽſidio, comparet. Eo autem in loco iureiurando ſibi inuicem fidẽ dant, non tam duces, quàm ipſi quoq; gregarij milites, nunquam ſe, niſi ſacro penitùs cõfecto bello, ad ſuos ſe reuerſuros: opẽ in omnibus periculis & laboribus commilitonibus laturos, ducumq; imperio obtemperaturos. Ita uno agmine ad Mareſiam urbem contendêre: qua quidem, fuga ſibi noctu cõſulentibus Turcis, ſine ullo labore noſtri potiuntur, ibiq; aliquot dies ſubſiſtunt. Robertus Flandrię comes cum mille equitibus loricatis, ad tentandam uicinam urbem Artaſiã, quæ abeſt Antiochia miliaribus circiter quindecim, cæterorũ conſilio mittitur. Cuius ſigna cum conſpexiſſent oppidani, mox ſuos præſides Turcas trucidarunt, eorum capita Flandris obtulêre, eosq; urbem liberè ingredi paſsi ſunt.

Turci hanc ſuorum miſerandam cædem ulturi, & urbem antequam cæterorum ducum aduentarent exercitus recuperaturi, ad decem millia Antiochia (nam eò ingens eorum copia undique confluxerat,) egreſſa ſunt: cumq; Artaſiæ uicini eſſent, paucos qui Flandros urbe elicerent, cæteris in inſidijs latitantibus, præmiſerunt. Flandri cum his manum egregiè conſerunt: eoſque in fugam uerſos, quam tamen ſponte arripuerant Turcæ, acriter inſectantur: ſicque temerè in hoſtes latitantes, quibus numero erant longè inferiores, incidunt, ac ſanè de cunctorum iam ſalute actum fuiſſet, niſi oppidani ſuppetias Flandris tuliſſent, quorum fortitudine terga dare hoſtes coacti ſunt. Non multò pòſt noua Turcarum manus Artaſiam oppugnat: ac pontem Oronti fluuio impoſitum, firmo præſidio uallisque muniunt, ut cæteri duces, qui Maroſiæ commorabantur, tranſitu prohiberentur. Cum hiſce Robertus Normaniæ dux, cum fruſtra aliquamdiu pugnaſſet (hoſtes enim ex uallis, quibus cincti erant, liberè in milites ſua tela conijciebant) cæteri quoque duces cum ſuis copijs aduolant: quorum multitudine territi Turcæ, deſerto ponte fugam capeſſunt: noſtri uerò ponte potiuntur. Ad duodecimum itaq; Calendarum Nouembris, omnis exercitus ad Antiochiam, præclaram illam Syriæ maioris, ac totius Orientis (ut Tyrius ait) principem urbem peruenit: cui Accianus, ſeu Caſsianus, ut Æmylius eum uocat, Turcarum præſes dominabatur: qui auxilio Caliphæ Baldacenſis & Perſarum Soldani, ſe contra noſtros munierat. Inerant urbi circiter ſeptem millia equitum, uiginti millia peditum, Turcicorum uirorum: commeatum, arma, telaque ex uicinis locis comportauerant. Ipſa urbs editiſſimis locis conſtructa, non tam arte quàm loci naturà munitiſsima eſt, ut militum corona uix cingi, nedum oppugnari poſſe crederetur. Hanc Turcæ olim poſt longam demum obſidionem, fame in ſuam redegerant poteſtatem. Muro enim duplici ualidiſsimo ſepta erat, quibus trecentæ ſexagintæ turres adiunctæ erant. Meridionalem eius partem alluit Orontes fluuius, cuius origo ad Heliopolin eſt: & haud procul à Caſsio ſtupendæ altitudinis monte, decem circiter millibus paſſuum in mare mediterraneum ſe effundit. Oronti præruptæ montium rupes contiguæ ſunt: ex altera parte planicies fertiliſsima eſt, ac lacus piſcoſus, quem fontes riuusque ex Oronte influens, efficiunt. Ad noſtrorum aduentum, ex circumiacentibus oppidis incolæ cum ſuis rebus Antiochiam mox commigrant: quorum tamen magnam partem noſtri cum pecoribus interceperunt. Obſeſſi ſuis rebus maximè conſultum fore expendentes, ut noſtros à caſtrorum munitione arcerent, crebris eruptionibus operas turbare tentant. uerùm Apulus Tarentinusq;, fortiter hoſtiũ ſubſtinent impetus. Syri Chriſtiani pij, uicinarum regionum incolæ, frumentum & alia quæ eſui eſſe poterant, pro iuſto precio adminiſtrant. Multi etiam Antiocheni, noſtræ religionis ciues, uel clàm urbe egreſsi, uel explorandi gratia à duce miſsi, noſtris ſæpius hoſtium conſilia produnt.

Antiochia, quibus partibus planiciem esse diximus, quinque insignes habuit portas. Ad eam igitur quæ Orientem spectabat, Boemundus cum Italis castra sua ponit. post hunc Normannus, Flandrus, Magnus & Blesensis, usque ad eam portam quæ paludi contigua est, suas figunt sedes. Mediam inter Orontem paludemque portam Gotfridus cum Lotharingis, Frisijs, Sueuis, Saxonibus, Franconibus ac Bauaris obsidet. Ac ut nostris liber per Orontem esset transitus, ferreis uinculis contractas undique nauiculas constringunt, pontisque in modum sternunt, ac terra replent: ut tam homines quàm pecora sine pauore ire agique possent. Ad utramque ripam propugnacula extruuntur. Ac licet hostes Tæpius igni, ferroque hunc pontem perdere tentarent, irriti tamen eorum fuêre conatus, nostris acriter eos repellentibus. Præterea ut obsessi intra urbem quasi continerentur, ingentem ex durissimis trabibus compactam molem portæ admouent nostri. Inde acrius quàm prius ad pontem exortum est prælium, ac tandem combusta est turris lignea. Denique nihil ab utrisque, quod è re sua uidebatur esse, maximo etiam incumbente periculo, intentatum relinquitur: Res in Calendas Februarias extracta erat: nostrique rerum inopia pressi, ad res gerendas minimè erant industrij. Tanta præterea aquarum uis ea hyeme fuerat, ut nullus in ficco considendi esset locus, multique frigore & fame miserè extinguerentur. Multi hostium cadaueribus, dictu sanè horrendum, famem sedabant. Equorum bellatorum uix duo millia reliqua erant, cæteris pabuli inopia absumptis.

Tam tristi rerum facie non pauci nobilium moti, clàm castra deseruerunt, quos Tancredus à fuga retraxit: inter quos primi erant Guilhelmus quidam Carpentarius, & Petrus belli sacri fax & tuba: quos Hugo Magnus grauissima oratione, ut desertores signorum, fratrũ commilitonumque proditores, & sacræ causæ euersores redarguit, nouoque iuramento fidem suam probare adigit. Boemundus extrema nunc quæuis, exigente famis importunitate tentanda ratus, Arethusam petijt. Vnde Turcarum præsidium commeatus in castra ferri prohibuerat: cæsisque qui eruperant ex oppido Turcis, multis deinceps diebus tutior nostris fuit frumentatio. At Turci hac clade accepta, minus feroces esse cœperunt.

Non autem diuturna nostris fuit hæc deprædandi hostium agros libertas. Subitò enim ijs, de infinitis ex Halapiona, Satrapia & Damascena prouincijs Turcarum militũ copijs, Antiochensibus suppetias laturis, haud iucundum adfertur nuncium. Sed loci opportunitate, ubi castra posita erant, freti, fortiter cũ ijs conflixerunt: eorumq; duo circiter millia ceciderunt, reliquis fugæ salutem quærentibus. Præda hoc conflictu haud parua nostri potiti sunt. Cæsorum capita partim in urbem tormentis miserunt, partim contis ad uallum positis affixerunt.

Longiori aliquanto interuallo Sueno Danorum regis filius, Sacri belli studio feruens, cum mille quingentis equitibus cæteros duces subsecutus fuerat: & cum in Niceno agro intra Finimurim & Terman urbes (ut Tyrius libro quarto, capite uigesimo testatur) incautius statiua ageret, à Turcis noctu cum suis trucidatus est.

Sed dum hęc in Asia geruntur, Veneti amplissimam classem, naues nimirum circiter ducentas adornarunt; quibus Heinricus Cõtarenus urbis episcopus, & Michael Vitalis ducis filius præfuerunt. Hi ad Rhodũ delati, cum Pisanis, Antiochiam obsidentibus, opem quoq; laturis, hostiliter conflixerunt. Sed his superiores fuêre Veneti, ijsq; octodecim ademerunt naues, in quibus quina hominum milia capta. Verùm cum Sacri belli nota, quæ rubea crux erat, insignitos eos uiderent, retentis triginta solum nobilioribus obsidibus, saluos eos dimiserunt. Posthæc in Ioniam contendentes Veneti, Smyrnam occupant: ac Lycij, Pamphilij, Cilicijq; maris littora legunt.

Auxiliarium Turcicorum militum stragęs, quam diximus, adeò Antiochenorum animos fregit, ut Cassianus desiderato maiore filio, primarijsque belli ducibus, inducias ad diem certam peteret, impetraretque: quibus nostris in urbem, illisq; uicissim in castra liberè commeandi dabatur facultas. Persicas enim copias expectabant Turcæ. At rupta inducias fide, præpotens quidam Antiochiæ ciuis Pyrrhus, & religione & genere Turca, nostros urbe potiri fecit. Tyrius, historiæ belli sacri scriptor, lib. 5, cap. 11, Hemirpherro Cassiani scribę te acceptam fert: qui ira corruptæ à quodam Turcico adolescente coniugis, Boemundo Tarentino urbem tradiderit: eumque Christianum fuisse asserit. Turcicis enim præfectis quotidianis conflictibus è medio sublatis, Cassianus ipsis quoque Christianis uiris urbis propugnacula committere coactus fuit. Hemirpherro itaque duarum sororum turris, quæ hodie sancto Georgio sacra est, obtigit, per quam

quam Tarentinum militem noctu clàm in tromisit. Turcarum maxima pars rebus suis desperatis, in arcem elapsa est: cæteri cædũtur, ædes diripiũtur: nõ à mulieribus nec ab infantibus abstinetur: multi etiam ciuium, errore quodam ac impotenti ira trucidantur. Præda quidem accepta est amplissima: at rerum quæ esui esse poterant, exigua supererat copia. Cassianus fuga seruatus, à Syris occiditur. Cadauerum in urbe reperta sunt circiter decem milia, ut Aemylius refert. Annum, quo capta Antiochia est, Tyrius habet 1098, die tertio Iunij mensis.

Corbanas, Persici Imperatoris prefectus, obsessis Antiochenis opem laturus, interea Edessæ expugnationem multis diebus, Balduino fortiter eam defendente, frustrà tentârat. At ne Antiochia, quæ unicum Turcis fuerat asylum, amitteretur, re infecta discessit. In ipsum Sensadolus, Cassiani filius profugus, in itinere incidit, cladem urbis captæ exponens, ac qua ratione recuperari possit edocet. Paret consilio Sensadoli Corbanas, nostrosque urbem iam tenentes dura cingit obsidione. nostri milites animis fracti, non domibus, quibus se occulue rant, nedum urbe, contra hostem pugnatum exire uolunt. Verùm Boemundo pluribus ædibus ignem subijciente, quo incendio ultra bis mille domus exustæ sunt, etiam inuitos è latebris prodire cogit. Nobiles præterea sacerdotes quidam, inter quos & Petrus Massilienſis fuit, nocturno se oraculo de loco ubi Dominica lateat lancea admonitos, coram omni cœtu sanctè affirmabant, quæ ipsis contra hostes uictoriam datura sit. Ac peractis sacris, rem ita se habere compertum est. Sit autem fides penes autorem. Quarto itaque Calendas Iulias, omnes tam sacerdotes quàm militię addicti, arma intrepidè capiunt, cum Corbana conflicturi. Solus uerò Tolosanus, ne Turcicus arcis præfectus urbem cæteris foris pugnantibus inuaderet, cum suo milite ei obijcitur. Instruũtur utrinq; acies: tantoque impetu pugnatum est, ut non nisi ope diuina barbaros, quorum infinita erat multitudo, uictos crederes. In hostium castris ultra centum milia, ex nostris uerò uix quatuor milia & ducenti desiderabantur. Præda amplissima nostri potiti sunt: præter equos & iumenta plurima, quinquies mille cameli cum oneribus capti sunt. Postridie arx ipsa, subsidij spe amissa, in obsidentium manus ultrò uenit: Anno salutis 1098, die 28 mensis Iunij. Hos nostrorum belli successus statim pestilentia grauis subsecuta est, qua quinquaginta circiter hominum millia è uiuis sublata esse credũtur. Captа Antiochia, communi consilio Hugo magnus Constantinopolim abit, Antiochiam Alexio Imperatori, ut inter eos cõuenerat, restituturus: uerùm ipse parum integræ suæ fidei sibi cõscius (non enim commeatus aliaque ex fœdere promissa, militibus Antiochiam oppugnantibus miserat) recipere eam detrectat. Vno itaque omnium ducum ore, Boemundo ea habenda permittitur.

Mense Nouembri, cessante nonnihil pestis lue, Tolosanus, ne sui milites ocio torpescerent, Albaram, duorum dierum itinere Antiochia disitam urbem, ui expugnat. Posthæc, adiunctis sibi Flandro Eustachio, Normannorũ comitis fratre, & Tancredo, Marrhã, octo miliaribus ab Albara distantem, urbem opulentissimam, contendit: quæ tandem, cũ multis iam diebus fortiter ab incolis defensa fuisset, superueniente Tarentino in obsidentium uenit potestatem. Eam Tolosanus Albarensium, quos ipse domuerat, finibus adijci uolebat. Sed dũ hac de re consultant duces, Tarentinus Antiochiam regreditur: exturbatoq; regia Tolosani prefidio, se Antiochiæ deinceps principem uocitauit. Milites ducum iurgia rebus præclarè gerendis parum adiumenti allatura facilè uidentes, Marrhã igni tradunt. Tolosanus militibus Tarentini causam magis probari intelligens, assumptis decem millibus militum, in hostium terras prædas egit. His cum reliquo equitum peditumque comitatu Tancredus & Normannorum comes se adiunxunt: petitaque Phœnice, uiliori precio ibidem, ne uastaretur terra, uenalium rerum forum ipsis ultrò concessum fuit. Pòst Antaradum, incolis terrore in fugam uersis, in suam accepêre potestatem. Ad Arcen oppidum, quod Tripolitano parebat tyranno, præter spem diuturnior fuit obsidio: tandem acceptis à Tripolitano præfecto, quas nostri præscribebant, pacis cõditionibus, numeratis prę terea quindecim Byzantiorum millibus, inde discessum est.

Interea, qui Antiochiæ in hybernis fuerant duces, Seleuciam maritimam urbem, quæ sola ex Syriæ urbibus Græco parebat Imperatori, petunt: inde Gabullam, quæ duodecim à Laodicea millibus passuum distat, contenderunt. Aegyptius præfectus qui urbi præerat, certum auri pondus, commeatumq;, si pacati recedant, paciscitur. Verùm cum nostris ea conditio non uideretur prodesse, accipere recusant. Præfectus autem Tolosanum, ut arte aliqua duces reuocaret, magna auri ui mouet: qui fictis quidem rumoribus, de Persicis magnis agminibus, quanta uix unquam ui sa essent, aduolantibus, cæteris, ut in unum aliquem locũ quàm celerrimè cõuenirent,

autor fuit. Sed paulo pòst prodita fraude, tum ducibus, tum militũ uulgo magis exosus factus est Tolosanus.

Ad Sidonem omnis ager uastatus est: & quia urbis expugnatio difficilior futura esse uideretur, Ptolemaidi castra admouerunt. Verùm prætore commeatum præbente, & deditionem capta prius Hierosolyma ultrò promittente, re infecta inde discessum est. Posthæc ad Cæsaream Palæstinam, diebus tribus Pentecostes peregêre festiuitatem. Ramula ab incolis & præsidio deserta, sine ullo labore potiti sunt.

Ad Nicopolim cũ castra posuissent, Bethlehemitici accurrunt legati, nostrorũ opem contra barbarorum sæuitiam expetentes. Tancredus cæteros duces eò præcurrens, ad ipsa usq; Hierosolymorum mœnia prædas agebat. Hunc reliqua militum multitudo subsecuta est, uiri circiter quadragies mille: quorum tamen uix dimidia pars bello apta erat. A Septentrione autem solum castra urbi obiecta fuêre: ab Oriente enim, Meridieque, ob locorum præcipitia, exercitui statio nulla dabatur. Proximus urbis mœnibus succesit Gotfridus: iuxta hunc Flandrus, Normannus & Tancredus. Tolosanus portam, quæ Occidentem spectat, cum suis occlusit. Aberant Boemundus & Balduinus, quorum hic Edessæ, ille Antiochiæ restiterat. Quinto obsidionis die urbs strenuè oppugnata: tantusque obsidentium uirtute hostibus terror iniectus est, ut si nostris scalæ in prõptu fuissent, primo mox impetu urbem conscendissent. Postridiè, ut scalas, tormenta, machinasque hostium telis obijciendas extruerent, ligna cæsa: quibus intra paucos dies paratis, urbique admotis, expugnationem omnibus uiribus nostri tentarunt. Vtrinque res magno consilio, arte ac uirtute geritur. At nostri milites siti in loco torrido, & tempore feruentissimo confecti, armis & uiribus ferè deficiunt. Vnicus enim fons Siloe, isque non perennis, aquam & hominibus & iumentis subministrabat: reliqui, quorum tamen pauci erant numero, uel obstructi, uel intoxicati ab hostibus erant. In tantis rerum angustijs sacra tractari, diuinum auxilium expeti, & loca sancta nudis pedibus calcari cœptum est.

Dum in Hierosolymorũ oppugnatione nostri occupantur, Genuensium classis ad Ioppen appulit. cui Guilhelmus Ebriacus præerat. Stabat autem tum ad Ascalonem Aegyptiorum quædam classis, suppetias obsessis latura, numero uiribusque illis longè superior. Verùm Genuenses suis diffidentes uiribus, raptis, quæ obsidioni usui futura putabantur, corruptisque nauibus, in castra se contulêre. Erant inter hos uiri industrij, rei bellicæ periti, & omnis generis machinas urbium expugnationi seruientes, extruere edocti. Horum artificio turris quædam plicatilis, multiplici tabulato, unde tela in hostes mitti possent, extruitur: & corijs recentibus crudisque, ne igni posset aduri, inducitur: quæ noctu urbi admota, tutum oppugnatoribus præbuit receptaculum. Sed dum pari uirtute, igni ac ferro utrinque in meridiem usque ancipiti Marte certatur, fortè secundus nostris uentus in hostium ora spirans, exortus est: flammasque, quibus Genuensium turris ab obsessis impetebatur, in barbarorum faciem regessit. Sic & turris præsidio, & uenti commoditate, nostri muro potiuntur: quem quidem primus Gotfridus dux, eiusque frater Eustachius conscenderunt. Cædes barbarorum tota urbe ingens facta. Ad Salomonis templum proceres cum maxima Turcarum turba refugientes, nostrorum uim sustinere non ualuerunt. Quarto itaque Nonas Iulij, anno Salutis millesimo nonagesimonono, tertio uerò huius expeditionis anno, urbs Hierosolymyorum in nostrorum uenit potestatem. Postridie cæsorum corporibus terræ mandatis, urbeque purgata, publicè Deo pro tantis belli contra barbaros successibus, actæ sunt gratiæ: ac Hierosolymitani ex Turcarum iugo iam exempti, collaudatis nostrorum pro religionis totiusque orbis Christiani salute laboribus, Numinis ferè loco eos amplexati sunt. Superuenêre his, mutuò sibi congratulantibus, Boemundus & Balduinus, non tam rei uisendæ gratia, quàm ob iuramentum præstitum, non alibi quàm Hierosolymis arma se posituros.

Octauo recuperatæ urbis die, duces regem ex suo ut eligant numero, conuentum agunt. Nullum autem inter eos discrimen, nec qui alteri meritò præferendus esset, facile erat cognoscere. Ac licet quilibet eorum tanto dignitatis fastigio, ob uirtutem eximiam & res præclarè gestas dignus esset: uno tamen omnium ore, ad Robertum Normannorum ducem regnum delatum est. Non multo autem pòst, Guilhelmum Anglorum regem, Roberti fratrem, sine liberis ex hac decessisse uita nunciatur. Robertus fraternum regnum in delicijs potius habens, regio se titulo abdicat: ad suos uerò cum reuerteretur, fratrem natu minimum regni sceptra tenere offendit. Is enim rumore sparso, de fratre apud Hierosolymitanos rege electo,

ge electo, cunctorum suffragia sibi acquisiuerat. Sic utroq; regno Robertus priuatus est.

Post huius abitum Gotfredus regio titulo inauguratur: qui cunctis quidem receptis insignibus, se hominem Christianum noluit aurea redimiri corona in eo loco, ubi mundi Saluator spineam gestasset.

Confluxerant interea ad Ascalonem tantæ Turcarum Saracenorumque confœderatorum copiæ, suorum cladem ulturæ, quantæ toto hoc belli Sacri tempore nunquam coierant. In his reprimendis Gotfredus rex, relicto Hierosolymis præsidio, omnes belli intedit neruos, & acriter utrinque concursum, diuque ancipiti Marte dimicatum fuit. Sed diuina tandem ope Galli superiores fuêre, cæsis hostium centum ferè millibus, cæteris fugam arripientibus. Præterea præda qua nostri hoc prælio potiti sunt, tanta fuit, ut ea quam tot bellis superioribus acceperant, huic nullâ ratione conferri potuerit. His confectis, Hierosolymam redière: ac publicè pro tantis contra barbaros victorijs Deo actæ sunt gratiæ. His laboribus tãdem fœliciter exuperatis, duces ad sua redière. Boemundus Antiochiam, Balduinus Edessam se recipit: Tancredo Tyberias, totusque Galliæ cessit principatus: Tolosanus Seleuciam petijt, cæteri ad patrium solum retulêre pedes.

Anno sequenti, qui erat Christi 1100, grauis pestilentia exorta est: qua & Gotfridus rex, cum uix mensibus octo tanta dignitate potitus fuisset, decimoquinto Calendarum Augusti occubuit. Cui Balduinus frater, qui Edessæ dominabatur, successit: ut Vuihelmus Tyrius, & Paulus Æmylius libro quarto de gestis Francorum scribunt.

Extat apud Marianum Scotum in Appendice, Sacri belli ducum epistola, post res fœliciter gestas ad Paschalem Romanum pontificem scripta: quam, cum totius belli summam breuiter comprehendat, coronidis uice hic subijciendam duximus.

¶ Paschali Romanæ ecclesiæ, & omnibus episcopis, & uniuersis Christianæ fidei cultoribus, Pisanus archiepiscopus, & Gotfridus dux, gratia Dei Ecclesiæ sancti Sepulchri nunc aduocatus, & Regemundus comes sancti Aegidij, & uniuersus Dei exercitus, qui est in terra Israel, Salutem. Multiplicate preces & orationes cum iocunditate & exultatione in conspectu Domini: quoniam Deus magnificauit suam misericordiam, complendo in nobis ea quæ antiquis temporibus promiserat. Etenim cum capta Nicea cunctus exercitus inde decesserat, plus quàm trecenta millia armatorum ibi fuerunt. Et licet hæc tanta multitudo, quæ uniuersam Romaniam occupare poterat, atq; epotare flumina omnia, & depascere omnes segetes una die posset: tamen cũ plenitudine tanta conduxit eos Dominus, ut de ariete minimus, & de boue uix 12 acciperentur. Præterea etsi principes & reges Saracenorum contra nos surrexerint, tamẽ Deo uolente facilè uicti & conculcati sunt. Ob hæc quidẽ fœliciter acta, quia quidã in tumuerãt, opposuit nobis Deus Antiochiã, humanis uiribus inexpugnabilem: ibiq; per nouem menses nos detinuit, atq; in obsidione ita humiliauit, ut in toto exercitu nostro uix centum boni equi reperirentur. aperuit nobis copiam Deus suæ benedictionis, & nunc etiam induxit nos in ciuitatem ad Turcos, & omnia eorũ potestati nostræ tribuit. Quũm hæc quasi uiribus nostris acquisita teneremus, nec Dominum qui hæc obtulerat dignè magnificaremus, à tanta multitudine Saracenorum obsessi sumus, ut de tanta ciuitate nullus egredi auderet. Præterea fames ita conualuerat, ut uix ab humanis dapibus se aliqui abstinerent. Lõgum est enarrare miserias, quæ in ciuitate fuerunt. Respiciens autem Dominus populum, quem ita diu flagellauerat, benignè cõsolatus est nos. Itaque primò quasi pro satisfactione tribulationis lanceam suam, munus inuisum à tempore Apostolorum, pignus uictoriæ nobis contulit: deinde corda hominũ adeò animauit, ut illis, quibus ægritudo uel fames ambulandi uires negauerat, arma sumendi, & uiriliter contra hostes dimicandi uirtutem infunderet. Denique cum triumphantibus hostibus fame & tædio deficeret exercitus Antiochiæ, & maximè propter discordias principum, in Syriam profecti, Varram & Marrham urbes Saracenorum expugnauimus, & castella regionis obtinuimus. Quumque ibi moram dispositissemus, tãta fames in exercitu fuit, ut corpora Saracenorum iam fœtentium, à populo Christiano iam comesta sint. Denique cum diuino monitu in interiora Hispaniæ (Palęstinæ, fortè rectius scribitur) ingrederemur, largissimam atque misericordem & uictoriosissimam manum Omnipotentis patris nobiscum habuimus. Etenim ciues & castellani regionis, per quam procedebamus, ad nos cum multis donarijs legatos præmittebant, parati seruire nobis, & oppida sua reddere. Sed quia exercitus noster non multus erat, & in Hierusalem unanimiter uenire festinabant, acceptis securitatibus tributarias eas fecimus, quippe cum de multis una ciuitatibus, quę de maritimis illis sunt, plures homines haberet quàm in exercitu nostro fuissent. Quumq; auditum

esset Antiochiæ atque Laodiceæ & Rohas, quia manus Domini nobiscum esset, plures de exercitu qui ibi remanserant, consecuti sunt nos apud Tyrum. Sic itaque Deo cooperante, usque ad Hierusalem peruenimus. Quumq; in obsidione multum exercitus laboraret, maximè propter inopiã aquę, habito consilio, episcopi & principes circũeundam esse ciuitatem nudis pedibus prędicauerunt: ut ille qui pro nobis humiliter eam ingressus est, per humilitatem nostram pro se, ad iudicium de suis hostibus faciendũ, nobis eam aperiret. Placatus itaq; Dominus hac humilitate, octauo die post humilitationem, cum suis hostibus ciuitatem nobis tribuit: eo uidelicet die, quo primitiua Ecclesia inde abiecta fuit, quum festum de dispersione Apostolorum celebratur. In porticu Salomonis, & in templo eius, nostri equitabant in sanguine Saracenorum, usq; ad equorum genua. Deinde cum ordinatum esset, qui ciuitatem retinere deberẽt: & alij amore patriæ, & pietate parentũ suorum redire uoluissent: nunciatum est nobis, regem Babylonię Ascalonam uenisse, cum innumerabili multitudine militũ, ducturum Francos qui Hierosolymis erãt, in captiuitatem, & expugnaturum Antiochiam. Sed aliter Dominus de nobis statuerat. Itaque conscendimus obuiam illis, relictis sarcinis & infirmis in Hierusalem cũ præsidio. Quumq; exercitus noster & hostium se conspexissent, genubus flexis adiutorẽ Deum inuocauimus: ut qui in alijs nostris necessitatibus legem Christianam confirmauerat, in prędicti bello cõfractis uiribus Saracenorũ & diaboli, regnũ Christi & Ecclesiæ à mari usque ad mare usquequaq; dilataret. Sic Dominus adfuit, atq; tantas tribuit uires, ut in hostem currere uidit. Fontem aquæ uiuæ sitientem ceruum segnem adiudicauit, miro uidelicet modo, cum in exercitũ nostro non ultra 5000 equitũ & 15000 peditũ fuissent: & in exercitu hostiũ 100000 equitũ, & 400000 peditum esse potuissent. Tunc mirabilis in seruis suis Dominus apparuit, quũ, antequam confligeremus, pro solo impetu nostro hanc multitudinem in fugam uertit, & omnia eorum arma diripuit: ut si deinceps nobis uellent repugnare, non citò haberent arma. Spolia inaudita, & thesaurũ regis Babyloniæ obtinuimus. Ceciderunt ibi Maurorũ ultra 100000 gladio. Timor autem eorum tantus erat, ut in porta ciuitatis ad 2000 suffocati sint. De his uerò qui in mari interierunt, non est numerus. Spineta etiam ex ipsis obtinuerunt. pugnabat certè pro nobis Deus. Pridie quàm bellũ fieret, multa milia camelorum & bouum & ouiũ cæpit exercitus. Principum iussu populus hæc diuisit: ad pugnam progredientes, multas turmas istorum animalium comitãbantur miraculosè, & stabãt cum stãtibus, & currebant cum currentibus. Nubes ab æstu solis defenderunt nos, & refrigerabant. Celebrata itaq; uictoria, reuersus exercitus est Hierusalem: relictoq; ibi Gotfrido duce, comes sancti Aegidij, & Rupertus comes Normãniæ, & Rupertus comes Flandriæ, Laodiceã reuersi sunt: ibique classem Pisanorũ & Bohemũdi inuenerunt. Quumque archiepiscopus Pisanus Boemundum & dominos nostros concordare fecisset, regredi Hierusalem pro Deo & fratribus suis Regemũdus disposuit. Ob eam igitur tam admirabilem fratrum uestrorum fortitudinis deuotionẽ, ob tam gloriosam omnipotentis Dei retributionẽ, ob tam exoptandã omnium peccatorum nostrorum per Dei gratiam remissionem, & catholicæ Christi Ecclesię, & totius Latinę, inuitamus uos ad exultationem, & omnes episcopos, & bonę uitæ clericos & monachos, & omnes laicos, ut ille uos ad dextram Dei cõsedere faciat, qui uiuit & regnat Deus per omnia secula. Rogamus & obsecramus uos per Dominum IESVM, qui uobiscum semper fuit, & collaborauit, & ex omnibus tribulationibus nos eripuit, ut fratrum fitis memores uestrorum, qui ad uos reuertũtur, benefaciendò eis, & soluendo debita eorum: ut uobis Deus benefaciat, & uos absoluat ab omnibus peccatis: ut in omnibus quæ uel nos uel illi apud Deum meruimus, partem uobis concedat.

VNDECIMAE CENTVRIAE
FINIS.

LAVS DEO.

LOCORVM SACRAE SCRIPTV-
RAE VTRIVSQVE TESTAMENTI IN VN-
decima Eccleſiaſticæ hiſtoriæ Centuria ex-
plicatorum INDEX.

GEn. 2. In quacunq; die comederis ex illo, morte morièris 61.37
6 Pœnitet me feciſſe eos 59.3
28 Et uidit Iacob in ſomnis ſcalam, &c. 169.21
¶ Exod. 12. In una domo agnus comedi, nec inde aliquid efferri præcipitur 185.53
Et comedent carnẽ illam eâdem nocte igni aſſam 171.37
Cum amaris herbis comedent eam. ibid. 43
¶ Deut. 4. Deus ignis conſumens 95.6
¶ Iob. 33. Si fuerit pro eo angelus, loquens unum de ſimilibus, ut annunciet hominis æquitatem, miſerebitur eius, & dicet, &c. 139.35
¶ Pſal. 9. Exacerbabit Dominum peccator, &c. 189.55. & inde
59 Quis deducet me? &c. 197.44
79 Oſtende nobis Domine faciem tuã, & ſalui erimus 63.19
¶ Cant. 1. Faſciculus myrrhæ, dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur 83.40
¶ Matth. 1. Hic eſt liber generationis Ieſu Chriſti 57.41
Et uocabis nomen eius Ieſus, &c. 68.50 & 69.1
3 Ego baptizo uos aqua 167.12
Ad pœnitentiam 233.19
Et deſcendit ſpiritus in ſpecie colũbæ 65.14 & 97.48
Et baptizatus Ieſus, &c. 93.41
Digreſſus eſt à Iordane 170.4
4 Et cum eſurire cœpiſſet, acceſſit tẽtator, &c. 226.34
Et dixit: Si filius Dei es, &c. 198.50
Faciam uos piſcatores hominum 117.15
5 Beati lugentes, &c. 160.38
Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſticiam, &c. 236.44
Vos eſtis ſal terræ 193.27
Porrò ſi ſal infatuatus fuerit, ad quid prodeſt, niſi ut mittatur foràs 197.28. & inde
Non ueni ſoluere legem, ſed implere 57.20
Donec cœlum tranſeat 211.2
Qui uiderit mulierem ad cõcupiſcendum eam, &c. 117.39 & 228.47
Si ergo ſcandalizauerit te oculus tuus dexter, erue illũ &c. 202.34
Quicunq; repudiauerit uxorem ſuam, niſi cauſa ſtupri, &c. 203.41
At ego dico uobis, Ne iuretis omnino, neq; per cœlum, &c. 131.24. & inde
6 Et cum oraueritis, ne ſitis multiloqui 165.29
Pater noſter 68.8
Fiat uoluntas tua ſicut in cœlo & in terra 98.22 & 227.5
7 Non poteſt mala arbor bonos fructus ferre 159.49
9 Qui bene habent, non indigent medico: ſed qui infirmantur 92.36
Quare nos & phariſæi ieiunamus, diſcipuli uerò tui non ieiunant 130.33
Et dicit illis Ieſus: Creditis me hæc facere poſſe? &c. 226.10
Cùm autem ueniſſet domum, &c. 185.13
Puella dormit 161.9
10 Primus Simon qui uocatur Petrus, & Andreas, &c. 191.39
Eſtote prudentes ſicut ſerpentes 194.39 ſimplices uerò ſicut columbæ. ibid. 45
11 A tempore Iohannis regnum cœlorum uim patitur, & uiolenti rapiunt illud 124.55
12 Erat autem ibi homo habens aridam manum 111.42
12 Conuicium autem in Spiritum S. neq; in hoc, neq; in futuro, &c. 123.19 & 237.16
13 Regnum Dei ſimile eſt theſauro abſcondito, &c. 55.22
14 Cum autem adueniſſet ueſpera, Ieſus ſolus erat illic 198.27
Cæterùm nauis iam in medio maris erat, & afflictabatur undis, quia uentus erat aduerſus ibid. 35
Et cùm cœpiſſet demergi (Petrus) clamauit dicens, Domine ſerua me 201.50
Et cum tra ieciſſent, uenerunt ad terram Genneſareth. 200.54
15 Et ſanata eſt filia eius ex illa hora 170.59
Diſcipuli uerò (acceptos à Chriſto panes) turbæ dederunt 193.35
16 Tu es Petrus, &c. 235.11
Et dabo tibi claues regni cœlorum 172.2
Quicquid ſolueris ſuper terram, &c. ibid. 37
Quorum remiſeritis peccata. ibid. 21 & 194.35
Portet crucem ſuam, & ſequatur me 200.20
17 Et reſplenduit ſicut ſol facies eius 216.42
Vbi autem ſuſtuliſſent diſcipuli oculos ſuos, neminem uiderunt amplius, niſi Ieſum ſolum. ibid. 58
18 Qui ergo ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis, &c. 202.43
Si autem peccauerit in te frater, &c. 172.49
19 Fecit ab initio maſculum & fœminam 203.21
Non omnes capiunt uerbum iſtud 226.16
At ego dico uobis, Quiſquis concupiuerit uxorem alterius, &c. 228.47
20 Poteſtis calicem bibere, quẽ ego bibiturus ſum, &c. 198.33
24 Et prædicabitur hoc euangelium regni in uniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus 193.23
25 Cum uenerit filius hominis, &c. 208.58
26 Veſcentibus autem illis, accepit Ieſus panem, &c. 273.36 & 173.19
Et abiens in montem Olieti, tertiò orauit ad patrem, &c. 90.32

Conuerte gladium tuum in locum suum 197.19
Omnis qui acceperit gladium, gladio peribit 127.22
27 Et cùm accepisset corpus Ioseph, inuoluit illud linteamini puro, seu mundo 272.19
28 Ite docete omnes gentes, baptizantes, &c. 193. 10 & ibid. 48
¶ Marc. 13. De die autem illa uel hora nemo scit, neq; angeli, neq; filius, nisi pater 94.16
¶ Luc. 3. Iesus annos natus triginta, baptizatur 192. 27
4 Iesus autem plenus Spiritu sancto, regressus est à Iordane 92.52
9 Videbam Sathanam de cœlo sicut fulgur cadentẽ. 131.54 & 160.5
Factum est autem post hæc uerba, & assumpsit Iesus Petrum, &c. & ascendit in montem ut oraret. Et factum est dum oraret, species uultus eius, &c. 93. 30
10 Homo quidam descendit Hierosolyma in Hiericho, &c. 56.29
16 Homo quidam diues habebat uillicum seu dispensatorem, &c. 191.44
17 Fides tua te saluum fecit 229.20
¶ Ioh. 1. Quotquot autem receperunt illum, &c. 136. 60
2 Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud. 83.19
6 Nemo uenit ad me, nisi pater traxerit illum. 115.9
10 Ego & pater unum sumus 66.14
15 Sine me nihil potestis facere 228.1
17 Hæc est uita æterna, ut cognoscant te uerum Deũ, &c. 214.21
¶ Rom. 1. In Euangelium Dei 132.6
Et declaratus filius Dei ex eo quòd resurrexit ex mortuis 77.8 in uirtute 79.26
Gratia uobis, &c. à Deo patre, &c. 65.30
Euangelium est potentia Dei, &c. 141.19
Iustus ex fide sua uiuet 146.15
Parentibus inobedientes 131.49
Pleni inuidia, cæde 128.55
2 Tu autem iuxta duriciam cordis tui & cor pœnitere nescium, thesaurizas tibijpsi iram, &c. 160.50 & 164.58
Tu qui alios doces, te ipsum non doces, &c. 195.23
3 Quia illis commissa sunt oracula Dei 56.14.
Omnis homo mendax 111.8
Deus autem uerax 100.58
Per legem enim non est nisi peccatorum agnitio 143. 47 & 125.6
Iusticia uerò Dei per fidem Iesu Christi, in omnes, &c. ibid. 51
Arbitramur itaq; hominem iustificari fide, absq; operibus legis 229.8
Quid ergo, destruimus ne legem? &c. 133.27
4 Quid enim Scriptura dicit: Credidit Abraham Deo, &c. 142.21
Porrò ei qui non operatur, sed credit in eum, &c. imputatur fides ad iusticiam 144.18
Circumcisionẽ autem accepit Abraham, &c. 208.41
5 Iustificati itaq; fide, pacem habemus cum Deo 142 33
Sed gloriamur etiã in tributationibus, quia tributationes pariunt patientiam, &c. 199.6
Cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus fuit: multo igitur magis, &c. 85.37
Commendat ergo Deus charitatem suam, quòd pro inimicis moritur Christus, &c. 141.24
Qui (Adam) forma est futuri 111.44.
Sicut peccatum per unum hominem intrauit in mundum, &c. 121.52
Vsq; ad legem enim erat peccatum in mundo 122.20
Nam condemnatio quidem ex uno delicto ad condemnationem, donum autem ex multis delictis ad iustificationem 120.22
Ad quid igitur lex? Subingressa est ut peccatum abundaret 125.24
6 An nescitis, quòd quicunq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? 169.23
Sepulti igitur sumus cum illo in mortem, &c. ibid. 35
Vt destrueretur corpus peccati. ibid. 49
Vt quemadmodum Christus excitatus est à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus 164.19
Ne itaq; regnet peccatum in mortali corpore uestro. 120.39
Stipendium enim peccati, mors ibid. 51
Gratia autem Dei, uita æterna 142.57
7 Mulier obligata est legi 135.43
Vt iungeremini alteri, uimirum ei qui ex mortuis surrexit 111.29
Nesciebam concupiscentiam esse peccatum, donec lex dixisset: Non concupisces 125.27
Sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem, &c. 126.48
Gratias ago Deo per Iesum Christum. Itaq; idem ego mente quidem seruio legi Dei, carne uerò legi peccati 126.28
8 Nam lex spiritus uitæ per Christum, liberum me reddidit, &c. 132.42
Quod autem impoßibile erat legi, &c. 126.6
Vt aboleatur corpus peccati 74.24
Qui proprio filio non pepercit, sed pro nobis tradidit illum, &c. 86.50
Existimo enim non pares esse adflictiones præsentis seculi, gloriæ, &c. 217.10
9 Quemadmodum scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem scandali, & petram offensionis 202.49
Non est neq; uolentis, neque currentis, sed miserantis Dei 228.4
Dicit enim Scriptura Pharaoni: In hoc ipsum te excitaui, ut ostendam in te, &c. 199.39
Deus cui uult miseretur, quem autem uult indurat. 60.49
Cui uult miseretur, & quem uult indurat 133.56 & 134.55
An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat uas aliud in honorem, aliud in ignominiam? 114.

uiam? 114.49
16 Verbum enim prope te est 79.30
Domine, quis credit sermonibus nostris? 55.14
Ecce quàm speciosi sunt pedes, &c. 191.28
Est ergo fides ex auditu 145.58
11 O profunditatem diuitiarum sapientiæ & cognitionis Dei 109.31
Ex ipso sunt omnia 119.21
12 Sed transformamini per renouationem mẽtis uestræ, &c. 55.16
Quemadmodum enim in uno corpore membra multa habemus, &c. 187.35
Prouidè parantes honesta in conspectu omnium hominum 202.54
13 Omnis anima potestatibus subdita sit 204.6
Non enim potestas est nisi à Deo 204.36
Dei enim minister est, tibi in bonum. Quòd si malum feceris, time, &c. 206.10 & inde
Cui timorem, timorem: cui honorem, honorẽ 205.31
14 Qui uescitur, Domino uescitur, &c. 14.6.30
Qui iudicat omnem diem, Deus est 136.15
Tu quis es, qui iudicas de alieno famulo? 131.4
Noui enim & persuasum habeo per Dominum Iesum Christum, nihil esse commune, &c. 202.28
Omnes statuemur ante tribunal Christi 209.47
15 Etenim Christus non placuit sibijpsi, sed quemadmodum scriptũ est, Opprobria, etc. Nam quæcunq; scripta sunt, &c. 200.26
16 Commendo autem uobis Phœbem, &c. 169.13
¶ 1. Cor. 1. Sanctificatis in Christo Iesu 139.6
Quæ (gratia) data est nobis in Christo Iesu 138.50
Obsecro autem uos fratres, &c. ut idem loquamini omnes, & non sint inter uos dissidia 193.52
Non enim misit me Christus ut baptizarem, sed ut euãgelizarem 171.48
Nos prædicamus Christum crucifixum, gentibus stultiam 143.6
Vbi sapiens, ubi scriba, ubi inquisitor seu disputator huius seculi? 218.48
Deus, quæ stulta erant secundum mundum, delegit, ut pudefaceret sapientes 192.42
2 Si enim cognouissent, Dominum gloriæ non crucifixissent 84.44 & 226.50
Quæ oculus non uidit, nec auris audiuit, &c. præparauit Deus diligentibus se 217.27
3 Quis Paulus, quis Apollo? Ego plantaui, &c. Deus autem dedit incrementum 195.53
Cuiusq; opus, quale sit, ignis probabit 236.55
4 Spectaculum facti sumus angelis, &c. 200.57
5 Pascha nostrũ est Christus, pro nobis immolatus. 70.16
6 An nescitis, quòd angelos iudicabimus? 209.9
Et erunt duo in carne una 203.24 & inde
7 Vnusquisq; uxorem accipiat, &c. Vir uxori debitum reddat, et uxor uiro. item, Volo omnes homines esse sicut meipsum 203.3
Quod si incredulus discedit, discedat: non est seruituti subiectus frater aut soror hac parte, &c. 203.50
Præterit enim figura huius mundi 208.26
Circumcisio nihil est, præputium nihil est: sed obseruatio mandatorum Dei 219.28
8 Videte ne fortè licentia uestra, &c. 219.6
Scimus quòd nullum sit idolum in mundo 62.12
9 Iis qui sub lege sunt, quasi sim sub lege: his qui sine lege sunt, tanquam sim sine lege, cum non sim sine lege Deo, sed obnoxius legi Christo 126.11
10 Patres nostri omnes sub nube erant, & omnes per mare transierũt, & omnes in Mosen baptizati sunt, &c. 180.33 & 184.4 & inde. & 168.17
Poculum benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio sanguinis Christi est? &c. 183.1.
Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, & c ibid.26 & inde. & 186.4
Petra autem erat Christus 59.28 & 70.56
Tentatio uos non cæpit, nisi humana 199.16
Fidelis Deus, qui non sinet uos tentari ultrà, &c. 201.13
Propterea qui stat, uideat ne cadat 201.45
11 Igitur cùm conuenitis in eundem locum, non licet Dominicam cœnam edere, quod unusquisq; propriã occupat in edendo 273.43
Si iudicaremus nos ipsi, non iudicaremur à Domino. 129.35
Accipite, comedite, hoc est corpus meum, &c. 177.43
12 Diuisiones donorum sunt, sed idem spiritus, &c. 65.56
13 Si linguis angelorum loquar 226.12
14 Mulieres uestræ in ecclesijs sileant, &c. 230.35
Prophetæ uerò duo uel tres loquãtur, cæteri dijudicẽt. 194.27
15 Si mortui non resurgunt, nec Christus resurrexit. 211.12
Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum 211.23
Semen quod tu seminas, non uiuificatur, nisi mortuum fuerit, &c. ibid.34
Non omnis caro, eadem caro. ibid.54
Stella siquidem differt à stella in claritate. ibid.59
Est corpus animale, & resurgit corpus spirituale 212.24 & inde.
Omnes tum immutabimur in puncto temporis. ibid.38
Quemadmodũ gestauimus imaginem terreni hominis, ita gestabimus & cœlestis 168.57
Cum tradiderit regnũ Deo & patri 213.49 & 94.44
Corrumpunt enim mores bonos colloquia prana 130.15
Gratia Dei sum id quod sum, et gratia eius in me uacua non fuit 116.14
Peccati uirtus lex 125.46
¶ 2. Cor. 1. Qui nos consolatur in omni consolatione. 200.36
Quoniam sicut abundant adflictiones Christi in nobis, ita per Christum abundat & consolatio. ibid.43
Donum spiritus sancti pignus dicitur 97.26
2 Sufficit istiusmodi homini increpatio hæc, &c. ne quo modo fiat ut immodico dolore absorbeatur hic. 162.57
3 Non enim idonei sumus ex nobis cogitare aliquid, &c. 116.24
Lex ministerium est mortis, &c. 132.54

4 Christus est imago Dei 69.37
Nam momẽtanea leuitas adflictionis nostræ, supra modum æternum pondus, &c. 201.31
5 Per fidem enim ambulamus, non per speciem. 198.3
Propterea quòd nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à uita 207.23
Vt unusquisq; reportet ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum siue malum 210.7
Itaq; ex hoc neminem nouimus secundum carnem. 62.45
Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi. 140.5
Deus fecit Christum peccatum pro nobis 91.53
In nomine Christi legatione fungimur, &c. reconciliamini Deo 196.56
Reconciliemini Deo 141.37
Quòd si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui fuerunt 129.40
6 Quin & adiuuantes obsecramur, &c. 133.19
Nolite iugum trahere cum infidelibus 130.21
7 Nunc gaudeo quòd cõtristati sitis ad pœnitẽtiam. 194.11
Nam qui secundum Deum est dolor, is pœnitentiam ad salutem non pœnitendam parit 161.48
Foris pugnæ, intus terrores 198.15
Verùm qui consolatur humiles, Deus, cõsolatus est nos, &c. 200.49
Emundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus 118.6
8 Procurantes honesta non tantum coram Domino, sed etiam coram hominibus 146.36
Christus cùm diues esset, propter nos pauper factus est. 89.49
10 Nam epistolæ (inquit) graues sunt, & fortes. 223.40
11 Sed metuo ne qua fiat, ut quemadmodum serpens decepit Euam uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate quæ erat erga Christum. 105.51
12 Datus mihi fuit stimulus per carnem, nuncius Sathanæ 199.29
13 Ne cum præsens fuero, rigidus sim, iuxta potestatem quam dedit mihi Dominus, in extructionẽ, non in destructionem 194.15
¶ Gal. 1. Paulus apostolus non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christum 192.51
Per Iesum Christum & Deum patrem 72.19
2 Christus esset peccati minister 126.39
3 Quis fascinauit uos 220.29
In semine tuo benedicentur, &c. 74.39
Christus duorum mediator est, sed Deus unus est 82.23
5 Sed fides per charitatem efficax 145.51
Si comeditis & mordetis inuicem, uidete ne abinuicẽ consumamini 129.11
Quòd si spiritu ducimini, non estis sub lege 126.21
¶ Eph. 1. Laudandus Deus Domini nostri Iesu Christi. 74.43
2 Et simul cum eo sedere nos fecit inter cœlestes. 217.54
Prædestinati enim sumus ad bona opera in Christo. 116.44 71.29
Qui antè sperauimus in Christo 87.10
Ipse enim est pax nostra 67.55
4 Vnus Deus 167.39
Vnum baptisma 121.6
5 Dies enim mali sunt 87.23
Ac tradidit semetipsum pro nobis oblationem & uictimam Deo in odorem bonæ fragrantiæ 166.35
Et mundauit sibi Ecclesiam, ut adhiberet eam sibiipsi gloriosam sponsam, non habentem maculam, &c. 185.33 146.51
Per lauacrum aquæ in uerbo 199.59
Christus est saluator Ecclesiæ 188.5
¶ Philipp. 1. Ita ut uincula mea manifesta sint facta in Christo, &c. 159.4
2 Per humilitatem animi alium quisq; se præstantiorem existimet 69.47
4 In omni precatione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud Deum 186.55
¶ Col. 1. Christus est imago Dei 170.25
Et ipse est caput corporis Ecclesiæ 87.38
Per quem habemus redemptionem, &c. 62.27
Quoniam in illo complacitum est patri, reconciliare per eum cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius, &c. 237.40
2 Quia in ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter 124.2
Expoliatosq; principatus & potestates, ostentauit palàm, &c. 224.7
3 Qui (homo) in agnitione Dei creatus est. 108.36 143.25
Nunc igitur deponite, &c. blasphemiam 210.38
Salutat uos Aristarchus concaptiuus meus, & Marcus, &c. 207.12
¶ 1. Thes. 1. Gratia uobis & pax, &c. 224.28
3 Vt confirmet corda uestra irreprehensibilia, &c. in aduentu Domini nostri Iesu Christi 234.55
4 Cæterùm nolo uos ignorare fratres de ijs qui obdormierunt, &c. 210.7
Deinde nos qui uiuemus, & reliqui erimus, &c. 97.7
5 Cum enim dixerint, Pax & securitas, &c. 191.9 & inde.
Sicuti dolor partus mulieri prægnanti, nec effugient. 210.37
Nolite contristare Spiritum sanctum, qui est in uobis. 121.16
¶ 2. Thes. 2. Nisi primùm uenerit defectio
¶ 1. Tim. 1. Iesus Christus uenit peccatores saluos facere
Quos tradidi Sathanæ, ut discant non maledicere. 100.24 & 124.6
2 Deus enim uult omnes homines saluos fieri 61.5
Et unus mediator, &c. homo Iesus Christus 77.19
3 Qui episcopatum desiderat, &c. 191.56
Presbyteri, qui benè præsunt, &c. 192.8

Episcopus

Episcopus sit irreprehensibilis 195.14
6 Siquidem malorum omnium radix est cupiditas. 118.43
¶ 2. Tim. 3. Quicunq; uolũt piè uiuere in Christo, persecutionem patientur 198.55
¶ Tit. 1. Episcopus sit hospitalis 195.46 liberos habeat fideles, &c. 197.3
2 Apparuit enim gratia Dei salutifera, &c. 138.57
3 Stultas autem quæstiones & contentiones deuita 219 38
¶ Heb. 1. Deus olim multifariam, multisq; modis locutus patribus per prophetas, extremis hisce diebus locutus est nobis per filium 92.41 & 224.40
Christus est splendor patris 69.55
Rursum autem cùm inducit primogenitum 71.48
Qui in ministerium emittuntur propter eos qui hæredes erunt salutis 103.35
2 Non enim angelos, sed Abrahæ semen assumpsit. 118.50
Minor angelis factus est 90.18
3 Hodie si uocem eius audiueritis, &c. 161.13
4 Dixit enim in aliquo loco, Et requieuit die septimo ab omnibus operibus suis, &c. 218.4
6 Impossibile est, eos qui semel fuerunt illuminati, &c. 219.39
Heb. 7. Tu es sacerdos in æternum, &c. 81.21
Melchisedek sine patre & matre 77.45 & 236.11
9 Non enim in manu facta sancta ingressus est Christus, sed in ipsum cœlum 218.8
Et quatenus illud manet omnes homines ut semel moriantur, post hoc autem iudicium: ita & Christus, &c. 208.54
10 Cum ergò, fratres, habeamus libertatem adeundi in sancta, &c. 170.46
Hic uerò (Christus) una pro peccatis hostia, &c. 234.4
Perfectos nos fecit 92.11
Si uolentes peccauerimus post acceptam cognitionem ueritatis, non ultrà pro peccatis reliqua est hostia, &c. 167.48
Per uelamentum, hoc est per carnem ipsius 178.15
11 Per fidem translatus est Henoch ne uideret mortẽ, &c. 208.47
Quoniam ex ipso & per ipsum, &c. 100.45
13 Exeamus igitur ad eum extra castra, opprobrium eius portantes 178.26
¶ 1. Iob. 5. Est enim peccatum ad mortem, pro quo non dico ut oretis 123.54

LOCORVM SCRIPTVRAE
FINIS.

RERVM ET VERBORVM IN VNDECIMA ECCLESIASTICAE HISTORIAE CENturia præcipuè memorabilium

INDEX.

Aaron Cracouiẽsis episcopus 606.15 à Benedicto papa quibus uerbis ordinatus 283.45
Abæ regis Vngarorum corpus, post mortem effossum, alioq; translatum 301.38
abbas Vngarorum rex in fuga trucidatus 51.13
abbas unus pluribus cœnobijs interdum præfuit 323.49 sic abbatissa una 324.17
sine Abbatis consensu peregrinationem longinquam suscipere, monachis non fuit licitum 331.38
abbati præstandæ obedientiæ regula ab Anshelmo posita 331.20
de Abbate inter papam & monachos schisma 407.30
de Abbate eligendo inter Hirsaugiẽses monachos dissidium 398.6
abbates monasterijs præfuêre 323.46 agros, pagos, oppida possidere, à papis permissi 378.20 à monachis electi 324.27
de Abbatum electione, Henrici IIII Imperatoris sancitum 324.28 & Vrbani. ibid.43
abbatum munus quod fuerit 325.34 bellum 439.28
de Abbatissis & uirginibus Vestalibus 654.1
abbatissæ monialibus dominabãtur. 324.6
pro Abbatijs ambitiosum monachorum pecus Principum aures importunè obtuderunt, & largitionibus ad dignitates aspirarũt. 325.30
absoluendi potestas penes quem sita 172.43
absolutionem certis tristiciæ signis pœnitentes petierunt 267.1
abstinentia nimia qui corpus & ualetudinem suam læserunt 332.16
Achelnotus, siue Egelnotus Cantuariensis ecclesiæ antistes 609.4
in Acie qui episcopi ceciderint 595.21
acoluthorum ordinatio 285.57
Adam quando creatus 107.24 Anshelm. qualis, 110.3 Anshelm. quomodo à muliere seductus. 615.17 Anshelmus
Adæ peccatũ humano generi quando dimissum Anshel. 87.38
Adæ præpostera fides. Alg. 118.29 status in paradiso ante lapsum 209.2. & inde
de Adamo quodã monacho Chron. Cass. fabulosa narratio 672.14
Adelbero Vuirtzburgensis episcopus 576.26
Adelbero, Theodorici prædecessoris sui fratruelis, apud Metenses præsul 555.56
Adelbero & Heinricus Boiorum duces, aduersus Imperatorẽ conspirantes 31.36
Adelbero Herbip. episc. 400.53
Adelboldus Traiectensium episcopus 583.53
Adelbertus Hamb. 369.6
Adelbertus Pragensis episcopus 27.41
Adelbertus Vuormaciensium monstrosus episcopus 573.49
Adelgerus ab Henrico III ad Vuormaciensem ecclesiam regendam missus 573.26
Adelheidis abbatissa 654.4
Adelheidis mariti sui Friderici Saxoniæ principis interfectrix. 344.12
Adelhelmus tertius S. Michaelis apud Bambergensis abbas 641.1
Adelmannus Grammaticus ex Leodicensi clerico Brixensis episcopus factus 549.51
Ademarus Podiensis episcopus 22.42 & 558.15
de Aduentus Dominicarum numero & ordine, hoc tempore orta disceptatio 289.16
Alduinus Vintonensis episcopus. 621.39
adulti priusquàm baptizarentur, in doctrina Christiana instructi. 260.46 ad baptismum nudari soliti 261.57
adulteri 343.51
de Adulteris quæstio decisa 449.2
adulterium grauiter punitum. 568.1
ægroti quid facere soliti 296.14
ægrotos uisitare quorum hac tempestate munus fuerit 296.4
ægrotos compellãdi forma ex Anshelmi epistolis sumpta 296.49
cur Affligantur pij, Anshelm. 119.39
adflictiones præsentis uitæ nullo modo pares uel dignæ futuræ gloriæ. Anshelm. 217.10
Africani doctores 515.26
Africæ ecclesiæ 18.30
de Africæ Ecclesijs Leo nonus 18.32
Agareni quas turbas in Asia sub Cõrado secundo Imp. dederint. 704.45
cum Agneta Imperatoris coniuge, qui remotis arbitris, nimis familiariter uersatur episcopus, grauem pœnam luit 568.6
agni paschalis carnes aqua coctas quando comedamus. Berno. 78.54
de Agnitione Dei 108.36
Alba obsessa, oppugnata atq; direpta 729.39
Albæ templum 250.14
in Alba regia basilica in honorem Mariæ extructa 28.17
Albanenses episcopi 548.53
Albericus Cumanus episcopus 549.32
Albericus primus canonicorũ suffragijs electus, Mersburgensis episcopus 603.44
Albericus cœnobij Cassinensis diaconus 629.53
Albertus Bremensis episcopus ab Henrico III protectus 336.49 infœlix eius contractus 358.16
Alberti Bremensis pœnitentia de uerbis quæ incautè protulerat. 269.41
Alberti Bremensis episcopi Nigromantici morte impendente, quæ miracula uisa 666.25 iam morituri confessio, & misera consolatio 296.20
Albertus Hamburgẽsis episcopatus rector 587.9
Albuuinus Hirsfeldensis præpositus 647.41
Aldenburgensis ecclesia in tres episcopatus distributa 369.6

Aldenburgenſis epiſcopatus in tres diœceſes partitus 583.13
Aldenburgenſes epiſcopi 597.48
Aldredus Eboracenſis præſul 620. 44
Alexander papa immundum ſpiritum eijcit 286.47
Alexander III papa 532.39 qua occaſione pontifex Romanus creatus 722.1 ſuperſtitiones imponit 377.36
Alexandri III pontificis ad Imperatorem Henricum imperiale ſcriptum 378.57
Alexius Conſtantinopolitanæ eccleſiæ antiſtes 516.25
Alexius Comnenus Conſtantinopoleos Imperator 368.6
inter Alexium Comnenum & Robertum Guiſcardi filiũ, bellum. 719.56
Algerus Corbeienſis monachus. 648.9
Almãnus Merſburgenſis epiſcopus. 647.44
Alphanus ex Caſinenſi monacho abbas, poſt Salernitanus archiepiſcopus factus 547.10
Alphei corpus leuatum, & Cantuariam remiſſum 304.32
altaria conſecrari ſolita 251.29
ambitioſi 343.5
ambitioſi epiſcopi 587.40 & 597. 29
ambitionis ſchiſma 417.29
ambitus condemnati 392.33
D. Ambroſij epiſcopi Mediolanẽſis apparitio Brunoni facta 621.57
Ambroſij defuncti iuſſu Conradus Imp. Mediolani obſidionem ſoluit. Sigeberti fabula 673.59
Amichadus Fuldenſis monachus. 634.1
pro Amicis & fautoribus ſuis miſſi ficantes ſacerdotes orare ſoliti. 277.29
amor ſeu dilectio Dei, finis ad quem homo conditus eſt. Ansh. 108. 45
pro Amore Dei precatio. Ansh. 155. 54
ampliatio eccleſiarum huius ſeculi. 28.44
ancilla dominis recalcitrans excommunicata 554.13
Andlouienſes moniales 654.29
Andreas Vngarorum rex 30.5 & 713.40 edicto religionẽ ritusq; ethnicorum prohibet 691.51
Andreas Leucander monachus & abbas Rameſienſis cœnobij apud Giruios tertius 649.9
Andreas & Leuenta ab exilio reuocati 37.8
Andreæ, regio diademate iam potiti, pijſſimum pro eccleſiæ pace propoſitum edictum 37.49
D. Andreæ ædes dicat. 248.32 cænobium conſtructum 313.39
inter Andream Vngariæ regem eiusq; fratrem Belam inteſtinũ bellum 729.6
Angelricus Dunelmenſis præſul relicto epiſcopatu, ad monaſteriũ confugit 329.23
angeli boni 102.24 unde ſint 102. 26 ſunt teſtes humanorũ actuũ. 103.33
angeli mali cur non redempti 118.50
angelorum bonorũ ſubſtantia 102. 34 confirmatio. ibid.37 opera 103.24
de Angelorum linguis. Ansh. 226.12
angelorum bonorum & malorum diſcrimen. Ansh. 200.57
angelorum malorum lapſus quare irrecuperabilis 106.46
de Angelorum triſticia 146.44
in Angelorum honorem ædes condita 248.6
angelis qua ratione Chriſti paſſio utilis fuerit 90.44
angelos nos iudicaturos. Anshel. 209.9
de Angelis, Anshelmi opiniones 225. 51
Angli à Normannis ſuperati 345. 15
Anglia 27.11
Angliæ monachi 648.53 ſtatus ſub Henrico III Imp. 715.10 & inde
in Anglia ſchiſma 418.56 ſub Heinrico II Imp. motus 703.52 motus ſub Heinrico quarto. 744.13
anima 109.22
anima hominis unà cum corpore poſt lapſum qualis 110.48 ubi ſit 209.42 unde ſit. ibid.29
anima unaquæq; rectè credentis primum timore, deinde amore compungi debet. Berno 161.32
anima Chriſti quando & ad quid in infernũ deſcenderit. Alg. 89.20
animæ hominis nomina 209.24
de Animæ pœna poſt mortem. Iuo. 552.13
ſecundum Animam Chriſtum non eſſe mortuum. Ansh. 85.1
de Anima ueterum traditio 209.22
animæ hominum quò perueniant. 209.46
animas ab angelis in certamine cuſtodiri, Petrus Dam. 103.26 beatorum, Dei amore inæqualiter feruere. Ansh. 216.10
de Animabus Ethnicorum opinio. 691. 45 piorum mortuorum. Anshel. 217.23
pro Animabus defunctorum pontificios oraſſe 300.10
animalium quorumcunq; eſus à quibuſdam hæreticis hoc ſeculo dãnatus 246.29
Anno rex Angliæ 388.54
Anno Colonienſis epiſcopus 559. 41 & 368.13
Anno perfidus Colonienſis archiepiſcopus 343.12 & 358.10
ad Annonem Colonienſem archiepiſcopum Henrici IIII Imperatoris epiſtola 421.4
Annus 109.4 pluuioſus dictus. 669.51
Anshelmus Cãtuarienſis epiſcopus. 613.1 eius opuſcula. ibid.19 opiniones 614.43 nimium monachos multis in locis extollit 615. 34 multæ lectionis fuit. ibid.42 præ infinitia ſui ſeculi epiſcoporum multitudine magis ipſi religio curæ fuit 616.20 exulat. 617.14 reſtituitur 618.36 eius mors 619.29 Ruffum Angliæ regem monens, omnibus bonis exuitur, inq; exiliũ eijcitur: poſt triennium uerò per Heinricum læto procerũ & populi Angliæ applauſu reuocatur 45.45
Anshelmus gentilium uanitatiũ primarius inſectator 693.41
Anshelmus Lucenſis epiſcopus, Romanus papa, Hellebrando auctore, factus 722.1 pulſo Cadolo põtifici ſubrogatur 417.44
Anshelmus Lucæ Tuſcorum urbis epiſcopus, Honorio repudiato à Nordmannis maximo pontifica tui imponitur 351.1
Anshelmi de Chriſtiana fide, ſumma 53.7 epiſtolæ ad Paſchalem pontificem Romanũ ſcriptæ, fragmentum 617.49
Anſuerus Ratisburgenſis monachus cum pluribus alijs à Sclauis propter religionem lapidibus obrutus 659.14
antichriſtus 189.47 unde ſit. Ansh. 48 qualis futurus. Bruno. ibid.

no.ibid.55.erit persecutor.Ansh. 190.56
antichristus Romanus quomodo adoratus 347.8
antichristi tyrannis à plerisq; animaduersa atq; perstricta 390.32
antichristi nota insignes episcopi. 596.22
antichristi Romani minas, excommunicationes, authoritatē quàm parui fecerint sancti uiri 389.17
de Antichristi operibus in regimine ecclesiastico 370.1
post Antichristi mortem 45 dies ad emendationem concessum iri his qui ad uitam sunt prædestinati, Ansh.somnium 234.55
de Antichristo, Bruno 575.58
Antiocheni doctores 515.6
Antipaparum dissidium 442.9
Antiphonam, post communionē dici solitam, siue offertoriū in Missa quis adiecerit 276.19
de Antiquis Sanctis, Anshelmi opinio 615.11
apoplexia tacti 600.4
de Apostolorum appellatione, Berno 191.28 quadruplici electione. Ansh. 192.51
in Apostolorum honorem templa ædificata 248.19
Apostolorum imagines 252.48
Apostolis alijsq; Sanctis sui dies dicati 291.6
appellationes ad papas factæ 383.60
Apuliæ urbes atq; castella à Normānō partim ui, partim dolo capta. 706.5
aqua frigida in baptismo adhibita. 262.6
aquæ benedictæ 677.47 & 678.10
aquæ consecratæ aspersioni humana superstitio quantam energiā tribuerit 582.31
in Aqua quare remissionis sacramētū Christus fieri voluerit. Ansh. 167.12
aquarum inundationes 667.43
Aquileienses episcopi 546.36
Aquisgrana synodus 445.48
ab Arabibus magna hominum multitudo attrita 718.50
ad Aras preces factæ 279.22
de Archiepiscopi autoritate Anglicum dissidium 418.56
inter Archipræsulem Romanū, & Michaelem Constantinopolitanum, ac Leonem archidiaconū schisma 401.46
archiepiscopi ab Imperatoribus constituti 389.35
archiepiscoporum sedes, in Gallia. 368.52 in Germania. ibid.39
de Archiepiscoporum ambitione schisma 401.13
archiepiscopos quosdam perpetuo legationum, ad uicinas gentes, officio, suo nomine fungi, pontifices uolunt 374.42
arculis aureis argenteisq; Sanctorū reliquiæ seruatæ 307.59
Argentinenses episcopi 569.44
arguendi potestas à ministris quomodo exercenda. Ansh. 194.15
Aribo doctissimus Moguntinorum episcopus 562.28
arma legitimo magistratui nequaquam prohibenda 452.44
Arnoldus Vuormacienſiū antistes. 573.35
Arnoldus post Hillewardum Halberstadensis præsul 599.29
Arnulphus superstitiosus Suessionēsium abbas & episcopus 554.22
Ascendunæ basilicæ consecratio. 251.1
ascensio Domini, cuius nos admoneat 223.58
Aselmus, Heinrici tertij sacellanus, Hildesiana sede potitus 597.8
Asiatici doctores 514.28
Asiæ ecclesiæ 17.45
Asiæ regnū à Tarquinianis occupatum 710.7
Asiæ ferè totius ditiones à Turcis subactæ 696.2
assumptionis Mariæ dies 293.26
astorgiæ exempla 342.51
Astricus 27.44
Astricus apud Vngaros, Colecensis episcopus 607.21
astrologia à Bernone oppugnata. 220.34
asyla sua hanc ætatem in templis habuisse 253.51
Atdericus Barsosus in Hybernia monachus 650.52
Athenulphus Cassinensium abbas, perfidia insignis 627.55
Auacus Roschildensis episcopus. 626.51
de Auaris 130.39
auariciæ qui pœnas luerūt 604.44
Auersanus Guimondus Veronenſiū episcopus 548.17
Augienses monachi 636.51
Augustani episcopi 567.16 monachi 641.24
de Augustanis episcopis dissidium. 440.1
Augusta capta, expoliata, incensa, deiecta 400.3 & 701.49
de Aulæ infœlicitate, Anshelmi querela 616.60
Aulas episcopos secutos 361.26
Aurelianenses episcopi 556.38
S. Aurelij corpus inuentum atq; leuatum 302.54.
aurium sordido humore infantes uncti 263.48
Azechonis præsulis Vuormacienſis epitaphium 573.17
azymus panis in cœna hac ætate usurpatus 271.49
azymi panis usus in sacra cœna à Berengario reprehensus 245.54
aduersus Azyma lex à patribus in Synodo constituta 306.52
azymis panibus in cœna non utendum, hypothesis à Michaele Constantinopolitano quibus argumentis confirmata 401.58 quomodo à Leone IX refutata 403.41 quomodo ab Hūberto, Syluæ candidæ episcopo 405.36

B

Baalitici cultus studiosi 586.8 propagatores episcopi 597.20 & 606.23
Bibo Abusinæ & Koræ princeps, triginta duos filios & octo filias ex duabus legitimis uxoribus gignit, educat, ac post se superstites relinquit 661.44
Baldricus Leodiensium XLVII episcopus 581.47
Balduinus Morinorum episcopus. 555.3 Nouiomagensium præsul. ibid.39
Balduino & Rachildi cōiugi, quòd inconsulto Romano pontifice in prohibito gradu connubium inierē, sacris interdictum 553.25
Bambergensis episcopus ambitus condemnatus, alboq; pontificum eradicatus 392.32 ecclesia sacris initiata 250.40 horrendo fulmine à Clemente II manita. 572.55 dedicatio 377.12 priuilegium à Leone IX concessum. 378.2 priuilegium ab Henrico Imperatore donatum 396.8
Bambergensis episcopatus præsente pontifice Romano confirmatus ac dedicatus 385.58
Bambergensi episcopatui ab Henrico, eiusq;

rico,eiusq; coniugi Chunigundi quomodo prospectum 395.30
Bambergensem ecclesiam qua lege cathedralē esse,Benedictus VIII pont.concesserit 376.50
Bambergenses episcopi 579.15 monachi 640.51
Bambergense schisma inter episcopum & clerum 437.34
baptizare episcopi soliti 355.49
baptizandum quomodo sit 167.17
baptizandi ter aquæ immersi 262. 12
baptizatis Spiritus S. donatur. Ansh. 169.17
baptismus 166.28
baptismus necessarius 166.29 quid sit. ibid. 35 unde sit. ibid. 45 unus tantū 167.39 qui iterari nec debet nec potest. Ansh. 167.39
baptismus ab episcopis & sacerdotibus administratus 259.44
baptismus Christi 93.41
baptismi diuisio 166.41 materia. 167.11 typus 168.17 finis atq; utilitas. ibid.37 & inde. dignitas non à ministri persona, sed à Christo Domino pendet 167.4 trina mersio triduanæ sepulturæ Domini imago. Ansh. 167.34
de Baptismi usu,luo 552.4
ob Baptismi diuersam in administrādo formam Occidentalis ecclesia ab Orientali damnata 401.3
baptismum iterare nephas 262.57
circa Baptismum ritus 259.41 casus 263.48
per Baptismū omnia peccata dimittuntur.Ansh. 170.17 & ibid.42
baptismo Iohannis baptizatos, in Christi baptismate rebaptizari oportuisse, Ansh.næuus 233.14
in Baptismo cur aqua adhibita.Algerus 168.46
de Baptismo Christi, Anshelm. 171. 18 infantum 170.58
de Baptismo infantum.luo 260.27
de Baptismo Iohannis, Anshelmi erronea doctrina 233.10
de Baptizatis ab hæreticis.Meginh. 53
Bardas Slerus, maximas passim in Orientali regno turbas dat. 697.22
Bardo Vuederouianus, apud Moguntiam episcopus 562.38
Bardo Mog.epis. obitum suum præ dicit 364.45
Barensis synodus 513.34
Bartholdus Tullensis episcopus. 557.30
Barvuardus comes de Sommerschē burg, Hildesheimensis præsul. 595.50
Basilius apud Casinum abbas 628. 38
Basilius hæreticus 656.6 Bogomilorum sectæ patronus 247.11
propter Bauaricum regnū inter Cōradum Imperat. & Stephanum Vngariæ regem bellum 708.12
Bauaria quas habuerit sub Henrico quarto Imp. dominorum mutationes 730.34
Beatrix Bonifacij II Italiæ marchionis uidua,Imperatori, ab eo obiurgata, quòd Gotfrido Lotharingo nupsisset,quid respondent 339.5
Bela Vngarorum rex, Christianis æquus & beneuolus 46.28
bella ab episcopis gesta 363.6 à papis gesta 379.6
Beluacenses episcopi 557.54
S.Benedictus Vrbano papæ per quietem apparet, eiūq; de rebus agēdis admonet 679.39
Benedictus octauus, Romanus papa 520.33 nonus 521. 41 Hūberto archiepiscopo post mortem apparet,nigro equo insidēs, &c. 682.57
Benedictus nonus,quibus cōditionibus Polonis regem ex monasterio eductum restituat 384.35 de turbatus,denuoq; exaltatus 394. 31 & 399.50 post obitum monstrosa facie conspectus 663.9
Benedictus X papa 530.25
ob S. Benedicti amorem atq; reuerentiam à Benedicto papa, quæ reliquiæ de Lateranensis palatij sacrario Casinum missæ 305.26
ad D.Benedicti sepulchrum angelorum chori Deo laudes canunt. Chron.Cass.fabula 675.5
Benedicti bonorum inuasores diris execrationibus à papis deuoti. 372.13 interuentu, anima à diabolo uincta liberatur. Chron. Cass. 677.52
Benedicti noni post mortem apparitio 400.19
Benedicti monachorum patris ope Vrbanus II à pleuritide se liberatum affirmat 377.7
S.Benedicto ab Agneta Imperatrice quæ donaria oblata 249.54
Benedicto papæ Henricus II quomodo obuiā processerit 347.10
Benedicto VIII papæ,urbi Bābergensi appropinquanti,Henricus secundus imperator qua pompa obuiam processerit 385.42
de Benedicto octauo Romano pontifice 397.47
Benedictina cœnobia plurima ædificata 314.19 & inde beneficia omnia à Deo nobis cōtingunt, ideo pro his ipsi grati simus.Berg. 159.11
Benetha in Vngaria episcopus. 608.1
Beneuentana synodus 500.38
Benno cardinalis presbyter Romanæ ecclesiæ 546.15
Benno Misnensis præsul 604.56
Benno septimus Aldenburgensium episcopus 598.12
Bernarius decimusoctauus Verdensium episcopus 592.11
in Berchach synodus celebrata. 499.44
Berengarius 16.23 & 18.55 hæreticus 656.18 eius encomion 657.1 castitas 658.9 hæresis quando,ubi, & qua occasione innotuerit 454.55 reuocationis eius exemplar 458.18 & 239.47
contra Berengarium prima Romana synodus 454.44 secunda Vercellensis synodus 456.1 tertia Thuronensis synodus 457.9 quarta, alia Romana synodus. ibid.55
Berengariorum criminatio de secessu comestorum 245.30 ad hanc responsio. ibid.37
Bernhardus Saxoniæ dux 701.30 ecclesiæ persecutor 32.41 huius Bernhardi filius ibid.51
Bernhardus Sueuus, à quarto Heinrico Osnaburgensi episcopatu donatus 585.26
Bernhardus marchio 167.21
Bernhardus Magdeburgensis archimysta, belli ciuilis author 363. 38 inter fugiendum à populari bus occiditur. ibid.
Bernhardus, siue Burchardus, aut Buggo Halberstadianæ ecclesiæ duodecimus episcopus 600.23
Bernhardus Corbeiensis monachus. 648.26
Bernhardus Toletanus 22.52
Berno,siue Bernhardus, Augiensis cœnobij doctissimus abbas. 637.5
Bernoldus Constantiensis ecclesiæ presbyter

presbyter 567.4.
Bernulphus & Machtunus prodito res 342.36
Bertulphus apud Gestellanos diues & nobilis, uxoricida 328. 51
Bethlehemitani 18.17
Bezelinus cognomento Alebrandus, Hamburgensis præsul 587. 9
bibacitate extincti 627.21
de Bibliothecis 366.55
bibliothecis nonnihil operæ, præ cæteris à Cass. monachis impēsum. 366.56
bibliotheca Herueldensis 367.23. Hirsaugiensis. ibid.29 & inde. Argētmensis. ibid.55 Lateranensis. ibid.59
Bibo 22.36
Bibo Tolosanus episcopus 557.46
blasphemi in Christum & D. Petrū hæreditaria lepra puniti, Vincentij narratio 671.50
de Blasphemia 124.1
Bobo siue Popo, Fuldensis abbas. 632.48
Bogomilorum secta 247.10
Bohemi 23.43 à Miecislao Polonorum rege desciscunt 208.29
Bohemia Henrico Imperatori iterum tributaria facta 714.4
Bohemiæ episcopi 605.29
inter Bohemiæ regē & Pragensem episcopum dissidium 441.37
Boistluus Stephanus Scytha 711. 32
Boleslaus Poloniæ rex 394.8
Boleslaus II rex Poloniæ iniustus. 341.26 adulter 343.54 crudelis & impius 45.57 & 743.42 à Stanislao Cracouiēsi episcopo de uitæ emendatione ad monitus 46.5 inaudito languore miserè interit 49.16
Bona ecclesiastica 365.24
Bona quædam ecclesiæ contulēre
Principes 365.25
& alij. ibid.33
ex legatis. ibid.38
ex spolijs & rapinis. ibid.57
Data sunt autem
Villæ 366.6
decimæ. ibid.26
Bonorum ecclesiasticorum usus.
Sustentatio episcoporum. ibidem 35
pauperum. ibid.42
captiuorum redemptio. ibidem 48
¶ Bona ecclesiæ qui luxu & prodigalitate dimmuerunt episcopi. 571.54 & 582.44
qui suo Beneficio & parsimonia eadem auxerunt 572.2 & ibi.18 & 581.48
bona ecclesiastica à politicis magistratibus rapta 397.20
bona aliena qui inuaserat episcopus, quas pœnas dederit 600. 1
bonis ecclesiæ episcopos abusos. 363.55
pro Bonis ecclesiæ muniendis cōtra raptores, signum mendax 683. 51
bona omnia à Deo condita esse. Ansh. 102.13
Bonifacius Albanensis episcopus. 548.55
Bonifacij & VII fratrum festum à quo & ubi institutum 358. 49
Botoniates Imperator 346.12
brachium Dei, cur patris filius uocetur 69.12
Brando, ex Fuldensi abbatia ab Henrico II ad Halberstadensem episcopatum uocatus 599.41
Bremensis Hamburgensisq; diœceses, miserè uastatæ 586.18
ad Bremensis ecclesiæ instaurationem Henricus IIII imper. quæ contulerit 250.1
Bremenses seu Hamburgenses episcopi 585.57
Britanni doctores 608.21
Britovvoldus ex Glasconiensi monasterio Vintonium siue Vigornium ad Ecclesiæ gubernationē accitus 621.24
Brixiani episcopi 549.40
Bruno Mersburgensiū quintus episcopus 603.27
Bruno Verdensis ecclesiæ antistes. 591.42
Bruno episcopus Augustanus 567. 33
Bruno XVI Mindensium episcopus 593.24
Bruno Conradi Carinthiæ ducis filius, Vuirzburgensis ecclesiæ præsul 574.26 eius de præcipuis cœlestis doctrinæ capitibus testimonia. ibid. 38 & inde. errores 576.5 fatum. ibidem. 27
Bruno patria Colonienſis, cœnobij Cathusianorum fundator 512. 6
Bruno Metensis episcopus depositus 392.26 652.18
Bruno eremita
Brunonis Herbipolensis episcopi miserabilis exitus 663.17
inter Brunonem Romanum papam & Moguntinum archiepiscopum dissidium 399.10 32.17
Brunus
Brunus Magdeburgensium canonicus, martyr 658.17
in Bruhesare pago miraculum editum 660.4
Brūsvuigensis ecclesia à Ludolpho marchione amplissimis reditibus donata 365.29
Bucco Halberstadiensis episcopus. 360.13 & 417.30
Bulgari ab Imperatore Basilio misere tractati 699.50
Burchardus, Brandonis in Halberstadensi episcopatu successor. 599.53
Burchardus nobili apud Hessos familia natus, post abbatiæ Laubachensis & Moguntinæ administrationē, Vuormacien sibus episcopus datus 572.32
Burchardus huius nominis secūdus, Sangallensis abbas 634.18
Burchardus Losannēsis episcopus. 22.38
Burchardus Halberstad. episc. 415. 5 & 364. 59
Burchardus Basilienſis episcopus. 567.9
Burchardus Treuirensis præpositus 565.2 ad Rutenorum regem ab Imperatore missus 393.35
Burgundia à Rodolpho rege imperatori Conrado tradita 707.17
Byzantinæ urbis templum expoliatur 44.9

C

CAdauera antequam sepulturæ traderentur, lotione & aromatibus curata 298.34 hostiū in Hierosolymorum expugnatione interemptorū, à Christianis igne combusta 302.19
Cadolus Parmensis episcopus Romanis pontifex datus 712.1 iterū deijcitur, Anshelmo Lucensi sublimato 417.44
à Cæsare uocari uel ordinari papæ nolunt 379.13
pro Cæsare Augusto, neminē, nisi cui ipsi coronam imposuerint, habe-

rint,haberi uolunt. ibid.38
Cæsares Romani,qui undecimo hoc seculo imperarunt 15.4
Cæsius color hoc seculo inter monachos in usu esse cœpit 332.58
Calicis Dominici uinum in sanguinem uersum 278.27
Calypha Aegyptiorum princeps. 30.60
sub Calypha Aegyptio principe, apostata,Christiana religio quã topere periclitata 747.17
campanis hac ætate homines ad conuentum uocati 156.23
Campanus natione Longobardus, doctor,philosophus,& astronomus celeberrimus 655.48
Cameracenses doctores siue episcopi 552.56
Campidonense oppidum 639.24.
Campidonenses monachi 639.15
candelæ ad imagines in templis collocari solitæ 254.27
candoris exemplum 338.17
canendi arte insignes 630.42
de Cantionibus ecclesiæ huius seculi. 256.58
canonicorum collegia atq; templa plurima in monasticæ professionis examina mutata 318.43
Cantuarienses doctores 608.24
Canusij Cæsar qua conditione in gratiam receptus 380.15
Canutus Daniæ rex suæ superbiæ pœnam luit 340.11
Canutus Suenonis filius, diligens regni sui administrator 337.11
captiui bonis ecclesiasticis redempti 366.48
cardinales atq; archiepiscopi, qui suæ dominationi assistant, à papis creati 375.29
cardinales Romani 543.26
cardinalium nomen hoc demum seculo in precio haberi cœptum. 354.3
carnis nostræ & Christi discrimen. 74.24
de Carnium interdicto usu tempore Quadragesimæ, pro confirmando errore signũ mendax 681.14
carnibus quibus temporibus abstinendum 447.36
Carolus patria Thuringus,Constantiensis episcopus 566.13
Carrina, siue carena, nulli pœnitenti ab ullo presbytero,nisi infirmitas interuenerit,diuidenda,decretum 450.24
Carrinam,siue carenam suam dum pœnitens ieiunat, de loco ad locum non migret. ibid.43
Carthusiani monachi 312.5
Carthusianis monachis à Brunone eius sectæ authore, quæ obseruãda proposita 329.46
Cassinensis cœnobij pomposa dedicatio 320.4
Cassinensis cœnobij fines ferro flamq; perdere qui milites constituunt,S.Benedicti meritis impediuntur 684.19
Cassinensis ecclesiæ nouæ dedicatio ni qui adfuerint 250.46
Cassinenses monachi 627.42
de Castitate 130.6
CASVS circa baptismum 263.47
claues 270.58
cœnam 278.13
nuptias 294.37
sepulturam defunctorum 301.9
uisitationem ægrotorum.ibid. 9
¶ Cathelo Cicensis episcopus 605.2
Caupæ seditiosi, miserabilis exitus. 50.32
Cazimirus rex Poloniæ 26.21
Cazimirus monachus atq; diaconus professionis sacramentiq; religione solutus 327.21
Cegenes Pazinacarum dux defector 690.7
census,in longinquis regionibus,ab ecclesijs Rom. pontifices extorquent 376.49
censuras suas alijs omnibus ecclesijs; hac appendice,ne cuiquã dissentire fas sit,Romani pontifices obtrudunt 371.44
Centius ab Hildebrando pont.misere excrũciatus 378.44
de Ceremonijs & ritibus ecclesiæ huius temporis 247.38
cereus accensus in manum baptizati datus 262.45
charitas Spiritus sancti effectus 97.37
charitatem qualem proximo nostro debeamus.Bern. 88.50
ut Charitatem suam Deus comendaret,ideo filium pro nobis mori uoluit.Ansh. 141.24
sine Charitate fidem ad salutem nihil ualere, Anshel. næus. 229.4
Chosroes Babylonius 698.47
Christiana Edouuardi Angliæ regis filia monialis facta 654.25
Christianæ fidei apostatæ 690.35
Christianorum huius seculi qui fuerint mores 336.31
Christus imago Dei 69.37 patris splendor. ibid.54 puer 70.9 pascha. ibid.16 iusticia. ibid.42 saluator 70.46 magister. ibid.50 petra. ibid.56 pontifex 71.4 Deus. ibid.15 æternus Dei filius. ibid.36 unigenitus & naturalis Dei filius. ibid.44 patri æqualis. ibid.58 & 72.13 homo 73.11 etiam post resurrectionem uerus homo manſit 77.8 minor angelis 90.18 hostia & oblatio 84.8 redemptor noster 91.3 & quidem unicus. ibid.30 medicus. 92.36 sine patre & matre 77.44 alio modo de Spiritu sancto,alio de Maria natus 73.42 quomodo peccatum in se deriuarit 84.41 quomodo fiat propitiatio nostra 144.11 quomodo Spiritum sanctũ habuerit. 92.51
Christus ab Apostolo cur finis dicatur 149.31 est Messias 82.29 cur mortuus 85.34
Christi officium 80.51 & Sanctorum differentia 93.8 uita nobis disciplina est 128.27 humiliatio 89.49 oratio 90.32 humilitas,nostræ naturæ massam assumentis 77.55 circumcisio. 93.22 transformatio 93.30 ignorantia 94.16 passio 82.35 descensus ad inferos 89.20 præcipua beneficia.Ansh. 132.15 sine Christi uniuersali satisfactione nemo saluatur. Ansh. 124.27 imagines 252.33
in Christi honorem templum extructum 248.1
Christum uerè & natura Dei filiũ fuisse,à Sathana, quando ipsum tentabat,ignoratum.Ansh. 226.34
de Christo,Bruno 574.53
de Christo,uera Iuonis sententia. 551.14 de eius beneficijs. idem ibid.28 quid Ethnici docuerint. 691.1 quomodo ab Anshelmo refutati 693.48 phrases & regulæ 101.1
in Christo duæ naturæ 75.32 personaliter unitæ 78.16 & 76.30 omnes iustificantur, qui credunt in eum.Ansh. 138.33 per fidem seu spem redemptio habetur. Anshel. 170.29 & prophetis Deus impari ratione habitat. 92.41

Chunegundis imperatrix, uenefica, seu maga 340.41
Chunegundis quomodo se suspicione de adulterio liberarit 348.27
Chunorum immanitas 46.58
de Cibi, qui est Christus, ui atq; efficacia 81.5. Alger.
de Ciborum libertate. Ansh. 202.27
Cicenses episcopi 605.1
de Circumcisione spirituali 171.38
de Circumcisione Christi 93.22
de Citharœdo quodam narratio. 670.47
Claromontensis synodus 512.8
Clarus Salgenstadensis monachus. 647.36
claues 172.1
claues regni cœlorum quid. Ansh. 172.2 unde sint. ibid. 17 erga quos usurpandæ. ibid. 36
circa Claues ritus 264.2
de Claue ligante 264.3 soluente. 266.18
clauium potestas soli Petro cõcessa, Ansh. error 235.21
de Clauo, quo Christus cruci affixus credebatur, miraculosa, uel potius fabulosa narratio 674.26
Clemens II Romanus papa 524.1
Clemens III papa 539.57
de Clerico quodam amatore, Ranulphus 335.51
clerici quo tempore ordinandi, Leononus 285.17 uxorati excommunicati 264.37
clerici, ne canes uel aues ad uenationem alerent, neúe secularia negocia exercerent, in Salegunstadensi conuentu statutum 454.15
Cluniacenses monachi 631.15
de Cœlibatu ministrorum ecclesiæ quas nugas hæc ætas tradiderit. 235.49
cœlebs nisi quis sit, ad sacros ordines non admittatur, Vrbani secundi decretum 541.11
cœli ianua per Christũ nobis aperta 213.26
cœmiteria sepulturæ loca 299.4
cœna Domini 173.17 unde. ibid. 19 omnibus cõmunis 180.28 apud quos fructificet. ibid. 33. Ansh. quomodo accipiẽda. Lanfr. 179.28 à ieiunis accipienda 273.44
cœnæ sacræ uim & efficaciam non pendere à persona ministri. 181.7
de Cœnæ materia siue substantia. 173.27 duabus partibus 178.46 typo 284.4
cœnam sacrã cur Christus nec antè nec pòst, sed in ipsa passionis hora instituerit 181.38
ad Cœnam accedere qui debeant. 180.23
de ijs qui ad Cœnam indignè accedunt 180.45
circa Cœnam ritus 271.4 casus. 278.13
cœna sacra infirmi usi 297.24 nõ usos sacris locis humare, hoc Seculo pro piaculo ductum 302.11 communicantes cõtritionem habeant 173.43
in Cœna cur fides tantopere exigatur 180.6
in Cœna siue azymo, siue fermentato pane utamur, non refert 245.56
in Cœna uerè adesse corpus & sanguinẽ Christi, quicquid sensus nostri mentiantur 175.14 corpus Christi quale exhibeatur 176.3445 ueritatem corporis Christi nõ minus à malo, nec magis à quolibet bono sumi 175.20 cur corporis & sanguinis sui ueritatem panis & uini specie tectam Christus nobis exhibeat 175.40 quomodo adsit corpus et sanguis Christi, etsi ratione intelligi non potest, tamen uerè adesse, fide statui debet 175.48 Christũ sub specie panis & uini nobis præsentẽ fieri stultum uidetur, sed stultis. 174.36 panem & uinũ mutari, Algeri somniũ 166.1 corpus & sanguinem Christi tantum elemẽtis immutatis & transformatis relinqui, unde sit quòd à quibusdam est assertũ 238.44 cur corporis sui inuisibilis præsentiã, in uisibilib. signis exhiberi Christus uoluerit 178.57 indignè quoq; manducãtes ueri corporis & sanguinis Christi participes fieri, ex August. probatur 241.53 & 244.20 Algerus affirmat, non percipi ab impijs ueritatẽ corporis & sanguinis Christi, argumẽta ex August. et Hilario sumpta. 244.31 eadem argumenta refũtata. ibid. 52
de Cœna sacra uarij errores uariæq; hæreses hoc seculo exortæ, ab Algero recitantur 243.15 Berengarij hypotheses 240.10 ex Lanfrãco, rationes quibus illæ sunt ab ipso confirmatæ. ibid. 38 refutatæ 241.31 nœuus Iuonis 552.25
cogitationes à diabolis non immittiti 103.56
cognatio spiritualis per baptismum facta, hoc seculo matrimonium impediebat 294.26
de Cognitione sui. Ansh. 162.2
collegia complura ab Alberto Hamburgensi erecta 588.11
de Colloquijs malis 15.
colloquia profana nulla in Ecclesia habeantur, Salegunstadensis concilij decretum 449.16
ad Colossenses epistola à Roma è carcere ab Apostolo missa. Ansh. 224.7
Colomãnus Scotus martyr 658.37 & 31.55
Colomannus Geysæ filius, Vngariæ rex 730.1
Colonienses episcopi 558.56 monachi 644.19
Coloniensium in archiepiscopũ suũ furiosus impetus 40.59 duras suæ in episcopum persecutionis pœnas luunt 48.47
Colonia ciuitas propter peccata in diaboli potestatem tradita, Georgij martyris interitũ deprecantis interuentu liberatur. Schafnaburgensis 672.19
colubrorum prodigiosum inter se prælium 665.10
columbæ proprietates. Ansh. 194.45 ministrorum uirtutes adumbrant. ibid.
in Colũbæ specie Spiritus S. cur apparere uoluerit. Ansh. 65.18
cometæ uisi 659.41 & 661.11 & ibid. 58 & 665.6 & ibid. 44 & ibid. 58
communione innocentia compromissa 549.2
conatus nostri boni, sine Deo irriti. 115.42
de Concessione. Ansh. 162.38
concilium nullũ papæ ratum haberi uolunt, nisi ubi ipsi, uel à se missi præsideant 371.54
conciones in dedicationibus haberi solitæ 251.25
de Concionibus in ecclesijs huius seculi 258.52
concordiæ qui studuerunt 338.7
de Concupiscentia 129.29
concupiscentia semper in hac mortali carne manet. Ansh. 126.47
de Confessione peccatorum. Ansh. 162.29

161.19 & inde.
confiteri peccata sua infirmi soliti. 296.14
de Confirmatione & chrismate. 263.9
de Congressibus publicis 247.50
in Congressu hoc seculo quæ facta. 256.46
cõgressus diurnos et nocturnos hoc tempore fuisse in usu 256.31
in Congressibus publicis modestia præstanda. Canon. 259.12
coniuges eundem infantem è baptismo leuare, ab Vrbano II prohibitum 542.26
coniugium 203.1
coniugium magni factum 338.59
coniugium sacerdotum ab Hildebrãdo pont. prohibitum 371.46
de Coniugio. Pet. Dam. 203.2
coniugia legitima quibus tẽporibus non sint cõtrahenda, Salegunstadensis synodi decretum 448.28
coniugia sacerdotũ à Petro Damiano Nicolaitarum hæresis appellata 462.21
à Coniugatis sacerdotibus cœnam sacram accipere, laicos detrectasse 278.44
coniurationis contra Imperat. (Henricum IIII) socij. Lambertus. 362.18
Conradus secundus Imperator 704.32 quando ad imperium accesserit 33.51 quòd fuerit religionis studiosus 34.3 quos in exordio regni sui hostes in Germania habuerit 708.9
Conradus Henrici IIII filius, Italiæ gubernator 294.41 in patrè impius 342.51
Conradus Boiorũ dux à Gebhardo Ratisponensi episcopo sui officij admonitus 356.58 & 727.15
Conradus Traiectensis ecclesiæ gubernator 584.31
Conradus Colonienſis præpositus, miserè peremptus 40.35
Conradi Imp. Christianissimum scriptum ad Vlricum Bohemorum regulum, qui Misconem Polonũ supplicẽ ipsi prodere in animo habebat 338.17
Conradi Austrasiorũ ducis nuptiæ damnatæ 444.38
Conradi Treuirensis episcopi tristia fata 564.27

Sub Conrado II.

Ecclesiæ tranquillitas & persecutio 33.49
synodi 451.8
miracula 661.55
motus & mutationes 704.30
¶ Comas Constantinopolitanus episcopus 518.31
consanguinitatis generatio quomodo numeranda 449.40
consecrationis & dedicationis ritus 250.34
de Consecrationis uirtute in cœna, Algeri error 174.2 & Lanfranci 177.11
consecratis rebus singularem uim inesse, signum mendax 677.42
Constantienses episcopi 565.10
Constantinus Afer 630.6
Constantinus Lichudes 517.50
Constantini Ducæ Imperatoris Constantinopolitani oscitãtiæ & inertiæ occasione, barbari liberè grassati 716.12
Constantiopolitani episcopi 516.1
Constantinopolitana aula turbulenta 710.14 intestinis malis affligitur 720.17
de ijs qui Constellationibus mundũ agi credunt. Anshel. 218.51
de Contritione. Ansh. 161.54
controuersiæ à politicis ad Rom. pontifices reiectæ 386.6
cordium humanorum deprauatio. Ansh. 55.49
in Cordibus hominũ Deum operari, ad inclinandas eorum uoluntates quò uult. Ansh. 100.13
Corbeienses monachi 647.54
ad Corinthios epistola quare post illam ad Romanos lacata. Ansh. 223.23
corporale, Dominico corpore consecratum, à stultis quibusdã presbyteris ad extinguendũ incendiũ in ignem proiectum 279.4
corpus giganteæ molis Romæ incorruptum in sepulchro inuentum. 664.42
corpus Christi dupliciter dici 101.3
corporis sui immanes carnifices qui egerunt 653.16
corporis statura iusta minores. 574.8
de Corporis Christi duabus comestionibus. Alg. 179.60
corpore monstroso qui fuerunt. 573.50
corpore crasso & obeso qui fuerunt 639.17
corpora defunctorum quæ frequenti Flandriæ procerum conuentui interfuêre 307.48
de Correctione fraterna. Ansh. 172.49
Crabatæ & Sirmij Basilio sponte se subijciunt 700.36
Crabati, qui et Seruij, à Bulgaris victi 719.40
Cracouiensis ecclesia archiepiscopali dignitate priuata 606.38
Cracouia à Bisetislao Bohemorum duce armis capta atq; euersa. 714.10
Crasto auarus Misnensis episcopus. 604.41
de Creatione 101.20
credere Deum, et credere in Deum, quomodo Meginhardus distinguat 144.60
criminis & peccati uocem quomodo Anshelmus distinguat 121.17
Cruco, seu Crito, Christianorũ insectator 43.3
Cruconis tragicus interitus 48.26
crudeles 342.10
crucifixi Christi mirãda fortitudo. Ansh. 88.23
crux 198.1
crux unde. Ansh. 198.55 quomodo portanda. Ansh. 200.19
cruci ecclesia subiecta. Ansh. 198.2
crucem Deum moderari. Ansh. 201.13 compensare præmijs. idem. ibid. 31
cruce baptizandi signati 261.33
cruce homines ad preces moueri. Bruno 575.53
in Cruce, consolatio. Ansh. 200.26
in Cruce non succumbendum. Ansh. 201.45 orandum. idem. ibid. 50
in Cruce & calamitatib. uerbi Dei meditatio potentissimum & speciale solatium. Berno 56.20
cuculla monachi usitatè sunt usi. 532.48
culpa primi hominis cur remißibilis fuerit. Ansh. 113.18
cultus falsi à politicis uiris defensi. 394.36
Cunradus Campidonensis monachus 639.54
Cupas à Stephano Vngariæ rege deuictus 365.60
de Cupiditate 118.43
Curiensis diœcesis à Guelphis fœdè uastata 578.54
Curienses episcopi 578.40
de Curiositate 130.56

D

DAber Calyphæ impij Aegyptiorũ principis filius 747.52

à Dæmonijs

à Dæmonis infectatione inter Missarum solennia quidam liberatus. Schafn. 677.16
dæmonis & hominis discrimen. 105.28
à Dæmone liberati 364.40
dæmonia 103.52
dæmones nihil ultrà quàm diuinitùs ipsis conceditur, posse. Berno. 186.5
dæmones humana carne & sanguine placati 340.27
dæmonum fides 62.2 diuinatio. 104.55
à Dæmonũ potestate quomodo simus liberati. Ansh. 88.2
de Dæmonum scientia. Bruno 103.52 ludificatione 105.46
à Diabolo homines iustè & iniustè torqueri. Ansh. 103.59
Dago Magdeburgicus episcopus. 601.6
Damasus 11. Romanorum pontifex 524.59
de Damnatis capite 347.55
inter Danorum regem & Hamburgensem episcopum dissidium. 443.49
Danos per Popponem Treuirorum episcopum miraculosè conuersos esse, catalogi Treuirensiũ episcoporum mendax narratio. 564.4
Daniæ episcopi 626.31
in Dania sub Heinrico 111 Imp. excitatæ turbæ 714.47
Dauid Bulgariæ archiepiscopus. 515.44
Dauserius Beneuentani principis unicus filius à Mathilda & Roberto Nortmanno, odio Clementis, pontifex designatus 540.31
decanos & præpositos suos monachi habuerunt 323.57
decimæ Ecclesijs datæ 366.26
decretis paparum iniquis ecclesiastici uiri resistunt 389.7
decretis, horrisonâ clausula, quam pontifices adijciunt 372.12
in Dedicato tantũmodo loco Missæ celebratæ 277.23
defectionis à fide exemplum 340.5
defunctorum memoriæ, anniuersaria die cantionibus & orationibus repetitæ 300.4
delictum quid. Ansh. 117.31
delictum & peccatum quomodo Ansh. discrimmet 129.59
descensus Christi ad infernum 89.20
de Descensu Christi ad inferos, Anshelmi opinio 614.52
Desiderius Strigoniensis metropolitanus 608.9
non Desperandam esse Dei gratiã. Algerus 164.6
de Detractatione proximi. Anshel. 129.19
Deus 63.3
Deus bifariam dicitur 99.35
Deus æternus 63.46 omnipotens. ibid.49 immutabilis 64.1 impassibilis. ibid. 5 misericors. ibid.10 rex. ibid. 25 uindex. ibid.29
Deus semper sibi similis. Ansh. 199.50 nihil iniustum facit 115.11 quot modis loquatur 98.43 quo modo interroget. ibid.48 quo modo malum creet. ibid.59 quo modo det malam uoluntatem. 99.4 quomodo in Christo & prophetis habitet 92.41 quare dicatur solus esse sapiens. Anshel. 67.37 cur pater misericordiarum dicatur 68.16
Deus quomodo rectè dicatur crucifixus 84.51
Deus pater 68.7 filius. ibid.49 Spiritus S. 95.1
Deus pater quatenus super filium esse dicatur. Ansh. 72.31
Deus huius seculi cur ita dicatur. 68.26
Dei actiones 98.11 uoluntas. ibid. 16 potentia 99.44 ira 100.4
Dei noticia unde 63.19 eiusdem descriptio. ibid.31
Deo omnia semper præsentia. Anshelm. 134.40 soli debetur cultus diuinus 159.17
Deum non posse sensibus comprehendi 63.4 non esse in loco. 64.36 esse ubiq;. ibid.40
Deum post hanc uitam quomodo simus uisuri. Ansh. 218.16
Deum incarnatũ esse asserere, gentium opinione, contumeliosum. 691.2
sine Deo hominem nequicquã posse. Berno 114.45 ex Deo quomodo omnia esse dicãtur. Ansh. 119.21
de Deo, Bruno episcopus 574.38 ethnicæ opiniones 690.48
de Deo phrases & regulæ 99.10
de Deo uno quicquid dicitur, de omnibus & singulis personis dici. Ansh. 61.50
de Deo patre
dij diuersi à gentibus adorati 690.52 103.54
diabolus
diabolus uenator. Anshel. 160.54 perpetuus piorum persecutor. Ansh. 198.55 quomodo noceat. 10.6 à Vulstano episcopo ad lectam prouocatus, atq; prostratus 622.13
diabolo & operibus pompisq; eius baptizandos renunciare solitos. 261.10
contra Diabolum perpetuò pugnãdum. Berno 200.11
diabolum pellendi siue propulsandi modus siue ratio tum ab episcopis, tum ab Hẽrico Cæsare ignorata 398.45
de Diabolo, Petrus Damianus 544.49
à Diabolo abrepti 348.52
diaboli quales sint 104.52 quomodo cogitationes cognoscant 105.33
diabolorum damnatio 106.28 potentia. ibid.5 opera 105.45
diaconorum ordinatio 285.43
de Dialectices abusu. Ansh. 219.26
dies huius uitæ quare dicantur mali 121.6
dignitate sua qui ultrò se abdicarũt. 638.9 & 633.44
diligere inuicẽ cur debeamus 151.57
diligendum esse Deum tribus modis. Ansh. 151.42
dilectio Dei 151.32 unde 152.10
dilectio Dei magna & inenarrabilis 140.13
dilectio Dei & proximi in futuro seculo quanta futura. Ansh. 216.33
Diogenes Constantinopolitanus imperator 716.34
D. Dionysius, furto è Parisianorum suburbano oppido sublatus. 308.47
Dipoldus siue Theobaldus, Argentoratensis præsul 570.36
disciplinæ uocem, quam Græci παιδείαν appellãt, ubi sacræ literæ ponere consueuerint 59.56
Dithmarus Mersburgicus episcopus 603.3
Dithmarus Danus Hildesheimẽsis præsul 597.6
Dithuinus uirtutibus insignis, Leodiensium episcopus 383.30
pro Diuinatione Missæ auditæ 278.60

ad Diuinationes & incantationes procurandas, certæ Missæ celebratæ 340.37
diuitias à Deo nõ petendas, Anshelmi opinio 229.45
de Diuitijs, rapinis, usuris atq; fraudibus acquisitis. Ansh. 130.49
de Diuortijs 203.41 Anshelmi corrupta doctrina 235.37
docere episcoporum munus fuit. 354.49
docendi officiũ ab episcopis neglectum 357.52
de Docentium in ecclesia Christi dignitate et officio. Berno 169.20
doctor uerus quare docere debeat. 197.54. & inde
doctor ecclesiæ id quòd alijs agendum denegat, ipse non committat 128.42
doctores duplices. Ansh. 200.11 unde sint. Berno. ibid. 17 quales delegerit Christus. Ansh. ibid. 42
doctores Deum regere. Ansh. 195.52 officijs prosequẽdos esse. idẽ. 169.12 à fide exorbitantes reijciendos. Ansh. 197.27
doctores qui fieri uolunt, uel debẽt, qualem ætatem habere debeant. Ansh. 192.27
doctores Ecclesiæ præcipui qui hac ætate excelluerunt 15.12
doctores, suarumq; ecclesiarum reformatores à Romanis pontificibus reges & imperatores petere consueuerunt 315.19
doctores bonos reges & imperatores oderunt & persecuti sunt. 394.40
doctorum officia 193.10. & inde. uirtutes. Ansh. 194.45

Doctrina orthodoxa scriptorum ecclesiasticorum huius seculi, DE

Actionibus Dei 98.11
Angelis bonis 102.24
Antichristo 189.47
Astrologia 220.32
Baptismo 166.28
Claubus 172.1
Cœna Domini 173.17
Coniugio 203.1
Creatione 101.29
Cruce 198.1
Deo 63.3
Diabolo 103.50
Ecclesia 184.52
Epistolis Pauli 222.37
Euangelio 132.5
Fide 144.34
Filio Dei 68.49
Fine mundi 208.15
Gratiarum actione 159.3
Homine 106.54
Inferno 212.46
Iudicio extremo 208.52
Iustificatione 136.46
Lege 124.53
Libris sacris 220.49
Libero arbitrio 113.35
Magia 191.48
Magistratu 204.35
Ministerio uerbi 191.26
Morte 207.1
Operibus bonis 148.21
Oratione 152.34
Patre, prima diuinitatis persona. 68.7
Peccato 117.25 originali 121.24
Philosophia 218.32
Pœnitentia 160.36
Præscientia & prædestinatione Dei. 133.39
Redemptione humani generis, per filium Dei facta 91.1
Resurrectione 211.11
Sacramentis in genere 165.20
Sacrificijs 184.37
Scandalo 202.42
Scriptura sacra 56.12
Spiritu sancto 95.1
Traditionibus humanis 201.56
Trinitate 64.48
Verbo Dei 55.3

Doctrinę inclinatio, complectens peculiares & incommodas opiniones, stipulas & errores doctorum huius seculi. DE

Angelis bonis 225.50
Antichristo 234.18
Baptismo Iohannis 233.9
Cœlibatu 235.49
Diabolo 226.26
Diuortijs 235.35
Iustificatione 228.55
Lege. ibid. 46
Libero arbitrio 227.4
Lymbo 237.26
Maria 231.23
Missa 233.25
Monachatu 236.20
Mortuorum apparitione 237.51
Operibus bonis 229.14
Oratione. ibid. 44
Pœnitentia. ibid. 38
Primatu Romano 235.10
Purgatorio 236.44
Sanctis 230.8
Transubstantiatione 234.18
¶ Dogmata falsa ab ecclesiæ antistibus refutata 355.1
Dogo 11 apud Augustanos Vlrichini cœnobij abbas 641.26
dolor de peccatis. Ansh. 164.13
Dominicus eremita 653.5
Dominicus dies quanta religione ab hoc seculo obseruatus 289.9
dona nimis multa papis data 386.48
de Donis quibus hoc seculum fuit instructum 364.38
draco igneus per medium cœlũ uolare uisus 667.60
Drogo Morinorũ pontifex 555.14.
Drogo monachus, sacerdos Gestellensis 651.39
ducas Constantinus Imper. 337.16
Durandus Leodiensis episcopus.
dysenteria mortui 573.8 (582.38

E

Eberhardus uir nobilis & eruditus, Campidonensis abbas. 639.23
Eberhardus Bambergensis ecclesiæ primus episcopus 579.17
ebrietatis exempla 345.15
Eboracenses episcopi 610.38
Ecbertus, qui & Eppo, Fuldensis monachus 633.11
ecclesia 184.52
ecclesia una tantum. Alg. 185.51 & inde. mixtus cœtus. Ansh. 187.8 cur mater & uirgo dicatur. Berno 184.53 cruci subiecta est, Anshel. 198.2 subiecta sit potestatibus in mundo, Ansh. 205.31
ecclesiæ uaria nomina in Scripturis 185.5 hostes, Ansh. 198.15 caput, Berno 186.24. & inde. fundamentum, Alg. 187.23 authoritas, Lanfr. 18.8 duratio. ibid. 12. diuersa membra, Ansh. 187.35
ecclesiæ huius ætatis, locus 17.30 propagatio 28.31 ampliatio 28.44 instauratio 29.23 conuersio. 30.19 tranquillitas & persecutio. ibid. 25 persecutorum pœnæ. 48.12 doctrina 51.22 tranquillitas et persecutio sub Henrico II 30.28 sub Conrado II 33.49 sub Heinrico III 35.24 sub Heinrico IIII 38.13
ecclesiæ res, toto huius seculi curriculo uariè & horribiliter iactatæ 15.20
de Ecclesiæ huius Seculi politia & gubernatione, Caput septimum. 349.21
ecclesiam quomodo Christus mundarit. Ansh. 185.33

extrà

extra Ecclesiam Deus non colitur. Alg. 185.53
ab Ecclesia qui reiecti. Bruno 188. 23
in Ecclesia duo hominum genera. Ansh. 187.51 quis ordo. ibid. 54 duo gladij. Ansh. 189.33
ecclesiarū doctores Iudæis sese opposuisse 689.25
de Ecclesiarum in una aliqua prouincia consociatione 368. 20 in pluribus locis. ibid.33
ecclesijs aut monasterijs ab Imperatoribus nimis multa donata. 395.6
super Ecclesias orbis omnes principatum obtimere, etiam hoc seculo Romani papæ conati sunt. 370.10
de Ecclesijs hoc seculo dispersis, per Asiam 17.45 per Africam 18.30 per Europam. ibid.52 per Oceanum 20.25
ecclesiasticæ & politicæ potestatis differentia, Pet. Dam. 189.3
de Ecclesiasticarum personarū gradibus 354.1
de Ecclesiasticis huius seculi personis 350.2
ecclesiasticis, omniū laborum, onerum, pensionum, &c. immunitas, à Boleslao Poloniæ rege data 394.8
ecclesiasticos pontificum Rom. iniquis postulationibus & decretis restitisse 389.7
Echardus iuuenis, Augiæ abbas. 638.34
Eckelinus apud Mersburgenses episcopus 603.50
Eckhardus Augiæ diuitis abbas, cōtra Vlricum Sangallensem abbatem bellum gerit 439.29
Edesseni 18.8
de Edessa urbe inter Constantinopolitanos & Agarenos acriter pugnatum 704.60
Edgardi regis Glasconiæ corpus integrum et incorruptum inuentum 675.29
Edmūdus Ethelredi impurus filius. 344.6
de Edmundo Angliæ rege fabulosa narratio 671.30
Edouardus anglorum rex 663.35
Edsinus Cantuariēsis ecclesiæ xxx episcopus 609.24
Educensis Synodus 500.23
Egebertus Saxoniæ marchio Imperium ambit. 343.5 nepharij eius conatus 295.9
Egilbertus xiii Frisingensium episcopus 577.3
Egitta Edgari regis filia 680.44
Eichstetenses episcopi 577.26
Einhardus, ex Lympurgensi abbate, à clericis Spirensibus ad ecclesiæ gubernationem uocatus 571. 36
Einsidlenses monachi 640.30
electio Dei 133.39
electorum propriū specimen. Ansh. 188.4
de Eleemosynis 130.44. & inde eleemosynarum largitionibus diabolum pellere, Henricus tertius Imp. conatur 398.45
eleemosynis, ieiunijs, sacrisq; actionibus, pœnis diuinis undiq; propter peccata ingruentibus occurrendum, in concilio Aquisgrano decretum 443.60
Elenboldus iii Petershusij abbas. 641.11
Elfricus classis præfectus transfuga 342.47
Elfuuardus Angliæ monachus 650. 33
Elfuuoldus Lōdinēsis præsul 621.11
de Eliæ & Henoch aduentu, Iuo 552.40 de ijsdem, Anshelmi opinio 614.60
Ellenhardus apud Frisingenses præsul 577.18
eloquentia insignes 562.39 & 568. 33
Elphegitus Cantuariēsis episcopus. 608.30
Eluuangenses monachi 640.15
Emericus, regius quidam iuuenis. 680.59
Engelbertus, pōtificatus in ecclesia Treuirēsi administrator 564.54
Engelbertus ab Imperatore Henrico iii Bamberga, ad Mindēsem uocatus episcopatum 593.41
Engelhardus Magdeburgensis præsul 602.7
de Enoch, Anshel. opinio 208.46
pro Enumeratione peccatorum integra stabilienda signum mēdax. 678.20
Eodouardus Angliæ rex æquissimas suis subditis leges proponit. 337.2
Episcopi huius tempestatis 16.1

Episcopi atq; doctores.

Africani 515.28
Albanenses 548.53
Aldenburgenses 597.48
Antiocheni 515.6
Aquileienses 546.36
Argentinenses 569.44
Asiatici 514.28
Augustani 567.16
Aurelianenses 556.38
Bambergenses 579.15
Beluacenses 557.54
Bohemi 605.29
Bremenses, seu Hamburgenses 585. 57
Britanni 608.21
Brixiani 549.40
Cameracenses 552.56
Cantuarienses 608.24
Cicenses 605.1
Colonienses 558.56
Constantienses 565.10
Constantinopolitani 516.1
Curienses 578.40
Dani 626.31
Dunelmenses 623.3
Eboracenses 620.38
Eichstetenses 577.26
Europæi 515.42
Frisingenses 577.1
Gallicani 550.1
Germani 558.54
Gnesnenses 607.28
Halberstadenses 599.28
Hierosolymitani 514.30
Herefordenses 626.8
Hildesheimenses 595.49
Itali 543.26
Leodienses, siue Thungrēses 581.45
Lincolnienses 622.41
Magdeburgenses 601.5
Mediolanenses 547.40
Mersburgenses 602.43
Metenses 555.53
Mimigardeuordenses siue Monasterienses 584.42
Mindenses 604.40
Moguntini 562.12
Morini 555.1
Nordouicenses, siue Teluordenses. 625.4
Nouiomagenses 555.20
Padebornenses 594.15
Parisienses 553.54
Patauini 549.23
Pragenses 605.32
Ratisponenses 578.26
Remenses 556.14
Romani 519.8
Roschildenses 626.49
Rotomagenses 623.28
Sarisberienses 623.54
Scoti 626.22
Senonenses

Senonenſes 358.20
Spirenſes 570.56
Sueſſionenſes 554.20
Traiectenſes 583.50
Treuirenſes 563.36
Tridentini 549.19
Vercellenſes 548.30
Verdenſes 592.9
Veronenſes 548.5
Vigornienſes 621.46
Vintonienſes 621.22
Vngari 607.18
Vuirtzburgenſes 574.6
Vuormacienſes 572.50

Epiſcopi Eccleſiã hoc tempore quomodo gubernarint.

Baptizabant 355.49
ad Bonos mores incitabant ibid.11
doctrinam tradebant 354.49
dogmata falſa confutabant 355.1
exemplo bono præibant 356.48
libros componebant 355.9
matrimoniales cauſas dijudicabant. 356.21
miniſtros examinabant & ordinabant 355.58
monaſteria, tẽpla, ſcholas gubernabant & uiſitabant 356.54
pauperum curam habebant. ibid.9
principes officij commonefaciebãt. ibid.48 eoſq; ab iniuſtis conatibus deterrebant 357.27
reges coronabant. ibid.36
uitia & peccata grauiter & liberè arguebant 355.23

Quibus uitijs ijdem laborarint.

Aulas ſequebantur 361.26
bella gerebant 363.6
bonis eccleſiæ abutebantur. ibid. 55
curioſis aut impijs ſtudijs dediti erant 358.3
docendi officium negligebant 357. 52
excommunicatione uariè abutebantur, aut uindictæ gratia 360.24 aut pacis corporalis gratia. ibi. 58
fidem Imperatoribus non ſeruabãt. 362.13
matrimonia pro arbitrio diſſoluebant 361.7
miſſificabant 360.1
monaſteria, templa, &c. conſecrabant 358.52
nonnas conſecrabant 364.15
politicam iuriſdictionem adminiſtrabant 362.19
ex Sede una in aliam commigrabãt. 357.48
ſuperſtitiones augebant 358.40
uiſiones & ſomnia magnificiebãt. 359.17
¶ Epiſcopi quibus ritibus epositi. 286.18
epiſcopi atq; doctores ab imperatoribus dati 388.35 Romani ab ijſdem electi atq; ordinati 391. 58 facinoroſi uerò, ſeditioſi, contumaces puniti 392.17
epiſcoporum ordinatio à Rom. pontifice facta 283.44 uel ab aliquo archiepiſcopo, præſentibus uicinarum ſedium epiſcopis, ſuffraganeis & Imperatoribus. ibid.60
epiſcoporum opera ab Imperatoribus in legationibus uſurpata. 392.59

In epiſcoporum numerum perſonæ delectæ atq; cooptatæ.

Ex laicis 353.6
ex Monachis 352.50
ex Nobilibus. ibid.42
ex Sacerdotibus. ibid.57
¶ in Epiſcoporũ honorem templa ædificata 248.49
de Epiſcoporum Romanorum carnificina & immanitate, Pet. Damian. 268.23
de Epiſcoporum in Germania collatione Synodus Mersburgi celebrata 454.24
epiſcopos, regna tenere, pontifices ſinunt 378.1
epiſcopatus nomen. Ansh. 191.39
epiſcopatus à Rom. pontificibus pecunia uenditi 375.38 papis Rom. uelut ducatus & prouinciæ à Cæſaribus diſtributi 374. 7 ab Imperatoribus conſtituti, atq; translati 392.43
epitaphia defunctis compoſita & erecta 299.55
Eppo, ſiue Hippolytus Mersburgicus epiſcopus 604.33
Epternacenſes monachi 641.48
Epternatrianum monaſterium 641. 50
equitum turma in aere diſcurrere uiſa 667.36
Erbo Bauarus comes de Hohenwart, Moguntinæ eccleſiæ antiſtes 562.33
Erchangerus Vueichenſtephanenſis abbas 643.14
Erfurdenſis Synodus 482.3 alia 485.29
Erhardus Corbeienſis cœnobij monachus 648.34
Ericus Daniæ rex 746.42 iuris coniugalis uiolator 343.31
Ericus Hauelbergenſis præſul 600. 36
Erneſtus Sueuiæ dux 706.10 & ibid.38
eſum omnis animalis qui execrabantur doctores, morte multa i. 393.48
Ethelredus Angliæ rex in ſubditos crudelis 342.5
ab Etheluoldo duo cœnobia extructa 317.38
de Ethnicis libris. Berno 219.19
Eua quare de Adamo facta. Ansh. 80.1
Euæ & Mariæ collatio 124.39
euangelizare cur maius quam baptizare. Ansh. 171.47
Euangelium 132.5
Euangelium, hoc eſt bonum nuncium, cur ſic dicatur 132.6
Euangelij & legis differentia. ibid. 34
de Euangelij materia 132.13 fine. ibid.30
in Euangelio quid annuncietur. Ansh. 132.6
de Euangeliſtis, Ansh. 220 57
Euangeliſtæ quatuor, cur quatuor figuris, hominis, leonis, uituli & aquilæ, Iohanni in uiſione apparuerint. Anshelm. 222.18
Euchariſtia ſacra, antequam prælium inirent, quoſdam populos ſe muniuiſſe 278.34. & inde de Euchariſtiæ ſacramento, Lanfrancus 276.6
Eudocia Conſtantinopolitana Imperatrix 716.34
Euerbinus Doleienſis in Treuirẽſi diœceſi abbas 636.33
Euerhardus Treuirenſis eccleſiæ epiſcopus 564.12
Euerhardus apud Conſtantienſes antiſtes 565.39
Euerlini Brugis in cœnobio Quercetano monachi, epitaphium. 651.21
Europæi doctores 515.42 monachi 627.30
Europææ eccleſiæ 18.52
in Europa gentiliſmus 690.6
Euſtathius ſimplex, ocijq; & ſolitudinis amans apud Conſtantinopolim antiſtes. 518.45 & 516. 22

exactionibus nouis et grauibus subditi preßi 341.26
exautorati 639.60 & 641.53 & 642.14
excommunicatio, Anshelm. 172.48
excommunicatio hoc tempore illegitimè usurpata, nunc ad uindictam exercendam 360.24 nũc ad pacem corporalem obtinendam. ibid.58
excommunicationis sæuæ, cuius fulmine Henricus Imp. insons percußus est à sceleßto põtifice Hellebrando, formula 425.35 & 433.7
ante Excommunicationem facinorosi ad pœnitentiam admoniti. 265.16
excommunicationes contra Imperatores & reges, ut secum exequãtur, papæ omnes reliquos ecclesiæ præsules excitant 380.41
excommunicato iuramentum non seruandum, Antichristi Romani lex 542.22 Vrbani decretum. 265.9
de Exequijs, purgatorio, de operum meritis, & de inferno, ad corroborandos errores, diaboli præstigiæ 681.30
exercitibus in armis stantibus, reliquiæ sanctorũ nõnunquam prælatæ 308.20
Exerogorgum Turcorum oppidũ à Christianis infœliciter occupatum 751.46
exilio multati 392.8 & 553.16
exorcistarum ordinatio 286.1
exorzisatio obsessorum 286.35
Ezo, decimus Aldenburgensis antistes 598.46

F

FAbarienses monachi 640.24
Falco Beluacensis ecclesiæ antistes 558.8
de Fama bona 146.36
fames 662.5. & ibid.43 & 666.9 & 669.56
de S. Faræ monasterio turpißima fama, Iuoni audita 335.36
febri extincti 587.22 & 612.47
Ferdinandus Sanctij maioris filius. 700.42
in Feretris defunctorũ corpora ad sepulchrum portata 298.40
feria secunda Paschæ 290.12
feria quarta & sexta ieiunia obseruata 287.33
fermentum in Scriptura ueteri atq; noua quid designet 58.7
ferri candentis transitu uel gestatione innocentia probata 348.26
festi omnium animarum inuentor. 631.28
festa ab hoc seculo obseruata 289.6
circa Festa casus 293.14
fides 144.34
fides quid 144.35 unde sit 145.55 firma & inconcußa quæ. 424.22
fides, necessaria pœnitentiæ pars. Ansh. 162.57 eadem omnium temporum 147.22
fides dæmonum 62.2
fides Christi quid 61.57 non est ociosa ibid.60
fidei nomen unde 144.38 captus eius non ex nobis 116.25 de eius effectu & fine 146.14
fidem esse certitudinem 144.55
fidem & opera in iustificationis negocio Anshelmus coniungit 228.56
fide nos iustificari 143.39
fide eadem omnes saluati 147.16
de Fide mortua & uiua 145.29
de Fide dæmonum 145.51
fide falsa mundus in Adam perijt. 118.29
sine Fide nulla opera bona 150.7 & inde
de Fide, Bruno 575.23
de Incredulitate 165.38
infidelibus quomodo se iungẽdum. Ansh. 189.38
infidelitas est fornicatio. Ansh. 203.50
filius Dei, secũda trinitatis persona 68.49 quomodo sit de patre. 53.49 cur à patre in mundum missus 86.50 non potest dici creatura 75.4 solus incarnatus est 74.4 & 78.3
filij Dei appellationes 69.1 generatio 72.47
filij Dei & hominum discrimen 93.15
filium Dei cur mortem pro nobis sustinere oportuerit, cum alijs modis liberare nos Deus potuisset 141.24
ad Filium Dei, precatio Anshelmi. 154.54 & 157.21 & inde. Bernonis precatio 280.57
per Filium Dei homines saluari nõ fuit necesse, gentium opinio. 697.19
inter Filium Dei Dominũ nostrum Iesum Christum, et electos, quod sit discrimen. Ansh. 87.5
finis mundi 208.15
flagellatio monachorum, à Petro Damiano approbata 545.22
apud Flandros miraculum editum. 660.54 651.18
Flandriæ monachi 476.57
Florentina Synodus 640.4
fœmineo sexui beneuoli 640.4
fœnus Iudæos hoc seculo strenuè exercuisse 689.19
fœtus monstrosus in Constantiensi agro editus 665.34
Folchardus Dorobernensis, Cantuariæ cœnobij Seruatoris monachus 649.38
Folquardus episcopus 25.48 & 26.12
Fortuna à Vindelicis culta 690.30 & 692.4 23.2
Fulda celebris
Francia Hẽrici quarti temporibus uastata 728.5
Franco Leodiensium scholasticus. 632.15
Francofordiana Synodus 445.24 alia 451.9 592.25
fratricidæ
Fridericus cardinalis à Synodo Cõstantinopolitana nimium honoratus 384.10
Fridericus, Mimigardeuordensis episcopatus rector 585.5
Fridericus Hirsaugiẽsis monachus. 644.53
Frisingenses episcopi 577.1
Fulbertus ex ludimoderatore Carnotensis factus episcopus 550.7
idololatra insignis. ibid.19
Fulco Parisiensis ecclesiæ diaconus. 554.11 632.46
Fuldenses monachi
Fuldensium monachorum schisma. 426.32
Fulgentius Afflighemensis primus abbas 651.44
fulgura in natali Domini audita. 662.17
futura nõnulli prædixerũt 364.45

G

GAifenius Salernitanus Cassinensis monachus 629.45
ad Galatas epistola congruè post secundam ad Corinthios locata. Ansh. 223.48
Galliæ monachi 631.4 concilium. 484.51
Galliarum ecclesiæ 20.49
Gallican

Gallicani episcopi atq; doctores. 550.1
de Gallina miraculum, eiusq; expositio 666.57
gallus quadruplex natus 660.38 & 664.6
Gallus anachorita oraculo admonitus 671.36
Gandersheimensis synodus 446.34
de Gandersheimensis monasterij iurisdictione acerrima inter Moguntinum & Hildesheimensem episcopos contentio 442.3
Garstungensis synodus 503.7
pro Gaudio perfecto inuocatio. Ansh. 156.50
Gaufredus episcopus Exoniensis. 623.47
Gaufridus Carnotensis episcopus. 550.35 officium propter diutinos labores resignat. ibid.
Gebhardus Reginoburgi episcopus in uincula coniectus 392.28
Gebhardi duo Ratisponenses episcopi 578.27
Gebyzo Casimensis monachus 681.49
Gedericus Blandinensis monachus. 651.51
gelu magnum, glaciesq; ualidissima. 666.34
de Gemellis miraculum 660.22
gentilismi propugnatores 693.4
Gentilis, siue Ethnicæ doctrinæ capita.
de Animabus 691.43
de Christo. ibid.1
de Deo 690.48
¶ Gentiũ ceremoniæ atq; ritus 691.54 festa 692.41 mores, ibid. 46
gentilium religionem plurima orbis terrarũ loca hac ætate obtinuisse 689.59 contra earum idola & uanitates, à quibus & quo modo pugnatum 693.38
genua flectere precantes soliti 279.52
Gerandus, Florentinus episcopus. 19.47
Gerardus Florentiæ episcopus, Benedicto decimo ui deiecto Romanus pontifex creatur 412.40
Gerardus Chanadiensis episcopus martyrio coronatus 37.31 & 659.6
Gerardi Vngarorum pontificis cadauer translatum 302.43
Gerbodo nobilis, Arnulphi interfector 328.59
Gerhardus Leucorum episcopus, ob mirabilem uitæ sanctimoniam in Vuormaciensi synodo, in Sanctorum numerum adscribi, atq; in ecclesiæ solennitatibus celebrari iussus 456.48
Gerhardus Florentinus episcopus ab Henrico quarto Imp. Romanus pontifex designatur 387.34
Gerhardus Cameracẽsis episcopus. 552.58
Gerhard. Halb. episc. à Nicolao põt. pallio donatus 375.53
Germania ab Ouone Vngaro direpta 345.19 quæ sustinuerit sub Heinrico quarto Imp. bella 730.10
Germaniæ episcopi, & doctores. 558.54 monachi 632.44
in Germania motus 701.4
S. Gertrudis Mingelensis ecclesia post reparationem consecrata. 252.18
Geruasius Remensium metropolitanus 556.22
Gezmannus, Eichstadensis præsul. 577.58
Gibertus Parmensis episc. 417.30
Gibertus Rauennas archiepisc. ab Hildebrando, quòd Henrici Imp. erat partium, dignitate sua exutus 435.13
Giselbertus Hirsaugiensis abbas. 645.47
Giselfridus Preitblath Mülhusanus, Campidonensis abbas 639.30
Gisla Heinrici secundi Imperatoris filia 28.4
Giula 32.5
gladium in Ecclesiam, regali tantum excepto, nemo portato: Salegunstadensis synodi decretum 449.11
gloriæ mundanæ auidi 633.16
ad Gloriam nominis Dei unicè respiciendum. Petr. Dam. 160.14
Gnesnenses episcopi 607.11
Gnesna à Predislao direpta 605.34
Gobeardus Pragensis antistes 605.43
Godefridus Lotharingiæ dux, quos motus in Imperio sub Heinrico tertio excitarit 712.37
Godfridus, quem captæ Hierosolymæ regem Christiani elegerant, auream coronam respuit 147.3
Godfridi uotum 310.8
Godfridi Lotharingi ob crematum templum Viridunense, pœnitentia 269.33
Godschalcus Obotritorũ regulus, & cum eo plures presbyteri, à subditis ad Ethnicismum redeuntibus, miserè trucidati 659.20
Godeschalcus Vandalorum dux. 29.31 patris mortem ulciscitur. 34.24 huius consilio atq; operâ infinita gentilium multitudo, ido lolatria abiecta, Christianũ nomen amplectitur 393.56
Goschalcus martyr occumbit 42.20
Goduini parricidæ triste fatum. 341.8
Golbodus, siue Volbodus, superstitiosa pietate cõspicuus, apud Leodienses præsul 582.6
Goslariensis ecclesia amplissimis reditibus donata 365.28
Goslariensis clades 414.53
Goslarienses perfidi ciues 343.16
Gotharius Hildesheimensium antistes 596.15
Gothardi Hildesiani superstitiosæ ineptiæ 358.29
Gothelo dux 707.24 & ibid.55
Gothfredus Parisiensium episcopus 553.53
Gotfrido Bilioneo, belli aduersus Turcos, Christianos miserè insestantes, summa demandata. 749.8
Gotsboldus Aquileiensis patriarcha. 546.42
Græcorum error 238.17
Grammaticorum schola cõstructa. 368.6
Grandimontensis monasticus ordo. 311.38
gratia Dei nobis in Christo data. Ansh. 138.50 quomodo magis abundet quàm delictum. Ansh. 137.18 nunquam desperanda. Algerus 164.7
gratiam solam hominẽ saluare posse, libero arbitrio nihil prorsus agente. Ansh. 116.57
gratiam quare Deus neget libenter suscepturis, eiq; consensuris. Ansh. 133.48
nec Gratiam solam, nec liberum arbitrium solum salutem hominibus operari: Anshelmi error. 227.51
ex Gratia nos iustificari 141.43
gratia & misericordia Dei nisi regamur, nihil sumus. Ansh. 116.24

gratiarum actio 152.34
gratiarum actio soli Deo præstanda. Berno 159.10 eius formula. ibid.30
ingrati 559.42
Gratianus symoniacus 400.31
Gregorius VI. Romanus pontifex. 523.28 sede sua deiectus, in exilium ablegatur 400.31
Gregorius VII, qui & Hildebrandus papa 533.23 eius epistola ad Constantiensem clerum scripta. 370.14
Gregorius episcopus Vercellensis. 548.31 in Romana synodo nesciens & absens excommunicatus 456.37
Gualtherus XXIIII. Spirensis episcopus 570.56
Gualterus Dunelmensis diœcesis præfectus 623.5
Gualterius episcopus Albanensis. 549.10
gubernatorum ecclesiæ peccata. 357.46
Guelphus, Azzonis marchionis Italorum filius 295.4
Guelpho Bauarorum dux Augustã capit, expoliat, incendit, muros deijcit, episcopum Sigefridum capit 400.15
Guibertus Parmensis clericus Hildebrando pontifici in Brixiensi synodo surrogatus 539.59
Guido Ambianorum episcopus 556. 32
Guido Aretinus, cœnobij de cruce S. Leufridi in Italia monachus. 630.38
Guido Puteacensis cum suis sequacibus Sathanæ traditus 264.6
Guido decanus custosq; ecclesiæ S. Quintini Viromadensis, Lauduneńsisq; archidiaconus, Beluacensis episcopus creatus 557.59
Guillerimus Parisiorum episcopus. 554.2
Guilhelmus Dunelmensis antistes. 623.12
Guilhelmus de Aldereia præter meritum suspendij damnatus 347. 56
Guilhelmus Rufus ab Anshelmo Cãtuariensi episcopo sui officij admonitus 356.48
inter Guilhelmum Rufum Angliæ regem & Anshelmum Cantuariensem dissidiũ 442.16 aliud. 400.28 Anshelmum impijs conatibus resistentem, in exilium propellit 442.19
Guiscardus anathematis fulmine actelo iam ante petitus, à Nicolao pontifice in Christiani cœtus communionem restituitur, Apuliæq; & Calabriæ dux declaratur 386.11
Gundecarus Agnetæ imperatricis sacrificulus, Eichstetẽsi sede ab Imperatore donatus 578.7
Gundechardus Eichstetensium uenaticus episcopus 577.34
Gundulphus diuina electione Rossensis episcopus factus 619.39
Guntherus Heinrici tertij cancellarius, Deũ in maiestatis suæ solio sedere uidet, loquiq; audit 664. 18
Guntherus Cicensis præsul 605.8
Guntherus Benedictinæ professionis ad S. Amandũ Leodiensis monachus 632.29
Guntherus Bambergensis præsul. 579.34
guttæ sanguineæ hominum uestimentis cœlitus illapsæ 659. 53
Gyula Scythicæ religionis defensor. 690.14 & 693.8

H

Haeretici ab imperatoribus puniti 393.48
hæretici, uel ab ijsdem seducti, acta publicè pœnitentia, manus sacerdotalis impositione recepti 270. 15
de Hæreticis huius seculi 656.5
de Hæreticis quibusdam Græcis. 658.13
de Hæresibus huius seculi 238.3
de Hæresib. in genere, Algeri dictũ. ibid.10
Halberstadenses episcopi 599.28
Halberstadiana synodus 461.54
Haraldus Goduini filius, Edouardi apud Anglos in regno successor. 744.33 in prælio occisus. 745.1
Hardmirus monasticæ professionis desertor 680.20
Hardvuinus episcopus Nouiomagensis 555.22
Harimbaldus ex Fuldensi abbate Moguntinæ ecclesiæ præsul constitus 562.18
Harquinus miraculose prostratus atq; occisus 666.45
Hardvuicus nobilis Francus, Vuernerò in Magdeburgica sede à Rodolpho rege suffectus. 602.25
Hartvuicus aulæ Imperatoriæ cancellarius, ad Bambergensem episcopatum euectus 579.26 huic à Leone IX pallium unà cum epistola mittitur 375.56
Harvuici regis Normannorum, in Angliam impetus 44.15
Hasnoniense uetustum templum reparatum & dedicatum 251. 13
Haymo Cantuariensis ecclesiæ archidiaconus 620.1
Haymo Constantiensis ecclesiæ gubernator 565.21
Haymo Hirsaugiẽsis cœnobij prior. 331.33
ad Hebræos epistola. Anshel. 224. 35
Heinricus secundus 29.24 & 697. 8 Brunonem Augustanum episcopum, ut cœpto labore cesset, in somnis monet. Cranzij fabula 674.1
Henricus II & Robertus Flandriæ rex, de Christianæ reipublicæ, regniq; & imperij Francici concordia solliciti 338.7 cum uxore sua Chunegunde perpetuam castitatem seruauit, teste Cranzio. 294.38

Sub Heinrico II.

Ecclesiæ tranquillitas & persecutio 30.28
schismata 397.44
synodi 444.17
miracula 659.29
motus & mutationes 697.6
¶ Heinricus tertius cognomẽto Niger, Imperator 709.10 laudatus. 35.27 de adulterio suspectus, monomachia se innocentem probat 348.46 senatum populamq; Romanum, unà cum clero, iuramento, ne sine ipsius authoritate pontificem sibi eligant, astringit 393.59 eius nuptiæ in Ingelheim celebratæ. 294.8 mansuetudo & placabilitas erga hostes 337.5

Sub Heinrico III.

Ecclesiæ status 35.24
synodi 453.15
miracula 662.38
motus & mutationes 709.10
¶ Henricus IIII adhuc infans, nauigio Coloniam abducitur 361.29 oraturus quid fecerit 279.37 ab Hildebrando pont. excommunicatur 380.9 ad pontificis nutum

nutũ Imperio exuendus, à principibus atq; episcopis Tiburiæ cõgregatis iudicatur 387.14 ab Hildebrando absens & insons diris execrationibus deuouetur. 264.43 contra Hildebrandum copias militares educit 436.50 humiliter Romam tendit, ueniam ab Apostolico petiturus 385.5 qua conditione sit receptus 379.51 eius soror 634.24 eius præconium 38.18 eius erga Adelbertũ episcopum pietas 336.49 eius ab Hildebrãdo Romano mõstro afflicti atq; deformati miserabilis prorsus & tristis historia. 419.21 eius epistolæ ad Annonem Colonienſem epiſcopum. 421.4 ad Hildebrandum iam nõ amplius Apostolicũ, sed falsum monachum 423.5 ad uniuersam sanctam Romanã ecclesiã, clerum & populum 424.18 eius iuramentum pontifici nequã Hellebrando præstitum 432.32 sub hoc quarto Heinrico quis fuerit ecclesiæ status 38.16 quæ schismata 401.12 quæ synodi 457.31 quæ edita miracula 664.56 qui motus atq; mutationes. 715.48

de Heinrico IIII tetra mendacia à pontificijs conficta 339.15 & 343.45 & 675.51

Heinricus Boiorum dux quando ad imperium accesserit 30.30 qualem legem de politicæ pacis turbatore tulerit. ibid.42

Heinricus Austriæ dux ab Imperatore Heinrico uictus, supplex ueniam petit 701.5

Henricus rex Augiensis 397.30

Henricus comitis de Vuerde filius, ab Henrico Imp. contra Hermannum ducem Luzenburgi, eiusq; loci capitulum, Padebornensis episcopus designatur 441.16

Heinricus Francorum rex 29.14

Heinricus Dorenstichius nobilis, Campidonensis cœnobij rector. 639.49

Henricus Palatinus comes Lutheriorum 336.22

Heinricus comitis de Aslo filius, & Heinricus comes de Vuele, Padebornenſes episcopi 595.24

Heinricus, siue Herebertus, cognomento Losinga, Tedfordẽsis episcopus 625.7

Heinricus iuuenis & prodigus Spirenſium episcopus 571.48 ecclesiæ thesauros absumit 364.9 subitanea morte subtrahitur 684.57

Henricus Sueßionum episcopus. 554.40

Henricus Augustanæ ecclesiæ antistes 568.1

Henricus Leodiensis pacificus episcopus 583.36

Henricus Tridentinus ouili suo restitutus 549.24

Heinricus Herbipoleos episcopus. 574.7

Henricus, Imperatori perfidus, Curiensis episcopus 578.53

Henricus comes de Aslo, Magdeburgensem archyepiscopatum, non ritè electus atq; uocatus intrat. 439.48

de Henrico Goslariensi canonico, Lambertus 332.32

Helengerio Tigurinus abbas 636.45

Helias natione Scotus, Pantaleoni & Martino apud Colonienſes dictorum monasteriorum simul abbas 644.20

de Henoch, opinio Anshelmi 615.3

de Herbipolensi episcopo schisma. 440.51

Herbipolis à Saxonibus oppugnata 741.47

Herefordenſes præsules 626.8

de Heremitis 652.1

de Heremita quodam sylluæ Thurmicæ, aliquot historicorũ nugæ. 682.41 alia 684.30

Heribertus Colonienſis præsul 558.58

Heribertus Altisidorienſis episcopus, relicto officio fit cœnobita. 329.32

Heribertus Eichstadensis ecclesiæ doctus & prudens episcopus. 577.40

Hermannus pietatis opinione insignis, apud Monasterienſes præsul 284.51

Hermannus, uulgò Diues dictus, apud Colonienſes antistes 562.7 Nobilis uocatus 559.33

Hermannus Sarisburienſis præsul. 623.56

Hermannus Contractus, Sangallensis cœnobij rector 634.59

Hermãnus Lucelburgicus princeps, deturbato Heinrico IIII Imperatore, Islebij à seditiosis rex creatus 741.24 lapidis ictu in oppugnatione quadam interit. ibid.58

Hermannus Hamburgensis antistes. 586.52 in propriam ecclesiã impetum facit 34.42

Herm. Bamb. ep. Alexandrum pontificem grauiter sibi iratum per munera placat 375.38 sede deiectus 579.52

inter Hermannum Colonienſem archiepiscopum & Luitpoldum Moguntinum primatẽ Aquisgrani conflictus 491.14.

Herodis tetrarchæ & Herodiadis similis historia 400.31

Heroldi cadauer tumulo effossum, capite truncato, in piscinã proijcitur 301.58

Herrandus, qui & Stephanus Halberstadenſis præsul, Heinrici quarti persecutor 600.50

inter Hersueldenſem abbatẽ & Halberstadienſem episcopum de bonis quibusdam dißidium 413.1

Heruicus Sarbona, Brixianus episcopus 549.40

Hezelo ex Goslariensi præposito Hildesianus post Dithmarum factus episcopus 597.14

Hezelo Argentinenſis ecclesiæ præsul 570.9

inter Hezelonis Hildesheimensis episcopi, & Vuideradi Fuldensis abbatis camerarios, acris & uehemens contentio Goslariæ, anno Domini 1063 exorta. 414.24

Hildebrandus monachus diaconus, à Leone IX electo, cardinalis creatus 375.31 efficit ut Gerardus Florentinus episcopus, deturbato Benedicto X, creetur Romanus pontifex 412.40 ut Alexander Secundus constituatur pontifex, idq; citra consensum Imperatoris 413.31 Alexandrũ Imperatoris confirmationem ex petentem, indignißimis modis tractat. ibid.47 omnes Romanæ ecclesiæ reditus inuadit, sibiq; uẽdicat 414.4 Imperatori acerrimè resistit 418.9

Hildebrandus totius Romani imperij conturbator 15.41 in synodo Brixiana, communi omnium episcoporum sententia, dignitate pontificia exutus 436.8 excommunicatur 343.58 uindictam exercet 378.45

Hildebrandus archidiaconus, Italiæ atq; Burgundiæ reformator 373.

59 Henricum IIII Imperatorē imperioſè Romam citat 420.37 contra gentium ius eiuſdem legatos indignis modis tractat. ibid. 49 & 422.23 ſacrilegus 376.58 miſſificator 377.29 honeſta honeſtorum ſacerdotum coniugia abrogat 16.31 Germaniæ principibus author eſt, ut deiecto Henrico, alium regem eligant 432.54 non Deum inuocat, nec in teſtem uocat, ſed mortuas creaturas. 425.38 grauium ſcelerum accuſatus 389.50 acerbè ab epiſcopis Vuormaciæ congregatis literis compellatus 390.6 & inde. eccleſiaſticas opes militibus, reiq; bellicæ peritis largitur 364.3 falſus uates 364.48 in politicis iudex 378.33 & inde. ſede ſua deijcitur 40. 8 uulneratus, & cuſtodiæ traditus 43.13

Hildebrandi impiæ leges ab Vrbano II eius pediſſequo ratificatæ 542.5

Hellebrandi litteræ, pontificalibus criſtis ſuperbè, ad Henricum Imper. miſſæ 410.16 ad Petrum & Paulum apoſtolorum principes oratio 433.13 de Henrico Imperatore pſeudoprophetia 435. 22 epiſtola ad Saxones & Sueuos Triburiæ conuentum agentes 427.30 pontificis erga epiſcopos & laicos, qui Hērico quarto fauebant, tyrannis 267.45

Hildebrandi pont. iniquo, quo magna ſeueritate ſacerdotum coniugia damnabatur, decreto, tota clericorum factio reſiſtit 389.8 & ibid. 44

inter Hildebrandum & Henricum Imperatorem ſchiſma 419.18

ad Hellebrandum falſum monachū Henrici Imp. epiſtola 423.5 & 435.42

contra Hildepr. ut à pleriſq; tū publicè tum priuatim declamitatum. 390.37

contra Hildebrandum iam ſella deiectum Henrici Imp. expeditio. 436.50 contra eundem Vuormaciæ ſynodus ab eodem Henrico IIII congregata 388.29

contra Hildebrandinos funeſtum bellum ab Imperatore geſtum. 381.36

de Hildebrando pont. grauis Henrici Imper. in epiſtola ad Annonem Colonienſem querela. 374.24

de Hildebrando pont. Henricus Imperator in epiſtola ad ipſum ſcripta 383.6

ab Hildebrando pont. Imperator Henricus qua cōditione in eccleſiæ conſortium receptus 379. 51

ſub Hildebrando naturæ portento, tum Imperium, tum eccleſia grauiſſimè turbata atq; afflicta 723. 35

ſub Hildebrando monacho ad pontificiam dignitatem euecto, grauiſſimæ turbæ exortæ 93.17

S. Hildegardis ope duæ fœminæ ex carcere liberatæ 640.9

Hildesheimenſes epiſcopi 595.49

Hildeſcalcus Tigurinus abbas 636. 39

Hildolphus deformis Colonienſis ecclesiæ epiſcopus 560.53

Hilgotus Sueßionenſis epiſcopus renuncians epiſcopatui, ad monaſterium confugit 329.14

Hilpericus philoſophus 655.13

Hieroſolymitani epiſcopi 514.30

Hieroſolymitana expeditio anno 1096 duce Gotfrido Lotharingo ſuſcepta 746.52 hanc expeditionem quæ prodigia præceſſerint 668.44

Hieroſolymitanum templum uaſtatum & pollutum 30.59

Hieroſolyma à Turcis capta 38. 46

Hieroſolyma à Turcis capta quæ miracula edita 660.8

Hieroſolyma ſub finem huius ſeculi à Saracenſium poteſtate liberari, & à Chriſtianis inhabitari cœpta 17.48

Hieroſolymam religionis ergò peregrinationes ſuſceptæ 309.14 & inde.

Hieroſolymis cur quotidie cœna celebrata. Humbertus 271.40

Hirſaugienſis cœnobij bona rapta. 397.20

Hirſaugienſes monachi 644.51

Hirsfeldenſes monachi 645.57

in Hiſpania regnorum atq; titulorum permutatio quādo cœperit. 700.41

in Hiſpania Heinrici quarti temporibus inter Ferdinandi liberos inteſtinum bellum exortum 728. 41

Hohenwart, ſummitorium, ſeu alta ſpelunca ex arce in monaſticum oratorium conuerſum 318.38

homo 106.54

homo ante & poſt lapſum 108.14 & inde.

homo quid præcipuè ſtudere debeat. Ansh. 107.31

homo abſq; peccatis quomodo Chriſtus natus ſit. Anshelm. 101.9 & 123.

homo, Dei filius cur factus ſit. Berno 79.34

hominis diuiſio 106.54 forma 107. 26 finis 108.45 formatio 107.37 quadruplex ſtatus. ibid. 57

hominis & angeli collatio 113.10

hominis filium cur toties ſeipſum Chriſtus nominet. Ansh. 93.16

de Hominis ruina atq; reparatione. Berno 91.9

de Homine. Iuo 551.34

homines in angelorum locum factos eſſe, Anshelmi opinio 113.22

homines iuſtos ſiue credentes æternum nicturos. Ansh. 85.40 cur breuius uiuant 112.35

de Hominum ordinibus in communi uita 107.49

Honorius papa ad Mantuanum, ad quod ab Imp. uocatus erat, concilium, uenire recuſat 371. 55 eius electio quæ dāna Italiæ dederit 722.1

ὁμοούσιον. nomē cur à patribus uſurpatum. Ansh. 66.11

de Homicidij tribus generibus. 129.8

horæ canonicæ à clericis quotidie dicēdæ, ab Vrbano II inſtitutæ. 542.8

hoſpitalitatis cultores 339.48

contra Hoſtes Chriſtianæ fidei, atque latrones magiſtratus hoc ſeculo egregiè ſe ſunt tutati 337. 41

hoſtiæ legales non amplius offerendæ. Ansh. 170.29

Hucarius apud Cornubienſes monachos leuita factus 649.19

Hugo Candidus presbyter cardinalis 543.50

Hugo Sueßionenſis antiſtes 554.54

Hugo Puteacenſis, receptus 266. 23

Hugo Lugdunenſis archiepiſcopus, & Romanæ ſedis legatus. 556.5

Hugonis Salopiæ, & Hugonis Ceſtriæ comitum, inaudita crudelitas 45.10

Humbertus 18.46

Humbertus Epternacenſis abbas. 642.14
Humbertus & Gerardus epiſcopi ad cœnobia ſecedunt 329. 38
Humbertus Lotharingus à Leone nono, cardinalis Syluæ candidæ ſeu S.Ruſinæ in Sicilia factus. 543.30
humanum genus in tres ordines ab initio diſtributum 452.44
humanum genus per paſſionẽ Chriſti redimendum eſſe, dæmones ignoraſſe, Anſhelmi opinio 614. 58
humana natura cur tot malis expoſita 119.53
humana membra quomodo tribuat Scriptura Deo 99.17
ut Humiliemur quæ cogitãda. Ansh. 162.7
ad Humiliationẽ exhortatio. Ansh. 90.18
de Humilitate. Ansh. 161.55 eius gradus 162.2
de Humilitate uera & ſimulata. Pet. Dam. 159.36
Humfridus Rauennas epiſcopus, ueneno ſublatus 547.30
Hunoldus Thuringus, Mersburgẽſis eccleſiæ antiſtes 603.34
hyemis intenſiſſimũ frigus 666.19
contra Hypocriſin. Pet. Dam. 159. 35

I

D. IAcobo cœnobium cũ æde ædificatum 315.48 deluũrum extructum 248.33
ad S. Iacobum peregrinationes factæ 309.28
idololatriâ inſignes 550.19
idololatria à papis cõfirmata & exercita 377.7 quib. miraculis cõfirmata 310.36 à principibus uiris abrogata 393.56
idolum quid 62.12
ieiunium quatuor temporum 288. 24
de Ieiunio 130.33
de Ieiunio incerto quatuor dierum, certitudo ſtatuta 447.52
de Ieiunio Septembris conſtitutio. 448.13
de Ieiunio bannito decretum 450.11
de Ieiunio ſextæ feriæ, ſiue ſabbati decretum 453.2 & inde.
de Ieiunio quorundam dierum obſeruando, in Salegunſtadenſi concilio conditus canon 288.6
ieiunia, orationis gratia in publicis calamitatib. indicta 288.38
circa Ieiunia ritus 287.15
de Ieiunijs S. Iohannis baptiſtæ & Laurentij noua conſtitutio, publico atq; ſolenni ritu obſeruanda, publicata 446.11
IESV appellatio 68.50 & 69.1
ignis conſumens cur Spiritus S. dicatur. Berno 95. 6
de Ignoſcentia fraterna 127.13
Imadus Padebornenſis præſul 594. 59
imago Dei, Chriſtus 69.37
imago Dei aliter in filio Dei, aliter in anima hominis 69.24
imaginem Dei in homine eſſe perditam 110.32
imaginem terreni & cœleſtis hominis quomodo induamus. Ansh. 168.57
imagines & ſtatuæ hoc ſeculo in tẽplis habitæ 252.26
Imbricus eloquentia inſignis, Auguſtanus epiſcopus 568.26
notoriè impij & manifeſtè ſceleroſi ex eccleſia electi 264.3
de Impiorum poteſtate, Ansh. 115.56
impios cur Deus tamdiu toleret. Ansh. 199.39
Immo abbas Prumienſis 636.58
de Immortalitate primorum hominum, Ansh. 119.48
imperatores epiſcopos atq; doctores dediſſe 388.35
imperatores inaugurãdi ritus 345.55
imperatores, pontifices non legitimè electos depoſuiſſe, alioſq; ſurrogaſſe 387.29 flagitioſos, ſeditioſos, alaſtores puniuiſſe 388.11 ſynodos contra eos congregaſſe ibid. 24
imperatores in ſua uerba iurare cogunt pontifices 379.44
ab Imperatorib. epiſcopi eccleſijs dati 282. 15 & inde
inaugurationem à papis politici petierunt 384.35
de Incantatoribus. Alg. 220.29
incarnatio filij Dei, ab æternis ſeculis prædeſtinata 135. 6. & inde. ſuper omnes uirtutes neceſſaria 73.32. & ibid. 50
incarnationis Chriſti myſterium ſoli Deo notum 74.50
incarnationis Dominicæ dies à patrib. unicè exoptatus 75.57 cauſæ impuſiuæ & finales 78.39 & 79.4 & ibid. 12. & 34
incarnationis Chriſti arcanum humanæ ſapientiæ imperueſtigabile 78.54
inceſtus 343.45
indulgẽtia Romana ſiue pontificia, nullis, niſi qui pœnitentiam à ſuis ſacerdotib. datam adimpleuerint, proſit: Salegunſtadenſis ſynodi decretum 450.29
indurare Deus quomodo dicatur 134.21 & 135.26
infames ad ſacerdotium nõ admiſſi. 283.32
infans quidam Chriſtianus, religionis odio à Iudæis crucifixus. 687.40
infantes ab eccleſia baptizati 260. 13
infantibus quoq; Euchariſtia data. 274.8
infernus 212.46
infernus qualis futurus. Ansh. 212. 54 erit perpetuus. Berno. 213.7
ad Infernum cur Chriſtus deſcenderit. Ansh. 89.26
in Inferno quis futurus ſit 212.47 Algerus
de Iniuriarum tolerantia. Ansh. 162.43
innocentes à communione depulſi 364.43
innocentia quibus ritibus probata. 248.23
inſtauratio eccleſiarum huius XI Seculi 29.23
interceſſio Sanctorum, eorumq; meritorum communicatio, contra Chriſti propriũ honorem à quibuſdã huius Seculi ſcriptoribus docta 230.9
de Inuidia 128.55
Iohannes Cæſar Conſtant. monaſticen induit 329.6
Iohannes XIX. Romanus epiſcopus 519.9 XX. ibid. 45 XXI. 52.13
Iohannes Heinrici IIII ex filia nepos, apud Spirenſes antiſtes 572. 16
Iohannes Taruanenſis antiſtes 558. 46
Iohannes Xiphilinus Conſtantinopolitanæ eccleſiæ gubernator. 518.18
Iohannes Megapolenſis præſul. 599.1
Iohannes Beneuentanus Caſſinenſis trigeſimus abbas 627.44
Iohannes Vellenſis epiſcopus 624. 28
Iohannes Moranorum epiſcopus. 606.4

Ioannes Gualandus, philosophus atque poeta 654.42
Iohannes Turonensis archidiaconus 556.50
Iohannes Gualbertus Florentinus, nouæ religionis author 311.12
Iohannes Seraphion, medicus insignis 655.33
Ioannes Iordanis, principis filius flagitijs nobilitatus 682.18
Iohanni Romanorum pontifici Stephanus frater appararet ibid.33
de S. Ioanne, eiusq; euãgelio. Ansh. 221.22 & 223.14
ira Dei 100.4
Isaac Benimiram medicus celeberrimus 655.42
Isaacius Comnenus homo arrogans, rapax, &c. 38.29
Isnense cœnobium 314.19
ab Italis Sarraceni deiecti 718.40
Italia Henrici quarti Imperatoris temporib. turbulentissima 721.18 & inde
Italiæ episcopi 543.26 monachi. 627.40
Italiæ nonnulli principes à Leone IX, excommunicati 380.33
in Italia aquarũ exundatio 663.47 gentilismi reliquias hoc tempore remansisse 690.21
Iudam proditorem cœnæ non interfuisse 244.41 interfuisse. ibid.52 & inde
Iudæi cur Christum sint persecuti. Ansh. 200.5
Iudæorum infinitam ferè multitudinem hoc seculo, in uniuerso ferè terrarum orbe, sua quædam hospitia, multo auro redempta, tenuisse 686.35
de Iudæorum libris 688.52 ceremonijs, ritib. & morib. 689.3 operib. contra Christianismũ 687.36 cæcitate. Anshelmus 688.28 religione. ibid.6
Iudæis qui sese opposuerũt 689.24
Iudæa sola ante Messiæ aduentum ad unius Dei cultum electa. Berno 188.36
de Iudaica quadam muliere baptizata, uiroq; Christiano elocata. 295.24
de Iudaicis reb. externis, caput 14. 686.31
extremum iudicium 208.52 quale futurum. Bruno 209.26 quomodo. ibid.31. Ansh.
in Iudicio extremo quomodo omnia transitura. Ansh. 211.1
de Iudicio temerario 131.3
Iuditha pietati & beneficentiæ dedita fœmina 365.46
Iuo Carnotensis episcopus carceri inclusus 47.10
Iuo S. Quintini Beluacensis canoni corũ regularium Augustinianæ professionis præpositus 550.42 ab episcopo siue pontifice Romano, Vrbano Carnotensis antistes creatus. ibid. sententiæ eius cõmodæ de quibusdam Christianæ doctrinæ capitib. 551.12 næui 552.19 in carcerem conijcitur. ibid.46
de Iuramento 131.28
nõ Iurandũ esse per creaturas 131.24
iuramenta & homagia hoc seculo in templis facta 259.36
ad Iuramenta politica & fidem magistratui debitam dissoluendam, clauiũ potestas usurpata 264.60
circa Iusiurandum ritus 347.16
iurisdictio politica in ciuilib. causis dirimendis, facinorosisq; gladio puniendis, a pontificib. usurpata 378.31
iurisdictio ecclesiastica à Vuidone Mediolanensi episcopo Romanæ sedi tradita 347.19
iurisdictionem politicam gubernatores ecclesiæ hoc tempore administrasse 361.19
de Iurisdictione dissidium 442.1
Iusti & nunc ab iniustis quomodo separati, & quomodo in futuro separandi. Ansh. 209.37
Iustorum animas propter culpam primi parẽtis in inferno detẽtas, Christũ diabolis abstulisse, & in regnum Dei transtulisse, Ansh. sine scriptura assertio 237.40
iusticia redemptoris nostri, nostra iniusticia maior 140.38. Ansh.
iusticia ab Anshelmo operibus tributa 229.15
à Iusticia quam Deo debemus propter nulla incõmoda declinemus. Ansh. 89.10
de Iusticia duplici 136.49
de Iusticia originali & personali. Ansh. 136.50
iusticiæ Christi & peccati Adæ collatio. Ansh. 137.22 et inde. 138.38
de Iusticia ciuili 147.36
iustificari peccatores 146.56 omnes 147.7 eodem modo. ibid.16
iustificari nos ex gratia 141.43 fide 143.30
ad Iustificandum & saluandum hominem, gratiam & liberum arbitriũ cõuenire, Ansh. error 228.19 136.46
iustificatio
iustificatio unde ibi. 60 ex dilectione 140.13 ex misericordia. ibid.18
iustificationis causa impulsiua 139.29 materia 140.37
de Iustificatione orthodoxorum huius seculi doctrina 136.47
inuenes in Scriptura qui 39.44

K

Kemmenadense monasterium. 593.31
Kenulphus Petroburgensis abbas. 649.30
S. Kiliano crypta dedicata 252.9
Kiouia à Bolislao Polono capta. 743.59
Kribo diaconus ob lasciuiam, morumq; intemperantiam omnibus inuisus 364.36
Kurnachianæ ditiunculæ duæ arces euersæ 639.50
Kunegundis Confugiensis cœnobij monialis 364.19

L

Lachrymæ cur necessariæ. Ansh. 160.38
Ladislaus Vngarorũ rex cœlesti uoce admonitus, ædẽ diuæ uirgini Mariæ ædificat 394.48
S. Ladislai defuncti cadauer in sepultura miraculum edit. Bonfinius. 672.42
Ladislai Vngarorum regis post partam uictoriã erga Deum gratitudo 336.35 erga hostes misericordia & mansuetudo 337.57
à Laico episcopatũ haberi, nephas esse à Romanis pontificibus pugnatum 554.42
laicorum quorundam Christianorũ furiosa impietas 43.28
laicis quoq; cœna integra hoc seculo distributa 273.9
laicis quoq; & paganis baptizari permissum 259.59
laicis episcopale munus demandatum 353.16 ecclesiarum inuestituræ per Vrbanum papam ademptæ 374.37
lampades in festo Paschatis accẽsæ. 290.15
Lambertus Constantiensis præsul. 565.12
Lambertus Senonum archiepiscopus 558.29 Atrebatensis episcopus. ibid.37
Lambertus Schafnaburgensis, Hirsfeldensis monachus 647.2

Lambertus

Lambertus Leodiensis monachus 632.4
Lambertus equestri apud Polonos familia ortus, Cracouiensis canonicus 386.55
Lambertus Florentinus ex pontifice monachus factus 546.58
Lambertus de Legia Treuirensis monachus 636.21
Lambertus Louaniensium comes. 675.36
Lambertus Zula Polonus, Cracouiē sis ecclesiæ antistes 606.34
Landolphus Reinsteterus ab Hohenek, Campidonensis abbas 639.43
Lanfrancus Cantuariensis longè doctissimus episcopus 609.53 librorum eius quos scripsit catalogus. 610.11 eius næuus. ibid.48
de Lanfranco, Polydorus 612.14
ad Laodicenses epistola 224.51. Ansh.
lapidibus obruti 659.15
lapidibus obruti episcopi 608.49
de Lapsu hominis 110.3
lapsus hominis unde sit 109.55
de Lapsus damnis 110.26
per Lapsum primorum parentum non prorsus perditos homines. Ansh. error 228.17
latrones sanctorum auxiliū expetentes, miraculosè liberati 673.48
S. Laurentij collegiati templi dedicatio 250.56
S. Laurentij ope Heinricus Imp. hostes suos in fugam cōuertit, Bambergensis fabula 671.44
Laus Pompeia, Italiæ oppidum, ab Adelheide Cæsaris socru expugnata 723.24
de Lectionibus in ecclesia hac ætate. 258.9
Lectorum ordinatio 286.5
legati uiolati 342.58
legati pontificum nimium honorati 386.45 & 384.10 ueluti dromedarij quidam huc illuc missi. 373.53
contra Legationis suæ fidē qui egerunt 560.49
legationibus Principum nomine abbates & monachi functi 326.45
ex Legatis quædam bona ecclesiæ accesserunt 365.38
Leimarus Bauarus, Humburgensis & Bremensis episcopus consecratus 591.37
Leo IX pontifex Romanus 525.10 eius scripta. ibid.46 doctrina & errores 526.8 opera in pontificatus administratione. ibid.51 mors 528.4
Leo Atridæ metropoleos, Bulgarorum archiepiscopus 515.52
leonis similitudini mortem & resurrectionem Christi rectè comparari. Berno. 82.56
Leonis Tormicij Adrianopolitani, Euprepiæ sororis Monomachi nuptias & imperium simul assectantis tristis fortuna 710.48
Leodienses, qui & Tungrenses, episcopi 581.45
Leodienses monachi 631.58
Leostanus adolescens sanctorū reliquias minus honorās, graues pœnas luit 675.8. Vincent.
Leothericus Senonum archiepiscopus 558.22
D. Leuini Holtanense sacellum qui spoliare conantur, statim oculis priuantur 684.49
ad Leuinnæ uirginis corporis circū gestationem multi infirmi sanitati restituti. Dogo Morinorum episcopus 674.51
lex 124.53
lex à gratia quomodo distinguatur. Ansh. 133.1 non tollit peccatū. 126.5.
legis consuetudo 59.54
legis ueteris materia circa quæ uersetur 57.20
de Legis usu & fine 125.5
à Legis damnatione nemo nisi per Christum liberatur. Ansh. 126.35
legem nos non implere 125.56
lege non saluamur. ibid.60
de Lege. Bruno. 575.20 orthodoxorum huius seculi doctrina 124.53 Iudæorum uana gloriatio. 688.39
de Lege spiritus. Ansh. 132.42
de Lege fidei & operum 147.44
de Lege naturæ 126.53
à Lege quomodo simus liberati 126.27
sub Lege quid. ibid.11
legibus cur Christus se subijciat 79.39
Liutulphus Callensis episcopus. 547.4
Libentius secundus natione Italus, Bremensis episcopus 586.33
liberales erga pauperes 604.10 & 612.10
ob Liberalitatem in egenos commēdati 564.59 & 586.42
de Liberatione nostri à damnatione legis. Ansh. 126.27 à peccato. ibid.39 & inde.
libertas arbitrij quid sit 113.36 & inde. unde sit 114.45
libertatis tres modi. Ansh. 114.26
liberum arbitrium 113.35
liberum arbitrium non sufficit sibi ad rectè intelligendum, & benè uiuendum 143.7 per prædestinationem Dei non excludi. Ansh. 136.6
liberum arbitrium ad peccandum. 117.20
liberi arbitrij diuisio 114.5
de Libero arbitrio quid huius seculi orthodoxi doctores senserint. 113.35
libidinum exempla 343.51
libidinibus papæ infames 382.12 sacerdotes. ibid.36
librorum curam abbates habuerūt. 325.51
de Libris noui testamenti 220.49
Liethertus Cameracensium episcopus 553.3
Liemarus Bremensis episcopus ex captiuitate redemptus 566.48
lignum cui Dominus affixus fuit. 305.19
Limolnienses episcopi 622.42
linguæ tempestiuus usus 339.58
de Litanijs 281.13
lineo tantum panno particulæ panis distribuendæ in sacra actione, inuolutæ 172.16
linteum, quo Saluator post lotionē in ultima cœna pedes detersit. 305.14 & 308.17 & 674.31
loco moti 392.21 & 637.1
Lotharingia in ducatum & comitatum diuisa 707.33
apud Lotharingos quod miraculum editum 660.19
lotio pedum discipulorum Christi, pœnitentiæ sacramentum. Iuo. 163.21
S. Lucas de Hungaria, pōtificalis excommunicationis contemptor. 389.17
de S. Luca, eiusq; euangelio. Ansh. 221.17 & ibid.45 & 222.27
de Lucensi ciue quodam nobili 677.20
Lucidus Ficoclensis episcopus 679.60
Ludolphus Treuirorum episcopus. 563.37
lugubres cantilenæ in sepelitionibus factæ 298.49

Luitpoldus Moguntinorum præsul. 562.55

luna bis suo lumine, Februario & Augusto mensibus orbata 670.13

Luticij bello ab Imperatore Henrico IIII petiti 732.32

inter Luticios domesticum bellum exortum 736.32

de Luxuriæ uitio. Ansh. 130.9

luxus exemplum 344.58

in Luxurioso conuiuio qui genio nimium indulserat nobilis, misere perit 664.31

M

MAcharius Aruernus episcopus. 515.20

Machtildis impuri pontificis Hildebrandi impurum scortum 382.15 & inde

Madelmus monachus 630.55

de Magdeburgensis episcopi electione diſsidium 439.49

Magdeburgenses episcopi 601.5

magistratus 204.35

magistratus cur Dei minister dicatur. Ansh. 206.28 religionis curam habeat. idem. ibid. 45 à subditis contemptus 342.17

magistratus finis atq; officium. Pet. Dam. 205.56 diligentia in administratione politica 337.1

Magistratus politici, in iuuanda gubernatione, & disciplina Ecclesiastica conseruanda officia.

Episcopos Romanos elegerunt, ac confirmarunt 391.58

episcopos factiosos, seditiosos, contumaces, punierunt 392.16

episcoporum opera in legationibus usi sunt. ibid. 59

Hæreticos punierunt 393.48

Idololatriam abrogarunt. ibid. 56

monasteria extruxerunt 392.49

Priuilegia dederunt. ibid. 54

reformationes & bonas leges promulgarunt 394.12

synodos congregarunt 392.40

¶ magistratui obediendum. Anshel. 204.59 quo modo. idem 205.23

erga Magistratum subditorum obedientia ac reuerentia 337.28

de Magistratu impio seu truculento. Ansh. 206.37

magistratus iniusti 341.26

magistratus subditi sint legi Dei. Ansh. 205.49

magistratus politici à papis excitati, ut iuxta ipsorum placita, quos pro suo arbitrio sunt execrati, persequantur 381.35

magistratus esse à Deo. Ansh. 204.36 suo nerno Iudæos cõpescuisse 689.49 nonnullos gentilissimum defendisse ac propagasse. 693.6

A Magistratibus politicis contra suum officium, & ecclesiæ utilitatem quæ facta.

Bona ecclesiastica sibi rapuerunt. 397.20

Cultus falsos tutati sunt 394.36

Doctores bonos oderunt, & persecuti sunt. ibid. 40

Ecclesijs aut monasterijs nimis multa dederunt 395.6

Monachi stulta quadam superstitione facti sunt 397.28

Pontifices pro suo arbitratu euexerunt & deiecerunt 394.30

Templa & monasteria nimis multa ædificarunt. ibid. 47

magi & magæ 340.22

magi, seu magiæediti 558.22

de Magis conuersis. Berno. 63.28

de Magia, Berno 219.49 & inde.

Magnopolis ciuitas Obotritorum. 25.24

Magnus Noricorum rex 746.9

Magnus Olai filius, Norueglæ rex Suenoni regnum sibi debitum in uadenti resistit 714.47

de Mahumetismo 695.54

Mainardus episcopus, Syluæ candidæ cardinalis 544.4

Maio Cassinensis monachus 681.49

Malcolmus Scotiæ rex 746.23

Malcolmi regis Scotiæ de elocandis uirginibus edita lex 294.55

mala quomodo Deus faciat 135.22

malorum societas cur uitanda 130.21

aduersus Mala huius uitæ consolatio 646.31

maledictum in Scripturis duplex. 59.10

Mangoldus primus Isnensium apud Sueuos abbas 640.45

Mantuana synodus 457.33 alia. 476.24

manus ordinandis episcopis impositæ 384.49

Marbodus Rhedensis episcopus. 557.1 & 22.33

per S. Marci merita quæ petuntur, certò accipi: Bernonis nænus. 230.23

de S. Marco, eiusq; euangelio. Ansh. 221.14 & 222.9

ex Marco in die paschatos textus recitatus 290.21

mare rubrum, baptismi signũ. Ansh. 168.21

in Maris mediterranei insulis ecclesiæ 18.45

Margaritæ, Nicolai Zẽbocij apud Polonos longè nobilissimi uiri, uxoris pudicicia 338.50

Margarethæ Scotorũ reginæ in pauperes pietas 338.27

Maria uirgo quare Dei genetrix dicatur 77.38

Maria absq; peccato, Anshelmi opinio 615.8 post partum uirgo mãsit. Berno 75.45 ut domina colì iussa 28.22

Mariæ ubera Fulbertum ægrotantẽ suxisse, Achelnoti Cantuariensis præsulis blasphema assertio 609.12

Mariæ precibus atq; meritis quæ se se commendabat mulier, ab ignis iniuria illæsa seruatur: Sigeberti nugæ 672.29

in B. Mariæ honorẽ templũ fundatum & consecratũ 248.9 ecclesia extructa 359.6 monasterium extructum 316.53

Mariæ excellentia 80.19 ascensio. Ansh. 232.38

S. Mariæ mediatoris officiũ attributũ 131.24 Stephanus rex se suaq; omnia, moribundus, magna superstitione commendat 280.45

Mariam fuisse peccatricem 123.1 sua sanctitate meruisse fieri matrem Domini, Anshelmi sinistra opinio 232.30

ad S. Mariã nudis pedibus itura, fœtu liberata, quæ uoto se se obstrinxerat mulier, statim dolorib. partus leuatur. Antoninus 673.9

ad Mariam uirginem Anshelmi oratio 280.52

de Maria quomodo Christus sit natus 73.42 & 74.18

de Maria uirgine mediatrice, Bernonis error 163.41

ex Maria Dei filium sine peccato natum esse. Ansh. 74.9

in Maria Dei uirtutẽ et sapiẽtiã, omnesq; sapiẽtiæ et sciẽtiæ thesauros esse ab-

esse absconditos, Anshelmi error 232.17
Marianus Scotus apud Vuissenburgenses monachus 643.56
de Mariano Scoto, eiusq; socijs, uiris doctissimis, diploma ab Hẽrico imperatore datum 392.54
Marquardus ex Corbeiensi abbate Osnaburgensis præsul factus: post annum uerò sextum loco motus 585.52
Marsburgensis synodus 454.24
S. Martini Moguntinæ ecclesiæ dedicatio 250.43
D. Martino Lutetiæ templum extructum 249.24 & 428.49
martyribus tẽpla extructa 248.41
de Martyrib. caput duodecimum 658.24
S. Materni corpus aliò translatum 305.4
Mathildis Balduini Flandriæ comitis filia, à Guilhelmo Angliæ rege illicito propinquitatis gradu in uxorem ducta 400.31 cunctas quas habet possessiones Romano põtifici offert 386.48 quando Petri matrimoniũ quod uocant, pontifici tradebat, cuius modi uox è cœlo audita 667.55
matrimoniũ in tertio consanguinitatis gradu coniunctas personas, quòd contrahere permittebant episcopi, ab Henrico Imperatore uitio latum 444.38
matrimonium in prohibitis gradib. qui contraxerunt, Apostolica sede in consilium non adhibita, à sacris prohibiti 553.15
matrimonia pro episcoporum arbitrio dissoluta 361.7
matrimoniales causæ ab episcopis dijudicatæ 356.21
de S. Matthæo, eiusq; euãgelio. Ansbel. 220.59 & 221.41
Maugerius Rotomagensis præsul 623.29 quòd iuxta officiũ, quod illicitum erat, redarguit, honore suo deijcitur 400.31
Maurilij Rotomagẽsis episcopi post mortẽ apparitio, atq; ad circumstantes, ut in confessionib. omnia sua peccata integrè enumerẽt, exhortatoria oratio 678.23
Maurus Quinquecclesiẽsis apud Vngaros episcopus cõstitutus 607.40
S. Mauri brachij, os integrum Cassinum missum 307.3
Maynardus Vuitzburgensis præsul 574.19
Mechtildis muliebri astutia Conradus Imperatoris Henrici quarti filius circumuentus 727.15
S. Medardi corpus qui transferre monachi uolebant, terrore prohibiti 674.59
mediator Christus 81.41 cur nobis diuinitùs datus. Ansh. 82.1
mediatoris officium soli Christo conueniens, à doctoribus huius seculi Mariæ matri inconuenienter attributum 231.24
mediatorem nostrum Christũ oportuit Deum pariter & hominem esse 77.19
Mediolanensis ecclesia 371.28
Mediolanensis synodus 462.29
Mediolanenses & Cremonenses episcopi exilio multati 392.8
Mediolanenses per Petrum Damianum Romanæ sedi iterum subiecti 546.7 seditionis sunt faces. 362.14 Romam ueniunt, reformatorem suæ ecclesiæ à pontifice precatum 385.20
Mediolanenses doctores atq; episcopi 547.40
Mediolanum ciuitas à Conrado Imperatore oppugnata, & Brunonis beneficio obsidione liberata. 576.18
Megingosus Eichstetensium episcopus 577.28
Megingaudus Treuirensis ecclesiæ præsul 563.43
Meginhardus Vuirtzburgẽsis præsul 576.36
Megnherus Hirsfeldensis abbas. 646.4
Meginvuardus ex Hildesheimensi abbatia ad Augiæ rectoratum ab Heinrico Cæsare per largitionẽ euectus 638.5
Meinuuardus Padebornensium episcopus 594.17
Meinuuercius Padebornensis x episcopus 368.23 ei mißificaturo, qui ornatum promere detrectat, subitanea morte corruit, Cranzij fabula 676.41
Meinfridus, siue Hunfridus, Magdeburgensis antistes 601.53
Melchisedeck sine patre & matre, & in hoc figura Christi 77.44
ad Melphim synodus 508.22
mendax quomodo omnis homo sit. Ansh. 112.8
Mensuuindis Antuerpiensis puella paralysi miraculosè liberata, Iacobus Meyer 674.46
Mersburgenses episcopi 602.43
Mesopotamia à Turcis bellis infesta 696.2 ab Arabibus uastata. 704.57
Meßias Christus, est Mariæ filius à Nazareth 82.29
Meßiam adhuc Iudæi expectant. Ansh. 688.35
Metensis urbs ab Imp. Heinrico obsidione cincta 702.9
Metenses episcopi 555.53
Michael cognomento Cerularius, Constantinopolitanus præsul. 516.47 Romanam ecclesiã damnat 401.51 quæ ei crimina à Leone IX obiecta 405.10
Michaelis Constantini excommunicationis tenor 411.2
Michael Ephesinus metropolitanus 515.12
Michael Paphlagon relicto Imperio in monasterium secedit 329.9 & 336.11
Michael Calaphates, homo superbus atq; ingratus 710.17 & inde.
Michael Cappadox, adulter atque periurus 344.48
Michael eremita 652.43
Miecislaus Polonorum rex 708.27 & ibid.42
miles quidam miraculo eremum subire diuinitùs edoctus 679.18
Mimigadeuordenses, siue Monasterienses episcopi 584.42
Mincius Veliternus episcop. Romanorum præsul designatus, pontificio munere iterum sese abdicare, atq; ad Veliternum episcopatum reuerti, ui cogitur 412.40
Mindenses episcopi 593.11
Mindense dißidium 441.54
ministri ecclesiæ non corporalia tractent. Ansh. 197.18

Ministri ecclesiæ electi, uocati, ac confirmati.

ab Imperatoribus 350.6
à Clero & populo. ibid.46
alij per uim intrusi sunt, aut seipsos in sedes collocarunt. ibid.58
alij fraudibus eam dignitatem sibi compararunt 351.22
alij peccunia. ibid.33
¶ Ministri ab episcopis examinati, ac ordinati 355.58 ex bonis ecclesiæ sustentati 366.35 contempti atq; adflicti 341.17

ministrorum ecclesiæ promotio per graduum ordinem facta 283.1
de Ministrorum ecclesiæ illegitima electione, hoc seculo fieri solita, Platinæ scriptum 351.26
ministros ecclesiæ eligendi ordinandiq; ius penes quos fuerit 281.51
ministros qui sunt reueriti 336. 41
ministerium uerbi 191.26
de Ministerij fine & usu. Anshelm. 197.39
miracula in idololatriæ confirmationẽ à Sathana sub Sanctorum prætextu edita 310.36
miraculorum dona quidam habuerunt 364.39
miraculorum dono præditi episcopi 596.43 & 595.58
de Miraculis, ostẽtis atq; prodigijs Caput 13. 659.25
Misca Polonorum dux 28.36
misericordia Dei 120.57
misericordia Dei immensa erga miseros nos peccatores, dato filio declarata 140.18
misericordiam non impartiẽdo, Deus indurare dicitur. Ansh. 134.1
misericordiam & mansuetudinem qui ostenderunt 337.56
Misnenses episcopi 604.40
missificare episcopi soliti 360.1
missa Constantinopolitanæ eccl. siæ ab Humberto reiecta 276.57
missæ ritus cum allegorica expositione, ab Iuone recensiti 274. 20
missæ Anshelmus patrocinatur. 278.8
pro Missa pontificia confirmanda mendacia conficta 675.49
in Missa corpus Dominicum ad sinistram, & calicem ad dexteram sacerdotis ponendũ, ubi et quando statutum 446.28
missæ è papis stabilitæ 377.29 pro defunctorum animabus celebratæ 360.19
missatica idololatria omnes huius seculi doctores fascinatos fuisse 233.25
Misteuo Vuagyrorum princeps, Bernhardi Saxonum ducis filiã ambiens, passus repulsam, cum graui Christianorum exitio iniuriam ulciscitur 32.56
Misteuonis conuersio 30.20
Moguntini episcopi 562.12
Moguntina Synodus 453.46 alia 480.6 alia 481.35
in Moguntino templo pugna 398. 43
Moguntia graui terræ motu quassata 667.24
è Monasterio licere discedere. Anshel. 202.33
monasteria fuerunt episcopis subiecta, & ab his uisitari, ac si quid minus rectè actum erat, corrigi, consueuerant 328.9
monasteria ab Imperatoribus extructa 392.49 erant quasi carceres & exiliorum loca, ac deniq; facinorosorum & sceleratorum (quos terra uix ferre dignabatur) quasi cõmune receptaculũ. 328.48
monasteria quædam collapsa, reparata 319.31 recens extructa uel instaurata consecrari solita 320. 3 Romanorum pontificum authoritate confirmata 321.26 uel Imperatorum & regum. ibid. 36
monasteria uirginum & monachorum in quibusdam locis uicina. ibid.46 habebãt certos reditus. ibid.52 uasa sacrata, libros, pecora, et alia bona possederunt 322. 31 erãt quasi scholæ, in quibus dicendi artes, philosophia & theologia tradebatur. ibid.53
in Monasteria episcopi, quietis & pœnitentiæ agendæ gratia, suo ab officio recedentes, sese abdiderunt 329.20
monasteriorum numerus, qui iam erat maximus, quantopere hoc seculo creuerit 314.52
monasteriorũ fundatione celebres. 562.56
monasteriorum extructio hoc seculo omnium persuasione summus cultus existimata 17.10
monasteria quædam ita fuisse coniuncta, ut mutuis precum suffragijs operaq; se iuuare possent. 333.50
monasterijs duobus sæpe unus abbas præfuit 323.49 & una abbatissa 324.17
in Monasterijs presbyteri, diaconi & subdiaconi ordinati, atq; altaria consecrata, chrismaq; confectum 323.19 mortui sepulti. 299.25
monachatus 311.6
monasticum studium quibus episcopis in primis curæ fuit 593. 27
monasticorum cœtuum quorundam certus numerus, qui pro redituum ratione, aliàs maior, aliàs minor fuit 326.56
monasticen pro sua uirili qui auxerunt 553.22
circa Monasticen uarij casus 336. 10
pro Monastica dignitate confirmãda, mendacia impudenter conficta 678.49
ex Monastica acie fugere, nemini quidem fuit licitum: pro sua uerò authoritate Romani pontifices, pecunia interueniente, quosdam absoluerunt 327.18
monachum pœnitentem benignius & familiarius à Deo suscipi, si ad propositum redeat: quàm nõ monachum, si ad idem propositum non redeat. Anshelmi nugæ 236.21
de Monacho quodam Romani cœnobij, ficta narratio 680. 6
de Monacho quodam præ libidine furioso, Vincentius 335.45
de Monacho quodam incantatore, Chron. Hirsaugiensis narratio. 683.17

Monachi.

Angliæ 648.53
Augienses 636.51
Augustani 641.24
Bambergenses 640.31
Campidonenses 639.15
Casinenses 627.42
Cluniacenses 631.15
Colonienses 644.19
Corbeienses 647.54
Einsidlenses 640.30
Eluuangenses. ibid.15
Epternacenses 641.48
Europæi 627.30
Fabarienses 640.24
Flandriæ 651.18
Fuldenses 632.46
Galliæ 631.4
Germaniæ 632.44
Hirsfeldenses 645.57
Hirsaugienses 644.51
Italiæ 627.40
Leodienses 631.58
Petershusenses 641.18
Sangallenses 634.16
Schuuarzachienses 634.16
Treuirenses 635.42
Vtenburgenses 642.47
Vueichenstephanenses 643.1
Vuissenburgenses. ibid.31

¶ Monachi episcopi facti 352.50
monachi politici magistratus stulta superstitione facti 397.28
monachi huius seculi à Lamberto Hirsfeldensi taxati 647.23
monachi inermes cucullis tantum tecti, instructæ acici sese opponunt 579.30
monachorũ hypocrisis apud huius seculi homines in quãta admiratione fuerit 318.43
monachorum monialiumq; castitas. 335.29
monachorum superstitiosa opera, quibus æternæ uitæ præmia consequi se posse falsò somniabant. 331.44
monachorum fuerunt statuta multa & uaria 329.38 nuptiæ detestabiles habitæ 333.42
monachorum quidam domesticas operas in cœnobio fecerunt. 333.9
monachorum regulæ ab Elphegio Cantuariense præsule mendacijs confirmatæ 608.44
in Monachorum consortium recipiendi ab abbatibus prius probati 325.58
de Monachorum inuestiendorum ætate, Vrbanus 327.9 tonsura, Anshelmus 332.22 uestitu, ibid. 35
monachos nimium multis in locis Anshelmus extollit, eorumq; opera Deo gratiora quàm cuiusquam hominis secularis esse asserit 615.34
in Monachos cõtumaciores, & præfractos, politicus quoq; magistratus non rarò animaducrtit 328. 36
monachis quibus comam & barbam alere licitum 332.30
de Monachis nouitijs. Anshelmus. 325.59
ex Monachis quidã ad ecclesias gubernandas uocati 313.4
ex Monachis libros nonnulli descripserunt 331.32
monetam cudendi facultas ab Henrico 11 Maynardo episcopo donata 574.20
monialis superbia 398.33
moniales rasæ 333.31
monialibus obseruanda ab Iuone quæ tradita ibid.14
Monomachus rex 709.46 & 710. 37 coniugalis iuris quàm fuerit studiosus 338.59
Monomachus monachus 333.5
monomachia innocentia probata. 348.46
monumenta diuitum hoc seculo qualia 299.43
Morauia Polonorum regi Miecislao à Bohemis erepta 708.29
ad Mores bonos ecclesiæ doctores sunt hortati 355.11
Morini episcopi 555.1
mors 207.1
mors unde. Berno 207.2 & inde. amara. ibid.23 ubi sit. ibid.37 stipendium peccati cur dicatur 120.51 necessaria. Ansh. 211. 34
mors Christi magna uirtus 14.19 non coacta, sed uoluntaria 85.11
mors & resurrectio Christi similitudini leonis comparata 82.56
de Mortis metu. Ansh. 207.12
in Mortis articulo pœnitentiam agẽtes seruantur. Meginh. 164.32
mortis tragico genere qui perierunt. 599.60
aduersus Mortem consolatio. Berno 207.41
post Mortem nulla liberatio. Ansh. 213.11
per Mortem Christi quæ pax acquisita 87.38
morte subitanea qui corruerunt. 564.21 & 565.41
morte miseranda qui interierunt. 599.14
de Morte Christi 85.1
de Morte Christi Ethnicorum opiniones 691.30 & inde.
mortuum esse Christum libera uoluntate. Ansh. 75.24
mortui defleti 298.3
mortui quomodo lugendi. Berno. 208.1
mortuorum cadauera hoc tempore è sepulchris eruta atq; leuata, hoc fine, ut mortuæ creaturæ colantur 16.41
pro Mortuorum animabus preces factæ 300.10 oblationes factæ. ibid.42
motus animæ quomodo Deo ascribantur 99.17
mulier uiro subiecta sit. Ansh. 203. 36
mulier una quinq; filios uno partu enixa 661.40
mulieri, quæ infra duos aut tres menses à nuptijs peperit, licere in coniugio manere. Iuo 556. 28
mundus quando interiturus. Ansh. 208.41
de Mundi fine. Ansh. ibid.17
mundi figura quomodo prætereat. Ansh. ibid.37
munificentiæ & liberalitatis exempla 338.27
Myra à Saracenis capta 696. 31
Myra urbs Lyciæ maritima ab Agarenis capta 705.11
myrrha mortem Christi, cuius caro corruptionem non uidit, significat. Ansh. 85.24.
mystis, monachis, uirginibus, à Boiorum primoribus undeuiginti ædes sacræ conduæ 395.1

N

NAcli arcis Pomeranorum munitissimæ obsidio 681. 16
de Natiuitate filij Dei. Ansh. 74.9 & Meginh. 75.8
natura humana qualis esset, si primi parentes non essent lapsi 108.52 & inde.
de Naturæ humanæ infirmitate & corruptione 111.55
de Natura integra hominis 108. 51
naturæ hominum quàm stolidæ 17. 21
naufragio qui perierunt 628.9
Neocæsaria à Turcis expugnata. 696.2
de Neapolitano quodam presbytero post Missarum solennia mulato 278.51
Netriana synodus 457.48
Neumago Romanus ecclesiæ hostis. 36.23
Nicephorus Hierosolymitanus patriarcha 514.42
Nicetas cognomento Pictoratus, Cõstantinopolitanus monachus. 627.33
Nicolaus 11 papa 530.56 opera functionis 531.20
Nicolaus Iaurensis episcopus. 608.5
Nicolaus cognomento Grammaticus, Constantinopolitanorũ post Eustrathium episcopus 518. 53
S. Nicolai corpus, Myra, ubi se ptiã gentis ferè annis quieuerat, Venetias deportatum 304.25
Nicolai secundi papæ epistola, qua decreta sua publicauit 460. 20

in S. Nicolai Myræorum archiepiscopi honorem, cœnobium constructum 315.16
de Nicolao hæretico, uno ex septem diaconis ab Apostolis ordinatis, locus ex Epiphanio citatus 410.3
Nigromantiæ qui operam dederũt. 340.34
ex Nihilo omnia condita 101.51
Nitgerus Fruximensis episcopus fratricida in exilium relegatus 392. 25
niuium immensa moles 662.59 & 664.59
Nizo episcopus Frisingensis 577. 13
ex Nobilibus episcopi delecti 352. 42
nomina baptizatis imposita 261. 45
nominibus in Scripturis nonnulli binis, alij ternis usi. Ansh. 58.43
nonnæ ab episcopis consecratæ 364. 15
Nordalbinga tota à Sclauis igni ferroq; uastata 701.30
Nordbertus Bauarus, Curiensis episcopus sede deiectus 579.5
Nordouicus urbs 625.30
Nordouicenses seu Telfordēses præsules 625.4
Norinbergæ Vlrichiano cœnobio ab Henrico II Imp. quæ prædia donata 366.21
Normanni turbatores 712.23 ecclesiæ Dei infesti 32.21
Normannia Gallica sub Heinrico quarto quos motus habuerit. 728.17
Northumbria defectionis atroces pœnas luit 745.13
Notbertus primus Sangallensium abbas 634.39
Notgerus cœnobij Zwifalti in diœcesi Cõstantiensi, primus abbas. 642.26
Nothebaldus adulator mendax, & incantator 590.47
noticia Dei ex quo fonte oriatur. 63.19
Nouiomagensis synodus 446.24
Nouiomagenses episcopi 555.20
de Nouitate uitæ. Ansh. 164.19
nouum testamentum exhauriri nequit 57.1
noui atq; ueteris testamenti collatio atq; doctrina 57.6
de Noui testamenti libris doctorum huius ætatis scripta 220.49
per Noui testamenti scripturã quid iubeamur. Ansh. 56.54
de Nouo testamento 56.52 quare dicatur æternum. ibid.57 quare nouum. ibid.48
nuptiæ quo tempore celebrandæ, Salegunstadensis concilij constitutio 294.15
de Nuptiarum ritibus 293.34
in Nuptiarum sumptibus modus seruatus 294.7
nuptias sacerdotum quòd Romani præsules uel prohibebant, uel solebant, à Niceta Constantinopolitano monacho prolixo scripto damnati 407.1
circa Nuptias casus 294.36
nuptialia conuiuia instituta 294.3
de Nuptiali casu. Iuo 204.5

O

OBedientia humanæ naturæ perfecta & liberrima 115.34
de Obedientia & inobedientia. 120.1
per Inobedientiam Adæ quæ bona amissa. Ansh. 111.32
oblatio & hostia est Christus. 84.8
oblationes pro defunctis fieri solitæ 300.42
de Oblationibus in ecclesia hoc tempore fieri solitis 259.6
Obotriti perfidi 598.18
obsessi hac ætate sanati 286.37
obsessi & ægroti ad loca sacra, & sanctorum tumulos magno labore adducti 310.34
de Obstinatione & impœnitentia. Ansh. 123.54
obtruncati episcopi 606.52
per Oceanum ecclesiæ 26.25
circa Oceanũ Anglicum miraculũ. 660.16
octaui diei, in quo infantuli olim circumcisi, figura. Ansh. 169.12
ex Oculis quæ laborabat mulier, quomodo ab episcopo Hildeshemensi Bardwardo sit restituta. 596.48
Oddar Aldenburgensis ecclesiæ præpositus, cum 60 presbyteris socijs à Sclauis magna immanitate tractatus 658.48
Oderisius abbas Casinensis 629. 37
Odilo Cluniacensis monachus 631. 17
Odo Baiocensis episcopus 624.48 & 612.3
Odo Carlingorum princeps 707. 24
Offo, siue Onoffrius Bauarus, ab Henrico quarto Mersburgicis datus episcopus 604.6
Olaus Nouegianorum nuper creatus rex 704.21
Olai regis Sueciæ superstitiosa stolidtas 293.26
oleo infirmi uncti 297.37
Oliuerius Malmesburiensis monachus magia excellens 651.2
omne, in Scripturis 59.41
omnipotens Deus quomodo sit, cum non possit corrumpi, aut mẽtiri, &c. Ansh. 99.45
opera bona 148.21
opera bona in Dei laudem diriguntur 146.30 esse necessaria 148. 22. qui facere possint 150.4 in fide facienda. ibid.43 non mereri uitam 151.4
pro Operibus bonis precatio. Ansh. 157.44
in Oppenheim synodus 493.3
orare seu inuocare qui possint 152. 52
orandi facultas unde 152.47
orandum quomodo sit. ibi.41 pro quibus 153.3 quomodo. ibid. 53
orandum semper 153.49 per Christum 154.23
orandus seu inuocandus quis 153. 17
orantibus multiloquium cur prohibitum 156.29. Ansh.
oratio 152.34
oratio & obsecratio quid differant. 152.36
oratio sacerdotis in canone Missæ. 276.13
orationis efficacia 154.45 quædam formulæ 280.44 & 154.52
orationis Dominicæ distributio. Ansh. 158.55
orationi & gratiarum actioni quiuacarunt 336.35
oratione quidam obsessi, restituti. 286.37
de Oratione. Petrus Damianus 545. 10. Bruno 573.43
circa Orationes ritus 279.13
ordinandi episcopi quid promiserint 284.40
ordinatio, à simoniaco, sciente ordinando, facta, irrita habẽda. Vrbanus II papa 541.28
ordines gratis collati 285.8
orestus Hierosolymitanæ ecclesiæ episcopus 514.32
Orientalis ecclesiæ persecutio 47.24 orientalis

orientalis & occidentalis ecclesiæ schisma. 401.1
de Originali peccato in infantibus. Ansh. 111.5 & 121.26
orthodoxi nonnulli ab ecclesia exclusi 264.26
Osbernus Anglus Cantuariēsis, præcentor & monachus 649.59
Osmundus Sarisberiensis antistes. 624.15
ossa sanctorum in templorum consecratione adhibita 251.12
ostiariorum ordinatio 286.11
Osualdus rex olim à perfidis interemptus, martyrum albo adscribitur 672.59
Osualdus Vuigorniēsis monachus. 648.56
Othincarus Ripensis 626.33
Othingarus apud Danos 28.46
Ottho Gallus ex Cluniacensi monacho Hostiensis episcopus factus, & postea ad Romanam cathedram euectus 541.31
Ottho Belgicus à Gothelo duce superatus 707.60
Ottho Ratisponensium præsul 578.34
Ottho Constantiensis episcopus. 566.33
Ottho Saxonum dux, Imperatoris Henrici IIII filij imperium respuit 342.17
Ottho Boiorum dux, coniurationis contra Henricum IIII Imp. factæ princeps 732.37 & ibid. 47 & inde.
Otto Guilhelmi marchionis frater. 731.21
Ottho de Hohenstauffen comes, & S. Fidis Schletstadij præpositus. 570.44
Othoperdus quidam cum quindecim uiris, et tribus fœminis, quòd Missam inhonoraret, tristi supplicio affectus 676.51. Vincent.
Ouo Vngarorum rex 713.31
Oziacum à Rachilde uidua ui atq; armis expugnatum 553.38

P

PAbo Vueichstephanēsis abbas. 643.16
Padebornenses episcopi 594.15
de Padebornensi episcopo schisma. 441.14
ad Palæstinam profectio suscepta. 647.8
Palæstina ab episcopis quibusdam maximo cum uitæ periculo, religionis ergò inuisa 358.40
pallia à papis empta 383.43 ad Missarum solennia à Rom. pontificibus missa 276.49 à pont. Romanis uendita 375.53
palmæ in orationibus extendi solitæ 280.7
Pandulphus 20.22
Pandulphus Marsorum episcopus. 547.56
Pandulphus Capuanus princeps sacrilegij pœnas dat 683.54
panis sacramentalis in altari à sacerdotibus in multas partes diuisus. 272.50
papa & Cæsares Romani quò audaciæ hac tempestate processerint. 349.23
papæ & Quintij dissidium 439.10
de Papæ electione Marsburgi synodus habita 454.24
papam à solis cardinalibus eligendum, Mantuani concilij decretum 457.34
inter Papam & archiepiscopum schisma de diacono 399.8
papis ecclesiasticos nimium adulatos esse 384.10
papale dissidium 397.44
Papiæ miserandum incendium 659.39
paradisus primi hominis regnum. Ansh. 108.14
parasceues festum 290.4
parasceue paschæ hoc seculo usitatum baptizandi tempus 260.2
parentum in liberorum educatione diligentia atque solertia 316.57
Parisienses doctores atq; episcopi. 553.54
pascha Christum decimatertia luna non feciisse, nec cum fermentato pane feciisse, Humbertus episcopus contra Nicetæ Constantinopolitani monachi assertionem. 409.48
Paschalis papæ ad Heinricum Normanorum ducem epistola 442.58
de Passione Christi 82.35
passio Christi in nostris adflictionibus, nobis consolatio. Ansh. 200.26 quomodo angelis profuerit. 90.44
passionis Christi finis atq; effectus. 86.10
passionem & mortem cur Christū subire oportuerit. Ansh. 88.5
per Passionem Christi cur Deo reconciliari nos oportuerit. Ansh. 88.36
per Passionem Christi humanum genus redimendum, nunquam quenquam malignorum spirituum intellexisse. Ansh. 226.50
post Passionem Christi credentibus quare cœli ianua reserata. Alg. 213.26
sine Passione Christi nullum omnino peccatum remitti potest. 92.7
de Pastoris libro. Ansh. 225.40
Patauini episcopi 348.23
pater misericordiarum cur Deus nũcupetur 68.16
pater, prima diuinitatis persona. 68.38 cur filium suum unicum in mundum miserit 86.50
patrem & Spiritum sanctum unà cum filio incarnatum esse, clerici cuiusdam Franciæ error 556.16
ad D. patrem precatio. Ansh. 157.3 & inde.
patres non per legem saluati. Ansh. 125.60
patres antiqui per Christum ex inferno liberati. Ansh. 89.24.
patriarchæ in Oriente 368.55
patriarchas XII sub se habuisse episcopos 368.59
de Patrinis, seu infantum susceptoribus 261.1
Paternus Padebornensis monachus. 648.40
patientiæ exemplum Christus 89.10
de Pauli epistolis. Ansh. 222.37 & inde.
Paulo quid solenne 62.27
Pauliciana hæresis 247.26
in Pauperes qui fuerunt munifici ac liberales 338.27 & 568.43
pauperum curam episcopi habuerunt 356.9 qui episcopi habuerunt 596.32 & 612.10
pauperum sustentationi bona ecclesiæ seruierunt 366.42
de Paupertate atq; diuitijs Christi. Ansh. 89.49
pax per Christi mortem parta 87.38
pacem corporalem qui turbarunt, à Romanis pontificibus fulmine petiti excommunicationis 360.58
de Pace in terris renouanda, epistolæ cuidam cœlitùs oblatæ 452.16

de Pace per Christum parta. Ansh. 87.38
Pazinacæ (Scythica gens) Romani imperij fines subinde incursant. 705.35
Pazinacæ regiones ultra Istrum incolentes gentes, ad deditionem coactæ 711.39
peccandi impotentia glorioſa. Ansh. 103.10
peccatores esse omnes 121.6 & 129. 35 à Deo recipi, si resipiscant. Pet. Dam. 163.7
peccatum 117.25
peccatum unde sit 118.25 non est nihil 121.1 per legem ostenditur. Ansh. 125.5 & per eandem augetur. ibid.49 non tollitur. 126.6 inimicitiarum causa inter Deum & homines 129.54
peccatum originale 121.24 unde denominetur 121.25 quid sit. ibid.36 unde sit. ibid.51 uerè esse peccatum. ibid.35 damnare homines 120.22 eius effectus. 122.39
peccatum Adæ & infantium quomodo discernat Anshelmus 124. 10
peccati diuisio 117.39 effectus & fines 119.26 causa Deus non est. 115.11
peccato resistendum 120.39
peccatum qua ratione Dei filius in se transtulerit 84.41
peccato, sicut alios homines, ita Christum quoq; fermentatũ esse, gentium opinio 691.42
de Peccato ad mortem 123.52
de Peccato in Spiritum sanctũ. ibid. 19
de Peccato, de quo pœnitentia non agitur. Ansh. 164.57
peccata solius Christi sanguine delentur 92.23 per pœnitentiam abluuntur. Berno. 161.5 & inde.
peccatorum, quibus nos Deum offendimus, & quibus nos à proximo offendimur, discrimen. Ansh. 127.13
propter Peccatorum immanitatem nemo desperare debet. Berno. 163.55
peccatorum omnium remissionem per Christum fide consequimur. 120.32
peccata puniri 121.1 in hac uita non prorsus exui posse 124. 31
peccata actualia tantum non etiam cordialia, ueterem legem puniuisse, Anshelmi næuus 228.47
ad Peccata eluenda peregrina loca petita 309.32 & inde.
inter Peccata dæmonum & hominum quid interſit. Ansh. 199. 23
post Peccata statim remissio quærenda. Ansh. 164.46
in Peccatis tria principaliter damna 120.14
à Peccatis quis nos liberet 124. 42
de Peccatis actualibus 118.18
pectora à precantibus contusa 280. 20
pedibus truncati 378.45
Pelagianismi semina, de synergia seu cooperatione naturalis siue Adamicæ uoluntatis, nondum renatæ, in rebus diuinis, huius seculi doctores retinuisse 227.4
pellicem, qua quis antea usus est, utrum in uxorem ducere possit, hoc seculo disputatum 295. 47
peregrinationes ad loca Sancta 309. 18
perfidia insignes 343.12 & 627. 55
perfidia diuinitùs punita 560. 55
periurij pœnæ datæ 544.48
persecutorum ecclesiæ pœnæ 48. 13
pestilentia grassata 659.46 & 665.16
personæ diuinitatis tres 64.47 sunt æquales 68.3 sunt unus Deus 65.40 & 67.28
personæ unitas, & naturarum diuersitas in Christo ad quid ualuerit. Ansh. 76.40
de Personarum in Trinitate origine. Ansh. 65.11 differentia. 98.6
personas esse tres, cur dicatur. Ansh. 65.6
Petrus apostolorum princeps, Ansh. error 235.21
Petrus & Paulus apostoli à pontifice Hellebrando inuocati 433. 13
Petrus Vngarorum rex 713.21 & inde. homo crudelitate & stupenda libidine insignis 36.32 in uerbi ministros impius 341.17 impurus scortator 344.2 pontifices à tyrannide ipsum dehortantes adfligit, locoq; mouet 394. 41
Petrus Damianus Italus, à Stephano IX. ob ingenij excellentiam Hostiensis episcopus cardinalis designatus 544.10 sententiæ eius de Christianæ doctrinæ capitibus sparsim in suis epistolis traditæ. ibid.46 næui 545.15 ecclesiæ Mediolanensium reformator à pontifice Rom. datur 385. 20 eius ad Nicolaum secundum, Romanæ sedis antistitem epistola, in qua ecclesiæ, in Christiano orbe, pacem prædicat 93.3
Petrus Florentinorũ episcopus symoniæ reus comprobatus 548. 59
Petrus Igneus, Albanensis ecclesiæ episcopus 548.59
Petrus abbas Casinensis 628.59
Petrus Casinensis abbas dæmonium expellit 286.39
Petrus Narbonensis episcopus 557. 20 Pictauiensis episcopus. ibid. 25
Petrus Lateranensis archipresbyter 546.30
Petro monasterij Casinensis recens delecto abbati insidiæ structæ. 401.32
Petrus natione Gallus, patria Ambianensis, expeditionis Hierosolymitanæ author 748.23 & 749.56 & 750.32
S. Petri capilli plus satis honorati. 307.32
in D. Petri honorem multa templa extructa & reparata 148.22
Petershusenses monachi 641.18
Philippus Francorum rex repudiata legitima uxore, alienæ cohabitat 343.21
de Philosophis. Ansh. 218.33
de Philosophis, alijsq; huius seculi uiris doctis, qui inter Ecclesiæ doctores locum non merentur 654. 37
philosophia 218.32
de Philosophiæ abusu. Anshel. 218. 40
Phocas seditionis pœnas dat 699. 7
phthiriasi qui perierunt 565.14
pij cur adfligantur. Anshelm. 199. 39
ad Pietatem superstites hortari, moriturus consueuisse 296.14
pietatis hypocriticæ opera 574. 11

pignus cur Spiritus S. appelletur. Ansh. 97.27
Pilgrinus post Heribertum ex rusticano sacerdote, per Henricum Colonienſium epiſcopus deſignatus 559.12
Placentina ſynodus 509.10 alia. ibid.44
de Platone. Berno 219.12
pluuiæ uernali filium Dei commodè comparari. Berno 73.12
pœnis diuinis propter peccata undiq; ingruentibus occurendi, iramq; Dei placandi quæ ratio in ſynodo Aquiſgrana definita. 445.53
pœnitentes à Deo recipi. Pet. Dam. 163.7
omnes Pœnitentiam agentes recipi. Berno. ibid.28
Impœnitentes nonnulli abſoluti. 270.46
pœnitentia 160.36
pœnitentia agenda. Ansh. ibid.37 ſit cõiuncta cum fide. Ansh. 162.57
pœnitentia nunquam ſera. Meginh. 164.32
pœnitentiæ uox pro mutatione poni ſolita, & cur 59.3
pœnitentiæ imperfecta definitio. Ansh. 161.18 diuiſio. Ansh. 161.23 partes. Berno. ibid.32 finis ſeu effectus. Ansh. 164.26
pœnitentiæ in hac uita tantum locum eſſe. Berno 161.4
pœnitentiam non differendã. Ansh. 164.45
pœnitentiam agentes ab eccleſia recepti 266.20
ad Pœnitentiam peccatores non uocare, magna Dei ira. Ansh. 160.47
ad Pœnitentiam qui uenire poſſint. Ansh. 123.20
per Pœnitentiam omnia, quantũuis atrocia peccata in hac uita condonantur 161.5 & inde et 163.13
de Poetis. Ansh. 218.40
Poloni 327.21 & inde.
Polonorum libido 343.51
Polonici regni maieſtatem quomodo ad ſe Hellebrandus rapuerit. 381.12
Polonia uniuerſa ſubterraneo motu concuſſa 661.50
in Polonia miſera laniena 708.57 & 714.18
polygami 343.21
Pomerani 690.39 in poteſtatem Polonorum redacti 708.33

Pontificiæ tyrannidi qui ſeſe oppoſuerunt.

ECCLESIASTICI.

Poſtulationibus atq; decretis iniquis reſiſtendo 389.7

Imperatores.

Electos non ritè deponendo, alioſq; ſubſtituendo 387.29
epiſcopos atq; doctores dando 388.35
flagitioſos, ſeditioſos, alaſtores puniendo. ibid.11
ſynodos contra eos congregando. ibid.24

Principes & reges.

pontificum mandata non exequendo & contemnendo. ibid.53

Pontificiam dominationem ſiue tyrannidem, qui confirmarint.

ECCLESIASTICI.

Adulatione & laude immodica 384.10
appellationes ad ipſos 383.60
palliorum emptione. ibid.43
priuilegiorum poſtulatione. ibid.48

Politici.

Confirmationes monaſteriorum & templorum ab ipſis petentes. 385.37
controuerſias ad ipſos reijcientes. 386.6
doctores, ſuarumq; eccleſiarum reformatores ab ipſis poſtuluntes. 385.19
dona nimis multa ipſis tribuentes. 386.48
inaugurationem ab ipſis precantes. 384.35
legatos ipſorum nimis ſubiectè uenerantes 386.45 & 384.10
¶ de Pontificia dignitate conferenda, Henrici tertij ſtatutum. 387
pontificatus Romanus hoc tempore pecunia impetratus 351.33 à Gregorio VII, qui & Hildebrandus, primum contempta Imperatoris authoritate occupatus. 374.60 à Benedicto nono Iohanni archidiacono pro certa pecuniæ ſumma diuenditus 399.59
de Pontificatu, Stella pontificius ſcriptor 382.58
pontifex Romanus ne deinceps nullus abq; Imperatoris conſenſu deſignetur, decretum in Romana ſynodo ſancitum 400.49
pontificis Romani electionem à ſolo Imperatore fieri debere, Henrici III decretum 282.50
de Põtificis Romani electione ſchiſma 413.30 & 417.44. 8 Romanæ ſynodi decreta 459.53
de Pontifice illegitimè electo atq; ordinato, Nicolai ſecundi in Lateranenſi concilio decretum 352.18
pontifices à Romanis pro ſuis cupiditatibus euecti atq; deiecti 394.30
pontifices Romanos ſibi in epiſcoporum electione & ordinatione confirmanda, ſupremam poteſtatem per ſas nefaſq; uindicare contendiſſe 282.32
pontificum Rom. inauguratio 284.56 in eos qui ſibi aduerſabantur crudelitas 267.40
de Pontificum electione, inter Imperatorem & Hildebrandum in diſſidium 419.19

De Pontificum Romanorum principatu atq; tyrannide. 370.1

Abbates, agros, pagos, oppida tenere permittunt 378.20
archiepiſcopos nonnullos perpetuo legationum officio ad uicinas gentes ſuo nomine fungiuolunt 374.42
bella gerunt 379.6
à Cæſare uocari & ordinari uolunt. ibid.13
pro Cæſare Auguſto neminem, niſi qui ab ipſis coronam acceperint, haberi uolunt. ibid.38
cenſuras ſuas alijs eccleſijs omnibus hac appendice, ne diſſentire cuiquam fas ſit, obtrudunt 37.44
cenſus ab eccleſijs in longinquis regionibus extorquent 376.49
concilium nullum, niſi cui ipſi uel ipſorum legati præſident, ratum haberi uolunt 371.54
decretis horriſonam clauſulam adijciunt 372.12
epiſcopatus ueluti Cæſar ducatus atq; prouincias, diſtribuunt eoſque à ſe ſolumodo peti atq; accipi uolunt 374.7
epiſcopos regna tenere ſinunt. 378.1
excommunicationes ſuas contra imperatores & reges, ſecum ut exequantur, reliquos eccleſiæ præſules excí-

les excitant 380.41
idololatriam confirmant atq; exercent 377.7
Imperatores in sua uerba iurare cogunt 379.44
iurisdictionem politicam in ciuilibus causis dirimendis, facinorosisq; gladio puniendis, sibi usurpant 378.31
legatos uelut dromedarios quosdam huc illuc mittunt 373.53
libidinibus polluti sunt 381.12 & inde.
magistratus politicos, ut iuxta sua placita, quos pro suo arbitrio execrantur, persequantur 381.35
missas stabiliunt 377.29
pallia uendunt 375. regna huius mundi possident 377.52
reges & imperatores deponendi potestatem sibi sumunt 379.59
reges & principes, suis uoluntatibus non obsequentes, excommunicationis fulmine feriunt 380.32
sacrilegi sunt 376.58
subditos ab obedientia erga magistratum dissoluunt 382.7
superstitiones augent atq; confirmant 377.36
uenena sibi inuicem propinant 381.29
¶ de Pontificũ Rom. pertinacia, siue tyrannide uerius, Geroculus quidam Augustanus 374.50
ex Pontificum electione Italiæ quæ mala orta 721.18 & 722.1
de Pontificibus Romanis schisma. 399.48 & 400.30 & 412.38
Poppo Padebornensis præsul 595.14
Poppo Treuirensis episcopus, Antichristi charactere insignis 563.52
Poppo Sabonæ Noricorum episcopus, ab Imperatore Henrico Romanus pontifex creatur. 394.3
Poppo monasterij Stabulensis, Benedictinæ professionis in diœcesi Leodiensi, abbas 632.21
Poppo D. Vedasti Atrebatensis abbas 651.34
porca fœtum humano capite enixa. 660.37 & 661.14 & 664.6
potentes & praui in ecclesia quomodo à doctoribus arguendi. Anshelm. 194.1
præceptores ab abbatibus monachis præfecti 326.39
prædestinata à Deo necessariò ueniunt 135.40
prædestinatio Dei 133.34 quid sit. 133.42 & inde. qualis sit 135.6 non propria in Deo dicitur. ibid. 35 non excludit liberum arbitrium, nec liberum arbitrium adu ersatur prædestinationi 136.7
prædestinationi contraria 136.14 & ibid. 35
de Presbytero quodam temerario. 545.48
presbyteri quo modo ordinati 285.28
presbyteris, diaconis & subdiaconis, tam districtè & tam rigidè castitatis regula cur indicta. Pet. Dam. 235.51
presbyteros atq; diaconos coniuges suas non deserentes, ab omni officio remouendos, impium Vrbani II decretum 541.15
de Presbyteris, Salegunstadensis concilij nonnulla decreta 448.40 & inde & 450.56
de Presbyteris coniugatis, Anshelmi ad Ernulphum priorem, durum scriptum 353.34
præscientia Dei 133.39
præscientiam Dei non propriè sic dici 134.40
præscitam esse à Deo rationalem creaturam, quæ ipsius cõtemplatione beata uel est, uel futura est, in quodam rationabili atq; perfecto numero. Anshelm. 134.26
de Præsentia corporis & sanguinis Christi in cœna. Iuo. 551.49
præuaricationem & inobediẽtiam, Anshelmus quomodo discernat. 117.36
in Pragensi arce canonicorum collegium à Bohemiæ rege institutũ. 441.39
Pragenses episcopi 605.32
precandi gratia peregrina loca petita 309.14
precationes ecclesiæ huius seculi. 257.52
preces hominum ab angelis ad Deũ perferri, Anshelmi error 225.53
preces publicæ et priuatæ certis temporibus & horis recitatæ 279.15 certis item locis. ibid.22
de Primatu Romano, huius seculi errores 235.10
de Primatu Romanæ ecclesiæ, Petri Damiani incommoda sententia. 545.51
de Primatu in sede Romana multorum hominum cædibus decretũ. 383.16
principis quod munus sit 357.15
principes ab ecclesiæ antistitibus sui officij commonefacti 356.48 & ab iniustis moliminibus deteriti 357.27
de Principibus pacem & tranquillitatem prouinciarum turbantibus, lex à Conrado Imperatore lata 337.48
priuilegia ab Imperatoribus data. 392.54 à papis postulata 383.48
processionis solennia peracta 281.31
prodigia tempore expeditionis Hierosolymitanæ, tum in terra, tũ in aere uisa 750.2
proditionum exempla 342.53
propagatio ecclesiæ hoc undecimo seculo 27.31
prophetiæ dono insignes 550.9
prouinciæ plures certa quadam ratione & ordine inter se hoc tempore fuisse coniunctas 368.35
prouisores suos monachi habuerũt. 324.4
Pruteni 690.39 & 692.56
psalmodiæ quanta uis data 582.31
Ptolemæi error in supputatione motus lunæ & aliarum stellarum ex octauæ sphæræ ignorantia ortus, à Campano insigni astronomo animaduersus 655.52
pudicitiæ illustre exemplum 338.50
puer monstrosus Byzantij natus. 667.15
purificationis Mariæ festum 290.44
contra Purgatorium quædam Anshelmi dicta, licet illud astruat. 213.10
de Purgatorio, huius seculi somnia. 236.44
puniceis calceis Constantinop. imperatores usi 346.30 & purpura. ibid.35
de Pythonicis. Berno 219.51

Q

Quedlinburgæ synodus 506.45
Quintius Romanæ urbis præfectus. 439.18

R

Radigast idolum à Vandalis orie talibus retentum atq; protectum 394.36
Radulphus Remensis sedis archiepiscopus 556.27
Radulphus Norifolchi comes aduersus regem Vuilhelmum conquæstorem conspirat 342.26
Raginardus Leodiensis, hospitalis, mansuetus & zelotes episcopus 582.56
Ranulphus, Nardouicensis præsul. 625.49
de Rapinis synodi Salegunstadensis decretum 452.56
Rasis Pœnus philosophus 655.17
Rathbodo ecclesiæ Nouiomagensis antistes 555.48
Ratisbonenses antistites 578.26
Ratto primus Bambergensis abbas. 640.52
Rauenger Aquileiensis patriarcha. 546.53
Raymiris Ferdinandi frater nothus, primus Aragonum rex creatur. 700.50
reconciliari nos merito Christi 141. 37
reconciliati Deo per Christum quo modo simus. Ansh. 87.10
rectitudo quomodo accipiatur & conseruetur. Ansh. 115.25
redempti per Christū quomodo simus. Ansh. 91.42
de Redemptione per Christum facta 138.13 & 139.30
redemptio humani generis unde sit. 91.3 quomodo per Christum facta. ibid.53
redemptio, quam suo sanguine Christus inuenit, qualis. Ansh. 91.60 est uniuersalis 92.28
de Redemptionis nostri per Christū factæ, gentilium erroneæ opiniones 691.21 & inde.
reformationes, bonæq; leges ab imperatoribus promulgatæ 394.12
regenerationis author Deus. Algerus 166.45
Reginbaldus comes à Dillingen ob pietatis & eruditionis opinionē à Spirensi clero ad episcopale munus accitus 571.13
Reginberus à diabolo abreptus 348. 52
Reginaldus Germanus apostata. 340.5
Reginbertus Aldenburgensis sedis præfectus 598.1
Reinoldus Remēsis archiepiscopus. 556.15
de Renouatione hominis. Anshelm. 106.54
Reinvuardus apud Mindenses antistes 594.1
reliquiæ sanctorum, eorumq; translatio 302.36
reliquiæ sanctorum emptæ 308.34 ad ægrotos allatæ 297.33 multæ ab Henrico secundo Basileam delatæ 304.38 à Benedicto papa ob amorem & reuerentiam S. Benedicti, de sacrario Lateranensis palatij Cassinum missæ 305.26 in templis asseruatæ, et altaribus inclusæ 256.12
reliquiarum ueneratio atq; adoratio 306.44 ostensio 308.15
pro Reliquiarū cultu stabiliendo falsa miracula conficta 674.24
circa Reliquias sanctorum casus. 208.39
de Reliquijs peccatorum in sanctis remanentibus. Iuo. 551.38
religio Christiana usq; à seculi consummationē permanebit. Lanfr. 188.13 & inde.
de Religione restauranda Nouiomagi in concilio, deliberatum 446. 23
de Religionibus alijs extra Ecclesiā. 688.3
D. Remacli ossa leuata, atq; aliō delata 304.23 Lodium delata. 685.40
Remenses episcopi 556.14
Remigius Lincolniensis episcopus. 622.43
remittere Deum peccata sine debiti solutione non uelle nec posse, contra Dei libertatem atq; benignitatem esse, gentilium opinio 691. 38
remissio omnium peccatorum per Christum donatur. Ansh. 120.32 & 138.45 tantum per Christum. Ansh. 137.9 & ibid.59
remissionem peccatorū per Mariæ inuocationem & intercessionem comparari, Bernonis error 231. 29 & 232.8
remissionem peccatorum non contulisse Iohannis baptismum, Ansh. error 233.10
reprehendere quæ & quomodo debeamus 131.15
resurrectio mortuorum 211.11
resurrectio unde sit. Ansh. 211.12 quomodo futura. ibid.48
resurrectionis Christi utilitas 86 35
post Resurrectionem piorum status. Ansh. 217.42
in Resurrectione sua Christus nō desijt esse hominis filius 77.8
resurrecturum quid 211.31
rex cœli & Israel Deus cur dicatur. Berno. 64.26
reges quibus ceremonijs inaugurati. 346.46 sub Missarum sacris à Rom. pontificibus inaugurari soliti 277.42
reges & imperatores deponendi potestatem papæ sibi sumunt. 379.59
reges & principes, suis uoluntatibus aduersantes excommunicant. 380.32
à Regibus & principibus Romanorum pontificum mandata, contempta 388.53
regendum quomodo sit. Ansh. 104. 45
regnum cœlorū alios habere in spe, alios in re. Ansh. 236.44.
in Regnum Dei, neminē nisi per mortem Christi admitti. Ansh. 124.17
inter Regnum & sacerdotium quid interfit. Pet. Dam. 189.4.
de Regno cœlorum. Ansh. 216.26 & inde.
in Regno Dei quæ gloria & iubilatio omnibus electis futura. Ansh. 216.14
regna huius mundi à papis possessa. 377.52
Rheni atq; Danubij exundatio 660. 27
Ricardus abbas 26.57
Ricbertus Verdensium præsul 593.1
Richardus Leodiensis ecclesiæ antistes 583.9
Richardus Erkenvualdi in Fuldensi abbatia successor 632.56
Richardus Beccensis ambitiosus monachus 332.16
Richardus Cestrensis cœnobij S. Vuerburgæ dicati primus abbas. 650.47
Richardi Normanniæ ducis moritu ri superstitio 302.5
Richerius Cassinensis cœnobij abbas bellator 628.49

De ritibus ecclesiæ.

Ritus

adorandi Antichristum 347.7
baptismi 259.41
cantionum 256.58
clauium 264.3

cœnæ 267.4
concionum 258.52
confirmationis & chrismatis 263.9
cõsecrationis & dedicationis 250.33
depositionis 286.18
exorcizationis obsessorum. ibid.34
ieiuniorum 287.14
iurisiurandi 347.15
lectionum 258.9
missæ 274.19
nuptiarum 293.31
orationum 279.11
ordinandi presbyteros, diaconos, subdiaconos, lectores, exorcistas 285.14
precationum 257.52
sepulturæ 298.2
supplicandi 348.19
uisitationis ægrotorum 296.1
uocationis & ordinationis 281.49
¶ Ritus maiorum à Romanis pontificib. pro suo arbitrio immutati. 276.35
Rixa Polonorum regina 34.55 à Polonis patria & regno electa. 708.57
Robertus Cestrensis præsul 624.37
Robertus Normannus, Cantuariensis præsul 609.30
Robertus, Hermanni in Monasterienſi episcopatu successor 585.1
Robertus Guiscardus 378.52 et 712.1
Robertus quo pacto Flandriæ principatu sit potitus 742.40
Robertus ab Henrico Imperatore in Hermanni Bambergensis depositi episcopi locũ, substitutus, 388.44
Robertus Herefordensium antistes. 626.16
Robertus Lincolniæ episcopus 622.53
Robertus conquæstoris Angliæ regis filius regium nomen affectat. 728.32
Roberti Cestrensis episcopi morituri præceptum 301.52
Roberti, cognomẽto Frisij, impium diuortium 295.17
Rogerius S. Pantaleonis Colonienſis abbas 644.31
Rogerus Beluacensis episcopus 557.55
Romanus Boilas 710.57
Romanus Argyropilus 704.45
de Romano quodam diacono miraculosa narratio 663.57
Romani periuri 340.50
ad Romanos epistola cur primo loco posita. Ansh. 222.52
Romani episcopi 519.8
pro Romani antichristi authoritate confirmanda mendacium impudens à pontificijs confictum. 686.5
Romanum præsulem non esse Petrũ, obiectionem quomodo ille bestiæ soluant 405.4
Romana ecclesia à Clemente 11 quantopere sublimata 371.37 à Græcis excommunicata 238.26
Romanam ecclesiam errare nõ posse 402.50 nec ei resistere licere 403.15 essecq; supra alias omnes ecclesias. ibid.27
ad Romanam ecclesiam clerum atq; populum Henrici Imp. missa epistola 424.18
Romana synodus 454.31 alia contra Berengarium. ibid. 45 & 457.55 alia 456.36 alia 479.53 alia 485.18
Romana lingua publicæ preces à sacerdotibus recitatæ 279.44
Roma, seu Romani 19.20
Romam cum exercitu Heinricus tertius profectus 712.5 ad expianda peccata quidam profecti 309.35
Roscelinus seductor ab Iuone de palinodia admonitus 270.21
Roschildenses antistites 626.49
Rossi quos motus sub Heinrico 111 excitarint 711.20
Rotgerus nobili & uetusta Hutzmãnorum familia natus, patriæ suæ episcopus 572.1
Rotmgeham synodus 513.56
Rotomagenses præsules 623.28
Rotterstorpense xenodochium 601.45
Rotitho qui & Rothardus, Padebornensis ecclesiæ gubernator 594.48
Rubertus Augiensis abbas 638.15
Rudolphus Sueuiæ dux, depositio Heinrico quarto, Imperator salutatur 434.54 et 739.39 ab Heinrico bello impetitur 740.15
Rudolphum qua lege pontificij legati, cum cæteris primoribus regem salutent 379.45
Rudolphi regis Romani defuncti, epitaphium 299.56
Rudolpho perfida manus in prælio abscissa 741.7
Rulandus, Parmensis sacerdos. 425.2
Rumoldus Constantiæ episcopus. 565.59
Rupertus, pessimæ fidei homo, ab Imperatore Bambergensis antistes constitutus 581.11 perpetuo carceri traditus 41.59
Russi 19.7
Russia à locustis uastata 667.42
Ruthardus cœnobij S. Petri Erphurdiensis abbas 563.25
Ruthardus abbatiæ Hirsfeldensis administrator 646.16
Ruthardus Fuldensis cœnobij abbas. 633.36

S

SAbbatum profanatum 341.22 à Christianis non obseruandum, Michaelis Cõstantinopolitani argumentum 402.29 Humberti episcopi responsio 406.16
sabbati diebus quid Iudæis à suis maioribus præceptum 689.7
sabbato ieiunia obseruata 287.44
in Sabbato Missam in D. Virginis laudem celebrandam, Vrbani 11 decretum 542.16
sacerdos Dei patris, Christus 81.22 cur sic dictus. Ansh. ibid.31
sacerdoti peccata enumerata 267.29
sacerdotes ad episcopalem dignitatem euecti 352.57
sacerdotes in Anglia coniugati fuêre, ideoq; Paparum mancipia uehemẽter eos sunt persecuta 253.32
sacerdotum coniugium à Petro Damiano damnatum 546.1 uagæ libidines 382.37
de Sacerdotum officijs. Pet. Dam. 206.2
sacerdotio apud gentes qui functi. 691.51
sacerdotijs atq; dignitate qui excederunt 342.8
sacramenta 165.20.
sacramentum & mysterium in quo differant. Algerus 165.26
sacramenti appellatio. Alg. 165.22
de Sacramenti adoratione, Algeri uerba 176.19 & Lanfranci 177.8
sacramenta omnibus communia, sed non omnibus communis est uirtus, ideo sacramentis non confidẽdum. Ansh. 180.33
sacramenta noui testamenti, per sanguinem & aquam, quæ ex latere Christi, in cruce promanarunt adumbrata. Alger. 165.31
sacramentorum ueteris atq; noui testamenti, discrimen. Algerus. 165.48

165.43
sacrificia 184.37
de Sacrificio Christi. Alg. 87.23 & 184.38
sacrificium cur in forma serui Dei filius esse uel fieri uoluerit. Berno. 80.52
de Sacrilego quodam 660.43 & 663.42
sacrilegijs pontifices insignes 376. 58
sacris interesse excommunicatis nō licuit 265.41
sacris episcoporum, idolomanijs ac superstitionibus plenis, in Moguntiaco templo quomodo illusum 398.45
Salegunstadensis synodus 446.58 eius synodi canon 259.12 de satisfactione decretum 270.31
Salisberiensis templi totum fulmine prostratum 668.57
Salomon Vngarorum rex 729.33 & inde. eius spontanea pœnitentia seu satisfactio 270.5
qui Saluentur 146.51
saluatorem nostrum uerum & perfectum, Deum atq; hominem esse oportuit. Ansh. 76.27
salus nostra non ex lege. Ansh. 125. 60 tantum per Christū 137.47
salutem bonorum operum meritis acquiri, Ansh. næuus 229.32
Samson Aurelianēsis episcopus 556. 42
Samuel Bulgarorum rex 699.50
Sangallenses monachi 634.16
de Sanctificatione nostri. Ansh. 139.6
de Sanctorum intercessione & meritis, Iuonis næuus 552.32
sanctos mortuos, eorumq; ossa colligendi, emendi, eleuandi, transferendi, atq; colendi ethnica cōsuetudo, hoc seculo usitatissima 502. 39
sanctos mortuos, homines quid facere debeant, docere, pro confirmādo errore, mendacia signa 673. 56. item eos futura prædicere. 674.8
per Sanctos iuratum 347.50
à Sanctis defunctis salutem sperandam, Bernonis error 231.6
sanguis Christi solus peccata delet. 92.23
sanguinis Christi atq; Abelis collatio 88.18
sanguinem Dominicum ab homine quodam cæco prope Mantuam inuentum, impudens mendaciū, ab Hermanno Cont. annotatum. 674.42
Sarisberienses præsules 623.54
Sarraceni, Italia, Calabria, Campania, & Picentino agro à Heinrico Imp. expulso 702.43
sathanæ cur quidam tradantur. 124.4
de Satisfactione pro peccato. Ansh. 137.54 & 139.16
satisfactio Deo grata quæ. Ansh. 162.53
satisfactio, siue pœnitentia, Gerardo Flādriæ episcopo à Pet. Dam. iniuncta 268.35 Mediolanensibus clericis. ibid.54
satisfactiones, siue pœnitentiæ, quas proprio arbitrio homines, peccatorum conscientia puncti sibi iniunxerunt 269.31
satisfactionum canones hoc seculo conditi 270.31
de Satisfactionibus, Petrus Damianus 545.15
pro Satisfactionibus stabiliendis signum mendax 683.51
Saxones 23.25
Saxones inter primos, qui Heinrico quarto impuberi bellum cruentum indicant 731.9 ab Imperatore in maximas angustias redacti, quale edictum publicauerint. 288.48 Ottboni Bauariæ duci duttam libertatem armis uindicaturi, ab Imperatore Heinrico IIII. fusi 733.43 bellum restaurant: ibid.56 ad Christianā religionem conuersi 586.18
Saxonum atq; Henrici Imperatoris, funesta dissensio, Hellebrando Romano papa authore exorta. 419.57
Saxonum aduersus Heinricum quartum bellū quibus portentis prænotatum 667.5
contra Saxones conscriptus exercitus 363.41
apud Saxones anno 1013. quod miraculum editum 660.32
in Saxoniā Miecislaus Poloniæ rex impetum facit 708.42
in Saxonia turbæ 701.30
Sbigneus Vladislai regis Polonorū filius 744.14
scandalum 202.42 uitandum esse. ibid.53
scalæ, Iacobo uisæ, expositio Bernonis 196.22

Schismata.

de Abbate inter papam & monachos 401.30
de Abbate eligendo inter Hirsaugiēses monachos 398.6
ambitionis 417.29
antipaparum 442.9
inter Archipræsulem Romanum, & Michaelem Constantinopolitanum, ac Leonem archidiaconum 401.46
de Archiepiscopi dignitate 418.56
de Archiepiscoporum ambitione. 401.13
de Augustanis episcopis 440.1
Bambergense, inter episcopum & clerum 437.34
inter Bohemiæ regem & Pragensem episcopum 441.37
inter Danorum regem & Hamburgensem episcopum 443.49
Fuldensium monachorum 416.32
inter Guilhelmum Rufum, Angliæ regem, & Anshelmum Cantuariensem episcopū 442.16 aliud. 400.28
inter Heinricum Angliæ regem & Anshelmum Cantuariensem episcopum 442.34
de Herbipolensi episcopo 440.51
inter Hersueldensem abbatem & Halberstadiensem episcopum de bonis quibusdam 413.1
de Iurisdictione 442.1
de Magdeburgensis episcopi electione 439.46
Mindense 441.54
in Moguntino templo pugna 398. 43
Orientalis & occidentalis ecclesiæ. 401.1
de Padebornensi episcopo 441. 14
Papale 397.44
Papæ & Quintij 439.10
inter Papam & archiepiscopum de diacono 399.8
de Pontificibus Romanis 399.48. & 400.30 & 412.38
de Pontificis Romani electione 413. 30 & 417.44
de Pontificum electione inter Imperatorem & Hildebrandum 419. 19
de Sellis 414.23 prælium de issdē ibid.53
de Thuringiæ decimationibus inter Moguntinum episcopū & Hirsueldensem abbatem 419.7
¶ Schwuarzachienses monachi. 642.30
Sclauorum ad Panim fluuium incolentium

lentium bellum 706.59
Sclauorum in ecclesiam sæuities 42.45
Sclauorum paganismus extirpatus ab Heinrico imp. 394.8
Sclauici motus sub Heinrico quarto Imperatore 742.9
in Sclauiam & Vngariam Conradus Imperator exercitum ducit. 708.5
S. Scholasticæ ecclesia ædificata. 249.8
de Scholis 368.4
Scotiæ episcopi 626.22
scriptura sacra 86.12
scripturæ ueritas 56.14 utilitas & uis. ibid.19
Sebastianus primus Strigoniensis metropolitanus 607.33
S. Sebastiani capite Magdeburgicus ager à ui hostili defensus 308.56
securi percussi 639.59
seculum undecimum Ecclesiasticæ historiæ, sub quibus Romanis imperatoribus & præcipuis ecclesiæ doctoribus continetur. 15.4
sedes suas mutare episcopi solut. 357.48
seditiosi 342.26
seditionis pœnæ datæ 600.32
de Sellis schisma 414.23 prælü. ibid.53
semen Abrahæ cur Christus dicatur. 74.39
senes in scriptura qui uocentur 59.44
Senonensis ecclesia 21.1
Senonenses episcopi 558.20
de quinq; Sensibus corporis delectatione. Ansh. 111.50
de Septuaginta interpretibus. Ansh. 220.50
ad Sepulchrum Domini quidam religionis causa profecti 309.44
ad Sepulchra sanctorum ægroti atq; dæmoniaci ducti 310.34
sepulturæ Christi significatio. Ansh. 169.34
sepulturæ ritus 298.2 casus 301.8
circa Sepulturam Prutenorum gentilium ritus 692.16
serpenti Iudæi comparati 689.28
Sergius quartus Romanorum pontifex 520.4
Sergius Constantinopolitanus episcopus 516.16
Sergius metropolitanus Damasci. 514.56
Serigerus baro à Vuolhusen eremita factus 336.16
Setechus Polonicus aulicus 744.14
Seuerus Pragensis episcopus 605.33
Seuerus Pragensis episc. ad Henricum III. imperatorem à Bohemis missus 393.3
siccitas permagna, aerisq; intemperies Aquisgrani anno Salutis 1012 exorta 661.31
Sicilia à Roberto Guiscardo occupata 718.56
Sigebertus Verdensis episcopus 591.53
Sigefridus Augustanæ ecclesiæ episcopus 568.47 & 567.18
Sigefridus Mimigardouordēsis præsul 584.44
Sigefridus baro de Eppenheim, & abbas Fuldensis Luitpoldi in Moguntiaca sede successor 563.1
Sigefridum Moguntium archiepiscopum ex superstitione quadam in terram Sanctam contendentem, cum suis, Arabes exinsidijs adoriuntur & persequuntur. 43.45
Sigeuuinus Colonensis præsul. 562.1

Signamendacia.

pro Bonis ecclesiæ aduersus raptores muniendis 683.51
pro, de Carnium, tempore Quadragesimæ interdicto esu errore cõfirmando 681.14
quòd Consecratis rebus singularis uis insit 677.44
pro Enumeratione peccatorum integra stabilienda 678.20
pro, de Exequijs, purgatorio, de operum meritis & de inferno confirmandis erroribus 681.30
pro Missa pontificia confirmanda. 675.49
pro Monastica dignitate confirmanda 678.49
pro Reliquiarum cultu stabiliendo. 674.24
pro Romani Antichristi authoritate stabilienda 686.5
pro Sanctorum cultu atq; inuocatione stabilienda 671.42
sanctos mortuos, homines quid facere debeant, docere 673.56 eos futura prædicere 674.8
pro Satisfactionibus stabiliendis. 683.51
pro, de Virginitate seruanda, errore confirmando 680.43
¶ Significans non rarò pro significato in sacris literis usurpari. Ansh. 59.28
similitudinis aduerbia non ubiq; idē titatem seu æqualitatem significare. Lanfrancus contra Berengarium 242.22
Simon Hierosolymitanæ ecclesiæ patriarcha 514.49
Simon Syracusanus eremita 652.54
Simon de Melsa adulter 270.48
Simonis patriarchæ Hierosolymitani epistola ad Paulum Aemilium pontificem, in qua de calamitatibus, quibus à Mahumetanis premantur, queritur 47.33
Simoniaci horum temporum 246.38
Simoniaci episcopi Rom. papis qui dicti 374.9 suis dignitatibus spoliati. ibid.
simoniacis corruptelis pontificia dignitate pleriq; potiti 382.55
Simoniæ redargutus Hildebrandus pontifex commmunione se purgat 349.5
ob Simoniam & furtum Carolus indignus iudicatus qui Constantien si sede potiatur 365.13
de Simonia, seuerum edictum ab Hildebrando pont. promulgatum. 374.16
simulachrum 62.23
Sinderus Bambergensis antistes, ab Henrico tertio Benedicto degradato, pontifex creatus 388.12
Sisinnius Constantinopolitanæ ecclesiæ rector 516.12
Siuardus nobilis, Northumbriæ dux, dysenteria laborans, quid priusquam obiret, fecerit 297.55
solis aspectui quare non Domini solum, sed & sanctorum eius in resurrectione gloria cõparetur. Ansh. 216.42
circa Solem miracula 662.13
Sophia Otthonis III soror superba in Gandersheim abbatissa 398.34 & 654.4
Sorabi & Vandali 28.39
Spirenses episcopi 570.56
Spiritus S. est Deus 95.28 patri & filio æqualis. ibid.35 procedit à patre & filio. ibid.54 est à filio 96.17 est columba 97.48

amor,

amor. ibid. 55 ignis. ibid. 40 quomodo contristetur. ibid. 7 est patris Spiritus, duobus modis 95. 19 quomodo filij Spiritus. ibid. 22 quomodo sit de patre. 53. 49 quomodo à patre, filio datus esse dicatur. Anshelm. 96. 18
Spiritus sancti nomina 95. 2 officia 96. 49 donum quis habeat. 97. 29
Spiritum sanctum non procedere à filio simul, sed à patre tantum, Græcorum error 238 18
Spiritum sanctum à filio quoque procedere, quòd Occidentalis ecclesia credit atq; profitetur, ideo à Græcis audacter excommunicatur 401. 3
Spiritum S. quo pacto Christus habuerit 92. 51
Spiritus malignos à bonis angelis coerceri & opprimi. Ansh. 103. 46
Spiritus immundos, qui diuinitatis cultum sibi usurpant, Deus quantopere detestetur. Berno. 159. 23
Spolijs atq; rapinis ecclesiæ ditatæ. 365. 57
Sponsus & sponsa à sacerdote solenni ritu iuncti 293. 51
Sponsa peregrina cum magna pompa adducta 294. 46
Sponsalia 293. 34
Stanislaus cognomento Sciepanouius, uerus apud Cracouienses episcopus 606. 42 eius in arguendo impio rege libertas 45. 57 martyrium 46. 14 de corpore eius miraculum, siue potius commentum 675. 15
Stella præter naturam sereno cœlo apparet 666. 51
Stellæ de cœlo delabi uisæ 670. 2
Stephanus Vngariæ rex 19. 10 & ibid. 53 & 32. 1 & 27. 41 Ethnicismum abrogat 695. 46 Giulam auunculum suum Transsyluaniæ principem uincit, atque custodiæ tradit 700. 54 Bulgaros graui prælio superat. ibid. 58 corpus eius tumulo effossum, atq; per basilicam circumductũ. 303. 31
Stephanus IX papa 529. 28
Stephanus Bauarus, Clementi secundo uenenum miscet 383. 29
Stephanus Campidonensis abbas. 639. 16
Stephanus Vuithebiensis cœnobij Northumbrorum monachus. 650. 18
Stephanus, cœnobij S. Laurentij in publico monte Leodij, abbas 631. 59
Stephanus eremita 652. 3
D. Stephano ecclesia condita 248. 41
Stigandus Cantuariensis sedis improbus inuasor 609. 41
Stigandus Cantuariensis antistes dignate sua dejectus 44. 38
strangulati episcopi 602. 22
Straubinga 360. 42
studijs impijs atq; curiosis episcopi diditi 358 3
subdiaconorum ordinatio 385. 50
subditi ab obedientia magistratibus debita, à papis dissoluti. 382. 7
substantias tres in una persona esse, quomodo Græci dicant 64. 48
Sueno Dacorum rex 32. 28
Sueno Danorum rex 703. 53
Sueno Daniæ & Angliæ rex 344. 37
Sueno rex Daniæ agens pœnitentiã recipitur 266. 29
Sueno cognomento Sangumarius, à Sueonibus quare rex creatus. 693. 32
Sueno Noruegianus, Roschildensis antistes 627. 1
Sueno rex à Vuilhelmo Roschildensi pontifice excommunicatus. 264. 23
Sueno ex Estrita Canuti sorore editus, regnum sibi debitum inuadens, quæ perpessus 714. 47
Suenonis apud Anglos fata 49. 54
Sueßionenses episcopi 554. 20
Sueuia ab Imp ratore Hẽrico quarto uastata 731. 4
suffocatis Christianis uesci haud licere, à Michaele Constantinopolitano quibus rationibus probatum 402. 35 quomodo ab Hũberto episcopo sit refutatum. 406. 18
Suidegerus Bambergensis episcopus depositio Gregorio sexto, pontifici Romano substituitur. 400. 49
Sulcardus Vuestmonasterienſis monachus 649. 47
in Sullenberg prærupto monte castellum 589. 5
superbiẽdo angelos cecidisse. Ansh. 104. 32 & inde.
de Superbia 118. 50
superbia in primis parentibus, humanæ miseriæ, causa. Berno. 109. 56
superbiæ pœnæ datæ 340. 11
de Superbia, Pet. Dam. 160. 7
de Superba uoluntate, seu mẽte. Pet. Dam. 159. 54
superstitio de sanctorum mortuorum præsidio & cultu 28. 18
superstitiones à gubernatoribus ecclesiæ auctæ 358. 40 à papis auctæ atq; impositæ 377. 36
superstitionibus & ciuilibus negocijs diditi episcopi 594. 23 & 595. 15 & 597. 16 & 609. 17
supplicandi ritus 348. 19
supplicationes institutæ 281. 21
Syluester tertius episcopus Romanus 522. 58
Syluester pontifex exaltatus, iterumq; dejectus 394. 31 & 399. 50
circa Syluestri secundi, Romanorum præsulis sepulcrum, miraculum 659. 31
symbolum apostolicum à Romanis usq; ad Henrici Imp. tempora in ecclesia cur nõ cantatum. Berno. 256. 59
symbola huius ætatis ecclesiæ 51. 44
de Sympatia, seu cõpassione. Ansh. 200. 52

Synodi.

Aquisgrana 445. 48
Barensis 513. 34
Beneuentana 500. 38
Berchachensis 499. 44
Claromontensis 512. 8
Educensis 500. 23
Erfurdensis 482. 3 alia 485. 27
Florentina 456. 57
Francofordiana 445. 24. alia 451. 9
Galliæ 484. 51
Gandersheimensis 446. 34
Garstungensis 503. 7
Halberstadiana 461. 54
Mantuana 457. 33 alia 476. 24
Marsburgensis 454. 24
Mediolanensis 462. 29
Melphinensis 508. 22

Moguntina 452.46 alia 480.6 alia 481.35 alia 488.14
Netriana 457.48
Nouiomagienſis 446.24
Oppenheimenſis 493.3
Placentina 509.10 alia. ibidem. 44
Quedlinburgenſis 506.45
Romana 454.31 alia contra Berengarium. ibid.45 & 457.55 alia 456.36 alia 479.53 alia 485.18 alia 497.3 alia 498. 54. alia 511.22 alia 513. 46
Rontingehamenſis 513.56
Salegunſtadenſis 446.58
Thuronenſis contra Berengarium. 457.9
Ticimenſis, ſiue Papienſis 492.49
Triburienſis 451.56 alia 479.18 alia 493.39
Troiana 508.50
Turonenſis 509.34
Vercellenſis contra Berengarium. 456.1
Vintonienſis in Anglia 479.2
Vuormacienſis 456.48 alia 476. 18 alia 488.54
¶ Synodi in templis celebratæ 259. 30 contra papas, ab Imperatoribus congregatæ 388.24
Syracuſæ à Rotherio Apuliæ rege captæ 719.1

T

TEmeritatis exemplum 345.48
S. Teclæ ædes ædificata 249.10
in Templi ſecretiorem locum oraturos ſeſe abdiſſe 279.36
templa & monaſteria nimis multa à politicis ædificata 394.47
templa quædam uel uetuſtate uel alia quacunq; calamitate collapſa, inſtaurata, & deformia ac anguſta ſplendidiora et auguſtiora reddita 249.21 cædibus et alijs ſceleribus contaminata, expiata. 252.13 hoc ſeculo paſſim ab hominibus ſuperſtitioſis erecta 247. 51
templorum ac monaſteriorum confirmationes à papis petitæ 385. 37
templorum ædificijs epiſcopi nimiũ occupati 587.15
de Templorum uſu. Berno. 256. 49
templis parſum 336.45
templa ſua, in quibus idola erant repoſita, gentiles habuiſſe 692. 30
in Templis hoc tempore quæ contenta 252. 24 defunctorum corpora poſita 299.10 cœna adminiſtrata 271.13
in Tentationem quomodo Deus inducat 99.60 & 135.27
tentationum tria genera. Ansh. 198. 50
in Terram procumbere orantes ſoliti 280.11
in Terram ſanctam qui religionis ergò peregrinationes ſuſceperunt 584.11
terræ motus facti 660.47 & 661. 28 & 665.52 & 668.25
de Teſtamento ueteri 56.40 nouo. ibid.52
teſtamenti ueteris atq; noui diſcrimen 57. 6 & ibid. 20 & 236. 11
Themardus Vuatinenſis monachus à paralyſi liberatus 678.6
Theobaldus Caſinenſis abbas 628. 16 quos libros deſcribi curauerit 366.57
Theobaldus Mediolanenſis ſedis archiepiſcopus 547.47
Theobaldus apud Vincentiam monachus 630.30
Theodora Auguſta proclamata. 710.21
Theodoricus S. Albani apud Mogũtiam, Benedictinæ profeſſionis monachus 643.45
Theodoricus Verdunenſis præſul cuſtodiæ traditus, iterũq; dimiſſus 41.47
Theodoricus Magdeburgicæ ſedis præſul 601.34
Theodoricus Conſtantienſis antiſtes 565.48
Theodoricus S. Trudonis apud Gallos abbas 632.35
Theodoricus Hirſfeldenſis monachus 646.51
Theodoricus Phladirtingæ marchio occiſus 713.14
Theodorici Treuirorũ epiſcopi perſecutores ſeueram Dei ultionem experti 48.38
Theofridus Epternacenſis monaſterij gubernator 642.21
Theophaniæ feſtum 289.47
Theophilus Erotius, Cyprorũ prætor, defector 709.60
Theophilus apoſtata Deo reconciliatus 163.41
ad Theſſalonicenſes epiſtolæ. Ansh. 24.24
Thiemo Salisburgenſis præſul, martyr 48.2
Thiet&waldus S. Galli abbas 634.33
Thomas Carthaginenſis metropolitanus 515.30
Thomas Eboracenſis antiſtes 620. 58
Thracia à Samuele rege Bulgarorum incurſione uaſtata 699. 50
Thuringiæ principes à Moguntino archiepiſcopo excommunicati 360.27
de Thuringiæ decimationib. inter Moguntinum & Hirſfeldenſem abbatem diſſidium 419.7
Thuronenſis ſynodus, contra Berengarium 457.9
Torktan idolum 658.60
trabs ignea miræ magnitudinis in cœlo conſpecta 662.21
tradere Deum aliquem in reprobam mentem aut ſenſum, qualis locutio. Ans. 100.9 & inde
traditiones humanæ & res mediæ 201. 56
de Traditionibus humanis, regula Bernonis 202.5
Traiectenſes epiſcopi 583.50
transfugæ 560.44
Tranſmũdus Theadinus comes 378. 26
de Transformatione Chriſti 93. 30
tranſubſtantiatores hæretici 238. 41
de Tranſubſtantiatione huius ſeculi errores 234.18 Algeri figmentum 174. 2 & inde. eius error unde ortus 238.44
Tranſyluani 28.28
Treueris ab Adelberone ui occupata 702.6
Treueris apud S. Paulum, XIII ſanctorum corpora reperta 303. 47
Treuirenſes epiſcopi 563.36 monachi 635.41
Triburienſis ſynodus 451.56 alia. 479.18 alia 493.39
Tridentini epiſcopi 549.19
trinitas 64.48
trinitas tota noſtræ redemptionis effectiua conſummatio 91.20 cur in baptiſmo Chriſti demonſtrata. Ansh. 65.14
in Trinitatis honorem templum conditum 247.56
triſticiæ ſignis orantes uſi 280.25
de Triſticia ad ſalutẽ. Ansh. 161.48
Troiana ſynodus 508.50

Turci, quos tumultus in Asia Henrici tertij tẽporibus excitarint 709. 29

Turcorum aduersus Christianos immanitas atq; rabies 748.3 & inde.

aduersus Turcos Christianorum expeditio. ibid.50 & inde.

à Turcis Heinrici quarti temporibus quæ regiones in Asia, duce Belphet captæ 718.19

Turonensis synodus 509.34

V

VAllis umbrosæ ordo monasticus. 311.10

in Vasis metallicis cœna exhibita. 271.24

de Vasis iræ & misericordiæ. Ansh. 114.49

Vatha Vngarus apostata 692.46

de Vatidica quadam muliere apud Coloniam Agrippinam 666.39

Vdalricus Bohemiæ princeps 294. 46

Vdalricus apud Augienses cœnobij gubernator 637.59

Vdalricus Lindegrun Ochsenbacensis, apud Campidonenses abbas. 640.4

in D. Vdalrici honorem ab Henrico Imp. basilica constructa 249.2

Vdo Vuandalorum princeps tyrannide, & Christianorum odio illustris 34.18

Vdo comes de Aluensleue, Hildesianus præsul 597.36

Vdo, Imperatori malè gratus, apud Treuirenses antistes 564.43

uenatio iniusta 343.32

uenationis ius sacerdotibus & monachis ab Henrico Imperatorũ primo concessum 395.27

Venedi 31.30

de Venefica quadam apud Anglos muliere 663.3

ueneno sublati 540.60

uenena sibi inuicem Rom. pontifices propinant 383.29

Venericus ex Treuerensi clerico, factus Vercellensis ecclesiæ episcopus 548.41

Venetorum ducis uxor, Constantinopolitana fœmina exquisitarum deliciarum supra modum studiosa 344.58

uentorũ turbines 660.49 & 668. 29

uerbum Dei 55.3

uerbũ in summa essentia quid. Ansh. 69.16 cur caro factum 122.45

uerbi Dei effectus. ibid.16

de Verbi incarnatione. Ansh. 55.29

uerbi humanati dispensatio, est totius Trinitatis operatio. Berno. 91.20

uerbo Dei credendũ esse 55.4 quis det effectum. ibid.12

per Verbum Dei homines fieri bonos, & bonos fructus adferre. ibid.48

Vercellensis synodus contra Berengarium 456.1

Vercellenses episcopi 548.30

Verdenses episcopi 592.9

ad Veritatem inquirendam clauium potestas usurpata 264.50

Veronenses episcopi 548.5

uestes sacræ, quibus cœnæ administratores hoc tẽpore induti erant. 272.50

uestibus albis baptizati, induti 262. 32

uetus testamentum cum nouo collatum 57.6

ueteris testamenti scripturas quomodo apostoli citarint. Ansh. 58.59

de Veteri testamento 56.40 quare sic dicatur. ibid.44.

Victor II. papa 528.13 Henrici imperatoris beneficio dignitatem pontificiam adeptus 387.57

Victor III. Romanus papa 540.30

Vigornienses antistites 621.46

uillæ ecclesijs datæ 366.6

Vincentini abbatis edictum, quo per triduũ Quadragesimæ solo pane & aqua uesci sanxerat, transgressor morte subitanea multatur. Vincentij nugæ 681.26

in Vincula conuecti 392.28

uindicta diuina quomodo auertatur. Ansh. 129.38

uindictæ gratia excommunicatio usurpata 360.24

uindictam, utrum ecclesiarum rectores expetere debeant aut possint, quæstio à Petro Damiano discussa 127.29

contra Vindictam. ibid.22

uinearum fertilitas 666.4

Vintonienſis in Anglia synodus. 479.2

Vintonienses episcopi 621.22

uinum aqua mixtum in cœna hoc seculo communicantibus datum. 271.49

de Viro quodã religioso in Theutonia, atq; uisione ipsi oblata, Vincentij nugatoris fabula 685. 57

de Viribus hominis 116.42

de Virginitatem uouentibus, Ansh. nugæ 236.35

de Virginitate seruanda pro confirmando errore, mẽdacia conficta. 680.43

uirtutum exempla 336.34

uisiones & somnia ab ecclesiæ antistitibus hoc seculo magnifacta. 359.17

uisitandi ægrotos ritus 296.1 casus. 297.53

uita humana nihil nisi perpetuum aduersus diabolum certamẽ. Berno. 200.12

uita æterna 213.25

uita æterna unde. Alg. 213.26 qualis sit. Berno. ibid.57 & inde. tantum per Christum recuperatur. 158.38

uita æterna impiorum post hanc uitam, mors quare dicenda. Alg. 212.48

de Vitæ æternæ gaudijs. Ansh. 217. 54

in Vita æterna Deum quomodo uisuri. Ansh. 218.16

uiuorum & mortuorum in Missa mentio facta 277.53

uitium unũquodq; ut consummetur. Ansh. 119.18

uitia & peccata à uerbi ministris liberè & grauiter redarguta 355. 23

de Vitiorum praua consuetudine. Berno. 111.57

uitiorum exempla 340.3

Vladislaus Polonorum princeps. 386.55 cum Pomeranis & Prutenis uario successu bella gerit. 744.2

Vlricus Boemus, proditor 342.33 Conrado Imp. rebellis 708.19

Vlricus Sangallensis abbas Augiensem abbatiam sibi armata manu subijcit atq; occupat 439.29

Vlricus nobili Baronum de Luffen prosapia oriundus, Augiæ abbas. 638.51

Vlricus secundus, in Sangallensi abbatia Notberti successor 634-48

unctio in episcoporum ordinatione adhibita 284.53

Vngari profligati 337.42

Vngarorum erga Budam cognomẽto Barbatum, duosq; eius filios declarata crudelitas 342.10

Vngarici regni status sub Heinrico tertio admodum turbulentus 713. 21

Vngaria 27.32 quos tumultus sub Heinrico IIII habuit 529.6 à Gebhardo Ratisponensium episcopo armato milite petita 363.25 Romano pontifici subiecta. 607.29

Vngariæ episcopi. ibid.18

erga Vngariæ reginam filiumq; eius Salomonem, & nurum, à suis in exilium pulsos Henrici IIII hospitalitas 339.51

de Vnitate Dei 65.39

Vnvuannus, siue Vnymarus ex Padebornensi collegio ad Hamburgensem episcopatum accitus 585.59 omnes paganicos ritus ex Holsatia prorsus extirpat 695.31

circa Vocationem & ordinationem ministrorum ecclesiæ, ritus 281.51

de Vocatione gentiũ. Berno. 188.36

uocationum felicitas unde sit 117.14

Volkuuardus Aldenburgensis antistes 597.49

Volmarus Hildesheimensis canonicus, sellæ pontificalis inuasor. 441.55

uolendi aut faciendi potestatem nulla res habet nisi Deo dante. Ansh. 115.11

uolũtas propria hominis, omnis mali causa 118.39

uoluntatem hominis ad seruandam rectitudinem liberam esse, Ansh. error 227.21 & inde.

de Voluntate quadruplici Scripturã loqui 60.1

uota bona seruanda. Ansh. 202.13

Vratislaus Bohemus 743.18 ab Heinrico quarto rex declaratus. ibid.28 Pragæ rex inauguratus. 346.45 ab Imperatore Heinrico bello aggressus 713.59 & ad pacis conditiones petendas coactus 714.4

Vrbanus secũdus Rom. põtifex 31.8 & 341.31 quomodo inauguratus 284.57

Vroldus Eptinacriani cœnobij à se instaurati abbas 641.49

Vrsinarius in Flandria prædicator. 673.32

Vta Confugiensium monialium abbatissa 654.10

Vtenburgenses monachi 642.47

Vuagirorum terræ patres familiâs quantum ecclesiæ annuatim expendere coacti fuerint 365.33

Vulstanus Vigornienſis antistes 621.52 à Lanfranco præter ius & æquum loco suo motus 611.39

ab Vxoratis sacerdotibus Missas audire, à Gregorio pontifice interdictum 276.30

uxorem de consanguinitate sua, usq; ad septimam generationem, nullus ducat, Nicolai secundi pontificis decretum 461.36

Vzi, Scythica gens, quas turbas in Europa Heinrico quarto imperãte dederint 719.13

W

Valbecense monasterium 599.37

Vualmarus Numburgensis episcopus 605.15

Vualo Corbeiensis abbas 647.56

S. Vualpurgis reliquiæ loco motæ. 304.51 eidem templum conditũ. 249.14

Vualterus Herefordensis episcopus. 626.9

Vuandali maris Baltici accolæ 706.48

Vuarmannus comes Dillingensis, ad Constantienſis ecclesiæ gubernationem uocatus 565.30

Vuatto in Leodiensi ecclesia antistes 583.17

Vueichenstephanenses monachi. 643.1

Vuẽzelaus inferioris Altachij, Vuissenburgensis abbas 643.38

Vuerinherius Hermanni Contracti frater, Augiensis alumnus, doctus & superstitiosus 639.1

Vuernerus apud Mersburgenses antistes 604.25

Vuernerus Hezelonis in Argentinẽsi sede successor 570.24

Vuernerus, siue Vueßilo, erga Imperatorem ingratus, Magdeburgensis præsul 602.13

Vuerneri impij Argentinensis episcopi tristia fata 49.39

Vuernhardus, siue Vuerinherus, Augiensis abbatiæ administrator. 636.53

Vuernherus Argentinensis episcopus 569.45

Vuertberch comitatus à Meinuuerco episcopo ab Imperatore Padebornensi ecclesiæ emendicatus. 395.21

Vuezilo Moguntinæ ecclesiæ post Sigefridum antistes 563.14

Vuickgerus Verdensium præsul 591.24

Vuideradus Fuldensis abbas 633.15 miles cruentus, monasterij fur, homicida 416.34

Vuidgerus Rauennatensis ineptus & crudelis episcopus 547.25

Vuidgerus pontifex loco motus 392.21

Vuido Hereberti in Mediolanensi ecclesia successor 547.41

Vuidonis miraculis insigne corpus translatum 304.15

Vuigbertus Mersburgensis episcopus 602.44

Vuigbertus Rauennãs episcopus ab Imperatore electus, ab Vrbano secundo in synodo maledicitur. 442.10

Vuigberti & Lulli confessorum reliquiæ translatæ 304.13

Vuilhelmus conquæstor rex Angliæ. 27.11 & 301.11 iniustus atq; tyrannus 341.30 sacrilegus 545.25 ex qua matre prognatus 343.39 iniustus uenator 345.32 rex coronatus 346.46 erga ministros Dei humilis 336.41 milites suos à præda cohibet 337.22 Scotiam inuadit 746.16

Vuilhelmus Anglus Roscildensium præsul 626.56

Vuilhelmus Hirsaugiensium monachorum abbas 645.20 quorum cœnobiorum author 317.43

Vuilhelmi Hirsaugiensis abbatis, totiusq; cœtus, præscriptam sibi uitæ regulam seruandi, studium ualde à Trithemio commendatũ. 329.57

Vuilhelmus Normannorum dux, Angliæ rex creatus 745.1 & inde.

Vuilhelmus Argentoratensium antistes 569.54

Vuilhelmus Traiectensis præsul. 584.10

Vuilhelmo Russo de regno bellum motum 745.40

à Vuilhelmo conquæstore Normannia deficit 728.28

à Vuilhelmo Russo Anglorum rege Londanienses Iudæos liberam sibi in Christianos sæuiendi potestatem multo auro redemisse. Antoninus 687.48 uide quæ ibi sequuntur.

Vuillarinus Persaxardiæ cœnobij abbas 648.47

Vuinrichus S. Maximini extra muros Treuericos abbas 635.44

Vuintherus

Vuintherus post Onoffrium Mersburgensis præsul 604.17 ob bonorum ecclesiæ dilapidationem insignis 363.57
Vuinulorum principes Mistivuoi & Mizzudrag ad paganismum suos inducunt, eumq; ui & armis defendunt 693.23
Vuirandus tertius Einsidlensium abbas 640.32
Vuirtzburgenses episcopi 574.6
Vuissenburgenses monachi 643.31
Vuoldardus Magdeburgicus episcopus 601.6 ægrotans, ab episcopis uisitur 297.43
Vuolfelmus sancti Pătaleonis apud Coloniam monachus 644.38
Vuolfredus Anglia oriundus superstitionem Sueciæ concione & manu tollit 695.40
Vuolfridus martyr 658.59
Vuormaciësis synodus 456.48 alia 476.18 alia 488.54
Vuormacienses episcopi 572.30
Vuormaciæ quando Bruno Romanus papa cum Henrico tertio Natiuitatis estum celebrabat, quæ contentio inter papam & Moguntinum archiepiscopum sit oborta 399.10

Z

S. Zenonis martyris reliquiæ translatæ 304.20

INDICIS FINIS.

ERRATA INTER EXCVDENDVM commissa sic emendabis.

Prior numerus columnam, posterior uersum notat.

17. 18 pro percarum, Lege peccatum. ibid. 58 pro prsidijs, præsidijs 26. 22 pro transtulit, transtulit 28. 7 pro mulie, mulier 29. 60 pro tibi, ibi 36. 38 pro redarguentes, redarguens 42. 39 pro coleban, colebant 50. 23 pro uuiendi, uiuendi 71. 35 pro, in 7 ad Ephes. in 2. ad Ephes. 72. 59 pro uos, nos 75. 9 pro corpori, corpore 76. 33 pro est, sunt 78. 1 pro obsorberes, absorberes 79. 38 pro subditut, subditur 82. 41 pro se obmutescit, obmutescit tantum 84. 23 pro uoluntate, uoluntariè 87.12 pro fit, fit ibid. 14 pro peccaminum, peccatorum 88. 37 pro saruum, saluum 90. 52 pro redditur, reditur 91. 20 pro humanatis, humanati 94. 14 pro in 27. Mat. in 17. Mat. 95. 22 pro filij uerò patris, filij uerò spiritus 103. 25 pro dilectio, dilecto 105. 43 pro uos, nos 106. 14 pro magnicas, magicas 115. 56 pro affectu, effectu 123. 37 pro Dc, Dei 127. 44 pro lege, legi ibid. 45 pro redhibitio, redditio 130. 41 pro mais, magis 134. 12 pro iniusta, non iniusta ibid. 42 pro præscientia, præsentia 136. 2 dele alterum est, & uirgulam sequentem ibid. 39 pro destituit, destruit 140. 50 pro liberentur, librentur 151. 29 pro in 7. ad Titum, in 1. ad Tit. 170. 10 pro cctamen, certamen 175. 47 pro sanguis, sanguinis 184. 60 pro uirgo, uirago 188. 43 pro uerè, uerò 195. 59 pro habitans in uobis, habitans in nobis 196 Hîc numerus columnæ est transpositus ibid. 40 pro præceperunt, perceperunt 198. 27 pro sol, solus 199. 1 dele integram lineam 199. 10 pro Innguoribus, languoribus 203. 34 pro in 9 cap. 1 ad Corint. in 6 cap. 1 ad Cor. 206. 19 pro uocet, nocet 214. 10 pro parte, patre 215. 18 pro quatum, quantum ibid. 59 pro totamens, tota mens 216. 2 pro nunquam, unquam 225. 29 pro legite, legere 267. 22 pro factu, facto 270. 5 pro ferax, ferox 278. 31 pro reluſum, recluſum 280. 17 pro cernui, curui 282. 19 pro unlgus, uulgus ibid. 50 pro pontificia, pontificis 295. 27 pro eiam, etiam 302. 1 pro prolici, proiici 311. 24 pro portentu, portento 329. 22 pro relictorum, delictorum 337. 24 pro continuit, cohibuit 351. 32 pro cupiam, cuipiam 352. 40 pro aut, autem 363. 43 pro nullus, ullus 365. 14 pro indicatur, iudicatur 373. 22 pro à participio, à participatu 379. 13 pro uolunt, nolunt 381. 3 pro pontificibus, pontifex 390. 6 pro acerbi, acerbè 427. 34 pro egiffe, egisse 444. 41 pro coniunctos, coniunctas 453. 6 pro si, sit 460. 21 pro quibus, qua 461. 2 pro canter, cantet 462. 39 pro sacerdotium, sacerdotum 548. 27 pro inantem, infantem 554. 47 pro contendebat, contendebant 570. 47 pro ingenijs, ingenij 577. 48 pro ædificis, ædificijs 588. 53 pro delacerationes, dilacerationes 624. 48 pro Baiocnesis, Baiocensis 629. 39 pro cœnobijs, cœnobij 642. 34 pro ab, ab 669. 34 pro allocatum, allocutum 693. 45 pro duas, duos 735. 12 pro Imperator, Imperatore ibid. 53 pro pacidi, placidi 747. 36 pro præsentiscerent, persentiscerent 752. 27 pro maritinum, maritimum 722. 25 pro consecedere, conscendere.

BASILEAE, EX OFFICINA PAVLI QVECI, SVMPTIBVS IOANNIS OPORINI, Anno Salutis humanæ per CHRISTVM partæ,
M. D. LXVII. Menſe
Septembri.

ber⁹ ⁊ nō calm ſuũt ſal⁹ / ⁊ replen⁹ aũt
⁊ ſpuant capitu a calefa⁹ ſi uō hũ
ceũt uſto mag⁹ ſtuũ ſ⁹ hũ⁹ hũt ſ⁹
ſtuctuũ qũ uō ad pluũ huũtmt ⁊
calm uēũt. hmt eoꝝ capit ⁊ ſ⁹ ſl
untubꝫ pleũ ⁊ ſal⁹ ex calefa⁹ ⁊ hũ
tantubꝫ ledi- / uoth uō hmt ſp gũ?
optũe uō m boxea deginũ exactam
poſt uſq ad mltũ ⁊ ad ſ̄puũ gũtũ
ſe ipoſ ⁊ ſpuant tozmẽtet ⁊ uigi
lãtes ⁊ fãtaſt⁹ uidẽt ⁊ ſ⁹ ſ⁹ impfũ
ſi uō mltũ ẽ ipato calidꝰ cẽbꝫ pa
ꝛ uō hũidꝰ remanebũt calide ẽtes
cogtões mſtebũt aũt⁹ eſt leuꝫ hũ
tantũ cogtões uehut eho ⁊ ſl multo
quđ ſ⁹ hũidꝰ cẽbꝫ paulo uō calꝰ
mãſeſte quđ ẽtũ ⁊ vehemẽtes hũ⁹
leuꝫ uō calꝰ cogtões q ſl q̄ltũ
mtẽdũt ⁊ ſ⁹ ẽtũ mtẽſtoza. ſi u
teſſe temetũt ⁊ ſ⁹. ſ⁹ uō tō ⁊ ſ⁹ ſ⁹
m oĩbꝫ ⁊ qplom diſtempanat

Si aũt ca. ⁊ qplꝰ cẽbꝫ ⁊ hũda ⁊ ẽ ſ⁹ſhutaꝰ
ſuctꝫ ſl ab eſbte ſ⁹ſlutaꝰ pua tũ eſſ⁹
hũaꝰ eã ẽtur ſ⁹ boĩ coloꝰ ⁊ qũ tangaꝰ ca
put ꝺ mueſꝰ ipũ calꝺ ⁊ qũ gndꝰ oclꝰ ẽ
mueſꝰ u eſꝰ uenaꝰ gſtaꝰ ⁊ mueſꝰ u ſ⁹ſluꝰ
u ueatꝫ cẽbꝫ u eo mltaꝰ digõe ad diſpoꝫ
q̄ ẽt pauca ⁊ mueſꝰ capillos ſlanos ꝺ cẽbũt
ad rubedinẽ ⁊ nō acuꝫ hũa hãc diſpoꝫ calu

ꝓpoſ cẽbꝫ eoꝝ dicentiũ a ẽtu ſ⁹ ⁊ ipe qꝺ ia
ſuꝫ ex eiſ v. uiꝝ eſſe ⁊ ꝺ ſimpliceꝫ q̄ſt
hũ ſſe ⁊ poſt uuch hãſ e. duaꝫ mãſtꝺ
ꝓpua ⁊ exte⁹ ſ⁹ta ⁊ ꝺcaue ſ⁹ eũ ⁊ ipe
ſ⁹ remouaſ ẽ. ꝓpoũ ⁊ ſ⁹ſtue ꝺ eũ
mpoũ quđ ẽ. ⁊ ſ⁹. ꝑ quđ=
ſ⁹ hũdaꝫ ſ⁹ m ſl⁹ſluctubꝫ ſ⁹
ſtibꝫ ⁊ uigl⁹tiſſm ⁊ calm ſuũt
ꝑ eũ exte⁹ capillos acutũ ⁊ ex ⁊
ſſa ⁊ mgꝝ capill ⁊ ẽpi ſuũt ⁊ cali
mo ẽtꝫ caput ⁊ rubiꝺi uſq ad
ſtuꝫ qpa
ꝓpoſ ⁊ ⁊ ⁊ ⁊ ⁊ ⁊
ꝓuat hꝫ qplꝰ ſ⁹ cẽbꝫ ſ⁹ ne ꝺ ẽ hũdꝰ a
ꝰ ⁊ ſ⁹ ꝛeſꝰ ꝺcaꝫ ⁊ hũꝫ hãc qplꝰ ⁊ ꝓ ꝓ
ꝓ alu hoꝝ ⁊ acuꝫ ẽ calueũ velꝰ ſla
ſ⁹ eũ capillos ꝺ ꝑ ꝺ eiſ ẽ velos ualꝺ
ſtio ipſſio ⁊ ſoꝝ ⁊ mgſto ⁊ ẽpi ⁊ q̄
caput ꝺ mueſ ipũ ca ⁊ q̄ alpicaꝰ
ꝺ mueſ ipũ ru ⁊ hec ꝛ diſpõ ꝺ uſq ad
⁊ ſ⁹ aꝺ adoleſcẽ ꝺ
ꝺ diꝝ ꝺ m eo ꝙ ꝑ ſ⁹ / ꝙ eſſent qplꝰ ẽ
qplꝰ ẽt ut ſ⁹ eſſent ꝓ ſmute calꝰ
ſ⁹ta ⁊ addite ſ⁹ta ⁊ hũꝰ ꝺ. qꝺ
ꝺ ꝙ poſſ⁹ hũꝫ ⁊ m ſ⁹ ꝙ ſ⁹ accꝺ ſ⁹
calꝰ ⁊ ſ⁹ aũtiq̄ ex quibꝫ ꝛhe ẽ
nexũ ⁊ quđ uult ꝙ ꝺ poſſ⁹ m ſ⁹
ꝙ ſ⁹ accꝺ calꝰ mꝺ cẽbꝫ ex calꝰ
ſi ſſt ꝺuaꝫ ſuaꝫ ſ⁹ ꝙ ꝺ ſ⁹ mꝺ
ſ⁹ ⁊ ſ⁹ ſ⁹ ⁊ ſ⁹ ⁊ ſ⁹
uo hũtuꝰ accꝺat calꝰ ꝑ uũ
ſ⁹ eoꝝ ꝺicentiũ uſq mediocꝝ
ou⁹ coloꝝ ⁊ calituꝰ ⁊ m ocliſ.
ſ⁹ magne ⁊ ſ⁹ſluꝰ ꝑ plũe / medi
ſ⁹ digeſtꝰ ⁊ capilli recti ⁊ ſl⁹zu

ſ⁹ ⁊ ſ⁹ ⁊ ſ⁹ ⁊